


HD WIDENER
HW JNEP 1



Harvard College Library



FROM THE BEQUEST OF

JOHN HARVEY TREAT

OF LAWRENCE, MASS.

CLASS OF 1862

Breviarium

Ordinis Fratrum Beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo

juxta Hierosolymitanae Ecclesiae antiquam consuetudinem auctoritate Apostolica approbatum, et Revmi Patris Magistri Angeli Savini totius Ordinis Vic. Prioris Generalis jussu denuo correctum et impressum cum officiis Sanctorum usque ad hanc diem concessis in iv. partes divisum

Pars Hiemalis

A Dominica prima Adventus usque ad Dominicam primam Quadragesimae

Tornaci Nerviorum

Typis Soc. Sancti Joannis Evangelistae

Desclée, Lefebvre et Soc. Edit. Pont.

M.DCCC.LXXXVI.

Omnia jura vindicabuntur.

Gregorius Papa xiii.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

T Breviarii, quo dilecti filii, Fratres Ordinis beatæ Mariæ Carmelitarum, juxta Jerosolymitanæ Ecclesiæ consuetudinem multis sæculis utuntur, ratio temporis diuturnitate, et librariorum incuria multis locis corrupta, et ob varias, quas dicti Ordinis Fratres modo addendo, modo detrahendo emendationes fecerunt, valde immutata, ad pristinam institutionem reduceretur; in Generali Capitulo postremo Romæ celebrato statutum fuit, ut dilectus filius Joannes Baptista Caffardus, Prior Generalis dicti Ordinis tunc electus, Breviarii ipsius corrigendi curam susciperet. Quod cum ipse (sicut nobis relatum est) adhibitis aliis piis et doctis ejusdem Ordinis professoribus diligenter sit exsecutus, Breviariumque ipsum, remotis inde incertis et apocryphis scripturis, minusque probatis Patrum Sermonibus expunctis, Antiphonis quoque et Responsoriis juxta Scripturæ ordinem collocatis, ad normam Breviarii Romani Decreto Concilii Tridentini nuper emendati, quantum fieri potuit, directum restituerit : Nos restitutionem prædictam a diligentibus, et scientia præditis viris, quibus ejus recognoscendæ munus demandavimus, probari intelligentes, ne ejusdem Ordinis Fratres in divino Officio, alio atque alio modo recitando vagentur, eorumque quasi fluctuet devotio, prædictum Breviarium, sic ut præfertur, et recognitum, et reformatum, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, omni alio usu deinceps omnibus interdicto. Mandantes universis, et singulis Ordinis prædicti professoribus, novitiis, et personis utriusque sexus, ut hoc solo Breviario in quacumque Provincia, Congregatione, et domo, tam in Choro, quam extra illum Matutinis et aliis Horis Canonicis recitandis, utantur : Priori vero, et Capitulo Generali, et aliis superioribus, et personis quibuscumque ejusdem Ordinis, ne quid illi addere, vel ex eo detrahere, aut immutare, seu vetera retinere audeant quoquomodo. Qui secus fecerint, excommunicationis sententiam incurrant eo ipso, quam solus Romanus Pontifex (excepto mortis articulo) valeat relaxare, non obstantibus contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentium exemplis manu Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis, vel etiam ipsis voluminibus absque prædicto, vel alio quodam adminiculo impressis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die IV. Augusti MDLXXXIV. Pontificatus nostri anno tertiodecimo.

CAES. GLORIERIUS.

Gregorius Papa xiii.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.



XPONI nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Baptista Caffardus Prior Generalis Ordinis beatæ Mariæ Carmelitarum, quod cum nuper ipse, ex statuto Capituli Generalis, postremo Romæ celebrati, Breviarium, quo dilecti filii Fratres ipsius Ordinis utebantur, ad normam Breviarii Romani decreto Concilii Tridentini nuper emendati directum restituerit; Nosque restitutionem prædictam a viris doctis recognitam, et probatam, ac ipsum Breviarium sic recognitum et reformatum, omni alio usu deinceps omnibus Religiosis ejusdem Ordinis interdicto, approbaverimus, mandaverimusque, ut eo solo Breviario uterentur : neque illi quidquam addere, vel ex eo detrahere, aut immutare auderent, prout in nostris desuper confectis Litteris plenius continetur. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, praedictus Joannes Baptista summopere cupiat, ut Breviarium ipsum, necnon Missale ad ejus præscriptum conficiendum, quam emendatiora imprimantur, Nobis humiliter supplicari fecit, quatenus sibi, ne in præmissis aliquod detrimentum patiatur, opportune providere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnibus et singulis librorum impressoribus, et bibliopolis, ubilibet exsistentibus, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ : ac quoad subjectos S. R. E. etiam quingentorum ducatorum auri de Camera, pro una videlicet Cameræ Apostolicæ, et altera medietatibus dicto Ordini applicandis, et contravenientes absque aliqua declaratione incurrendis, et exigendis pœnis, interdicimus, et inhibemus, ne posthac in perpetuum Breviarium, et Missale prædictum absque expressa, et in scriptis habita licentia dicti Joannis Baptistæ moderni, et pro tempore exsistentis Prioris Generalis dicti Ordinis imprimere, aut impressa vendere, seu venalia tenere, vel proponere, aut alias habere audeant, vel præsumant. Mandantes universis venerabilibus fratribus Archiepiscopis, Episcopis, et aliis locorum Ordinariis, eorumque Vicariis in spiritualibus generalibus, seu officialibus, ac in dicto statu nostro Ecclesiastico Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Potestatibus, et aliis officialibus, ceterisque ad quos quomodolibet spectat, et spectare poterit, ut quando, et quoties pro parte dicti Prioris Generalis requisiti fuerint, prædicta contra inobedientes quoscumque, etiam per censuras Ecclesiasticas, et alia opportuna juris, et facti remedia auctoritate Apostolica exsequantur, et observari faciant : invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, et

statutis, et consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, etiam motu proprio, et alias in contrarium quomodolibet concessis. Quibus omnibus, etiam si de illis specialis, specifica, et expressa mentio habenda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, plena et indubitata fides ubique adhibeatur.

Datum Romæ, apud S. Marcum, sub Annulo Piscatoris, die XXVII. Septembris MDLXXXIV. Pontificatus nostri Anno tertiodecimo.

A. PINTUS.

D. ORSELLIUS.



Nos Fr. Angelus Savini

SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTER ET DOCTOR PROVINCIÆ ROMANDIOLÆ ET PICENI ALUMNUS
IN ROM. UNIVERSITATE S. THEOLOGIÆ MORALIS PROFESSOR
SACRARUM CONGREGATIONUM INDULGENTIARUM ET EPISCOPORUM AC REGULARIUM CONSULTOR

HUMILIS VICARIUS PRIOR GENERALIS

NEC NON COMMISSARIUS ET VISITATOR APOSTOLICUS TOTIUS ORDINIS

FRATRUM BEATISSIMÆ SEMPERQUE VIRGINIS

Dei Genitricis Mariae de Monte Carmelo

ANTIQUÆ OBSERVANTIÆ REGULARIS

Dilectis Nobis in Christo præclarissimis Dominis Henrico Desclée, Julio Desclée, Ludovico Lefebvre et Sociis.



Eficientibus in omnibus ferme Nostri Ordinis Provinciis exemplaribus Breviarii, quo in divinis utimur persolvendis laudibus, Ecclesiæ Hierosolymorum usum et primævam consuetudinem constanter a remotioribus sæculis retinentes; de nova ejusdem editione curanda jampridem sollicitudinem Nostram, et Pastoralis, quo fungimur, muneris partes, et novissimorum Officiorum series notabiliter aucta, una cum recentioribus in re liturgica Sacræ Rituum Congregationis dispositionibus maximopere perurgebant. Itaque, opportune Nobis occurrentibus Dominis Henrico Desclée, Julio Desclée, Ludovico Lefebvre, et Sociis Typographiæ Tornacensis a Divo Joanne Evangelista nuncupatæ Moderatoribus ac Proprietariis, qui in arte cusoria inter præstantiores merito adnumerantur, quique sub utilibus, æquisque conditionibus opus accurate exequi non recusant; Ideo Auctoritate Nostra, et Nobis commissa ab Apostolico privilegio, quo decernitur neminem ex Impressoribus *absque Prioris Generalis pro tempore existentis expressa, et in scriptis habita licentia talia imprimere posse;* eisdem præfatis Dominis Henrico Desclée, Julio Desclée, Ludovico Lefebvre, et Sociis, harum serie, facultatem facimus typis mandandi Breviaria Nostri Ordinis secundum perantiquam Hierosolymitanæ Ecclesiæ consuetudinem, in quatuor Partes distributa, juxta ipsis tradita exemplaria omni studio correcta et emendata, ac propriis in locis novissimis adjectis Officiis, diligenti cura ordinata. In quorum fidem etc.

Datum Romæ e Conventu Nostro S^ae^ Mariæ Transpontinæ die 1. Januarii 1885.

Reg. Fol. 95.

Frater Angelus Savini Vicarius Generalis Carmelitarum.

L. † S. FR. ALOYSIUS Mª GALLI Adsist. Gen. et Secr. Ord.

De Anno, et ejus partibus.

ANnus menses habet duodecim, hebdomadas duas et quinquaginta, et diem unum : dies vero trecentos sexaginta quinque, et fere sex horas : tanto enim temporis intervallo sol zodiacum perlustrat. Quater autem sex horæ singulis quaternis annis diem constituunt : hinc annus ille intercalaris, Bissextus, vel Bissextilis dicitur.

De Anni correctione, ejusque necessitate, ac Kalendario Gregoriano.

QUod dicitur annum continere trecentos et sexaginta quinque dies, et fere sex horas, intelligendum est sex horas non esse integras, cum ad earum complementum aliqua minuta deficiant.

Ex quorum minutorum neglectu progressum est, ac si annus ultra dies 365 contineret integras sex horas; et factum est, ut minuta, quæ ultra debitam quantitatem annis singulis tribuebantur, tractu temporis ita excreverint, ut invicem juncta constituerint dies decem, qui causam dederunt, ut Æquinoctium vernum sedem suam mutaverit.

Cui malo occurrens Gregorius XIII. non solum Æquinoctium vernum restituit in pristinam sedem, a qua jam a Concil. Nicæno, decem circiter diebus in anno correctionis 1582. præcedendo recesserat, quod a Concil. ad XII. Kal. Aprilis fuerat constitutum, et XIV. Lunam Paschalem suo in loco reposuit; sed viam quoque tradidit et rationem, qua cavetur, ut in posterum et Æquinoctium vernum, et XIV. Luna Paschalis a propriis sedibus nunquam removerentur.

Ut enim Æquinoctium vernum ad XII. Kal. Aprilis restitueretur, statuit ut dicti decem dies in mense Octobris ipsius anni 1582. eximerentur, ut post quartam diem Octobris S. Francisco sacram, sequens dies non esset quinta, sed decima quinta Octobris : et ita error, qui in præteritum tot annorum circulis irrepserat, in momento temporis fuit correctus.

Ut autem in posterum idem error vitaretur, ne a XII. Kal. Aprilis Æquinoctium vernum recederet, statuit idem Gregorius, Bissextum quarto quoque anno (uti mos est) continuari debere, præterquam in centesimis annis; qui quamvis Bissextiles antea semper fuerint, qualem etiam esse voluit annum 1600. anno correctionis proximum; post eum tamen, qui deinceps consequentur centesimi, non omnes Bissextiles essent, sed in quadringentis quibusque annis primi quique tres centesimi sine Bissexto transigerentur; quartus vero quisque centesimus esset Bissextilis, ita ut annus 1700. 1800. 1900. Bissextiles non sint; anno vero 2000. more consueto dies Bissextus intercaletur, Februario dies 29. continente; idemque ordo intermittendi, intercalandique Bissextum diem in quadringentis quibusque annis perpetuo conservaretur.

Modus sciendi in quem diem Anni incidat Pascha.


Uoniam ex Decr. Sacri Concilii Nicæni Pascha, ex quo reliqua Festa mobilia pendent, celebrari debet die Dominico, qui proxime succedit die XIV. Lunæ primi mensis, (is vero apud Hebræos vocatur primus mensis, cujus XIV. Luna vel cadit in diem verni Æquinoctii, quod die 21. mensis Martii contingit, vel propius ipsum sequitur) efficitur, ut si Epacta cujusvis Anni inveniatur, et ab ea in Kal. notata inter diem 8. Martii inclusive, et 5. Aprilis inclusive, (hujus enim Epactæ XIV. Luna cadit, vel in diem Æquinoctii verni, id est, in diem 21. Martii, vel eum propius sequitur) numerentur inclusive deorsum versus dies quatuordecim, proximus dies Dominicus diem hunc XIV. sequens (ne cum Judæis conveniamus, si forte dies XIV. Lunæ caderet in diem Dominicum) sit dies Paschæ.

Exemplum. Anno 1887. Epacta est VI. et littera Dominicalis B, et quoniam invenimus Epactam VI. inter diem 8. Martii et 5. Aprilis inclusive positam esse e regione diei 25. Martii, a qua inclusive, si deorsum versus numerentur quatuordecim dies, inveniemus XIV. Lunam die 7. Aprilis a quo descendendo usque ad litteram Dominicalem B, quæ est e regione die 10. Aprilis, patet Pascha Anno 1887. celebrandum esse die 10. Aprilis. Deinde Anno 1902. Epacta est XXI. et littera Dominicalis E, et quoniam invenimus Epactam XXI. inter diem 8. Martii et 5. Aprilis inclusive positam esse e regione diei 10. Martii, a qua inclusive si deorsum versus numerentur 14 dies, invenimus XIV. Lunam die 23. Martii, qui est Dominica, cum e regione illius sit littera Dominicalis E; sed ne cum Judæis conveniamus qui Pascha celebrant die XIV. Lunæ, sumenda erit littera Dominicalis E, quæ sequitur XIV. lunam, nempe ea quæ e regione diei 30. Martii collocatur, atque eo anno Pascha celebrandum erit die 30. Martii.

De Indictione.


Ndictio est revolutio quindecim annorum ab 1. usque ad 15. qua revolutione peracta, iterum reditur ad unitatem, initiumque sumit quilibet annus hujus Cycli a Januario in Bullis Pontificiis. Et quoniam Indictionum frequens usus est in Diplomatibus et scripturis publicis, facile annum Indictionis currentem quolibet anno proposito inveniemus ex sequenti Tabella, cujus usus perpetuus est, initium tamen sumit ab Anno 1886.

Tabella Indictionis perpetua ab Anno 1886.

14.	15.	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.	13.

Nam si Anno 1886 tribuas primum numerum, qui est 14. et sequenti Anno 1887. secundum numerum, qui est 15. et sic

deinceps usque ad anuum propositum, redeundo ad principium Tabellæ, quotiescumque eam percurreris, cadet annus propositus in Indictionem, quæ quæritur.

Tabella prima litterarum Dominicalium ab Anno 1886. inclusive, usque ad Annum 1900. inclusive.

C	B	A G	F	E	D	C B	A	G	F	E D	C	B	A	G

Usus autem hujus Tabellæ hic est. Anno 1886. tribuatur lit. C primæ cellulæ, et sequenti Anno 1887. secundæ, et sic deinceps ceteris annis ordine aliæ cellulæ tribuantur, donec ad Annum 1900. inclusive perventum sit, qui cum non sit Bissextilis, unicam litteram habet. Nam cellula, in quam Annus propositus cadit, dabit litteram Dominicalem propositi Anni. Quæ si unica occurrerit, Annus erit communis, si vero Duplex, ut Anno 1888. id est lit. A. G. Bissextilis : et tunc superior littera, Dominicalem diem ostendet in Kalendario a principio Anni, usque ad Festum S. Mathiæ Apostoli, inferior autem ab hoc Festo, usque ad finem Anni.

Tabula secunda Litterarum Dominicalium ab Anno 1901. inclusive usque ad Annum 2099. inclusive.

F	E	D	C B	A	G	F	E D	C	B	A	G F	E	D
C	B A	G	F	E	D C	B	A	G	F E	D	C	B	A G

Usus autem hujus Tabellæ hic est. Anno 1901. tribuatur lit. F. primæ cellulæ, et sequenti Anno 1902. lit. E. secundæ cellulæ, et sic deinceps ceteris annis, redeundo ad principium Tabellæ quotiescumque eam percurreris, ut dictum est in prima Tabella, usque ad Annum 2099. inclusive, sed non ultra, nam ab Anno 2100. qui non erit Bissextilis, alia Tabella temporaria erit conficienda.

Tabella Aurei numeri perpetua initium sumens ab Anno 1886.

6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.	13.			
14.	15.	16.	17.	18.	19.	1.	2.	3.	4.	5.

Anno 1886. tribuatur primus numerus Tabellæ, qui est 6. et sequenti Anno 1887. secundus numerus, qui est 7. et ita deinceps in infinitum, donec ad Annum, cujus Aureum nume-

rum quæris, perveniatur, redeundo ad principium Tabellæ, quotiescumque eam percurreris. Nam numerus, in quem Annus propositus cadit, dabit Aureum numerum quæsitum.

Tabella Epactarum respondentium Aureis numeris ab Anno 1886. inclusive, usque ad finem Anni 1900. inclusive.

Aur. N. Epactæ.	6 xxv.	7 vi.	8 xvii.	9 xxviii.	10 ix.	11 xx.	12 i.
13 xii.	14 xxiii.	15 iv.	16 xv.	17 xxvi.	18 vii.	19 xviii.	1 xxix.

Si Epacta quocumque Anno proposito invenienda sit, quærendus est Aureus numerus illius; mox enim sub Aureo num. in inferiori ordine Tabellæ reperietur Epacta Anni propositi. Exemplum, Anno 1886. Aur. num. est 6. cujus usus incipit a die Kalend. Januarii : Erit ergo nunc Epacta xxv. quæ sub Aur. num. 6. collocatur, fietque Novil. die 6. Januarii, Februarii 5. et Martii 6. etc. Item Anno 1887. Aur. num. est 7. cui in eadem Tabella supposita est Epacta vi. quæ toto eo Anno in Kalend. Novilunia indicabit, ut in Januar. die 25. in Febr. die 23. in Martio die 25. et sic deinceps.

Altera tabella Epactarum respondentium Aureis numeris ab Anno 1900. usque ad 2099. inclusive.

Aur. N. Epactæ.	1 xxix.	2 x.	3 xxi.	4 ii.	5 xiii.	6 xxiv.	7 v.	8 xvi.	9 xxvii.
10 viii.	11 xix.	12 *	13 xi.	14 xxii.	15 iii.	16 xiv.	17 xxv.	18 vi.	19 xvii.

Ex quot diebus constet unusquisque Mensis.

Triginta Aprilis, Junius, Septemque, Novemque.
Uno plus alii; viginti Februus octo.
At si Bissextus fuerit, superadditur unus.
Et tunc bis sexto Marti conscribe Kalendas.

De Numero Nonarum, ac Iduum singulorum Mensium.

Sex Nonas Majus, October, Julius, et Mars :
Quatuor at reliqui, dabit Idus quilibet octo.

Declaratio sequentis
TABELLÆ PERPETUÆ
Festorum Mobilium.

EX sequenti Tabella ita Festa Mobilia reperientur. In cellula litteræ Dominicalis eo Anno currentis, quæratur Epacta currens. Nam ad rectam lineam progrediendo, omnia Festa Mobilia illius Anni, quo die, et mense advenerint, deprehendentur. Ut Anno 1886. Litt. Dominicalis est C. Epacta vero XXV. Si igitur e directo hujus litteræ Dominicalis C. et Epacta XXV. progrediatur, reperietur Septuagesima die 21. Februarii, dies Cinerum 10. Martii, et Pascha 25. Aprilis. Et sic de ceteris.

Sed in Annis Bissextilibus invenienda sunt omnia Festa Mobilia per Litteram Dominicalem posteriorem, quæ nimirum currit post Festum S. Mathiæ, ita tamen ut Septuages. et diei Cinerum inventæ in Januario, vel Februario addatur unus dies. Quod ideo fit, quia propter mutationem litt. Dominicalis in præcedentem, littera, quæ jam post Festum S. Mathiæ indicat Dominicam, et feriam quartam, ante hoc festum indicat in Januario, et Februario diem Sabbati, et feriam tertiam. Ergo ut in dictis mensibus habeatur Dominica, et feria quarta, utrobique addendus est dies. Quod si dies Cinerum cadat in Martium, nihil est addendum, quia tum littera, qua quæritur feria quarta, cadit in feriam quartam. Exempli gratia. Anno 1888. Bissextili litteræ Dominicales erunt A. G. Epacta vero XVII. Si igitur per litteram G. quæ est posterior, inquirantur Festa Mobilia, invenietur Septuagesima 28. Januarii, qui est dies Sabbati, et dies Cinerum 14. Februarii, qui est feria tertia. Sed cum additus est unus dies, cadet Septuages. in diem 29. Januarii qui est Dominica, et dies Cinerum 15. Februarii. Pascha autem et reliqua Festa Mobilia in eos dies cadent, qui in Tabella expressi sunt. Item Anno 1892. Bissextili litteræ Dominicales erunt C. B. Epacta vero I. Si igitur per litt. B. quæ est posterior, inquirantur Festa Mobilia, invenietur Septuages. 13. Febr. qui est dies Sabb. Si autem addatur unus dies, cadet Septuag. in diem 14. Febr. qui est Dominica; dies autem Cinerum cadet in diem 2. Martii qui est Feria quarta. Et sic de ceteris.



Tabula Perpetua

Literæ Dominicales.	Cyclus Epactarum.	Septuagesima.	Dies Ciner.
	23.	18. Jan.	4. Feb.
	22.21.20.19.18.17.16.	25. Jan.	11. Feb.
D	15.14.13.12.11.10. 9.	1. Feb.	18. Feb.
	8.7.6.5.4.3.2.	8. Feb.	25. Feb.
	1.*.29.28.27.26.**25.**25.24.	15. Feb.	4. Mar.
	23.22.	19. Jan.	5. Feb.
	21.20.19.18.17.16.15.	26. Jan.	12. Feb.
E	14.13.12.11.10.9.8.	2. Feb.	19. Feb.
	7.6.5.4.3.2.1.	9. Feb.	26. Feb.
	*.29.28.27.26.**25.** 25.24.	16. Feb.	5. Mar.
	23.22.21.	20. Jan.	6. Feb.
	20.19.18.17.16.15.1	27. Jan.	13. Feb.
F	13.12.11.10.9.8.7.	3. Feb.	20. Feb.
	6.5.4.3.2.1.*.	10. Feb.	27. Feb.
	29.28.27.26.**25.** 25.24.	17. Feb.	6. Mar.
	23.22.21.20.	21. Jan.	7. Feb.
	19.18.17.16.15.14.13.	28. Jan.	14. Feb.
G	12.11.10.9.8.7.6.	4. Feb.	21. Feb.
	5.4.3.2.1.*.29.	11. Feb.	28. Feb.
	28.27.26. **25.**25.24.	18. Feb.	7. Mar.
	23.22.21.20.19.	22. Jan.	8. Feb.
	18.17.16.15.14.13.12.	29. Jan.	15. Feb.
A	11.10.9.8.7.6.5.	5. Feb.	22. Feb.
	4.3.2.1.*.29.28.	12. Feb.	1. Mar.
	27.26.**25.** 25.24.	19 Feb.	8. Mar.
	23.22.21.20.19.18.	23. Jan.	9. Feb.
	17.16.15.14.13.12.11.	30. Jan.	16. Feb.
B	10.9.8.7.6.5.4.	6. Feb.	23. Feb.
	3.2.1.*.29.28.27.	13. Feb.	2. Mar.
	26.**25.**25.24.	20. Feb.	9. Mar.
	23.22.21.20.19.18.17.	24. Jan.	10. Feb.
	16.15.14.13.12.11.10.	31. Jan.	17. Feb.
C	9.8.7.6.5.4.3.	7. Feb.	24. Feb.
	2.1.*.29.28.27.26.**25.**	14. Feb.	3. Mar.
	25.24.	21. Feb.	10. Mar.

Festorum Mobilium

Pascha	Ascensio.	Pentecostes.	Corpus Christi	Dominic. post Trinit.	Domin. I. Advent.
22. Mar.	30. Apr.	10. Maji	21. Maji	27	29. Nov.
29. Mar.	7. Maji	17. Maji	28. Maji	26	29
5. Apr.	14. Maji	24. Maji	4. Jun.	25	29
12. Apr.	21. Maji	31. Maji	11. Jun.	24	29
19. Apr.	28. Maji	7. Jun.	18. Jun.	23	29
23. Mra.	1. Maji	11. Maji	22. Maji	27	30. Nov.
30. Mar.	8. Maji	18. Maji	29. Maji	26	30
6. Apr.	15. Maji	25. Maji	5. Jun.	25	30
13. Apr.	22. Maji	1. Jun.	12. Jun.	24	30
20. Apr.	29. Maji	8. Jun.	19. Jun.	23	30
24. Mar.	2. Maji	12. Maji	23. Maji	27	1. Dec.
31. Mar.	9. Maji	19. Maji	30. Maji	26	1
7. Apr.	16. Maji	26. Maji	6. Jun.	25	1
14. Apr.	23. Maji	2. Jun.	13. Jun.	24	1
21. Apr.	30. Maji	9. Jun.	20. Jun.	23	1
25. Mar.	3. Maji	13. Maji	24. Maji	27	2. Dec.
1. Apr.	10. Maji	20. Maji	31. Maji	26	2
8. Apr.	17. Maji	27. Maji	7. Jun.	25	2
15. Apr.	24. Maji	3. Jun.	14. Jun.	24	2
22. Apr.	31. Maji	10. Jun.	21. Jun.	23	2
26. Mar.	4. Maji	14. Maji	25. Maji	27	3. Dec.
2. Apr.	11. Maji	21. Maji	1. Jun.	26	3
9. Apr.	18. Maji	28. Maji	8. Jun.	25	3
16. Apr.	25. Maji	4. Jun.	15. Jun.	24	3
23. Apr.	1. Jun.	11. Jun.	22. Jun.	23	3
27. Mar.	5. Maji	15. Maji	26. Maji	26	27. Nov.
3. Apr.	12. Maji	22. Maji	2. Jun.	25	27
10. Apr.	19. Maji	29. Maji	9. Jun.	24	27
17. Apr.	26. Maji	5. Jun.	16. Jun.	23	27
24. Apr.	2. Jun.	12. Jun.	23. Jun.	22	27
28. Mar.	6. Maji	16. Maji	27. Maji	26	28. Nov.
4. Apr.	13. Maji	23. Maji	3. Jun.	25	28
11. Apr.	20. Maji	30. Maji	10. Jun.	24	28
18. Apr.	27. Maji	6. Jun.	17. Jun.	23	28
25. Apr.	3. Jun.	13. Jun.	24. Jun.	22	28

Tabula Temporaria

Anni Domini	Literæ Dominicales	Aur. Num.	Epact.	Septuag.	Dies Ciner.	Pascha
1886	C	6	XXV	21. Feb.	10. Mar.	25. Apr.
1887	B	7	VI	6. Feb.	23. Feb.	10. Apr.
1888	A G	8	XVII	29. Jan.	15. Feb.	1. Apr.
1889	F	9	XXVIII	17. Feb.	6. Mar.	21. Apr.
1890	E	10	IX	2. Feb.	19. Feb.	6. Apr.
1891	D	11	XX	25. Jan.	11. Feb.	29. Mar.
1892	C B	12	I	14. Feb.	2. Mar.	17. Apr.
1893	A	13	XII	29. Jan.	15. Feb.	2. Apr.
1894	G	14	XXIII	21. Jan.	7. Feb.	25. Mar.
1895	F	15	IV	10. Feb.	27. Feb.	14. Apr.
1896	E D	16	XV	2. Feb.	19. Feb.	5. Apr.
1897	C	17	XXVI	14. Feb.	3. Mar.	18. Apr.
1898	B	18	VII	6. Feb.	23. Feb.	10. Apr.
1899	A	19	XVIII	29. Jan.	15. Feb.	2. Apr.
1900	G	1	XXIX	11. Feb.	28. Feb.	15. Apr.
1901	F	2	X	3. Feb.	20. Feb.	7. Apr.
1902	E	3	XXI	26. Jan.	12. Feb.	30. Mar.
1903	D	4	II	8. Feb.	25. Feb.	12. Apr.
1904	C B	5	XIII	31. Jan.	17. Feb.	3. Apr.
1905	A	6	XXIV	19. Feb.	8. Mar.	23. Apr.
1906	G	7	V	11. Feb.	28. Feb.	15. Apr.
1907	F	8	XVI	27. Jan.	13. Feb.	31. Mar.
1908	E D	9	XXVII	16. Feb.	4. Mar.	19. Apr.
1909	C	10	VIII	7. Feb.	24. Feb.	11. Apr.
1910	B	11	XIX	23. Jan.	9. Feb.	27. Mar.
1911	A	12	*	12. Feb.	1. Mar.	16. Apr.
1912	G F	13	XI	4. Feb.	21. Feb.	7. Apr.
1913	E	14	XXII	19. Jan.	5. Feb.	23. Mar.
1914	D	15	III	8. Feb.	25. Feb.	12. Apr.
1915	C	16	XIV	31. Jan.	17. Feb.	4. Apr.
1916	B A	17	25	20. Feb.	8. Mar.	23. Apr.
1917	G	18	VI	4. Feb.	21. Feb.	8. Apr.
1918	F	19	XVII	27. Jan.	13. Feb.	31. Mar.
1919	E	1	XXIX	16. Feb.	5. Mar.	20. Apr.
1920	D C	2	X	1. Feb.	18. Feb.	4. Apr.

Festorum Mobilium

Anni Domini	Ascensio	Pentecostes	Corpus Christi	Indic. Rom.	Domin. post Trinit.	Dom. I. Adv.
1886	3. Jun.	13. Jun.	24. Jun.	14	22	28. Nov.
1887	19. Maji	29. Maji	9. Jun.	15	24	27. Nov.
1888	10. Maji	20. Maji	31. Maji	1	26	2. Dec.
1889	30. Maji	9. Jun.	20. Jun.	2	23	1. Dec.
1890	15. Maji	25. Maji	5. Jun.	3	25	30. Nov.
1891	7. Maji	17. Maji	28. Maji	4	26	29. Nov.
1892	26. Maji	5. Jun.	16. Jun.	5	23	27. Nov.
1893	11. Maji	21. Maji	1. Jun.	6	26	3. Dec.
1894	3. Maji	13. Maji	24. Maji	7	27	2. Dec.
1895	23. Maji	2. Jun.	13. Jun.	8	24	1. Dec.
1896	14. Maji	24. Maji	4. Jun.	9	25	29. Nov.
1897	27. Maji	6. Jun.	17. Jun.	10	23	28. Nov.
1898	19. Maji	29. Maji	9. Jun.	11	24	27. Nov.
1899	11. Maji	21. Maji	1. Jun.	12	26	3. Dec.
1900	24. Maji	3. Jun.	14. Jun.	13	24	2. Dec.
1901	16. Maji	26. Maji	6. Jun.	14	25	1. Dec.
1902	8. Maji	18. Maji	29. Maji	15	26	30. Nov.
1903	21. Maji	31. Maji	11. Jun.	1	24	29. Nov.
1904	12. Maji	22. Maji	2. Jun.	2	25	27. Nov.
1905	1. Jun.	11. Jun.	22. Jun.	3	23	3. Dec.
1906	24. Maji	3. Jun.	14. Jun.	4	24	2. Dec.
1907	9. Maji	19. Maji	30. Maji	5	26	1. Dec.
1908	28. Maji	7. Jun.	18. Jun.	6	23	29. Nov.
1909	20. Maji	30. Maji	10. Jun.	7	24	28. Nov.
1910	5. Maji	15. Maji	26. Maji	8	26	27. Nov.
1911	25. Maji	4. Jun.	15. Jun.	9	24	3. Dec.
1912	16. Maji	26. Maji	6. Jun.	10	25	1. Dec.
1913	1. Maji	11. Maji	22. Maji	11	27	30. Nov.
1914	21. Maji	31. Maji	11. Jun.	12	24	29. Nov.
1915	13. Maji	23. Maji	3. Jun.	13	25	28. Nov.
1916	1. Jun.	11. Jun.	22. Jun.	14	23	3. Dec.
1917	17. Maji	27. Maji	7. Jun.	15	25	2. Dec.
1918	9. Maji	19. Maji	30. Maji	1	26	1. Dec.
1919	29. Maji	8. Jun.	19. Jun.	2	23	30. Nov.
1920	13. Maji	23. Maji	3. Jun.	3	25	28. Nov.

Quando inchoatur Adventus Domini.


Dventus Domini inchoatur Dominica proximiori Festo sancti Andreæ, vel ipsa die sancti Andreæ, si in Dominica venerit, et sequens Tabella indicabit diem, et mensem. Quæratur ergo primo Littera Dominicalis, et sub ea erit dies, et mensis.

A	B	C	D	E	F	G
3. Dec.	27. Nov.	28. Nov.	29. Nov.	30. Nov.	1. Dec.	2. Dec.

Quatuor Tempora.


Uatuor Tempora celebrantur quarta et sexta Feria, ac Sabbato post tertiam Dominicam Adventus, post primam Dominicam Quadragesimæ, post Pentecosten, et post Festum Exaltationis Sanctæ Crucis.

Dies nuptiarum, ex decreto Concilii Tridentini.


Dominica prima Adventus, usque ad diem Epiphaniæ, et a Feria quarta Cinerum, usque ad Octavam Paschæ inclusive, solemnitates Nuptiarum prohibentur. Aliis temporibus permittuntur.

De Novilunio.


D Novilunium, seu conjunctionem inveniendam in singulis mensibus cujuslibet anni, sic faciendum est. Primo in præcedenti Tabella quære Epactam illius Anni : quam cum inveneris, quære in Kalendario hujus Breviarii in quolibet mense illius Anni, qua inventa, in ipso die, qui e regione illius Epactæ est, erit Novilunium. Exemplo res fiet illustrior. In Anno 1886. est Epacta XXV. quæ toto eo Anno in Kalendario Novilunium indicabit, ut in Januario die 6. in Februario die 4. in Martio die 6. Eodem modo, et ordine invenies Novilunium per reliquos Anni menses, et etiam per singulos Annos, quorum nota est Epacta.

Elucidatio Kalendarii.


N Kalendario locatur primo Epacta : deinde Litteræ Dominicales : tertio numerus Kalendarum, Nonarum, et Iduum : quarto dies cujusque mensis : quinto Festa Sanctorum sub die.

Kalendarium perpetuum.

Januarius.

Cyclus Epact.	L. D.		Dies Mens.	
*	A	Kal.	1	*Circumcisio D. N. J. C.* duplex majus P. C. Hiem. 309.
xxix	b	iv	2	Octava S. Stephani, *duplex minus, et commemor.* Octavarum S. Joannis et SS. Innocentium. H. 317.
xxviii	c	iii	3	Octava S. Joannis, *dupl. min. et com.* Oct. SS. Innocentium. H. 319.
xxvii	d	Prid.	4	Octava SS. Innocentium, *dupl. min.* H. 322.
xxvi	e	Non.	5	Vigilia Epiphaniæ, *semidupl.* H. 324.
25 xxv	f	viii	6	EPIPHANIA DOMINI, dupl. majus P. C. — H. 329.
xxiv	g	vii	7	De Octava, *semiduplex.* H. 340.
xxiii	A	vi	8	De Octava, *semiduplex.* H. 341.
xxii	b	v	9	De Octava, *semiduplex.* H. 342.
xxi	c	iv	10	De Octava, *semiduplex.* H. 343.
xx	d	iii	11	De Octava, *semid. et commem.* S. Hygini Papæ et Martyris. H. 344.
xix	e	Prid.	12	De Octava, *semiduplex.* H. 345.
xviii	f	Idib.	13	Octava Epiphaniæ, *duplex minus.* H. 352.
				Dom. j. post Oct. Epiph. *Festum Dulcissimi Nominis JESU*, duplex majus S. C. *et com.* Dom. H. 540.
				Feria iij. post Dom. Septuag. Orationis D. N. J. C. in Monte Oliveti, *duplex minus P. C.* H. 550.
				Feria iij. post Dom. Sexag. Commemoratio Passionis D. N. J. C. *dupl. min. P. C.* H. 558. Vern. 454.
				Feria vj. post Dom. I. Quadr. Lanceæ et Clavorum D. N. J. C. *dupl. min. P. C.* V. 457.
				Feria vj. post Dom. II. Quadr. Sindonis D. N. J. C. *duplex minus P. C.* V. 466.
				Feria vj. post Dom. III. Quadr. Quinque Vulnerum D. N. J. C. *duplex minus P. C.* V. 474.

Cyclus Epact.	*L. D.*		*Dies Mens.*	
xvii	g	xix	14	Hilarii Episc. Confess. et Doct. *duplex minus, et commem.* S. Felicis Martyris. H. 568. V. 481.
xvi	A	xviii	15	Pauli primi Eremitæ Conf. *dupl. minus.* H. 571.
xv	b	xvii	16	Marcelli Papæ et Martyris, *semiduplex.* H. 573.
xiv	c	xvi	17	Antonii Abbatis Confess. *dupl. minus.* H. 574.
xiii	d	xv	18	Cathedra S. Petri Romæ, *duplex minus, P. C. et com.* S. Priscæ Virg. Mart. in Laud. tant. H. 576. V. 484.
xii	e	xiv	19	Dionysii Papæ et Confess. O. N. *duplex minus.* H. 581.
xi	f	xiii	20	Fabiani et Sebastiani Martyrum, *duplex minus.* H. 582.
x	g	xii	21	Agnetis Virginis et Martyris, *dupl. minus.* H. 587.
ix	A	xi	22	Anastasii Martyris O. N. *duplex minus.* H. 593.
viii	b	x	23	*Desponsatio Gloriosissimæ Virginis Mariæ cum S. Joseph,* dupl. minus P. C. *et com.* S. Joseph. H. 595.
vii	c	ix	24	Timothei Episcopi et Mart. *dup. min.* H. 601.
vi	d	viii	25	*Conversio S. Pauli Apostoli,* duplex minus P. C. — H. 603. V. 485.
v	e	vii	26	Polycarpi Episcopi et Mart. *dupl. min.* H. 610.
iv	f	vi	27	Joannis Chrysostomi Episcopi, Conf. et Doct. *duplex minus.* H. 612. V. 491.
iii	g	v	28	Cyrilli Episc. Confess. et Doct. O. N. *duplex min. et commem.* S. Agnetis secundo. H. 615. V. 494.
ii	A	iv	29	Francisci Salesii Episc. Conf. et Doct. *duplex minus.* H. 617. V. 495.
i	b	iii	30	Martinæ Virginis et Martyris, *semid.* H. 619.
*	c	Prid.	31	Petri Nolasci Confessoris, *duplex minus.* H. 621.

Post Octavam Epiphaniæ, et ante Feriam quartam Cinerum fit primum Ternarium cum Vigiliis Mortuorum.

Februarius.

Cyclus Epact.	L. D.		Dies Mens.	
xxix	d	Kal.	1	Ignatii Episcopi et Mart. *dupl. min.* H. 623.
xxviii	e	iv	2	*Purificatio Gloriosiss. Virginis Mariæ,* duplex majus S. C. — H. 625.
xxvii	f	iii	3	De Octava Purificationis, *semiduplex.* H. 633.
25 xxvi	g	Prid.	4	*Andreæ Corsini Episc. et Conf. O. N.* duplex majus S. C. — H. 633.
xxv xxiv	A	Non.	5	Agathæ Virg. et Mart. *duplex minus, et commem.* Octavarum Purificationis et S. Andreæ. H. 636.
xxiii	b	viii	6	B. Archangelæ Girlani Virg. O N. *duplex minus, et commem.* Octavarum, ac SS. Vedasti et Amandi Episcopor. et Confess. H. 642.
xxii	c	vii	7	Romualdi Abbatis, *duplex minus, et commem.* Octavar. H. 644.
xxi	d	vi	8	Joannis de Matha Confess. *duplex minus, et commem.* Octavar. H. 646. V. 497.
xx	e	v	9	Octava Purificationis, *duplex minus, et commem.* Octavæ S. Andreæ. H. 649.
xix	f	iv	10	Scholasticæ Virginis, *duplex minus, et commem.* Octav. S. Andreæ. H. 652. V. 499.
xviii	g	iii	11	Octava S. Andreæ Corsini, *duplex minus.* H. 654.
xvii	A	Prid.	12	Euphrosynæ Virginis O. N. *duplex minus.* H. 654. V. 501.
xvi	b	Idib.	13	Telesphori Papæ et Mart. O. N. *duplex minus.* H. 656. V. 504.
xv	c	xvi	14	Petri-Thomæ Episcopi et Mart. O. N. *duplex minus, et commem.* S. Valentini Mart. H. 658. V. 506.
xiv	d	xv	15	Apolloniæ Virginis et Mart. *duplex minus, et commem.* SS. Faustini et Jovitæ Fratrum Martyrum. H. 661. V. 509.
xiii	e	xiv	16	Commemoratio Sanctorum, quorum Corpora, vel Reliquiæ in Ecclesiis O. N. asservantur, *duplex minus.* H. 663. V. 510.

Cyclus Epact.	L. D.		Dies Mens.	
xii	f	xiii	17	Vincentii Martyris, *duplex minus.* H. 664. V. 512.
xi	g	xii	18	Simeonis Episc. et Mart. *simplex.* H. 670. V. 517.
x	A	xi	19	Raymundi de Pennafort Confess. *semiduplex.* H. 670. V. 518.
ix	b	x	20	Mauri Abbatis, *simplex.* H. 672. V. 520.
viii	c	ix	21	Blasii Episcopi et Mart. *simplex.* H. 673. V. 521.
vii	d	viii	22	Cathedra S. Petri Antiochiæ, *duplex minus P. C.* H. 674. V. 521.
vi	e	vii	23	Petri Damiani Episcopi Confess. et Ecclesiæ Doctoris, *duplex minus, et commem.* Vigiliæ extra Quadragesimam. H. 675. V. 525.
v	f	vi	24	*Mathiæ Apostoli,* duplex minus P. C. H. 678. V. 527.
iv	g	v	25	Avertani Confess. O. N. *duplex minus.* H. 682. V. 531.
iii	A	iv	26	Margaritæ de Cortona, *semiduplex.* H. 684. V. 533.
ii	b	iii	27	Dorotheæ Virg. et Mart. *simplex.* H. 687. V. 536.
i	c	Prid.	28	Titi Episc. et Confess. *duplex minus.* H. 688. V. 536.
				In anno Bissextili Februarius est dierum 29, et Festum S. Mathiæ celebratur 25. Februarii : et bis dicitur *sexto Kalendas,* id est, die 24. et 25. et littera Dominicalis, quæ assumpta fuit in mense Januario, mutatur in præcedentem ; ut si in Januario littera Dominicalis fuerit *A,* mutatur in præcedentem, quæ est g, et littera f bis servit die 24. et 25.

Martius.

*	d	Kal.	1	Albini Episc. et Confess. *simplicissimum.* H. 689. V. 538.
xxix	e	vi	2	
xxviii	f	v	3	B. Jacobini Confess. O. N. *duplex minus.* H. 690. V. 539.
xxvii	g	iv	4	B. Romæi Confess. O. N. *duplex minus.* H. 691. V. 540.

Cyclus Epact.	*L. D.*		*Dies Mens.*	
xxvi	A	iii	5	Casimiri Confessoris, *semiduplex.* H. 693. V. 542.
25 xxv	b	Prid.	6	Cyrilli Confess. et Doctoris O. N. *duplex minus.* H. 694. V. 543.
xxiv	c	Non.	7	Thomæ Aquinatis Confess. et Doctoris, *duplex minus, et commem.* SS. Perpetuæ et Felicitatis Martyrum. H. 696. V. 545.
xxiii	d	viii	8	Joannis de Deo Confess. *duplex minus.* H. 699. V. 648.
xxii	e	vii	9	Franciscæ Romanæ Matronæ, *duplex minus.* H. 702. V. 550.
xxi	f	vi	10	Quadraginta Martyrum, *semiduplex.* H. 704. V. 553.
xx	g	v	11	
xix	A	iv	12	Gregorii Papæ Confess. et Doctoris, *duplex minus.* H. 706. V. 554.
xviii	b	iii	13	Euphrasiæ Virginis O. N. *duplex minus.* H. 709. V. 558.
xvii	c	Prid.	14	
xvi	d	Idib.	15	B. Ludovici Morbioli Confess. O. N. *duplex minus.* V. 560.
xv	e	xvii	16	
xiv	f	xvi	17	Patritii Episc. et Conf. *duplex minus.* V. 562.
xiii	g	xv	18	*Gabrielis Archangeli Protectoris O. N.* duplex majus S. C. — V. 563.
xii	A	xiv	19	JOSEPH CONFESS. SPONSI GLORIOSISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ, PATRONI ECCLESIÆ ET PROTECTORIS PRIMARII ORD. N. *duplex majus P. C.* V. 575.
xi	b	xiii	20	Cyrilli Hierosolym. Episcopi Confess. et Doct. *duplex minus.* V. 583.
x	c	xii	21	Benedicti Abbatis, *duplex minus. P. C.* V. 587.
ix	d	xi	22	Gertrudis Virginis, *semidupl.* V. 588.
viii	e	x	23	
vii	f	ix	24	
vi	g	viii	25	*Annuntiatio Gloriosissimæ Virginis Mariæ,* dupl. maj. S. C. -- V. 590.
v	A	vii	26	
iv	b	vi	27	
iii	c	v	28	
ii	d	iv	29	Bertholdi Confess. O. N. *duplex minus.* V. 597.

Cyclus Epact.	*L. D.*		*Dies Mens.*	
i	e	iii	30	
*	f	Prid.	31	
				Feria vj. post Dominicam Passionis, *Officium de Septem Doloribus Gloriosissimæ Virginis Mariæ*, duplex minus P. C. — V. 598.

Aprilis.

				Prima Feria vj. post Octavam Paschæ non impedita Festo novem Lectionum occurrente, *Officium de Corona Spinea Domini*, duplex minus P. C. — V. 607.
				Item Dom. iij. post Pascha, ***Festum Patrocinii S. Joseph***, duplex majus P.C. cum Octava, *et com.* Dom. V. 616.
xxix	g	Kal.	1	
xxviii	A	iv	2	Francisci de Paula Confess. ***duplex minus.*** V. 632.
xxvii	b	iii	3	
25 xxvi	c	Prid.	4	Isidori Episcopi, Confess. et Doctoris, *duplex minus.* V. 634. Æst. 370.
xxv xxiv	d	Non.	5	Vincentii Ferrerii Conf. ***dupl. minus.*** V. 638.
xxiii	e	viii	6	
xxii	f	vii	7	
xxi	g	vi	8	Alberti Episc. et Confess. O. N. ***duplex minus. P. C.*** V. 639.
xx	A	v	9	
xix	b	iv	10	
xviii	c	iii	11	Leonis Papæ I. Confess. et Doctoris, *duplex minus.* V. 641. Æst. 374.
xvii	d	Prid.	12	
xvi	e	Idib.	13	Hermenegildi Martyris, ***semiduplex.*** V. 644.
xv	f	xviii	14	Justini Martyris, ***duplex minus, et commem.*** SS. Tiburtii, Valeriani, et Maximi Martyrum, V. 646.
xiv	g	xvii	15	
xiii	A	xvi	16	
xii	b	xv	17	Aniceti Papæ, et Martyris, ***semiduplex.*** V. 651.
xi	c	xiv	18	

Cyclus Epact.	L. D.		Dies Mens.	
x	d	xiii	19	
ix	e	xii	20	
viii	f	xi	21	Anselmi Episcopi, Confess. et Doct. *duplex minus*. V. 652. Æst. 378.
vii	g	x	22	Soteris et Caji Pontificum et Martyrum, *semiduplex*. V. 654.
vi	A	ix	23	Georgii Martyris, *semiduplex*. V. 655.
v	b	viii	24	Fidelis a Sigmaringa Martyris, *duplex minus*. V. 656.
iv	c	vii	25	*Marci Evangelistæ*, duplex minus P. C. — V. 659.
iii	d	vi	26	Cleti et Marcellini Pontificum et Martyrum, *semiduplex*. V. 660.
ii	e	v	27	
i	f	iv	28	Pauli a Cruce Confessoris, *duplex minus, et commem.* S. Vitalis Martyris, V. 661.
*	g	iii	29	Petri Martyris, *duplex minus*. V. 664.
xxix	A	Prid.	30	Catharinæ Senensis Virginis, *duplex minus*. V. 667.
				Post Octavam Paschæ, et ante Ascensionem fit secundum Ternarium cum Vigiliis Mortuorum.

Majus.

xxviii	b	Kal.	1	*Philippi et Jacobi Apostolorum*, duplex min. P. C. — V. 669. Æst. 380.
xxvii	c	vi	2	Athanasii Episc. Confess. et Doct. *duplex minus*. V. 673. Æst. 385. Aut. 354.
xxvi	d	v	3	*Inventio S. Crucis*, duplex minus P. C. *et commem.* SS. Alexandri et Sociorum Martyr. V. 675. Æst. 388.
25 xxv	e	iv	4	Monicæ Matronæ, *duplex minus*. V. 684.
xxiv	f	iii	5	*Angeli Martyris O. N.* duplex majus S. C. — V. 687.
xxiii	g	Prid.	6	*Joannis ante Portam Latinam*, duplex min. P. C. — V. 697. Æst. 396.
xxii	A	Non.	7	Stanislai Episc. et Mart. *duplex minus, et commem.* Octavæ. V. 699.
xxi	b	viii	8	*Apparitio S. Michaelis Archangeli*, dupl. min. P. C. — V. 701. Æst. 400.

Cyclus Epact.	L. D.		Dies Mens.	
xx	c	vii	9	Gregorii Nazianzeni Episc. Confess. et Doct. *duplex minus, et commem.* Octavæ. V. 709. Æst. 408.
xix	d	vi	10	Antonini Episcopi et Confess. *duplex minus, et commem.* Octavæ, ac SS. Gordiani et Epimachi Martyrum. V. 711.
xviii	e	v	11	B. Aloysii Rabatà Confessoris O. N. *duplex minus, et commem.* Octavæ. V. 713.
xvii	f	iv	12	Octava S. Angeli Martyr. *duplex minus.* V. 714.
xvi	g	iii	13	Nerei, Achillei, Domitillæ et Pancratii Martyrum, *semidupl.* V. 717.
xv	A	Prid.	14	Pii Quinti Papæ et Confessoris, *duplex minus.* V. 720.
xiv	b	Idib.	15	
xiii	c	xvii	16	*Simonis Anglici Conf. O. N.* duplex majus S. C. — V. 722. Æst. 410.
xii	d	xvi	17	Joannis Nepomuceni Martyr. *duplex minus, et commem.* Octavæ. V. 729.
xi	e	xv	18	Venantii Martyris, *duplex minus, et commem.* Octavæ. V. 732. Æst. 417.
x	f	xiv	19	Petri Cœlestini Papæ et Confessor. *duplex minus, et commem.* Octavæ ac S. Pudentianæ Virginis. V. 735. Æst. 420.
ix	g	xiii	20	Bernardini Senensis Confessor. *semiduplex, et commem.* Octavæ. V. 736. Æst. 422.
viii	A	xii	21	Translatio Corporis S. Joannis a Cruce Confess. O. N. *duplex minus, et commem.* Octavæ. V. 738. Æst. 424.
vii	b	xi	22	Ubaldi Episc. et Confess. *semiduplex, et commem.* Octavæ. V. 744. Æst. 429.
vi	c	x	23	Octava S. Simonis, *duplex minus.* V. 746. Æst. 430.
v	d	ix	24	*Festum Gloriosissimæ Virginis Mariæ titulo Auxilium Christianorum,* duplex minus P. C. — V. 748. Æst. 432.
	e	viii	25	*Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virginis O. N.* duplex majus S. C. V. 754. Æst. 439.

Cyclus Epact.	L. D.		Dies Mens.	
iii	f	vii	26	Philippi Nerii Confess. *duplex minus, et commem.* Octavæ. V. 758. Æst. 443.
ii	g	vi	27	Gregorii Septimi Papæ et Confess. *duplex minus, et commem.* Octavæ. V. 760. Æst. 445.
i	A	v	28	Paschalis Baylon Confess. *duplex minus, et commem.* Octavæ. V. 763. Æst. 447.
*	b	iv	29	Felicis a Cantalicio Confess. *semiduplex, et commem.* Octavæ. V. 765. Æst. 449.
xxix	c	iii	30	De Octava, *semiduplex.* V. 767. Æst. 451.
xxviii	d	Prid.	31	Angelæ Mericiæ Virginis, *duplex minus, et commem.* Octavæ. V. 767. Æst. 452.

Junius.

xxvii	e	Kal.	1	Octava S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, *duplex minus.* V. 770. Æst. 454.
25 xxvi	f	iv	2	Marcellini, Petri et Erasmi Martyrum, *simplex.* V. 770. Æst. 454.
xxv xxiv	g	iii	3	Urbani Papæ et Martyris, *semid.* V. 771. Æst. 456.
xxiii	A	Prid.	4	Francisci Carracciolo Confess. *duplex minus.* V. 772. Æst. 456.
xxii	b	Non.	5	Bonifacii Episc. et Mart. *duplex minus.* V. 774. Æst. 459.
xxi	c	viii	6	Norberti Episc. et Confess. *duplex minus.* V. 778. Æst. 462.
xx	d	vii	7	Augustini Episc. et Conf. *duplex minus.* V. 779. Æst. 463.
xix	e	vi	8	Medardi et Gildardi Episcoporum et Confessor. *simplicissimum.* V. 781. Æst. 465.
xviii	f	v	9	Primi et Feliciani Mart. *Simplicissimum.* V. 782. Æst. 466.
xvii	g	iv	10	Margaritæ Reginæ Matronæ, *semiduplex.* V. 783. Æst. 467.
xvi	A	iii	11	*Barnabæ Apostoli,* duplex minus P. C. V. 785. Æst. 469.
xv	b	Prid.	12	Joannis a S. Facundo Conf. *duplex minus, et commem.* SS. Basilidis et

Cyclus Epact.	L. D.		Dies Mens.	
				Sociorum Martyrum. V. 787. Æst. 472.
xiv	c	Idib.	13	Antonii de Padua Conf. *duplex minus*. V. 788. Æst. 475.
xiii	d	xviii	14	*Elisei Prophetæ Ducis, et Patris Nostri secundarii*, duplex majus S. C. Æst. 476.
xii	e	xvii	15	Basilii Magni Episc. Conf. et Doct. *duplex minus, et commem.* Octavæ S. Elisei, ac SS. Viti et Modesti, atque Crescentiæ Martyrum. Æst. 487. Aut. 357.
xi	f	xvi	16	De Octava, *semiduplex*. Æst. 490.
x	g	xv	17	De Octava, *semiduplex*. Æst. 491.
ix	A	xiv	18	De Octava, *semiduplex, et commem.* SS. Marci et Marcelliani Martyrum. Æst. 493.
viii	b	xiii	19	Julianæ Falconeriæ Virginis, *duplex minus, et commem.* Octavæ, ac SS. Gervasii et Protasii Martyrum. V. 789. Æst. 495.
vii	c	xii	20	De Octava, *semid. et commem.* S. Silverii Papæ et Mart. Æst. 498.
vi	d	xi	21	Octava S. Elisei Patris Nostri, *duplex minus*. Æst. 504.
v	e	x	22	Decem millium Martyrum, *duplex minus, et commem.* S. Paulini Episcopi et Conf. Æst. 507.
iv	f	ix	23	Aloysii Gonzagæ Conf. *duplex minus, et commem.* Vigiliæ. Æst. 509.
iii	g	viii	24	*Nativitas S. Joannis Baptistæ*, duplex majus P. C. Æst. 513.
ii	A	vii	25	Gulielmi Abbatis, et Conf. *duplex minus, et commem.* Octavæ. Æst. 522.
i	b	vi	26	Joannis et Pauli Martyrum, *duplex minus, et commem.* Octavæ. Æst. 524.
*	c	v	27	De Octava, *semiduplex*. Æst. 527.
xxix	d	iv	28	Leonis Papæ, et Conf. *semiduplex, et commem.* Octavæ ac Vigiliæ. Æst. 527.
xxviii	e	iii	29	PETRI ET PAULI APOST. duplex majus P. C. Æst. 531.
xxvii	f	Prid.	30	Commemoratio S. Pauli Apostoli, *duplex minus, P. C.* Æst. 540.

Julius.

Cyclus Epact.	L. D.		Dies Mens.	
				Dominica prima Julii, *Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.* duplex majus S. C. *et com.* Dom. Æst. 546.
				Dominica prima libera post Octavam SS. Apost. Petri et Pauli, *Commemoratio omnium SS. Sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ Summorum Pontificum*, duplex minus, *et com.* Dom. Æst. 557. Aut. 393.
xxvi	g	Kal.	1	Octava S. Joannis Baptistæ, *duplex minus, et commem.* Octavæ SS. Apostolorum. Æst. 563.
25 xxv	A	vi	2	*Visitatio Gloriosiss. Virginis Mariæ*, duplex majus S. C. *et commem.* SS. Processi et Martiniani Martyrum in Laudibus tantum. Æst. 565.
xxiv	b	v	3	De Octava SS. Apostolorum, *semid. et commem.* Octavæ Visitationis. Æst. 574.
xxiii	c	iv	4	De Octava SS. Apostolorum, *semid. et commem.* Octavæ Visitationis. Æst. 575.
xxii	d	iii	5	Cyrilli et Methodii Pontificum et Confess. *duplex min. et commem.* Octavarum. Æst. 575.
xxi	e	Prid.	6	Octava SS. Apostolorum, *duplex minus, et commem.* Octavæ Visitationis. Æst. 579.
xx	f	Non.	7	De Octava Visitationis, *semiduplex.* Æst. 583.
xix	g	viii	8	Elisabeth Reginæ Matronæ, *semiduplex, et commem.* Octavæ Visitationis. Æst. 583.
xviii	A	vii	9	Octava Visitationis, *duplex minus.* Æst. 585.
xvii	b	vi	10	Septem Fratrum Martyrum, et SS. Rufinæ ac Secundæ Virginum et Mart. *semid.* Æst. 588.
xvi	c	v	11	B. Joannæ Scopelli Virginis O. N. *duplex minus, et commem.* S. Pii Papæ et Mart. *simplex.* Æst. 589.
xv	d	iv	12	Joannis Gualberti Abbatis, *duplex minus.* Æst. 592.

Cyclus Epact.	L. D.		Dies Mens.	
xiv	e	iii	13	Translatio Corporis S. Teresiæ Virginis O. N. *duplex minus.* Æst. 595.
xiii	f	Prid.	14	Bonaventuræ Episc. Confessor. et Doctoris, *duplex minus.* Æst. 598.
xii	g	Idib.	15	Henrici Imperatoris et Confess. *semiduplex, et commem.* Vigiliæ Comm. Solemn. Æst. 600.
xi	A	xvii	16	COMMEMORATIO SOLEMNIS G. V. MARIAE DE MONTE CARMELO, *duplex majus P. C.* Æst. 605.
x	b	xvi	17	De Octava, *semiduplex.* Æst. 612.
ix	c	xv	18	De Octava, *semiduplex, et commem.* S. Symphorosæ cum filiis Martyribus. Æst. 612.
viii	d	xiv	19	De Octava, *semiduplex.* Æst. 613.
vii	e	xiii	20	ELIÆ PROPHETÆ PRIMI DUCIS ET PATRIS NOSTRI, duplex majus P. C. *et commem.* Octavæ Commemor. B. V. M. Æst. 614.
vi	f	xii	21	De Octava Commemor. B. V. *semid. et commem.* Octavæ S. P. Eliæ, ac S. Praxedis Virg. Æst. 622.
v	g	xi	22	De Octava Commemor. B. V. *semiduplex, et commem.* Octavæ S. P. Eliæ. Æst. 623.
iv	A	x	23	Octava Commemor. B. V. M. *duplex minus, et commem.* Octav. S. P. Eliæ, ac S. Liborii Episc. et Confess. Æst. 624.
iii	b	ix	24	Apollinaris Episc. et Martyr. *duplex minus, et commem.* Octav. S. P. Eliæ, ac Vigiliæ. Æst. 625.
ii	c	viii	25	*Jacobi Apostoli,* duplex minus P. C. *et commem.* Oct. S. P. Eliæ, ac SS. Christophori, et Cucuphatis Martyrum in Laudibus tantum. Æst. 627.
i	d	vii	26	*Annæ Matris G. V. M. et Protectricis O. N.* duplex majus S. C. Æst. 631.
*	e	vi	27	Octava S. Patris Nostri Eliæ, *duplex minus, et commem.* S. Pantaleonis Martyris. Æst. 633.
xxix	f	v	28	B. Joannis Soreth Confessoris O. N. *duplex minus, et comm.* SS. Nazarii, Celsi, et Victoris Martyrum, ac Innocentii Papæ et Confessoris, *simplex.* Æst. 635.

Cyclus Epact.	L. D.	Dies Mens.		
xxviii	g	iv	29	Marthæ Virginis, *semid. et commem.* SS. Felicis, Simplicii, Faustini, ac Beatricis Mart. Æst. 639.
xxvii	A	iii	30	Alexii Confessoris, *semiduplex, et commem.* SS. Abdon, et Sennen Martyrum. Æst. 641.
25 xxvi	b	Prid.	31	Ignatii Confess. *duplex minus, et commem.* S. Germani Episcopi et Confessoris. Æst. 643.

Augustus.

				Dominica infra Octavam Assumptionis B. M. V. *S. Joachim Conf. Patris B. M. V. et Protectoris O. N.* dupl.maj.S.C. *et com.* Dom. Æst. 647.
				Dominica post Octavam Assumptionis, *Purissimi Cordis Genitricis Dei Mariæ*, duplex majus S. C. *et com.* Dom. Æst. 651. Aut. 363.
xxv xxiv	c	Kal.	1	*Petri ad Vincula*, duplex minus P. C. *et commem.* SS. Machabæorum Martyrum in Laud. tant. Æst. 658.
xxiii	d	iv	2	Alphonsi Mariæ de Ligorio, Episcopi Confess. et Doct. *duplex minus.* Æst. 663.
xxii	e	iii	3	Inventio S. Stephani Protomart. *semid.* Æst. 665.
xxi	f	Prid.	4	Dominici Confessoris, *Duplex minus, P. C.* Æst. 673.
xx	g	Non.	5	*Dedicatio S. Mariæ ad Nives*, duplex majus S. C. Æst. 674.
xix	A	viii	6	*Transfiguratio D. N. J. C.* duplex majus S. C. *et commem.* SS. Xysti et Socior. Mart. in Laudibus tantum. Æst. 675.
xviii	b	vii	7	*Alberti Confessoris O. N.* duplex majus S. C. *et commem.* S. Donati Episcopi et Mart. in Laudibus tantum. Æst. 684.
xvii	c	vi	8	Cyriaci et Socior. Martyrum, *semiduplex, et commem.* Oct. S. Alberti. Æst. 693.
xvi	d	v	9	Cajetani Confess. *duplex minus, et commem.* Oct. ac Vigiliæ. Æst. 695.

Cyclus Epact.	*L. D.*	*Dies Mens.*		
xv	e	iv	10	*Laurentii Martyris*, duplex majus S. C. Æst. 698.
xiv	f	iii	11	Emidii Episcopi et Martyris, ***duplex minus, et commemor.*** Octavarum S. Alberti et S. Laurentii, ac S. Tiburtii Martyris. Æst. 704.
xiii	g	Prid.	12	Claræ Virginis, ***duplex minus, et commemor.*** Octavarum. Æst. 712.
xii	A	Idib.	13	B. Angeli Augustini Mazzinghi Confessoris O. N. ***duplex minus, et commem.*** Octavarum, ac SS. Hyppoliti, et Socior. Martyrum. Æst. 714.
xi	b	xix	14	Octava S. Alberti, ***duplex minus, et commem.*** Oct. S. Laurentii, Vigiliæ, et S. Eusebii Conf. Æst. 717.
x	c	xviii	15	ASSUMPTIO G. V. M. duplex majus P. C. Æst. 721.
ix	d	xvii	16	Hyacinthi Conf. ***duplex minus, et commem.*** Octavar. Assumptionis, et S. Laurentii. Æst. 730.
viii	e	xvi	17	Octava S. Laurentii, ***duplex minus, et commem.*** Octavæ Assumptionis. Æst. 732.
vii	f	xv	18	Vincentii a Paulo Confessoris, ***duplex minus, et comm.*** Octavæ Assumptionis ac S. Agapiti Mart. Æst. 733.
vi	g	xiv	19	Camilli de Lellis Confessoris, ***duplex minus, et commem.*** Oct. Assumpt. Æst. 736.
v	A	xiii	20	Bernardi Abbatis et Doctoris, ***duplex minus, et commem.*** Oct. Assumpt. Æst. 740. Aut. 360.
iv	b	xii	21	Joannæ Franciscæ de Chantal Matronæ, ***duplex minus, et commem.*** Oct. Assumptionis. Æst. 742.
iii	c	xi	22	Octava Assumptionis, ***duplex minus, et commem.*** SS. Timothei, Hyppoliti, et Symphoriani Mart. Æst. 744.
ii	d	x	23	Philippi Benitii Conf. ***duplex minus, et commem.*** Vigiliæ. Æst. 748.
i	e	ix	24	*Bartholomæi Apostoli*, duplex minus P. C. Æst. 750. Aut. 370.
*	f	viii	25	Ludovici Regis Conf. ***duplex minus.*** Æst. 752.
xxix	g	vii	26	Translatio Corporis S. Angeli Martyris O. N. ***duplex minus.*** Æst. 753.

Cyclus Epact.	L. D.		Dies Mens.	
xxviii	A	vi	27	*Transverberatio Cordis S. Teresiæ Virginis O. N.* duplex minus P. C. Æst. 761. Aut. 372.
xxvii	b	v	28	Augustini Episc. Conf. et Doctoris, *duplex minus, et commem.* S. Hermetis Mart. Æst. 768. Aut. 379.
xxvi	c	iv	29	*Decollatio S. Joannis Baptistæ*, duplex minus P. C. *et commem.* S. Sabinæ Matronæ Martyris in Laud. tantum. Æst. 773. Aut. 384.
25 xxv	d	iii	30	Rosæ Limanæ Virginis, *duplex minus, et commem.* SS. Felicis et Adaucti Martyrum. Æst. 778. Aut. 390.
xxiv	e	Prid.	31	*Dedicatio Ecclesiarum O. N.* duplex majus P. C. Æst. 780. Aut. 392. *Hac die includitur Dedicatio Ecclesiæ cujusque Cænobii, ejusque Officium in die propria est omittendum.*

September.

				Dominica infra Octavam Nativitatis B. M. V. *Festum Dulcissimi Nominis Mariæ,* duplex majus S. C. *et commem.* Dominicæ. Aut. 399.
				Dominica tertia Septembris, *Festum Septem Dolorum G. V. M.* duplex minus P. C. *et com.* Dom. Aut. 402.
xxiii	f	Kal.	1	Raymundi Nonnati Conf. *duplex minus, et commem.* Oct. Dedicationis, ac S. Ægidii Abbatis, *simplex.* Æst. 781. Aut. 410.
xxii	g	iv	2	Brocardi Conf. O. N. *duplex minus, et comm.* Oct. Æst. 783. Aut. 412.
xxi	A	iii	3	Josephi Calasanctii Conf. *duplex minus, et com.* Oct. Æst. 785. Aut. 414.
xx	b	Prid.	4	Rosæ Viterbiensis Virginis, *duplex minus, et com.* Oct. Aut. 417.
xix	c	Non.	5	Laurentii Justiniani Episc. et Confess. *duplex minus, et com.* Oct. Aut. 419.
xviii	d	viii	6	Hieronymi Æmiliani Conf. *duplex minus, et commem.* Oct. Aut. 421.
xvii	e	vii	7	Octava Dedicationis Omnium Ecclesiar. O. N. *duplex minus.* Aut. 425.

Cyclus Epact.	L. D.		Dies Mens.	
xvi	f	vi	8	*Nativitas G. V. M.* duplex majus S. C. *et commem.* S. Adriani Martyris, in Laud. tantum. Aut. 427.
xv	g	v	9	Mariæ Magdalenæ Pœnitentis, *duplex minus, et commem.* Octavæ ac S. Gorgonii Mart. Aut. 435.
xiv	A	iv	10	Nicolai de Tolentino Conf. *duplex minus, et com.* Oct. Aut. 443.
xiii	b	iii	11	De Octava, *semid. et comm.* SS. Proti et Hyacinthi Martyrum. Aut. 445.
xii	c	Prid.	12	De Octava, *semiduplex.* Aut. 446.
xi	d	Idib.	13	De Octava, *semiduplex, et commem.* S. Maurilii Episc. et Conf. Aut. 447.
x	e	xviii	14	*Exaltatio S. Crucis,* duplex minus P. C. *et commem.* Octavæ. Aut. 447.
ix	f	xvii	15	Octava Nativitatis G. V. M. *duplex minus, et commem.* S. Nicomedis Martyris. Aut. 456.
viii	g	xvi	16	Cornelii et Cypriani Pontificum et Martyr. *semiduplex, et commem.* SS. Euphemiæ, Luciæ, et Geminiani Martyrum. Aut. 457.
vii	A	xv	17	Impressio Stigmatum in corpore S. Francisci, *dupl. minus, et comm.* S. Lamberti Episc. et Mart. Aut. 459.
vi	b	xiv	18	Josephi a Cupertino Conf. *dup. min.* Aut. 463.
v	c	xiii	19	Januarii Episc. et Socior. Mart. *dup. min.* Aut. 469.
iv	d	xii	20	Eustachii et Socior. Martyrum, *dup. min. et com.* Vigiliæ. Aut. 471.
iii	e	xi	21	*Matthæi Apostoli et Evangelistæ,* duplex minus P. C. Aut. 473.
ii	f	x	22	Mauritii et Socior. Martyrum, *simplex.* Aut. 475.
i	g	ix	23	Lini Papæ et Mart. *semid. et comm.* S. Theclæ Virg. et Mart. Aut. 476.
*	A	viii	24	*Festum B. V. M. de Mercede,* duplex minus P. C. Aut. 477.
xxix	b	vii	25	Cleophæ Martyris, *semid.* Aut. 479.
xxviii	c	vi	26	Gerardi Episc. et Mart. O. N. *dupl. min. et com.* SS. Cypriani et Justinæ Mart. Aut. 481.
xxvii	d	v	27	Cosmæ et Damiani Martyrum, *semid.* Aut. 484.
25 xxvi	e	iv	28	Wenceslai Martyris, *semid.* Aut. 485.

Cyclus Epact.	L. D.		Dies Mens.	
xxv xxiv	f	iii	29	*Dedicatio S. Michaelis Archangeli,* duplex majus S. C. Aut. 487.
xxiii	g	Prid.	30	Hieronymi Conf. et Doct. *dup. min. et com.* Octavæ. Aut. 497.
				Post Festum S. Michaelis, et ante Festum Omnium Sanctorum fit tertium Ternarium cum Vigiliis Mortuorum.

October.

				Dominica prima Octobris, *Festum Solemnitatis SS. Rosarii B. V. M.* duplex minus P. C. *et com.* Dominicæ. Aut. 500.
				Dominica secunda Octobris, *Festum Maternitatis G. V. M.* dupl. minus P. C. *et com.* Dominicæ. Aut. 502.
				Dominica tertia Octobris, *Festum Puritatis G. V. M.* duplex minus P. C. *et com.* Dominicæ. Aut. 510.
xxii	A	Kal.	1	Thomæ a Villanova Episc. et Conf. *duplex minus, et com.* Oct. ac S. Remigii Episc. et Conf. Aut. 518.
xxi	b	vi	2	Festum SS. Angelorum Custodum, *dup. min. P. C. et com.* S. Leodegarii Episcopi et Martyris in Laud. tantum. 520.
xx	c	v	3	De Octava, *semid.* Aut. 529.
xix	d	iv	4	Francisci Conf. *duplex minus P. C.* Aut. 529.
xviii	e	iii	5	De Octava, *semid. et com.* SS. Placidi, et Socior. Martyrum. Aut. 533.
xvii	f	Prid.	6	Octava S. Michaelis, *duplex minus.* Aut. 534.
xvi	g	Non.	7	Marci Papæ et Conf. *semid. et com.* SS. Sergii, Bacchi, et Socior. Martyr. Aut. 536.
xv	A	viii	8	Birgittæ Matronæ, *dupl. min.* Aut. 537.
xiv	b	vii	9	Dionysii, Rustici, et Eleutherii Martyrum, *semid.* Aut. 538.
xiii	c	vi	10	Francisci Borgiæ Confessoris, *semid.* Aut. 541.
xii	d	v	11	Brunonis Conf. *dupl. min.* Aut. 543.
xi	e	iv	12	Anacleti Papæ et Martyris, *semid.* Aut. 544.

Cyclus Epact.	L. D.	Dies Mens.		
x	f	iii	13	Eduardi Regis Conf. *semid.* Aut. 545.
ix	g	Prid.	14	Callisti Papæ et Martyris, *dupl. min.* Aut. 547.
viii	A	Idib.	15	*Teresiæ Virginis O. N.* dup. majus S. C. Aut. 548.
vii	b	xvii	16	B. Mariæ ab Incarnatione Matronæ O. N. *dup. min. et com.* Oct. Aut. 552.
vi	c	xvi	17	Hedwigis Reginæ Matronæ, *semid. et com.* Octavæ. Aut. 555.
v	d	xv	18	*Lucæ Evangelistæ,* duplex minus P. C. Aut. 557.
iv	e	xiv	19	Petri de Alcantara Conf. *dup. min. et com.* Octavæ. Aut. 558.
iii	f	xiii	20	Joannis Cantii Conf. *dup. min. et com.* Oct. Aut. 560.
ii	g	xii	21	Hilarionis Abbatis O. N. *dup. min. et com.* Oct. 563.
i	A	xi	22	Octava S. Teresiæ, *dup. min. et com.* S. Marci Episcopi et Martyris, *simplex.* Aut. 564.
*	b	x	23	Stephani Papæ et Mart. *semid.* Aut. 565.
xxix	c	ix	24	Raphaelis Archang. *dupl. min.* Aut. 566.
xxviii	d	viii	25	Stephani Regis Confessoris, *semid. et com.* SS. Crispini, et Crispiniani Martyrum. Aut. 575.
xxvii	e	vii	26	Translatio Corporis S. Andreæ Corsini Ep. et Conf. O. N. *dup. min.* Aut. 578.
xxvi	f	vi	27	Evaristi Papæ et Mart. *semid. et com.* Vigiliæ. Aut. 580.
25 xxv	g	v	28	*Simonis et Judæ Apostolor.* duplex minus P. C. Aut. 581.
xxiv	A	iv	29	Zephyrini Papæ et Mart. *semid.* Aut. 585.
xxiii	b	iii	30	Serapionis Episc. et Conf. O. N. *dup. min.* Aut. 586.
xxii	c	Prid.	31	Ursulæ et Sociarum Virginum Mart. *dup. min. et commem.* Vigiliæ et S. Quintini Mart. Aut. 588.

November.

xxi	d	Kal.	1	FESTIVITAS OMNIUM SANCTORUM, dupl. maj. P. C. Aut. 593.
xx	e	iv	2	De Octava, *semid.* et Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum, *duplex minus.* Aut. 602.

Cyclus Epact.	*L. D.*		*Dies Mens.*	
xix	f	iii	3	De Octava, *semidupl.* Aut. 613.
xviii	g	Prid.	4	Caroli Episc. et Conf. *dupl. min. et com.* Oct. Aut. 613.
xvii	A	Non.	5	B. Franciscæ Ambosiæ Matronæ O. N. *dupl. min. et comm.* Octav. Aut. 615.
xvi	b	viii	6	De Octava, *semid. et com.* S. Leonardi Conf. Aut. 618.
xv	c	vii	7	De Octava, *semidupl.* Aut. 619.
xiv	d	vi	8	Octava Omnium Sanctorum, *dupl. min. et comm.* SS. Quatuor Coronatorum Martyrum. Aut. 621.
				Dominica ii. Nov. *Festum Patrocinii G. M. V.* dupl. min. P. C. *et com.* Dominicæ. Aut. 624.
xiii	e	v	9	Dedicatio Basilicæ SS. Salvatoris, *dupl. min. et commem.* S. Theodori Martyris. Aut. 626.
xii	f	iv	10	Andreæ Avellini Confess. *dupl. min.* Aut. 629.
xi	g	iii	11	Martini Episcopi et Confessoris, *dupl. min. et commem.* S. Mennæ Martyris. Aut. 631.
x	A	Prid.	12	Martini Papæ et Mart. *semid.* Aut. 639.
ix	b	Idib.	13	Stanislai Kostkæ Confess. *dupl. min. et commem.* S. Britii Episc. et Conf. *simplex.* Aut. 640.
viii	c	xviii	14	*Festum Omnium Sanctorum O. N.* dupl. maj. S. C. Aut. 644.
vii	d	xvii	15	Gertrudis Abbatissæ Virg. *dupl. min.* et Commem. Omnium Defunctorum Fratrum et Sororum Ordinis Nostri, *dupl. min.* Aut. 652.
vi	e	xvi	16	Didaci Conf. *semid.* Aut. 654.
v	f	xv	17	Gregorii Thaumaturgi Episc. et Conf. *semid.* Aut. 655.
iv	g	xiv	18	Dedicatio Basilicarum SS. Apost. Petri et Pauli, *dupl. min.* Aut. 657.
iii	A	xiii	19	Elisabeth Matronæ, *duplex minus, et commem.* S. Pontiani Papæ Mart. *simplex.* Aut. 659.
ii	b	xii	20	Felicis de Valois Confess. *dupl. min. et commem.* S. Edmundi Regis et Mart. *simplex.* Aut. 661.
i	c	xi	21	*Præsentatio G. V. M.* duplex majus S. C. Aut. 665.
*	d	x	22	Cæciliæ Virginis et Mart. *dupl. min.*

Cyclus Epact.	L. D.		Dies Mens.	
				et commem. Octavæ Præsentationis. Aut. 669.
xxix	e	ix	23	Clementis Papæ et Martyris, *dupl. min. et commem.* Octavæ. Aut. 673.
xxviii	f	viii	24	*Joannis a Cruce Confess. O. N.* dupl. majus S. C. *et commem.* S. Chrysogoni Mart. in Laud. tant. Aut. 676.
xxvii	g	vii	25	Catharinæ Virginis et Martyris, *dupl. min. et commem.* Octav. B. M. V. et S. Joannis. Aut. 682.
25 xxvi	A	vi	26	Silvestri Abbatis et Confessor. *dupl. min. et commem.* Octavarum, ac S. Petri Alexandrini Episcopi et Martyris. Aut. 683.
xxv xxiv	b	v	27	De Octava Præsentationis, *semid. et comm.* Octavæ S. Joannis. Aut. 686.
xxiii	c	iv	28	Octava Præsentationis G. V. M. *dupl. min. et comm.* Octavæ S. Joannis. Aut. 686. Hiem. 450.
xxii	d	iii	29	De Octava S. Joannis, *semid. et comm.* Vigiliæ (extra Adventum) et S. Saturnini Mart. Aut. 687. H. 452.
xxi	e	Prid.	30	*Andreæ Apostoli,* duplex minus P. C. Aut. 688. H. 453.

December.

xx	f	Kal.	1	Octava S. Joannis a Cruce O. N. *duplex minus.* Aut. 695. Hiem. 460.
xix	g	iv	2	Bibianæ Virg. et Martyris, *semid.* Aut. 697. H. 465.
xviii	A	iii	3	Francisci Xaverii Cf. *dupl. min.* H. 466.
xvii	b	Prid.	4	Barbaræ Virg. et Martyris, *dupl. min.* H. 469.
xvi	c	Non.	5	Petri Chrysologi Episcopi Confess. et Doctoris, *duplex min. et commem.* S. Sabbæ Abbatis, Confess. H. 471.
xv	d	viii	6	Nicolai Episc. et Conf. *duplex minus.* H. 473.
xiv	e	vii	7	Ambrosii Episc. Conf. et Doctoris, *dupl. min. et commem.* Vigiliæ in Missa tantum. H. 479.
xiii	f	vi	8	IMMACULATA CONCEPTIO B. M. V. dupl. majus. P. C. — H. 483.
xii	g	v	9	De Octava, *semid.* H. 494.

Cyclus Epact.	L. D.		Dies Mens.	
xi	A	iv	10	Translatio Almæ Domus Lauretanæ, *duplex minus P. C.* H. 494.
x	b	iii	11	De Octava, *semid.* H. 503.
ix	c	Prid.	12	De Octava, *semid.* H. 503.
viii	d	Idib.	13	Luciæ Virginis et Mart. *dupl. min. et commem.* Octavæ. H. 504.
vii	e	xix	14	Spiridionis Episcopi et Conf. O. N. *dupl. min. et com.* Octavæ. H. 507.
vi	f	xviii	15	Octava Immaculatæ Conceptionis, *duplex minus.* H. 511.
v	g	xvii	16	Translatio Corporis S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg. O. N. *duplex minus.* H. 514.
iv	A	xvi	17	B. Franci Confess. O. N. *dupl. min.* H. 516.
iii	b	xv	18	*Exspectatio Partus B. M. V.* duplex minus P. C. — H. 518.
ii	c	xiv	19	B. Mariæ ab Angelis Virg. O. N. *dupl. min.* H. 526.
i	d	xiii	20	Eusebii Episc. et Mart. *semid. et com.* Vigiliæ in Missa tantum. H. 529.
*	e	xii	21	*Thomæ Apostoli,* dupl. minus P. C. H. 531.
xxix	f	xi	22	Josaphat Episc. et Mart. *dupl. min.* H. 534.
xxviii	g	x	23	Damasi Papæ Conf. *semid.* H. 538.
xxvii	A	ix	24	Vigilia Nativitatis D. N. J. C. — H. 250.
xxvi	b	viii	25	NATIVITAS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, dupl. maj. P. C. — H. 257.
25 xxv	c	vii	26	*Stephani Protomartyris,* dupl. majus P. C. *et comm.* Oct. Nativit. H. 270.
xxiv	d	vi	7	*Joannis Apostoli et Evangelistæ,* dupl. majus P. C. *et comm.* Octavar. H. 278.
xxiii	e	v	28	*SS. Innocentium,* dupl. min. P. C. *et comm.* Octavar. H. 285.
xxii	f	iv	29	Thomæ Episcopi et Mart. *dupl. min. et commem.* Octavar. H. 294.
xxi	g	iii	30	De Octava Nativitatis, *semid. et commem.* Octavarum. H. 297.
19 xx	A	Prid.	31	Silvestri Papæ et Confess. *dupl. min. et commem.* Octavar. H. 305.
				Hæc Epacta 19 *nunquam est in usu, nisi quando eodem anno concurrit cum Aureo numero* xix.

Sacrorum Rituum Congregationis Decreto sub die 11 Martii 1837. Indultum jam datum Sacrosanctis Patriarchalibus Basilicis Vaticanæ et Liberianæ extenditur ad Carmelitas, quo permittitur, ut reponantur Duplicia translata in dies Festi Semiduplicis, de quo tamen facienda erit Commemoratio in Laudibus, Missa, et utrisque Vesperis, cum ix. Lect. historica ad Matutinum, dummodo prope anni finem desint dies Simplices, vel feriales, in quas prædicta Duplicia reponi deberent.

Advertendum, quod Officia a Sede Apostolica non approbata, damnantur sub pœna librorum, prohibitorum, et non satisfaciendi muneri recitandi Divinum Officium, prout declaravit Sacra Congregatio Rituum, die 8. *Aprilis, et* 28. *Octobris* 1628.

Ordinis Carmelitar. Antiquae Observant.

QUUM quantocius ab Alumnis Ordinis Carmelitarum antiquæ Observantiæ deveniendum sit ad novam impressionem Breviarii, ac Missalis proprii ritus, et Ordinis, consultius visum fuit adhibitis Sociis Liturgiam scientibus Kalendarium perpetuum ad eorum usum reformare, et ad meliorem formam redigere pro uniformitate in Divinis persolvendis Laudibus in universo eodem Ordine assequenda : ac propterea Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam IX humillime rogavit R. P. Hieronymus Priori Carmelitarum Ordinis Procurator Generalis, quatenus de Apostolica Benignitate idem Kalendarium approbare dignaretur. Sanctitas Sua, referente me subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, de speciali gratia benigne annuit juxta preces, prævia tamen Revisione, ac eo modo de more revisum et admissum uti superiori in exemplari jacet illud imprimi, atque in Ordine Divini Officii penes recensitum Ordinem servari concessit, quibuscumque in contrarium disponentibus minime obstantibus.

Die 9. Mense Majo Anno 1851.

A. CARD. LAMBRUSCHINI S. R. C. P.
Dom. Gigli S. R. C. Pro-Secretar.

Pio Lectori.

Um necesse sit cujuslibet Officii aut Festi dignitatem, qualitatem et Privilegia dignoscere, ut rectum quis judicium formet de eorum inter se occurrentia, vel concurrentia; hinc operæ pretium erit dignitatem, qualitatem et Privilegia cujuslibet indigitare.

TABULA PRIMA.

De Festis Duplicibus, et quomodo inter se distinguuntur.

DUPLICIA MAJORA PRIMÆ CLASSIS

Solemniora,

in quibus nulla prorsus fit commemoratio de Festo quocumque occurrente.

Nativitas Domini.
Circumcisio Domini.
Epiphania Domini.
Pascha Resurrectionis, cum die sequenti.
Ascensio Domini.
Pentecostes, cum die seq.
Festum SS. Trinitatis.
Festum SS. Corporis Christi.
Assumptio B. V. M.
Commem. Solemnis ejusdem.
Titularis Ecclesiæ propriæ.
Nativitas S. Joannis Baptistæ.
Festum SS. Petri et Pauli.
Festum S. P. N. Eliæ.
Festum S. Stephani Protomart.
Festum S. Joannis Evangelistæ.
Titularis Ecclesiæ Cathedralis.
Festum S. Joseph Sponsi B. V. M.
Festum Patrocinii ejusdem.
Et omne Festum quod a S. Sede Apostolica conceditur celebrandum sub ritu Duplici majori primæ classis, seu juxta Brev. Rom. Duplici primæ classis.

DUPLICIA MAJORA PRIMÆ CLASSIS,

in quibus de Simplicissimo nihil fit, et de Simplici fit comm. in Laud. et ij. Vesp. tantum.

Festum SS. Cordis Jesu.
Immaculata Conceptio beatæ Mariæ Virginis.
Festum Omnium Sanctorum.
Dedicatio omn. Ecclesiarum Ordinis.
Patronus principalis loci, Regni seu Provinciæ.

DUPLICIA MAJORA SECUNDÆ CLASSIS,

in quibus de Simplicissimis fit commem. in Laudibus tantum.

Festum SS. Nominis Jesu.
Festum pretiosissimi Sanguinis ejusdem.

Festum { Purificationis, Annuntiationis, Visitationis, Ad Nives, Puriss. Cordis, Nativitatis, Gloriosiss. Nominis, Præsentationis } B. M. V.

Festum S. Andreæ Corsini.
Festum S. Gabrielis Archangeli.
Festum S. Angeli Martyris.
Festum S. Simonis Stock.
Festum S. M. Magdalenæ de Pazzis.
Festum S. Elisei.
Festum S. Annæ.
Festum Transfigurationis Domini.
Festum S. Alberti.
Festum S. Laurentii.
Festum S. Joachim.
Festum Dedicat. S. Michaelis Archangeli.
Festum S. Teresiæ.
Festum Omnium SS. Ord. N.
Festum S. Joannis a Cruce.
Dedicat. Ecclesiæ Cathedralis.
Et omne Festum, quod a S. Sede Apostolica conceditur celebrandum sub ritu Dupl. majori secundæ classis, seu juxta Brev. Rom. Duplici secundæ classis.

FESTA DUPLICIA MINORA PRIMÆ CLASSIS,

in quibus de Simplicissimis fit commemoratio in Laudibus tantum.

Dominica in Albis.
Dominica infra Oct. Corporis Christi.
Festum Orationis D. N. J. C. in Monte Oliveti.
Festum Commem. Passionis D. N. J. C.
Festum Lanceæ et Clavorum D. N. J. C.
Festum Sacratissimæ Sindonis D. N. J. C.
Festum Sacrorum quinque Vulnerum D. N. J. C.
Festum Coronæ Spineæ D. N. J. C.
Inventio et Exaltatio S. Crucis.
Festum Desponsat. B. V. cum S. Joseph.
Utrumque Festum VII. Dolor. B. V. M.
Festum B. V. sub tit. Auxilium Christianorum.
Festum B. V. M. de Mercede.
Festum sacratissimi Rosarii B. V. M.
Festum Maternitatis B. V. M.
Festum Puritatis B. V. M.
Festum Patrocinii B. V. M.
Festum Translationis Almæ Domus Lauretanæ.
Festum Exspectationis Partus B. V. M.
Festum de Nom. Mariæ quater in Anno.
Natalitia Apostolorum, etiam S. Barnabæ.
Utrumque Festum Cathedræ S. Petri Apostoli.
Festa Evangelistarum etiam S. Joannis ante Portam Latinam.
Conversio S. Pauli, et Commemoratio ejusdem.
Apparitio S. Michaelis Archangeli.
Festum S. Benedicti Abbatis.
Festum S. Alberti Episc. Conf. O. N.
Festum S. Petri ad Vincula.
Festum S. Dominici Confess.
Festum Decollationis S. Joannis Baptistæ.
Transverberationis Cordis S. Teresiæ.
Festum SS. Angelorum Custodum.
Festum S. Francisci Assisinatis.
Festum SS. Innocentium.
Festa Sanctorum, quæ in Ecclesiis Nostris solemniter celebrantur, tam contenta, quam non contenta in Kalendario.

Festa Sanctorum Patriæ, quæ universali devotione coluntur.
Festum minus principale principalis Patroni loci.
Festum Patroni loci minus principalis, si plures Patronos habuerit.
Et omne Festum quod a S. Sede conceditur celebrandum sub ritu Duplici minori primæ classis, idest juxta Brev. Rom. Duplici majori.

DUPLICIA MINORA
SECUNDÆ CLASSIS.

Festa omnia, quibus in Kalendario simpliciter apponitur hæc vox Duplex minus, et præter illa, insuper hæc alia.
Dominicæ infra Octav. maximas, scilicet Nativitatis Domini, Epiphaniæ, et Ascensionis, ac Commemorat. Solemnis B. V. M.
Dominica infra Octavas majores, nempe S. Elisei, S. P. Eliæ, Assumptionis B. V. Omnium Sanctorum, Dedicationis ac Titularis propriæ Ecclesiæ.
Item dies octavi cujuscumque Octavæ majoris et minoris.
Item Vigilia Nativit. Domini a Laudibus usque ad Nonam inclusive.
Item dies tridui mortis Christi, ac Feria tertia post Pascha, et Pentecosten.
Festa Sanctorum, quorum corpora, vel notabilis Reliquia est in nostris Ecclesiis, ut est Caput, Brachium, Crus, aut alia pars corporis, in qua Sanctus præcipue passus est, modo non sit parva.
Festa Sanctorum, quibus intitulatæ sunt capellæ.
Festa Sanctorum, in quibus notabiles Indulgentiæ concessæ sunt nostris Ecclesiis.
Festa Sanctorum Patriæ, vel ratione Nativitatis, Episcopatus, vel Martyrii in illa perpessi, modo ab aliis cujusque loci Ecclesiis sub ritu Duplici celebrentur.
Festa quæcumque a S. Sede præscripta, sive pro Ecclesia Universali sive pro aliquo Regno, Dominio, vel Provincia, ubi Fratres nostri commorantur (dummodo ad omnes, etiam Regulares, Pontificia Decreta extendantur expresse) et concessa sub ritu Duplici minori. Præterea fit Officium Duplex minus in Commemorationibus, tum omnium Fidelium Defunctorum, tum omnium Fratrum et Sororum Ordinis Nostri, ac pro aliquo præsenti Defuncto.

TABULA SECUNDA.

De Dominicis ac de triplici earum Ordine.

DOMINICÆ I. ORDINIS,

Quarum Officium nunquam omittitur qualicumque Festo occurrente.

Prima Adventus.
Prima Quadragesimæ.
Passionis.
Palmarum.
Paschæ.
In Albis.
Pentecostes et Trinitatis.

DOMINICÆ II. ORDINIS.

Quarum Officium non omittitur, nisi occurrente Dedicatione propriæ Ecclesiæ, Titu-

lo ejusdem, principali Patrono loci, Festo Immaculatæ Conceptionis B. V. M. S. Josephi Primarii Protectoris Ord. Nostri, vel quovis alio Duplici majori primæ classis, quia tunc de Dominica fit commemoratiô in utrisque Vesperis et Laudibus.

Secunda, Tertia, Quarta } Adventus.

Dominicæ { Septuagesimæ. Sexagesimæ. Quinquagesimæ.

Secunda, Tertia, Quarta } Quadragesimæ.

DOMINICÆ III. ORDINIS

Sunt omnes aliæ Dominicæ per Annum, et in iis fit de omnibus Duplicibus etiam minoribus occurrentibus.

TABULA TERTIA.

De Feriis, et earum triplici differentia, qua aliæ dicuntur Privilegiatæ, aliæ majores, et aliæ minores.

FERIÆ PRIVILEGIATÆ

Quarum Officium, quocumque Festo occurrente non omittitur, et sunt sequentes.

Feria quarta Cinerum.
Omnes Hebdomadæ majoris.
Vigilia Nativitatis Domini.
Vigilia Pentecostes.

FERIÆ MAJORES

De quibus semper fit commem. quando ob occurrens Festum novem Lectionum, vel Octavam, de iis non potest fieri Officium.

Adventus, Quadrag. { In utrisque Vesp. et Laudib. quocumque Festo occurrente.

Rogationum { In Laud. et ii. Vesp. quocumque Festo occurrente.

Quat. Temp. Vigiliæ Epiphaniæ, et Ascensionis. { In Laudib. tantum quocumque Festo occurrente.

Aliarum Vigiliar. { Extra Advent. Quadrages. et Quatuor Tempora in Laudib. tantum, modo non occurrat Duplex majus primæ classis quia tunc nihil fit de Vigilia.

FERIÆ MINORES

Sunt omnes reliquæ, de quibus in Festis novem lectionum nequidem fit commemoratio.



TABULA QUARTA.

De Octavis,

quæ pariter considerandæ veniunt in triplici differentia, et aliquæ dicuntur maximæ, aliæ majores, minores aliæ.

OCTAVÆ MAXIMÆ

Sunt septem, quarum aliæ nullum Festum admittunt, aliæ aliquod tantum, ut infra explicatur.

OCTAVA	ADMITTIT
Paschæ, et Pentecostes	Nullum Festum.
Epiphaniæ	Duplex maj. P. C. occurrens tantum.
Dies octavus	Nullum Festum.
Corporis Christi	Duplicia majora P. C. infra eam, etiam in die octavo cadentia.
Ascensionis Domini	Duplicia minora, etiam secundæ classis, infra eam cadentia; minora primæ classis, et majora translata.
Dominica infra eam	Omne Duplex occurrens et majus translatum.
Dies octavus	Duplex majus occurrens.
Nativitatis Domini	Festa infra eam occurrentia, nulla translata.
Dominica infra eam	Omne Duplex occurrens.
Commemorationis Solemnis B. V. Mariæ	Omne Duplex majus primæ vel secundæ classis, sive occurrens, sive translatum.

OCTAVA	ADMITTIT
Dies octavus	Omne Duplex majus j. et ij. classis occurrens tantum.

OCTAVÆ MAJORES

Sunt octo, et nullum Festum Semiduplex admittunt, nec ad eas transferuntur Duplicia minora ij. classis extra eas cadentia. Duplex minus etiam j. classis, quod non sit Festum in populo de præcepto in earum die octavo occurrens transfertur, Duplex majus celebratur, et dies octavus anticipatur in proximum diem infra Oct. non impeditum simili, vel digniori Festo. Dominica infra eas est Dupl. min. ij. classis sed cuivis Duplici occurrenti cedit: sunt enim:

Assumptionis B. M. Virg.
Immacul. Concept. ejusdem.
Omnium Sanctorum.
Dedicationis propriæ Ecclesiæ.
Titularis propriæ Ecclesiæ.
S. Patris N. Eliæ Prophetæ.
Patrocinii S. Joseph.
S. Elisei Prophetæ.

Nota. Si de principali Patrono loci speciali de ratione fieri debeat Octava, hæc etiam erit Octava major.

OCTAVÆ MINORES


seu ceteræ Oct. per Annum.

Infra eas fit de Semiduplicibus occurrentibus, quod si dies, quo cadunt, impediatur, non transferantur sed fiat de

eis commemoratio juxta Rubricas. Festa Duplicia majora, minora j. classis ac etiam minora ij. classis SS. Eccles. Doctorum, extra eas cadentia, ad eas transferri possunt. In Dominicis cadentibus infra Octavas minores, fit de Dominica cum comm. Octavæ (nisi occurrat Festum Duplex, etiam min. ij. classis, quia tunc fit de eo cum comm. Dominicæ et Octavæ, exceptis Duplicibus majoribus, et minoribus P. C. in quibus nulla fit comm. Octavæ.)

Dies octavus earum proprio die celebratus expellit Duplex minus ij. class. in eo occurrens: Duplex minus vero j. class. celebratur, et dies octavus anteponitur in proximum diem non impeditum Duplici minori: Die octavo SS. Trinitatis, videlicet Fer. iv. excepta, in qua omne Duplex occurrens celebratur; Duplex majus, et Duplex minus j. class. ad eam potest transferri, sicuti ad eam transfertur dies octavus S. Elisei in Festo Corporis Christi occurrens, et tunc dies octavus Trinitatis non anteponitur, sed omittitur. Octavæ minores sunt sequentes :

SS. Trinitatis.
Purificationis, Visitationis, Nativitatis, Præsentationis } B. M. V.
S. Andreæ Corsini.
S. Angeli Martyris.
S. Simonis Stock.
S. Mariæ Magd. de Pazzis V.
S. Joannis Baptistæ.
SS. Apost. Petri et Pauli.
S. Alberti Confessoris.
S. Laurentii Martyris.
Dedic. S. Michaelis Archang.
S. Teresiæ Virginis.
S. Joannis a Cruce.
S. Stephani Protomartyris.
S. Joannis Evangelistæ.
SS. Innocentium.



Tabula occurrentiae

Ex Rubricis Generalibus excerpta, in qua facile videri potest, quale Festum, si eodem die duo occurrant, ex alterutro celebrari debeat.

SI OCCURRANT EODEM DIE

	Feria major et Vigilia non privil.	Feria et Vigilia Privilegiatæ.	Dies octavus Octavæ Minoris.	Dies octavus Octavæ Majoris.	Dies octavus Octavæ Maximæ.	Dominica infra Octav. Minorem.	Dominica infra Octav. Majorem.	Dominica infra Octav. Maximam.	Dies infra Octavam Minorem.	Dies infra Octavam Majorem.	Dies infra Octavam Maximam.	Simplicissimum.	Simplex.	Semiduplex.	Duplex minus S. C. commune.	Duplex minus S. C. Eccles. Doctoris.	Duplex minus P. C.	Duplex majus S. C.	Duplex majus P. C.
Duplex majus P. C.	2	4	3	3	4	3	3	2	3	3	2	3	2	2	2	1	1	1	7
Duplex majus S. C.	2	4	2	2	4	3	3	4	3	3	4	2	2	2	2	1	1	7	4
Duplex minus P. C.	2	4	2	4	4	3	2	4	3	2	4	2	2	2	2	1	7	4	4
Duplex minus S. C. Eccles. Doct.	2	4	4	4	4	2	2	4	2	2	4	2	2	2	2	7	4	4	4
Duplex minus S. C. commun.	2	5	5	5	5	2	2	5	2	2	5	2	2	2	8	5	5	5	5
Semiduplex	2	5	5	5	5	9	5	5	2	5	5	2	2	8	5	5	5	5	5
Simplex	2	5	5	5	5	9	5	5	5	5	5	2	8	5	5	5	5	5	5
Simplicissimum	5	5	5	5	5	9	5	5	5	5	5	8	5	5	5	5	5	5	6
Dominica I. Ordinis	0	0	2	2	2	2	2	2	0	0	0	2	2	2	2	1	1	1	1
Domin. II. Ordinis	0	0	2	2	2	2	2	2	0	0	0	2	2	2	2	1	1	1	5
Domin. III. Ordinis	0	0	5	5	5	2	5	5	0	0	0	2	2	2	5	5	5	5	5
Dies infra Octavam Maxim.	2	0	2	2	5	0	0	0	2	2	8	2	2	2	2	1	1	1	5
Dies infra Oct. Major.	2	0	5	5	5	0	0	0	2	8	5	2	2	2	5	5	5	6	6
Dies infra Oct. Minor.	2	0	5	5	5	0	0	0	8	5	5	2	2	5	5	5	6	6	6
Dom. infra Oct. Max.	0	0	2	2	5	2	2	8	0	0	0	2	2	2	2	1	1	5	5
Dom. infra Oct. Maj.	0	0	5	5	5	2	8	5	0	0	0	2	2	2	5	5	5	6	6
Dom. infra Oct. Min.	0	0	5	5	5	9	5	5	0	0	0	9	9	9	5	5	6	6	6
Dies octavus Octav. Maxim.	2	0	2	2	8	2	2	2	2	2	2	2	2	2	2	1	1	1	1
Dies octavus Octav. Major.	2	0	2	8	5	2	2	5	2	2	5	2	2	2	2	1	1	5	6
Dies octavus Octav. Minor.	2	0	8	5	5	2	2	5	2	2	5	2	2	2	2	1	5	5	6

1. Officium de primo, transl. de secundo.
2. Officium de primo, comm. de secundo.
3. Officium de primo, nihil de secundo.
4. Offic. de secundo, translat. de primo.
5. Offic. de secundo, comm. de primo.
6. Offic. de secundo, nihil de primo.
7. Offic. de digniori, translat. de minus digno.
8. Offic. de digniori, commem. de minus digno.
9. De utroque comm. et Offic. de Domin.
0. Nulla occurrentia.

Elucidatio Tabulae Occurrentiae.



UT sciatur ex Tabula Occurrentiæ quale Festum ex duobus, eadem die occurrentibus, celebrari debeat, inveniatur primo cellula, in qua ritus Officii currentis scriptus est : deinde recto tramite per transversum procedatur ad quadrangulum correspondentem ritui Officii eadem die occurrentis; et tunc juxta numerum inventum in cellula utrique respondente legatur Rubrica inferius ad eumdem numerum posita, quæ clare ·indicabit quale Officium ex alterutro celebrari debeat.

Exemplum. Si Duplex majus P. C. et Duplex minus S. C. Ecclesiæ Doctor eadem die occurrerint, quære cellulam in qua scriptum est Dupl. maj. P. C. et deinde recto tramite per transversum procede ad illum quadrangulum infra cujus seriem scriptum est Duplex minus S. C. Eccles. Doct. et invenies numer. 1. Rubrica autem sub numero 1. a latere posita dicit : Officium de primo, translatio de secundo. Ergo celebrabitur illa die Duplex majus P. C. et Duplex minus S. C. Eccles. Doctoris transferendum erit.

Quod si numerus vel signum o indicans Rubricam, charactere rubro ponatur, tunc datur intelligi, quod recurrendum sit ad Exceptiones hic infra positas, ut dignoscatur utrum standum sit Rubricæ simpliciter, vel non. Exempli gratia : Si Duplex majus P. C. et Duplex minus S. C. commune occurrant eadem die, et quæras quadrangulum correspondentem utriusque cellulæ, invenies numerum 2. rubrum, Rubrica autem sub numero 2. dicit Officium de primo, commemoratio de secundo; sed, quia rubro charactere exprimitur, quære inter Exceptiones, ubi leges Duplici majori P. C. occurrente cum Duplici minori S. C. communi = Officium de primo, commemoratio de secundo, exceptis Duplicibus majoribus P. C. solemnioribus in quibus de nullo prorsus commemoratio fit. Consequenter celebrabitur tale Festum Duplex majus P. C. ex. gr. Dominica Pentecostes sine commemoratione Duplicis minoris S. C. communis eadem die occurrentis.

Ubi ponitur hoc signum o, significat, quod illa duo Officia eadem die non possunt occurrere. Ex. gr. Dominica I. Ordinis, et dies infra Octavam quamcumque, coincidunt in quadrangulo ubi signum o reperitur, eo quia Dominica non potest occurrere cum die infra hebdomadam, nam dies infra Octavam juxta Tabulam Occurrentiæ, distinguitur a Dominica infra Octavam, et die octavo.

Ubi nigro charactere ponitur numerus, nulla datur exceptio.

Ultimo notandum est, quod occurrente Duplici majori vel minori P. C. cum aliquo die octavo præter regulam in Tabula expressam consulatur Rubr. 11. de Occurrentia et Translatione § 6. et 8.

EXCEPTIONES

a Regulis Generalibus [illegible]

DUPLICI MAJORI P. C.

occurrentiæ

7. Cum alio Duplici majori P. C. = Officium de digniori, translatio de minus digno. Ad dignoscendum autem quomodo unum Festum dignius respectu alterius censeri debeat; hæc attente observanda veniunt.

I. Festa Domini et B. V. M. Duplicia majora P. C. solemniora, enumerata in Tabula Prima de Duplicibus, superius expressa, quibuscumque aliis Duplicibus majoribus P. C. præferuntur.

II. Quæcumque alia Festa quoad ritum æqualia, ita ratione dignitatis inter se discriminantur, ut Festum primarium semper præferatur secundario, S. R. C. 3. April. 1821. 7. Dec. 1844. 22. Jul. 1848. 29. Mart. 1851. 16. Apr. 1853. ex : gr. Festum S. Matthæi Apostoli et Evangel. in mense Septembri præfertur Festo VII. Dolorum B. V. M. : nisi obstet speciale Indultum pro secundario, uti pro Festo sacratissimi Rosarii B. V. M. quod ex speciali Decreto S. R. C. 19. Junii 1884. præfertur Festo S. Francisci Assisiensis.

Quoad Festa vero, quæ sunt ritu æqualia ac simul æque primaria, vel æque secundaria, talis ordo servandus est, ut Festa Domini præcedant Festa B. Virginis, Festa B. Virginis præcedant Festa Angelorum. Festa Angelorum præcedunt Festum S. Joannis Baptistæ; hoc autem præcedit Festum S. Joseph Sponsi B. V. qui præfertur Apostolis et Evangelistis, quorum Festa præferuntur aliorum Sanctorum Festis ejusdem ritus, ejusdemque classis in ratione primarii vel secundarii. S. R. C. 3. April. 1821. 7 Dec. 1844. 22. Julii. 1848. 29. Mart. 1851. 16. Apr. 1855. Inter Festa autem, quæ in prædictis æquali dignitate pollent; illud præferri debet, quod majori præ alio solemnitate colitur, et præsertim si accedat obligatio audiendi Sacrum, populi concursus, Indulgentia plenaria, supplicatio etiam non solemnis. Et si quoad hæc æqualia reperiantur, illud præferatur, quod solemnius et majori pompa colitur. S. R. C. 5. Maj. 1736. et 11. Jan. 1749. Quod si hæc eadem Festa nec dignitate, uti supra dictum est, nec distinctione solemnitatis discrepent inter se, tunc illud præcedit, quod est magis proprium et peculiare alicujus Ecclesiæ, Religionis, Loci, Diœcesis, Provinciæ vel Nationis. S. R. C. 25. Jun. 1736. et 29 Jan. 1746. Si vero nec tali ratione distingui valeant, observari debet natalitia dies, et illius Festum cujus dies est natalitia præponatur alteri, cujus dies est solummodo assignata. S. R. C. 5. Maj. 1736.

Tandem si in nullo ex prædictis discerni queant, servetur tunc ordo Litaniarum, quo Martyr Pontifex præcedit Martyrem tantum, Martyr Confessorem et Papam, Papa Epi-

scopum, Episcopus Confessorem tantum, Confessor Virginem, et Virgo Martyr Virginem tantum, ac Virgo Matronam. Quod si nec talis ordo valeat discerni attendenda est recitationis Officii major antiquitas, et in dubio de majori vel minori antiquitate, illius Officium præferatur, qui prius migravit in cœlum.

2. Cum Duplici minori S. C. communi, Semiduplici, Simplici = Officium de primo commemoratio de secundo : Exceptis Duplicibus majoribus P. C. solemnioribus, in quibus de nullo prorsus commemoratio fit.

2. Cum die infra Octav. maxim. = Officium de primo, commem. de secundo : Exceptis Octavis Paschæ ad Pentecostes, in quibus Duplex majus P. C. occurrens transfertur post Octavam.

4. Cum die octavo Octavæ maxim. = Officium de secundo, translatio de primo : Exceptis diebus octavis Ascensionis, Corporis Christi, et Commemorat. Solemnis B. V. in quibus celebratur Duplex majus P. C. occurrens cum commem. Octavæ, et Officium diei octavi anticipatur.

3. Cum die octavo Octav. major. et minor. = Officium de primo, nihil de secundo. Excipiuntur dies octavi, quorum Officium nequit anteponi, quia tunc fit commemoratio de illis in Duplici majori P. C. non tamen solemniori.

2. Cum Feria majori et Vigilia non privileg. = Officium de primo, commem, de secundo. Excipiuntur Vigiliæ de quibus nihil fit in Duplicibus majoribus P. C. nisi fuerint Vigiliæ Epiphaniæ et Ascensionis, de quibus fit commemor. quocumque Festo occurrente.

DUPLICI MAJORI S. C.

1. Cum Dupl. min. P. C. = Officium de primo, translatio de secundo. Excipiuntur Festa secundaria mobilia B. M. V. occurrentia in Natalitiis SS. Apostolorum; tunc enim fit Officium de S. Apostolo, translatio autem de Offic. B. M. V. Dupl. maj. S. C. secundario.

4. Cum die et Dominica infra Octav. maxim. = Officium de secundo, translatio de primo. Excipiuntur dies et Dominica infra Octav. Commemorationis Solemnis B. V. in quibus celebratur Duplex majus P. et S. C. etiam translatum cum commemor. Octavæ; item excipiuntur dies infra Octavam Ascensionis, in quibus celebratur omne Duplex occurrens et Duplex minus P. C. etiam translatum; ac Dominica infra eam, in qua celebr. omne Duplex occurrens ac majus translatum. Pariter excipiuntur dies infra Octav. Nativitatis Domini in quibus celebratur quodcumque Festum infra eam occurrens.

4. Cum die octavo Octav. maxim. = Officium de secundo, translatio de primo. Excipiuntur dies octavi Ascensionis et Commemorat. Solemnis B. V. in quibus celebratur Duplex majus occurrens cum comm. Octavæ,

et Officium diei octavi anticipatur.

DUPLICI MINORI P. C.

occurrente

4. Cum Dupl. maj. S. C. = Officium de secundo, translatio de primo. Excipiuntur Natalitia Apostolorum occurrentia cum Festis secundariis mobilibus B. M. V. tunc enim fit Officium de primo, translatio de Off. B. M. V.

4. Cum die infra Octavam et et Dominica infra Octav. maxim. = Officium de secundo, translatio de primo. Excipiuntur dies infra Octavam (Dominica etiam) Nativitatis, in quibus celebratur omne Duplex occurrens, et dies infra Octavam Ascensionis, in quibus celebratur omne Duplex minus occurrens, et Dupl. min. P. C. etiam translatum. In Dominica infra Octav. Ascensionis, celebratur omne Duplex occurrens et majus translatum.

4. Cum die octavo Octav. maj. = Officium de secundo translatio de primo : Exceptis Duplicibus minoribus P. C. in populo de præcepto, quæ celebrantur cum commemoratione Octavæ, et Officium diei octavi anteponitur.

DUPLICI MINORI S. C.

Eccles. Doct. occurrente

4. Cum die infra Octav. maximam = Officium de secundo, translatio de primo. Excipiuntur dies infra Oct. Ascensionis in quibus celebratur omne Duplex minus occurrens et Duplex min. P. C. etiam translatum. Infra Oct. Nativitatis pariter celebretur omne Festum occurrens.

4. Cum Dominica infra Octav. maxim. = Officium de secundo, translatio de primo. Excipitur Dominica infra Octav. Nativit. in qua celebratur omne Duplex occurrens, et Dominica infra Octav. Ascension. in qua celebratur omne Duplex occurrens et majus translatum.

DUPLICI MINORI S. C.

Communi occurrente

5. Cum Duplici majori P. C. = Officium de secundo, commemor. de primo : Exceptis Duplicibus majoribus P. C. solemnioribus in quibus de nullo fit commemoratio.

5. Cum die et Dominica infra Octav. maxim. = Officium de secundo, commem. de primo : Exceptis diebus infra Octav. et Dominica infra Octav. Nativitatis et Ascensionis, in quibus Duplex minus quodcumque occurrens celebratur cum commem. Octavæ. Excipiuntur etiam Feriæ 2. et 3. post Pascha et Pentecosten, in quibus nulla fit commemoratio.

5. Cum Feria privilegiata = Officium de secundo, commemoratio de primo : Exceptis Feriis tridui mortis Christi, in quibus de nullo fit commemoratio.

SEMIDUPLICI

occurrente

5. Cum Duplici majori P. C. = Officium de secundo, commemoratio de primo : Exceptis Duplicibus majoribus

P.C.solemnioribus, in quibus de nullo fit commemoratio.

5. Cum die infra Octav. maxim. = Officium de secundo, commemor. de primo : Exceptis Feriis 2. et 3. post Pascha et Pentecost. in quibus de nullo fit commemoratio.

5. Cum Feria privilegiata = Officium de secundo, commemor. de primo : Excipiuntur Feriæ tridui mortis Christi, in quibus de nullo commemoratio fit.

5. Cum die octavo Octavæ maximæ = Officium de secundo, commemor. de primo; Exceptis diebus octavis Nativitatis et Pentecostes, in quibus ob Duplex maj. P. C. solemnius de nullo commemoratio fit.

SIMPLICI

occurrente

5. Cum Duplici majori P. C. = Officium de secundo, commemor. de primo : Exceptis Festis Duplicibus majoribus P. C. solemnioribus in quibus de nullo fit commemor.

5. Cum die infra Oct̃av. maxim. = Officium de secundo, commemor. de primo : Excipiuntur Feriæ 2. et 3. post Pascha et Pentecosten in quibus de nullo fit commemoratio.

5. Cum die infra Oct. min. = Officium de secundo, commemoratio de primo : Excipiuntur Feriæ 2. et 3. infra Oct. SS. Trinitatis, in quibus fit de Simplici cum commemoratione Octavæ.

5. Cum die octavo Octav. maxim. = Officium de secundo, commemor. de primo : Excipiuntur dies octavi Nativitatis et Pentecostes in quibus ob occurrens Duplex majus P. C. de solemnioribus, de nullo fit commemoratio.

5. Cum Feria privilegiata = Officium de secundo, commemor. de primo : Exceptis Feriis tridui mortis Christi, in quibus nulla fit commemoratio.

SIMPLICISSIMO

occurrente

5. Cum die infra Octav. maxim. = Officium de secundo, commemor. de primo : Exceptis Feriis 2. et 3. post Pascha, et Pentecosten, in quibus nulla fit commemoratio.

5. Cum die octavo Octavæ maxim. = Officium de secundo, commemor. de primo. Excipiuntur dies octavi Nativitatis et Pentecostes, in quibus de nullo fit commemoratio.

5. Cum Feria privilegiata. = Officium de secundo, commem. de primo : Exceptis Feriis tridui mortis Christi, in quibus de nullo fit commemoratio.

DOMINICA I. ORDINIS

occurrente

2. Cum Duplici minori communi, Semiduplici, Simplici, Simplicissimo = Officium de primo, commemor. de secundo : Exceptis Dominicis Paschæ, Pentecostes, et Trinitatis, in quibus nulla fit commemoratio.

DOMIN. II. et III. ORDINIS

occurrente

o. Cum Vigilia sive privilegiata sive non = Nulla occurrentia : Exceptis Vigiliis Nativitatis et Epiphaniæ, de quibus fit Officium, etiam in Do-

minica, ut in Proprio de Tempore.

DIE INFRA OCTAV.

maxim. occurrente

5. Cum Duplici majori P. C. =Officium de secundo, commem. de primo : Exceptis diebus infra Octavam Paschæ et Pentecostes, in quibus Duplex maj. P. C. occurrens transfertur post Octav.

1. Cum Duplici majori S. C. =Officium de primo, translatio de secundo : Exceptis diebus infra Octav. Nativitatis, Ascensionis, et Commemorationis Solemnis B. V. in quibus duplex majus S. C. occurrens (imo in duabus ultimis etiam translatum) celebratur cum commemoratione Octavæ.

1. 2. Cum Duplici minori P. C. et minori S. C. = Officium de primo, translatio (vel commemor.) de secundo : Excipiuntur dies infra Oct. Nativitat. in quibus celebratur omne Festum occurrens, et Ascensionis, in quibus celebratur omne Duplex occurrens, et Dupl. min. P. C. etiam translatum : Excipiuntur etiam Feriæ 2. et 3. post Pascha et Pentecost. in quibus de nullo fit commemoratio.

2. Cum die octavo Octavæ major. et minor. = Officium de primo, commemoratio de secundo : Exceptis diebus infra Octavam Ascensionis, in quibus dies octavus Octavæ major. vel minor. occurrens celebratur cum commemor. Octavæ; item exceptis diebus infra Octavas Paschæ et Pentecostes in quibus de nulla alia Octava agitur.

2. Cum Semiduplici, Simplici, Simplicissimo = Officium de primo, commem. de secundo: Excipiuntur Feriæ 2. et 3. post Pascha et Pentecosten, in quibus nulla fit commemoratio.

DIE INFRA OCTAVAM

[illegible]

2. Cum Simplici. = Officium de primo, comm. de secundo : Exceptis Feriis 2. et 3. infra Oct. SS. Trinitatis, in quibus fit de Simplici cum comm. Octavæ.

DOM. INFRA OCTAV.

[illegible]

5. Cum Duplici majori S. C. = Officium de secundo, commemor. de primo : Exceptis Dominicis infra Octav. Epiphaniæ et Corporis Christi in quibus Duplex maj. S. C. occurrens transfertur.

1. Cum Duplici minori P. C. et minori S. C. Eccl. Doct. = Officium de primo, translatio de secundo: Exceptis Dominicis infra Octav. Nativitatis, et Ascensionis, in quibus Duplex minus P. et S. C. occurrens celebratur cum commemoratione Octavæ.

2. Cum Duplici minori S. C. communi, die octavo Octav. major. et minor. = Officium de primo, commemor. de sedo: Exceptis Dominicis infra Octav. Nativit. et Ascensionis in quibus dicta Officia celebrantur cum commemoratione Octavæ.

DOMIN. INFRA OCTAV.

majorem occurrente

5. Cum die octavo Octavæ maxim. = Officium de secundo, commemor. de primo: Exceptis diebus octavis Nativitatis, Paschæ et Pentecostes in quibus de nulla Octava fit commemoratio.

DOMIN. INFRA OCTAV.

minorem occurrente

5. Cum Dominica infra Octavam maxim. = Officium de secundo. commemor. de primo. Excipitur Dominica infra Octav. Corporis Christi, in qua nulla fit commemor. Octavæ minoris.

5. Cum die octavo Octavæ maxim. = Offic. de secundo, commemor. de primo: Excepto die octavo Nativitatis, in quo nulla fit commemoratio.

DIE OCTAVO OCTAV.

maxim. occurrente

1. Cum Duplici majori P. C. = Officium de primo, translatio de secundo : Exceptis diebus octavis Ascensionis, Corporis Christi, et Commemor. Solemnis B. V. in quibus Duplex majus P. C. occurrens celebratur cum commem. Octavæ et Officium diei octavi anteponitur.

1. Cum Duplici majori S. C. = Officium de primo, translatio de secundo : Exceptis diebus octavis Ascensionis, et Commem. Solemnis B. V. in quibus Duplex majus S. C. occurrens celebratur cum commemor. Octavæ, et Officium diei octavi anteponitur.

2. Cum Duplici minori S. C. communi, Semiduplici, Simplici, Simplicissimo, die infra Octavam, Dominica infra Octav. et die octavo Octavar. major. et minor. = Officium de primo, commemorat. de secundo : Exceptis diebus octavis Nativitatis et Pentecostes in quibus nulla fit commemoratio.

DIE OCTAVO OCTAV.

major. et minor. occurrente

6. Cum Duplici majori P. C. = Officium de secundo, nihil de primo : Exceptis diebus octavis quorum Officium nequit anteponi, quia tunc fit de ipsis commemoratio in Duplic. major. P. C. non tamen solemnioribus.

5. Cum die infra Octav. et Dominic. infra Octavam maxim. = Officium de secundo, commemor. de primo : Exceptis diebus et Dominica infra Octav. Ascensionis, in quibus dies octavus quicumque celebratur, cum commemor. Octavæ Ascensionis.

5. Cum die octavo Octavæ maxim. = Officium de secundo, commemor. de primo : Excipiuntur dies octavi Nativitatis, Paschæ et Pentecostes in quibus de nulla Octava fit commemoratio.

Tabula Concurrentiae

In qua statim videri potest, quomodo Festum præcedens in secundis Vesperis concurrat cum Festo sequenti.

QUANDO CONCURRIT

	cum Feria.	cum die octavo majorum, vel minorum Octavar.	cum die octavo maximarum Octavarum.	cum die infra Octavam minorem.	cum die infra Octavam majorem.	cum die infra Octavam maximam.	cum Dominica per annum.	cum Simplicissimo.	cum Simplici.	cum Semiduplici.	cum Duplici minori S. C.	cum Duplici minori P. C.	cum Duplici majori S. C.	cum Duplici majori P. C.	cum Festo Domini, vel B. M. dupl. maj. P. C.
Festum Domini, et B. M. V. dupl. maj. P. C.	o	6	o	5	5	o	o	o	o	o	6	6	6	6	o
Duplex majus P. C.	5	6	6	5	5	6	6	5	6	[illegible]	6	[illegible]	6	[illegible]	2
Duplex majus S. C.	5	6	6	6	6	6	6	6	6	6	6	6	8	8	2
Duplex minus P. C.	5	6	8	6	6	6	6	6	6	[illegible]	6	8	2	2	2
Duplex minus S. C.	5	8	8	6	6	6	6	6	6	[illegible]	8	8	2	2	
Semiduplex.	5	3	o	8	o	o	8	6	6	8	3	4	1	1	1
Simplex.	5	o	o	o	o	o	8	6	8	8	3	4	1	1	1
Simplicissimum.	1	o	o	o	o	o	o	7	7	7	1	1	1	1	o
Dominica per annum.	5	3	o	6	o	o	o	6	6	[illegible]	3	3	2	2	2
Dies infra Octav. maximam.	o	3	4	o	o	o	o	o	o	o	3	3	2	2	o
Dies infra Octav. majorem.	o	3	o	o	o	o	o	o	o	o	3	3	1	1	1
Dies infra Octav. minorem.	o	3	o	o	o	o	8	o	o	8	3	4	1	1	1
Dies oct. Octavarum maximarum.	5	6	o	6	6	o	6	6	6	6	6	6	2	2	o
Dies oct. Octavarum major. et minorum.	5	8	8	6	6	6	6	6	6	o	[illegible]	8	1	1	1
Feria.	5	o	o	o	o	o	9	9	[illegible]	9	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]

1. Totum de sequenti, et nihil de præcedenti.
2. Totum de sequenti, et commem. de præcedenti.
3. Totum de sequenti, Ps. et commem. de præced.
4. Totum de sequenti, Ps. tantum sine commem. de præcedenti.
5. Totum de præcedenti, et nihil de sequenti.
6. Totum de præcedenti, et commem. de sequenti.
7. A Capitulo de sequenti, et nihil de præcedenti.
8. A Capitulo de sequenti, et commem. de præced.
9. A Capitulo de sequenti, Antiphonæ, et Psalmi sine commem. de præcedenti.

Elucidatio Tabulae Concurrentiae

IN PRÆCEDENTI PAGINA CONTENTÆ.

X Tabula superiori hoc ordine reperietur quod quæritur. Inveniatur primo cellula, in qua Ritus Officii concurrentis scriptus est, deinde recto tramite per transversum procedatur ad quadrangulum respondentem Ritui Officii sequentis scripto infra Tabulam; juxta autem numerum inventum in quadrangulo utrique respondente legatur Rubrica descripta in inferiori angulo Tabulæ notata eodem numero, et in ea clarissime videbitur, quidquid agendum sit. Exempli gratia : Si Duplex majus primæ classis concurrat cum Semiduplici, quæratur cellula, in qua scriptum est, Duplex majus primæ classis, deinde recto tramite per transversum procedendo ad quadrangulum, infra cujus seriem in infima parte Tabulæ scribitur cum Semiduplici, invenietur numerus 6. Rubrica autem numero 6. signata dicit : Totum de præcedenti, et commemoratio de sequenti. Igitur quando Duplex majus j. classis concurrit cum Semiduplici, Vesperæ sunt integræ de Duplici majori concurrente, seu præcedente, et fit solum commemoratio Semiduplicis sequentis.

In quadrangulis, in quibus appositus est numerus rubro charactere expressus, datur intelligi, quod inter Festa, quæ illuc concurrunt, quædam excipiuntur, et ideo postquam lecta fuerit Rubrica per inventum numerum rubrum designata, quærenda est exceptio inter exceptiones generales, attentis Ritu et dignitate Festorum concurrentium in Tabula expressis, in quibus exceptio eodem numero expressa invenietur.

In quadrangulis autem, in quibus apparet hoc signum o, si est colore nigro, indicat nullam esse inter ipsos concurrentiam; si vero rubro, quæratur inter exceptiones.

Notandum vero, quod per Festa Domini, et B. Virginis Mariæ in prima serie Tabulæ posita, intelligenda sint : Nativitas Domini, Circumcisio, Epiphania, Pascha, Ascensio, Pentecostes, Trinitas, Corpus Christi, Assumptio, et Commemoratio Solemnis B. Virginis Mariæ : non autem alia eorum Festa, quæ ratione Tituli, vel Patrocinii evaderent Duplex majus P. C.

Notandum insuper quod si concurrant duo Officia de uno eodemque, Vesperæ ordinandæ erunt juxta Tabulam, sed absque commemoratione sequentis sive præcedentis de eodem.

Vigilia non apponitur in Tabula Concurrentiæ, quia nullas habet Vesperas. Commemorationes autem de Feriis majoribus non fiunt ratione Concurrentiæ, sed Privilegii. Et de Vigilia sequenti, nunquam fit commemoratio in Officio præcedentis diei.

Quod de Vigiliis dictum est, dicitur etiam de Feria Quarta Cinerum; nam de ipsa non fit commemoratio in secundis Vesperis Feriæ tertiæ præcedentis, quia Officium Quadragesimale solum incipit a Matutino Feriæ iv. Cinerum.

EXCEPTIONES QUÆDAM

a Regulis generalibus in superiori Tabula expressis.

Quæ ut facilius ac citius inveniantur, numeri, quibus in Tabula fiunt exceptiones, rubro charactere expressi sunt, servato tamen ordine, et dignitate Festivitatum, quæ patiuntur exceptiones, ut in Tabula exprimuntur.

DUPLICI MAJORI P. C.

concurrente

8. Cum alio Duplici majori P. C. regulariter a Capitulo fit de seq. cum commem. præced. Excepto Festo S. Stephani cum Festo S. Joannis, de seq. enim fit tantum commemoratio.
6. Cum Duplici minori P. C. Totum de præced. et commem. sequentis : Excepta Commem. S. Pauli, de qua nulla fit commemoratio, nisi transferatur.
6. Cum Semiduplici : Totum de præced. et commemor. seq. Exceptis Vigil. Nativit. Epiph. et Pentec. de quibus nulla fit commemoratio.
5. Cum Feria : nihil de Feria : Exceptis Feriis Advent. Quadrag. et Rogat. de quibus fit commemoratio.

DUPLICI MAJORI S. C.

concurrente

8. Cum alio Duplici majori S. C. regulariter a Capitulo de seq. commemor. de præced. Excepto Festo Nativit. B. V. cum Festo Nominis Mariæ, de seq. enim nulla fit commemoratio.
6. Cum Semiduplici. Totum de præced. et commem. Semid. Exceptis Vigil. Nativit. Epiphan. et Pentec. de quibus nulla fit commemoratio.

Cum Officio B. V. in Sabbato : Fit tantum commemor. seq. Excepto quando sunt Festa B. Mariæ, tunc enim nulla commem. fit hujusmodi Officii sequentis.

5. Cum Feria : nihil de Feria : Exceptis Feriis Advent. Quadrag. et Rogat. de quibus fit commemoratio.

DUPLICI MINORI P. C.

concurrente

6. Cum Semid. Fit tantum commem. Semid. Exceptis Vigil. Nativit. Epiphan. et Pentec. de quibus nulla fit commemoratio.
5. Cum Feria : Nihil de Feria : Exceptis Feriis Advent. Quadrag. et Rogat. de quibus fit commemoratio.

DUPLICI MINORI S. C.

concurrente

2. Cum Duplici majori P. C. Totum de seq. et commem. præced. Excepto Festo S. Silvestri, de quo nulla fit

commemor. in primis Vesp. Circumcisionis.
6. Cum Semiduplici. Totum de præced. et commemor. seq. Exceptis Vigil. Nativ. et Pentec. de quibus nulla fit commemoratio.
5. Cum Feria : Nihil de Feria : Exceptis Feriis Advent. Quadrag. et Rogat. de quibus fit commemoratio.

SEMIDUPLICI
concurrente

8. Cum alio Semid. A Capit. de seq. et commem. præc. Exceptis Vigil. Nativit. et Pentec. de quibus nulla fit commemoratio.
5. Cum Feria : Nihil de Feria : Exceptis Feriis Advent. Quadrag. et Rogat. de quibus fit commemoratio.

SIMPLICI
concurrente

8. Cum Semid. A Capit. de seq. et commemor. præced. Exceptis Vigil. Nativitat. et Pentec. de quibus nulla fit commemoratio.
o. Simplex non habet concurrentiam cum die infra Octav. vel cum die octav. Excepta Octav. Trinit. de qua fit a Capit. cum commem. præc. et cum die octav. ejusdem, totum de seq. Psalm. et commem. præcedentis.
5. Cum Feria : Nihil de Feria : Exceptis Feriis Advent. Quadrag. et Rogat. de quibus fit commemoratio.

DOMINICA PER ANNUM
concurrente

6. Cum Semid. Totum de præced. et commem. seq. Excepta Vigil. Nativ. Domini, de qua nulla fit commemoratio.

DIES INFRA OCTAVAS

o. Non possunt concurrere cum Simplici : Exceptis diebus infra Oct. Trinit. in quibus totum erit de præced. et commem. seq.

DIE INFRA OCTAVAM
minorem concurrente

4. Cum Dupl. minori P. C. Regulariter, totum de seq. Psalmi tantum sine commem. de præced. Excipitur Oct. Nativ. B. V. M. de qua fit commemoratio.

DIE OCTAVO
Octav. majoris vel minoris concurrente

8. Cum Duplici minori S. C. Regulariter a Capit. de seq. commem. de præced. Excepto quocumque die octavo B. V. M. in quo de seq. fit tantum commemoratio.
6. Cum Semiduplici. Totum de præced. et commem. de seq. Exceptis Vigil. Nativ. Epiph. et Pentec. de quibus nulla fit commem. et diebus Oct. B. V M. concurrentibus cum Officio Sabbatino, in quibus de Officio Sabbatino non fit commemoratio.
8. Cum alio die octavo Octav. maj. vel minor. a Capit. de seq. et commem. de præced. Excipiuntur dies octavi SS. Stephani, et Joannis, in quibus de seq. fit solum commemoratio.
5. Cum Feria : Nihil de Feria. Exceptis Feriis Advent. Quadrag. et Rogat. de quibus fit commemoratio.

FERIA CONCURRENTE

1. 4. 9. Cum Duplici tam majori quam minori, cum Semid. et cum Simplici : Non fit commem. Feriæ : Exceptis Feriis Advent. Quadrag. et Rogat. de quibus fit commemoratio.

Benedictiones dicendae

AD MATUTINUM

Ante Lectiones in Officio diei, exceptis Festis B. V. Mariæ.

IN OFFICIO
novem Lectionum.

IN PRIMO NOCTURNO.



Enedictióne perpétua benedícat nos Pater ætérnus.

℟. **Amen.**

2. **Unigénitus Dei Fílius nos benedícere, et adjuváre dignétur.**

3. **Spíritus sancti grátia illúminet sensus et corda nostra.**

IN SECUNDO NOCTURNO.

4. **Deus Pater omnípotens sit nobis propítius et clemens.**

5. **Christus perpétuæ det nobis gáudia vitæ.**

6. **Ignem sui amóris accéndat Deus in córdibus nostris.**

IN TERTIO NOCTURNO.

7. **Sancti Evangélii léctio sit nobis salus et protéctio.**

8. **Dóceat nos Dóminus terréna despícere, et amáre cœléstia.**

9. **Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Rex Angelórum.**

Si in ultima Lectione legendum sit Evangelium, nona Benedictio erit : **Evangélicum verbum sit nobis lumen ætérnum.**

In Nativitate Domini in duobus primis Nocturnis Benedictiones dicuntur ut superius positæ sunt : sed in tertio Nocturno, quia tres Homiliæ leguntur, Benedictiones dicuntur ut in propriis locis signantur.

IN OFFICIO
trium Lectionum.

Dicuntur prædictæ Benedictiones hoc ordine : Dominicis diebus, Feriis ij. et v. de primo Nocturno; Feriis tertiis et sextis de ij. Nocturno, Feriis iv. et Sabbatis de iij. Nocturno : sed loco Benedictionis **Sancti Evangélii léctio,** dicitur sequens Be-

nedictio : **Ille nos benedícat, qui sine fine vivit et regnat.**

Quando in Officio trium Lect. dicitur Evangelium, prima Benedictio erit, **Sancti Evangélii léctio sit nobis salus et protéctio.**

Aliæ duæ ut supra, secundum ordinem prædictorum dierum et Nocturnorum.

Ante Lectiones in Festis, et Octavis B. Mariæ Virginis ac in Officio Commemorationis ejus in Sabbato, vel alia die.

IN PRIMO NOCTURNO.



Lma Virgo vírginum intercédat pro nobis ad Dóminum.

℟. Amen.

2. **Nos cum prole pia benedícat Virgo María.**
3. **Sancta Dei Génitrix sit nobis auxiliátrix.**

IN SECUNDO NOCTURNO.

4. **Précibus suæ Matris benedícat nos Fílius Dei Patris.**
5. **Jesus Maríæ Fílius sit nobis clemens et propítius.**
6. **Fílius Vírginis Maríæ det nobis gáudia vitæ.**

IN TERTIO NOCTURNO.

7. **Fons Evangélii répleat nos dógmate cœli.**
8. **Ab hoste malígno deféndat nos Dei Génitrix Virgo.**
9. **In omni tribulatióne et angústia succúrrat nobis pia Virgo María.**

Si in ultima Lectione legendum sit aliud Evangelium, nona Benedictio erit : **Verba Redemptóris pia sint suffrágia nobis.**

INFRA OCTAVAS
Beatæ Mariæ.

Dicuntur prædictæ Benedictiones ordine supra posito, scilicet : Feria ij. et v. de primo Nocturno : Feria iij. et vj. de secundo Nocturno; Feria iv. et Sabbato de tertio Nocturno, sed loco Benedictionis **Fons Evangélii,** dicitur, **Castitátem mentis et córporis tríbuat nobis Fílius Maríæ Vírginis.**

Quando infra Octavas B. Virginis legitur Evangelium, prima Benedictio erit, **Fons Evangélii répleat nos dógmate cœli.**

Aliæ duæ, ut supra secundum ordinem prædictorum dierum et Nocturnorum.

Suffragia consueta

SEU COMMEMORATIONES COMMUNES

Dicendæ in fine Vesperarum et Laudum ab Octava Epiphaniæ usque ad Dominicam Passionis exclusive, et ab Octava Corporis Christi usque ad Vigiliam Nativitatis Domini exclusive, in omnibus Dominicis, in quibus non fit Officium Duplex, in Feriis, comprehensis etiam Vigiliis, in Festis Semiduplicibus, Simplicibus, et Simplicissimis extra quascumque Octavas celebratis, juxta Rubricas Generales, Rubr. 41. prout dictæ commemorationes pro suo respectivo tempore inferius distributæ et designatæ sunt.

IN ADVENTU

Exceptis utrisque Vesperis et Laudibus primæ Dominicæ, et Vesp. in quibus dicitur Aña O. ac Laudibus Feriæ quartæ Quatuor Temporum.

DE B. VIRGINE

Quando Officium diei non est de B. V. etiamsi in Choro recitetur ejus Officium parvum.

Ad Vesperas et Laudes.

Aña. Spíritus sanctus in te descéndet, María, ne tímeas; habébis in útero Fílium Dei, allelúia.

℣. Ave María, grátia plena. ℟. Dóminus tecum.

Orémus. **Oratio.**

Deus qui de beátæ Maríæ Vírginis útero, Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti : præsta supplícibus tuis; ut, qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

DE OMNIBUS SANCTIS.

Aña. Ecce Dóminus véniet, et omnes Sancti ejus cum eo : et erit in die illa lux magna, allelúia.

℣. Ecce apparébit Dóminus super nubem cándidam. ℟. Et cum eo Sanctórum míllia.

Orémus. **Oratio.**

Consciéntias nostras, quæsumus Dómine, visitándo purífica : ut véniens Jesus Christus Fílius tuus Dóminus noster, cum ómnibus Sanctis, pa-

rátam sibi in nobis invéniat mansiónem. Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus.

DE SS. SACRAMENTO

Fit comm. ab Oct. Epiph. usque ad Quadrag. et ab Oct. Corp. Christi usque ad Adventum; solis Feriis quartis ad Vesperas, et Feriis quintis ad Laudes et Vesperas, nisi fit Officium de Venerabili Sacramento, hoc modo :

Feria quarta ad Vesper. nisi præcedat Festum Duplex. Aña. **O quam suávis est, Dómine, Spíritus tuus : qui, ut dulcédinem tuam in fílios demonstráres, pane suavíssimo de cœlo præstito, esuriéntes reples bonis, fastidiósos dívites dimíttens inánes.**

℣. Panem de cœlo præstitísti eis. ℟. Omne delectaméntum in se habéntem.

Feria v. ad Laudes, Aña. **Ego sum panis vivus, qui de cœlo descéndi : si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum, allelúia.**

℣. Pósuit fines tuos pacem. ℟. Et ádipe fruménti sátiat te.

Feria quinta ad Vesperas, nisi sequatur Festum Duplex, Aña. **O sacrum convívium, in quo Christus súmitur : recólitur memória passiónis ejus : mens implétur grátia, et futúræ glóriæ nobis pignus datur, allelúia.**

℣. Panem de cœlo præstitísti eis. ℟. Omne delectaméntum in se habéntem.

Orémus. Oratio.

DEus, qui nobis sub Sacraménto mirábili passiónis tuæ memóriam reliquísti : tríbue quæsumus, ita nos córporis et sánguinis tui sacra mystéria venerári; ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus. Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

DE RESURRECTIONE

Fit com. ab Oct. Corp. Christi usque ad Adventum, Dominicis diebus ad Laudes tantum, quando de Dominica agitur, etiam si sit infra Octav. et hæc præcedere debet omnes alias commem. tam occurrentes proprias, quam communes, Aña. **Et valde mane una Sabbatórum véniunt ad monuméntum, orto jam sole, allelúia.**

℣. Surréxit Dóminus de sepúlcro. ℟. Qui pro nobis pependit in ligno.

Orémus. Oratio.

PRæsta quæsumus omnípotens Deus, ut qui Resurrectiónis Domínicæ commemoratiónem ágimus, ereptiónis nostræ lætítiam suscípere mereámur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

DE CRUCE

Ferialibus diebus tantum, (comprehensis etiam Vigiliis) ab Oct. Epiph. usque ad Dom. Passionis, et ab Oct. Corp. Christi usque ad Adventum, ad Vesp. et Laud. Aña. Per signum Crucis de inimícis nostris líbera nos, Deus noster.

℣. Omnis terra adóret te Deus, et psallat tibi.
℟. Psalmum dicat nómini tuo Dómine.

Orémus. Oratio.

PErpétua nos quæsumus Dómine pace custódi : quos per lignum sanctæ Crucis redímere dignátus es. Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Ab Oct. Epiph. usque ad Domin. Passionis, et ab Oct. Corp. Christi usque ad Adventum, fiunt sequentes commemorationes.

DE TITULARI

Vel Patrono Ecclesiæ fit commemoratio ante vel post com. de Sanctis Ordinis. juxta ejus dignitatem.

DE BEATA VIRGINE

Quando etc. ut notatum est supra pro Adventu.

Ad Vesperas et Laudes. Aña. Sancta María, succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles : ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu; séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Commemoratiónem.

Ab Oct. Epiph. usque ad Purificationem dicitur

℣. Post partum, Virgo, invioláta permansísti. ℟. Dei Génitrix intercéde pro nobis.

Orémus. Oratio.

DEus, qui salútis ætérnæ, beátæ Maríæ virginitáte fecúnda, humáno géneri præmia præstitísti : tríbue quæsumus; ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ suscípere, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. ℟. Amen.

A Purificatione usque ad Adventum.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta. ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Orémus. Oratio.

Concéde miséricors Deus fragilitáti nostræ præsídium; ut qui sanctæ Dei Genitrícis memóriam ágimus, intercessiónis ejus auxílio, a nostris iniquitátibus resurgámus. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

DE S. JOSEPH

post commem. B. V. Mariæ et ante quoscumque alios Sanctos, exceptis Angelis et S. Joanne Baptista.

Ad Vesperas, Aña. Ecce fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam.

℣. Glória et divítiæ in domo ejus. ℟. Et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Ad Laudes, Aña. Ipse Jesus erat incípiens quasi annórum trigínta ut putabátur fílius Joseph.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Orémus. Oratio.

Deus qui ineffábili providéntia beátum Joseph sanctíssimæ Genitrícis tuæ sponsum elígere dignátus es: præsta quæsumus, ut quem protectórem venerámur in terris intercessórem habére mereámur in cœlis. Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

DE SANCTIS

Nostri Ordinis.

Ad Vesperas et Laudes, Aña. Christi pia grátia Sanctos sublimávit, quos beátæ Vírginis Ordo propagávit. Nos eórum méritis pétimus adjuvári, atque suis précibus Deo commendári.

℣. Sancti tui, Dómine, benedícent te. ℟. Glóriam regni tui dicent, et poténtiam tuam loquéntur.

Orémus. Oratio.

Omnípotens et clementíssime Deus, qui Montis Carméli Ordinem gloriosíssimæ Vírginis Maríæ, Genitrícis Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi, sacráto título insignítum, sanctórum tuórum Patris nostri Elíæ et Eliséi Prophetárum, Angeli et Anastásii Mártyrum, Cyrílli et Albérti Confessórum, Euphrásiæ, Terésiæ, et Maríæ Magdalénæ Vírginum, et aliórum plu-

rimórum méritis decorásti : tríbue nobis quæsumus; ut per eórum suffrágia, ab instántibus malis ánimæ et córporis liberáti, ad te verum Carméli vérticem gaudéntes perveníre valeámus. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

DE OMNIB. SANCTIS.

Ad Vesperas et Laudes, Aña. Omnes elécti Dei, nostri memorámini ante Deum, ut vestris précibus adjúti mereámur vobis adjúngi.

℣. Oráte pro nobis omnes Sancti Dei. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus. Oratio.

OMnium Sanctórum tuórum, quæsumus Dómine, intercessióne placátus, et véniam nobis delictórum tríbue, et remédia sempitérna concéde. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

DE PACE.

Ad Vesperas et Laudes, Aña. Da Pacem, Dómine, in diébus nostris : quia non est álius, qui pugnet pro nobis nisi tu Deus noster.

℣. Fiat pax in virtúte tua. ℟. Et abundántia in túrribus tuis.

Orémus. Oratio.

DEus, a quo sancta desidéria, recta consília, et justa sunt ópera : da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut et corda nostra mandátis tuis dédita, et hóstium subláta formídine, témpora sint tua protectióne tranquílla. Per Dóminum nostrum.

TEMPORE PASCHALI

Solum fit commem. de Cruce, quæ dicatur etiam in Dominicis, et Festis Semiduplicibus, Simplicibus, et Simplicissimis, extra Octavas celebratis.

Ad Vesperas et Laudes, Aña. Crucifíxus surréxit a mórtuis, et redémit nos Sánguine suo, allelúia.

℣. Dícite in natiónibus. ℟. Quia Dóminus regnávit a ligno, allelúia.

Orémus. Oratio.

DEus, qui pro nobis Fílium tuum Crucis patíbulum subíre voluísti, ut inimíci a nobis expélleres potestátem; concéde nobis fámulis tuis, ut Resurrectiónis grátiam consequámur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Oratio dicenda

ANTE DIVINUM OFFICIUM.

Aperi Dómine os meum ad benedicéndum nomen sanctum tuum: munda quoque cor meum ab ómnibus vanis, pervérsis, et aliénis cogitatiónibus: intelléctum illúmina, afféctum inflámma; ut digne, atténte, ac devóte hoc Officium recitáre váleam, et exaudíri mérear ante conspéctum divínæ Majestátis tuæ. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Dómine, in unióne illíus divínæ intentiónis, qua ipse in terris laudes Deo persolvísti, has tibi Horas persólvo.

Oratio dicenda

POST OFFICIUM DIVINUM.

Orationem sequentem devote post Officium recitantibus, Leo Papa X. defectus, et culpas in eo persolvendo ex humana fragilitate contractas, indulsit.

Sacrosánctæ et indivíduæ Trinitáti, crucifíxi Dómini nostri Jesu Christi humanitáti, beatíssimæ ac gloriosíssimæ sempérque Vírginis Maríæ fecúndæ integritáti, et ómnium Sanctórum universitáti, sit sempitérna laus, honor, virtus et glória ab omni creatúra, nobísque remíssio ómnium peccatórum, per infiníta sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Beáta víscera Maríæ Vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium. ℟. Et beáta úbera, quæ lactavérunt Christum Dóminum. Pater noster, Ave María.



Modus Faciendi

Disciplinam in Religione Carmelitana qualibet die Veneris non impedita Festo Duplici majori, vel Duplici minori j. Classis.


Ora prima noctis vel alia juxta morem Fratribus congregatis in Ecclesia, Choro, vel Capitulo, et ibi inter accensas cãndelas posito super tapetum Crucifixo, dicantur Litaniæ B. Virg. Mariæ, deinde dicat Hebdomadarius.

℣. **Ora pro nobis, etc.**
℟. **Ut digni efficiámur. etc.**

Orémus. Grátiam tuam, etc.

Aña. **Veni sancte Spíritus, reple etc.**

℣. **Emítte etc.** ℟. **Et renovábis etc.**

Orémus. Oratio.

Adsit nobis, quæsumus Dómine, virtus Spíritus sancti, quæ et corda nostra cleménter expúrget, et ab ómnibus tueátur advérsis. Per Christum etc.

Alte legatur aliqua Meditatio, et Meditatio fiat usque ad signum Superioris : Lumina omnia exstinguantur.

Prior, vel Hebdomadarius facit Confessionem dicendo :

Confíteor Deo etc.

Misereátur etc.

Indulgéntiam etc.

Postea dicat alta voce : **Fratres mei apprehéndite disciplínam, nequándo irascátur Dóminus, et pereátis de via justa.**

Recitando simul devote **Miserére etc.** cum **Glória,** et **De profúndis etc.** cum **Glória,** faciant omnes disciplinam.

Psalmis finitis pausatur usque ad signum Prioris, et tunc dicatur, **Nunc dimíttis etc.** ac Lumina accendantur.

Cantetur **Vexílla Regis pródeunt etc.** euntibus ad osculandum Crucifixum Priore, et aliis.

℣. **Dedérunt in escam meam fel.** ℟. **Et in siti mea potavérunt me acéto.**

Orémus.

Réspice, quæsumus Dómine, super hanc famíliam tuam, pro qua Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, et Crucis subíre torméntum : Qui tecum vivit et regnat in sæcula etc.

Modus Faciendi

Orationem Mentalem in Religione Carmelitana post Completorium, et Matutinum quotidie.

Antiphona. Veni sancte Spíritus, reple tuórum etc.

℣. Emítte etc.

℟. Et renovábis etc.

Orémus. Oratio.

Adsit nobis, quæsumus Dómine, virtus Spíritus sancti, quæ et corda nostra cleménter expúrget, et ab ómnibus tueátur advérsis. Per Christum, etc.

Legitur meditatio, meditatur, et posteà dicitur.

Kyrie eléison.
Christe eléison.
Kyrie eléison.
Pater noster. etc.
Et ne nos indúcas in tentatiónem.
Sed líbera nos a malo.

℣. Memor esto congregatiónis tuæ.

℟. Quam possedísti ab inítio.

℣. Salvos fac servos tuos.

℟. Deus meus, sperántes in te.

℣. Dómine, non secúndum peccáta nostra fácias nobis.

℟. Neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis.

℣. Dómine exáudi etc.

℣. Dóminus vobíscum etc.

Orémus. Oratio.

Ecclésiæ tuæ, quæsumus Dómine, preces placátus admítte : ut destrúctis adversitátibus, et erróribus univérsis secúra tibi sérviat libertáte.

Deus, cui próprium est miseréri semper, et párcere : súscipe deprecatiónem nostram, ut nos, et omnes fámulos tuos, quos delictórum caténa constríngit, miserátio tuæ pietátis cleménter absólvat.

Omnípotens sempitérne Deus, réspice preces nostras, et intercedénte beáta Vírgine María cum ómnibus Sanctis, da nobis fámulis tuis fidem rectam, spem firmam, caritátem perféctam, et humilitátem veram : concéde, Dómine, ut fiat in nobis, te donánte, simplex afféctus, patiéntia fortis, obediéntia persevérans, pax perpétua, mens pura, prudéntia sana, cor rectum, et a malis cogitatiónibus mundum, volúntas bona, consciéntia justa, compúnctio spirituális,

virtus ánimæ indefíciens, vita immaculáta, sánitas ánimæ, et córporis, et consummátio irreprehensíbilis : quátenus virîliter mandátis tuis inhæréntes, ad ætérnum regnum mereámur felíciter perveníre. Per Christum etc.

℣. Dómine exáudi etc.

℟. Et clamor etc.

℣. Exáudiat nos omnípotens et miséricors Dóminus.

℟. Et custódiat nos semper.

Amen.




Sanctus Andreas Corsinus



Psalterium dispositum per Hebdomadam, cum Ordinario Officii de Tempore.

DOMINICA AD MATUTINUM.

Ante Matutinum, et omnes Horas dicitur secreto.

Pater noster, qui es in cœlis : Sanctificétur nomen tuum. Advéniat regnum tuum. Fiat volúntas tua, sicut in cœlo et in terra. Panem nostrum quotidiánum da nobis hódie. Et dimítte nobis débita nostra, sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris. Et ne nos indúcas in tentatiónem. Sed líbera nos a malo. Amen.

Ave María, grátia plena : Dóminus tecum. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui Jesus. Sancta María mater Dei, ora pro nobis peccatóribus nunc, et in hora mortis nostræ. Amen.

In principio Matutini, et Primæ, et in fine Completorii, dicitur etiam Symbolum Apostolorum.

Credo in Deum, Patrem omnipoténtem, creatórem cœli et terræ. Et in Jesum Christum, Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum : Qui concéptus est de Spíritu sancto, natus ex María vírgine. Passus sub Póntio Piláto, crucifíxus, mórtuus, et sepúltus. Descéndit ad ínferos : tértia die resurré-

xit a mórtuis. Ascéndit ad cœlos, sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis. Inde ventúrus est judicáre vivos, et mórtuos: Credo in Spíritum sanctum, Sanctam Ecclésiam Cathólicam : Sanctórum communiónem. Remissiónem peccatórum. Carnis resurrectiónem. Vitam ætérnam. Amen.

Deinde clara voce dicitur ℣.

Domine lábia mea apéries. ℟. Et os meum annuntiábit laudem tuam. ℣. Deus in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine ad adjuvándum me festína. ℣. Glória Patri, et Fílio et Spirítui sancto. ℟. Sicut erat in princípio, et nunc, et semper : et in sæcula sæculórum. Amen. Allelúia.

Sic dicitur **Allelúia,** ad omnes Horas per totum Annum, præterquam a Dominica in Septuages. usque ad Feriam v. in Cœna Domini : tunc enim dicitur **Laus tibi Dómine, Rex ætérnæ glóriæ.**

Invitatorium sequens dicitur ab Oct. Epiph. usque ad Dominicam Septuages. et a Dominica j. Novembris usque ad Adventum.

Invitatorium. **Dóminum, qui fecit nos : * Veníte adorémus.**

Repetitur. **Dóminum, qui fecit nos, veníte adorémus.**

Psalmus xciv.

Veníte, exsultémus Dómino : jubilémus Deo salutári nostro : præoccupémus fáciem ejus in confessióne, et in psalmis jubilémus ei.

Dóminum, qui fecit nos, veníte adorémus.

Quóniam Deus magnus Dóminus, et Rex magnus super omnes deos : quóniam non repéllet Dóminus plebem suam : quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, et altitúdines móntium ipse cónspicit.

Veníte adorémus.

Quóniam ipsíus est mare, et ipse fecit illud, et áridam fundavérunt manus ejus. Veníte adorémus, et procidámus ante Deum : plorémus coram Dómino, qui fecit nos. Quia ipse est Dóminus Deus noster : nos autem pópulus ejus, et oves páscuæ ejus.

Dóminum, qui fecit nos, veníte adorémus.

Hódie si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra : sicut in exacerbatióne secúndum diem tentatiónis in desérto; ubi tentavérunt me

patres vestri, probavérunt me,et vidérunt ópera mea.
Veníte adorémus.
Quadragínta annis próximus fui generatióni huic, et dixi : Semper hi errant corde. Ipsi vero non cognovérunt vias meas, quibus jurávi in ira mea, si introíbunt in réquiem meam.
Dóminum, qui fecit nos, veníte adorémus.
Glória Patri, et Fílio, et Spirítui sancto. Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen.
Veníte adorémus.
Dóminum, qui fecit nos, * veníte adorémus.

Sequens Hymnus dicitur ab Oct. Epiphaniæ usque ad Quadragesimam.

Hymnus. D. Greg.

Rimo diérum ómnium,
Quo mundus exstat cónditus,
Vel quo resúrgens Cónditor,
Nos morte victa líberat.
Pulsis procul torpóribus,
Surgámus omnes ócyus,
Et nocte quærámus pium,
Sicut Prophétam nóvimus.
Nostras preces ut áudiat,
Suámque dextram pórrigat,
Et expiátos sórdibus
Reddat polórum sédibus.
Ut quique sacratíssimo
Hujus diéi témpore,
Horis quiétis psállimus,
Donis beátis múneret.
Jam nunc patérna cláritas
Te postulámus áffatim :
Absit libído sórdidans,
Omnísque actus nóxius.
Ne fœda sit, vel lúbrica
Compágo nostri córporis,
Per quam avérni ígnibus
Ipsi cremémur ácrius.
Ob hoc Redémptor quæsumus,
Ut probra nostra díluas,
Vitæ perénnis cómmoda
Nobis benígne cónferas.
Quo carnis actu éxsules
Efféćti ipsi cælibes,
Ut præstolámur cérnui,
Melos canámus glóriæ.
Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum. Amen.

Sequens Hymnus dicitur ab Oct. Corporis Christi usque ad Adventum.

Hymnus. D. Greg.

Nocte surgéntes, vigilémus omnes,
Semper in psalmis meditémur, atque
Víribus totis Dómino canámus
Dúlciter hymnos.
Ut pio Regi páriter canéntes,

Cum suis Sanctis mereámur aulam [tam
Ingredi cœli, simul et beá-
Dúcere vitam.

Præstet hoc nobis Déitas beáta [sancti
Patris, ac Nati, paritérque
Spíritus, cujus réboat in omni
Glória mundo. Amen.

Aliis temporibus Invitatoria et Hymni dicuntur, quæ habentur in Proprio de Tempore, pro Officii varietate : quod in Capitulis et Hymnis ad Laudes, et in aliis similibus servetur.

IN PRIMO NOCTURNO.

In Adventu, Aña. **Consúrge.**

Post Octavam Epiphaniæ usque ad Dominicam Passionis, Aña. **Servíte.**

Tempore Passionis, Aña. **Appropinquábat** sub qua dicuntur omnes Psalmi primi Nocturni.

Post Trinitatem, Aña. **Pro fídei méritis.**

Psalmus j.

BEátus vir, qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit,* et in cáthedra pestiléntiæ non sedit :

Sed in lege Dómini volúntas ejus,* et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo :

Et fólium ejus non défluet : * et ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic : * sed tamquam pulvis, quem prójicit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii in judício : * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum : * et iter impiórum períbit.

Psalmus ij

QUare fremuérunt Gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Adstitérunt Reges terræ,* et Príncipes convenérunt in unum advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum : * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cœlis, irridébit eos : * Et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, *

prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me : * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi Gentes hereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc reges intellígite :* erudímini qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre : * et exsultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes, qui confídunt in eo.

Psalmus iii.

Domine, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimæ meæ : * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Dómine suscéptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi : * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum : * et exsurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me : * exsúrge Dómine, salvum me fac Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa : * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus : * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Psalmus vi.

Domine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miserére mei Dómine, quóniam infírmus sum : * sana me Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde : * sed tu Dómine úsquequo?

Convértere Dómine, et éripe ánimam meam : * salvum me fac propter misericórdiam tuam,

Quóniam non est in morte qui memor sit tui : * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum : * lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est a furóre óculus meus : * inveterávi inter omnes inimícos meos

Discédite a me omnes, qui operámini iniquitátem : * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletus mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam, * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubéscant, et conturbéntur veheménter omnes inimíci mei : * convertántur, et erubéscant valde velóciter.

Glória Patri, et Fílio,* et Spirítui sancto.

Sicut erat in princípio, et nunc, et semper : * et in sæcula sæculórum. Amen.

In Adventu, Aña. Consúrge, consúrge, indúere fortitúdinem bráchium Dómini.

Aña. Eleváre, eleváre.

Post Oct. Epiph. usque ad Dominicam Passionis, Aña. Servíte Dómino in timóre.

Aña. Dómine.

Post Trinitatem, Aña. Pro fídei méritis vocitátur jure beátus, Legem qui Dómini meditátur nocte, diéque.

Aña. Juste Deus.

Psalmus vij.

Domine Deus meus in te sperávi : * salvum me fac ex ómnibus persequéntibus me, et líbera me.

Nequándo rápiat ut leo ánimam meam, * dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

Dómine Deus meus si feci istud, * si est íniquitas in mánibus meis :

Si réddidi retribuéntibus mihi mala :* décidam mérito ab inimícis meis inánis.

Persequátur inimícus ánimam meam, et comprehéndat, et concúlcet in terra vitam meam, * et glóriam meam in púlverem dedúcat.

Exsúrge Dómine in ira tua : * et exaltáre in fínibus inimicórum meórum.

Et exsúrge Dómine Deus meus in præcépto quod mandásti : * et synagóga populórum circúmdabit te.

Et propter hanc in altum regrédere : * Dóminus júdicat pópulos.

Júdica me Dómine secúndum justítiam meam, * et secúndum innocéntiam meam super me.

Consumétur nequítia peccatórum, et díriges justum, * scrutans corda et renes Deus.

Justum adjutórium meum a Dómino, * qui salvos facit rectos corde.

Deus judex justus, fortis, et pátiens : * numquid iráscitur per síngulos dies?

Nisi convérsi fuéritis, gládium suum vibrábit : * ar-

cum suum teténdit, et parávit illum.

Et in eo parávit vasa mortis, * sagíttas suas ardéntibus effécit.

Ecce partúriit injustítiam : * concépit dolórem, et péperit iniquitátem.

Lacum apéruit, et effódit eum : * et íncidit in fóveam quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caput ejus : * et in vérticem ipsíus iníquitas ejus descéndet.

Confitébor Dómino secúndum justítiam ejus : * et psallam nómini Dómini Altíssimi.

Psalmus viij.

Domine Dóminus noster * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra !

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cœlos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória, et honóre coronásti eum ; * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, oves, et boves univérsas : * ínsuper et pécora campi.

Vólucres cœli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra !

Psalmus ix.

Confitébor tibi Dómine in toto corde meo : * narrábo ómnia mirabília tua.

Lætábor, et exsultábo in te : * psallam nómini tuo Altíssime,

In converténdo inimícum meum retrórsum : * infirmabúntur, et períbunt a fácie tua.

Quóniam fecísti judícium meum, et causam meam : * sedísti super thronum, qui júdicas justítiam.

Increpásti Gentes, et périit ímpius : * nomen eórum delésti in ætérnum, et in sæculum sæculi.

Inimíci defecérunt frámeæ in finem : * et civitátes eórum destruxísti.

Périit memória eórum

cum sónitu : * et Dóminus in ætérnum pérmanet.

Parávit in judício thronum suum : * et ipse judicábit orbem terræ in æquitáte, judicábit pópulos in justítia.

Et factus est Dóminus refúgium páuperi : * adjútor in opportunitátibus, in tribulatióne.

Et sperent in te, qui novérunt nomen tuum : * quóniam non dereliquísti quæréntes te Dómine.

Psállite Dómino, qui hábitat in Sion : * annuntiáte inter Gentes stúdia ejus :

Quóniam requírens sánguinem, eórum recordátus est : * non est oblítus clamórem páuperum.

Miserére mei Dómine : * vide humilitátem meam de inimícis meis.

Qui exáltas me de portis mortis, * ut annúntiem omnes laudatiónes tuas in portis fíliæ Sion.

Exsultábo in salutári tuo : * infíxæ sunt Gentes in intéritu quem fecérunt.

In láqueo isto, quem abscondérunt, * comprehénsus est pes eórum.

Cognoscétur Dóminus judícia fáciens : * in opéribus mánuum suárum comprehénsus est peccátor.

Convertántur peccatóres in inférnum, * omnes Gentes, quæ obliviscúntur Deum.

Quóniam non in finem oblívio erit páuperis : * patiéntia páuperum non períbit in finem.

Exsúrge Dómine, non confortétur homo : * judicéntur Gentes in conspéctu tuo :

Constítue Dómine legislatórem super eos : * ut sciant Gentes quóniam hómines sunt.

Ut quid Dómine recessísti longe, * déspicis in opportunitátibus, in tribulatióne?

Dum supérbit ímpius, incénditur pauper : * comprehendúntur in consíliis quibus cógitant.

Quóniam laudátur peccátor in desidériis ánimæ suæ : * et iníquus benedícitur.

Exacerbávit Dóminum peccátor, * secúndum multitúdinem iræ suæ non quæret.

Non est Deus in conspéctu ejus : * inquinátæ sunt viæ illíus in omni témpore.

Auferúntur judícia tua a fácie ejus : * ómnium inimicórum suórum dominábitur.

Dixit enim in corde suo : * Non movébor a genera-

tióne in generatiónem sine malo.

Cujus maledictióne os plenum est, et amaritúdine, et dolo : * sub lingua ejus labor et dolor.

Sedet in insídiis cum divítibus in occúltis, * ut interfíciat innocéntem.

Oculi ejus in páuperem respíciunt : * insidiátur in abscóndito, quasi leo in spelúnca sua.

Insidiátur ut rápiat páuperem : * rápere páuperem dum áttrahit eum.

In láqueo suo humiliábit eum, * inclinábit se, et cadet, cum dominátus fúerit páuperum.

Dixit enim in corde suo : Oblítus est Deus, * avértit fáciem suam ne vídeat in finem.

Exsúrge Dómine Deus, exaltétur manus tua : * ne obliviscáris páuperum.

Propter quid irritávit ímpius Deum? * dixit enim in corde suo : Non requíret.

Vides, quóniam tu labórem, et dolórem consíderas : * ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelíctus est pauper : * órphano tu eris adjútor.

Cóntere bráchium peccatóris, et malígni : * quærétur peccátum illíus, et non inveniétur.

Dóminus regnábit in ætérnum, et in sæculum sæculi : * períbitis Gentes de terra illíus.

Desidérium páuperum exaudívit Dóminus : * præparatiónem cordis eórum audívit auris tua.

Judicáre pupíllo, et húmili, * ut non appónat ultra magnificáre se homo super terram.

Psalmus x.

In Dómino confído : quómodo dícitis ánimæ meæ : * Tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, * paravérunt sagíttas suas in pháretra, ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecísti, destruxérunt : * justus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo, * Dóminus in cœlo sedes ejus :

Oculi ejus in páuperem respíciunt : * pálpebræ ejus intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat justum et ímpium : * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos : * ignis, et sulphur, et

spíritus procellárum pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus, et justítias diléxit : * æquitátem vidit vultus ejus.

Glória Patri, et Fílio.

In Adventu, Aña. Eleváre, eleváre, consúrge Jerúsalem : solve víncula colli tui captíva fília Sion.

Aña. Levábit Dóminus.

Post Oct. Epiph. usque ad Dominicam Passionis, Aña. Dómine Deus meus in te sperávi.

Aña. Réspice.

Post Trinitatem, Aña. Juste Deus, judex fortis, patiénsque benígnus : In te sperántes muni miserándo fidéles. Aña. Surge.

Psalmus xj.

SAlvum me fac Dómine, quóniam defécit sanctus : * quóniam diminútæ sunt veritátes a fíliis hóminum.

Vana locúti sunt unusquísque ad próximum suum : * lábia dolósa, in corde, et corde locúti sunt.

Dispérdat Dóminus univérsa lábia dolósa,* et linguam magníloquam.

Qui dixérunt : Linguam nostram magnificábimus,* lábia nostra a nobis sunt, quis noster Dóminus est?

Propter misériam ínopum, et gémitum páuperum : * nunc exsúrgam, dicit Dóminus.

Ponam in salutári :* fiduciáliter agam in eo.

Elóquia Dómini, elóquia casta;* argéntum igne examinátum, probátum terræ, purgátum séptuplum.

Tu Dómine servábis nos : * et custódies nos a generatióne hac in ætérnum.

In circúitu ímpii ámbulant : * secúndum altitúdinem tuam multiplicásti fílios hóminum.

Psalmus xij.

USquequo Dómine obliviscéris me in finem?* Usquequo avértis fáciem tuam a me?

Quámdiu ponam consília in ánima mea, * dolórem in corde meo per diem?

Usquequo exaltábitur inimícus meus super me? * réspice, et exáudi me, Dómine, Deus meus.

Illúmina óculos meos ne unquam obdórmiam in morte : * nequándo dicat inimícus meus : Præválui advérsus eum.

Qui tríbulant me, exsultábunt, si motus fúero :* ego autem in misericórdia tua sperávi.

Exsultábit cor meum in salutári tuo : cantábo Dó-

mino qui bona tríbuit mihi : * et psallam nómini Dómini altíssimi.

Psalmus xiij.

DIxit insípiens in corde suo : * Non est Deus.

Corrúpti sunt, et abominábiles facti sunt in stúdiis suis : * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Dóminus de cœlo prospéxit super fílios hóminum, * ut vídeat si est intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt ; * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Sepúlcrum patens est guttur eórum : linguis suis dolóse agébant, * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Quorum os maledictióne et amaritúdine plenum est : * velóces pedes eórum ad effundéndum sánguinem.

Contrítio et infelícitas in viis eórum, et viam pacis non cognovérunt : * non est timor Dei ante óculos eórum.

Nonne cognóscent omnes qui operántur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam sicut escam panis?

Dóminum non invocavérunt, * illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Dóminus in generatióne justa est, consílium ínopis confudístis : * quóniam Dóminus spes ejus est.

Quis dabit ex Sion salutáre Israel? * cum avérterit Dóminus captivitátem plebis suæ, exsultábit Jacob, et lætábitur Israel.

Psalmus xiv.

DOmine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam :

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua :

Nec fecit próximo suo malum : * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus : * timéntes autem Dóminum gloríficat :

Qui jurat próximo suo, et non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocéntem non accépit :

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Glória Patri, et Fílio.

In Adventu, Aña. Levábit Dóminus signum in natiónibus : et congregábit dispérsos Israel.

℣. **Ex Sion spécies decóris ejus.** ℟. **Deus noster maniféste véniet.**

Post Oct. Epiph. usque ad Dominicam Passionis. Aña. **Réspice et exáudi me, Dómine Deus meus.**

Usque ad Dominicam j. Quadrag. ℣. **Memor fui noćte nóminis tui Dómine.** ℟. **Et custodívi legem tuam.**

A prima Dom. Quadrag. usque ad Domin. Passionis. ℣. **Ipse liberávit me de láqueo venántium.** ℟. **Et a verbo áspero.**

Tempore Passionis, Aña. **Appropinquábat autem dies festus Judæórum : et quærébant príncipes sacerdótum, quómodo Jesum interfícerent, sed timébant plebem.**

℣. **Erue a frámea Deus ánimam meam.** ℟. **Et de manu canis únicam meam.**

Post Trinit. Aña. **Surge, et in ætérnum serva munímine sacro : Custodíque tuos astrípotens fámulos.**

℣. **Memor fui noćte nóminis tui Dómine.** ℟. **Et custodívi legem tuam.**

IN SECUNDO NOCTURNO.

In Adv. Aña. **Leva Jerúsalem.**

Post Oct. Epiph. usque ad Dominicam Passionis, Aña. **Bonórum meórum.**

Tempore Passionis, Aña. **Príncipes Sacerdótum** sub qua dicuntur omnes tres Psalmi.

Post Trin. Aña. **Natúræ génitor.**

Psalmus xv.

Consérva me Dómine, quóniam sperávi in te. * Dixi Dómino : Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanćtis, qui sunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum : * póstea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus : * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hereditátis meæ, et cálicis mei : * tu es, qui restítues hereditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris : * étenim heréditas mea præclára est mihi.

Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intelléćtum : * ínsuper et usque ad noćtem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéćtu meo semper : * quóniam a dex-

tris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum, et exsultávit lingua mea : * ínsuper et caro mea requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno: * nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecísti vias vitæ, adimplébis me lætítia cum vultu tuo : * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

Glória Patri, et Fílio.

In Adventu, Aña. Leva Jerúsalem óculos tuos, et vide poténtiam Regis : ecce Salvátor venit sólvere te a vínculo.

Aña. Omnis vallis.

Post Oct. Epiph. usque ad Dominicam Passionis. Aña. Bonórum meórum non índiges : in te sperávi, consérva me, Dómine.

Aña. Inclína Dómine.

Post Trinit. Aña. Natúræ génitor consérva a morte redémptos, facque tuo dignos servítio fámulos.

Aña. Péctora nostra.

Psalmus xvi.

Exáudi Dómine justítiam meam : * inténde deprecatiónem meam.

Auribus pércipe oratiónem meam, * non in lábiis dolósis.

De vultu tuo judícium meum pródeat : * óculi tui vídeant æquitátes.

Probásti cor meum, et visitásti nocte : * igne me examinásti, et non est invénta in me iníquitas.

Ut non loquátur os meum ópera hóminum : * propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras.

Pérfice gressus meos in sémitis tuis : * ut non moveántur vestígia mea.

Ego clamávi, quóniam exaudísti me Deus : * inclína aurem tuam mihi, et exáudi verba mea.

Miríﬁca misericórdias tuas, * qui salvos facis sperántes in te.

A resisténtibus déxteræ tuæ custódi me, * ut pupíllam óculi.

Sub umbra alárum tuárum prótege me : * a fácie impiórum, qui me afflixérunt.

Inimíci mei ánimam meam circumdedérunt, ádipem suum conclusérunt : * os eórum locútum est supérbiam.

Projiciéntes me nunc circumdedérunt me : * óculos suos statuérunt declináre in terram.

Suscepérunt me sicut leo

parátus ad prædam : * et sicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

Exsúrge Dómine, præveni eum, et supplánta eum : * éripe ánimam meam ab ímpio, frámeam tuam ab inimícis manus tuæ.

Dómine a paucis de terra dívide eos in vita eórum : * de abscónditis tuis adimplétus est venter eórum.

Saturáti sunt fíliis : * et dimisérunt relíquias suas párvulis suis.

Ego autem in justítia apparébo conspéctui tuo : * satiábor cum apparúerit glória tua.

Glória Patri, et Fílio.

In Adventu. Aña. Omnis vallis implébitur, et omnis mons, et collis humiliábitur : et vidébit omnis caro salutáre Dei.

Aña. Lætámini cum Jerúsalem.

Post Oct. Epiph. usque ad Dominicam Passionis, Aña. Inclína Dómine aurem tuam mihi, et exáudi verba mea.

Aña. Dóminus.

Post Trinit. Aña. Péctora nostra tibi tu Cónditor orbis adúre, igne pio purgans, atque cremándo probans.

Aña. Tu pópulum.

Psalmus xvij.

Díligam te Dómine fortitúdo mea : * Dóminus firmaméntum meum, et refúgium meum, et liberátor meus.

Deus meus, adjútor meus, * et sperábo in eum.

Protéctor meus, et cornu salútis meæ, * et suscéptor meus.

Laudans invocábo Dóminum : * et ab inimícis meis salvus ero.

Circumdedérunt me dolóres mortis : * et torréntes iniquitátis conturbavérunt me.

Dolóres inférni circumdedérunt me : * præoccupavérunt me láquei mortis.

In tribulatióne mea invocávi Dóminum, * et ad Deum meum clamávi :

Et exaudívit de templo sancto suo vocem meam : * et clamor meus in conspéctu ejus, introívit in aures ejus.

Commóta est, et contrémuit terra : * fundaménta móntium conturbáta sunt, et commóta sunt, quóniam irátus est eis.

Ascéndit fumus in ira ejus : et ignis a fácie ejus exársit : * carbónes succénsi sunt ab eo.

Inclinávit cœlos, et de-

scéndit : * et calígo sub pédibus ejus.

Et ascéndit super Chérubim, et volávit : * volávit super pennas ventórum.

Et pósuit ténebras latíbulum suum, in circúitu ejus tabernáculum ejus : * tenebrósa aqua in núbibus áeris.

Præ fulgóre in conspéctu ejus nubes transiérunt, * grando et carbónes ignis.

Et intónuit de cœlo Dóminus, et Altíssimus dedit vocem suam : * grando et carbónes ignis.

Et misit sagíttas suas, et dissipávit eos : * fúlgura multiplicávit, et conturbávit eos.

Et apparuérunt fontes aquárum, * et reveláta sunt fundaménta orbis terrárum :

Ab increpatióne tua Dómine, * ab inspiratióne spíritus iræ tuæ.

Misit de summo, et accépit me : * et assúmpsit me de aquis multis.

Erípuit me de inimícis meis fortíssimis, et ab his qui odérunt me : * quóniam confortáti sunt super me.

Prævenérunt me in die afflictiónis meæ : * et factus est Dóminus protéctor meus.

Et edúxit me in latitúdinem : * salvum me fecit, quóniam vóluit me.

Et retríbuet mihi Dóminus secúndum justítiam meam, * et secúndum puritátem mánuum meárum retríbuet mihi :

Quia custodívi vias Dómini, * nec ímpie gessi a Deo meo.

Quóniam ómnia judícia ejus in conspéctu meo : * et justítias ejus non répuli a me.

Et ero immaculátus cum eo : * et observábo me ab iniquitáte mea.

Et retríbuet mihi Dóminus secúndum justítiam meam : * et secúndum puritátem mánuum meárum in conspéctu oculórum ejus.

Cum sancto sanctus eris, * et cum viro innocénte ínnocens eris :

Et cum elécto eléctus eris : * et cum pervérso pervertéris.

Quóniam tu pópulum húmilem salvum fácies : * et óculos superbórum humiliábis.

Quóniam tu illúminas lucérnam meam Dómine : * Deus meus illúmina ténebras meas.

Quóniam in te erípiar a tentatióne, * et in Deo meo transgrédiar murum.

Deus meus impollúta via ejus : elóquia Dómini igne examináta : * protéctor est ómnium sperántium in se.

Quóniam quis Deus præter Dóminum? * aut quis Deus præter Deum nostrum?

Deus qui præcínxit me virtúte : * et pósuit immaculátam viam meam.

Qui perfécit pedes meos tamquam cervórum, * et super excélsa státuens me.

Qui docet manus meas ad prœlium : * et posuísti, ut arcum æreum, bráchia mea.

Et dedísti mihi protectiónem salútis tuæ : * et déxtera tua suscépit me :

Et disciplína tua corréxit me in finem : * et disciplína tua ipsa me docébit.

Dilatásti gressus meos subtus me : * et non sunt infirmáta vestígia mea :

Pérsequar inimícos meos, et comprehéndam illos : * et non convértar donec defíciant.

Confríngam illos, nec póterunt stare : * cadent subtus pedes meos.

Et præcinxísti me virtúte ad bellum : * et supplantásti insurgéntes in me subtus me.

Et inimícos meos dedísti mihi dorsum, * et odiéntes me disperdidísti.

Clamavérunt, nec erat qui salvos fáceret, ad Dóminum : * nec exaudívit eos.

Et commínuam eos, ut púlverem ante fáciem venti : * ut lutum plateárum delébo eos.

Erípies me de contradictiónibus pópuli : * constítues me in caput Géntium.

Pópulus, quem non cognóvi, servívit mihi : * in audítu auris obedívit mihi.

Fílii aliéni mentíti sunt mihi : * fílii aliéni inveteráti sunt, et claudicavérunt a sémitis suis.

Vivit Dóminus, et benedíctus Deus meus, * et exaltétur Deus salútis meæ.

Deus qui das vindíctas mihi, et subdis pópulos sub me : * liberátor meus de inimícis meis iracúndis.

Et ab insurgéntibus in me exaltábis me : * a viro iníquo erípies me.

Proptérea confitébor tibi in natiónibus Dómine : * et nómini tuo psalmum dicam,

Magníficans salútes Regis ejus, et fáciens misericórdiam Christo suo Da-

vid, * et sémini ejus usque in sæculum.

Glória Patri, et Fílio.

In Adventu, Aña. Lætámini cum Jerúsalem, et exsultáte in ea omnes, qui dilígitis eam in ætérnum.

℣. Egrediétur virga de radíce Jesse. ℟. Et flos de radíce ejus ascéndet.

Post Oct. Epiph. usque ad Dominicam Passionis, Aña. Dóminus firmaméntum meum, et refúgium meum.

Usque ad Dñicam j. Quadrages. ℣. Média nocte surgébam. ℟. Ad confiténdum nómini tuo Dómine.

A prima Dom. Quadrag. usque ad Dominicam Passionis. ℣. Scápulis suis obumbrábit tibi. ℟. Et sub pennis ejus sperábis.

Tempore Passionis, Aña. Príncipes sacerdótum consílium fecérunt, ut Jesum occíderent : dicébant autem : Non in die festo, ne forte tumúltus fíeret in pópulo.

℣. De ore leónis líbera me Dómine. ℟. Et a córnibus unicórnium humilitátem meam.

Post Trinitatem, Aña. Tu pópulum húmilem salvásti ex hoste Redémptor : Atque supérba tuo colla premis jáculo.

℣. Média nocte surgébam. ℟. Ad confiténdum nómini tuo Dómine.

IN TERTIO NOCTURNO.

In Adventu, Aña. Consolámini.

Post Oct. Epiph. usque ad Dominicam Passionis, Aña. Non sunt loquélæ.

Tempore Passionis, Aña. Vulpes fóveas habent sub qua dicuntur omnes tres Psalmi.

Post Trinit. Aña. Sponsus.

Psalmus xviij.

CŒli enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum : * et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum : * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo :

Exsultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo cœlo egréssio ejus :

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus : * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta,

convértens ánimas : * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda : * præcéptum Dómini lúcidum; illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi :* judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum : * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? * ab occúltis meis munda me : et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero : * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt : ut compláceant elóquia oris mei : * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine adjútor meus, * et redémptor meus.

Glória Patri, et Fílio.

In Adventu, Aña. Consolámini, consolámini pópule meus, dicit Deus noster.

Aña. Dies Dómini.

Post Oct. Epiph. usque ad Dominicam Passionis, Aña. Non sunt loquélæ, neque sermónes, quorum non audiántur voces eórum.

Aña. Exáudiat.

Post Trinit. Aña. Sponsus ut e thálamo procéssit Christus in orbem : Descéndens cœlo jure salutífero.

Aña. Auxílium nobis.

Psalmus xix.

Exáudiat te Dóminus in die tribulatiónis :* prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de sancto : * et de Sion tueátur te.

Memor sit omnis sacrifícii tui : * et holocáustum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi secúndum cor tuum : * et omne consílium tuum confírmet.

Lætábimur in salutári tuo : * et in nómine Dei nostri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas : * nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus Christum suum.

Exáudiet illum de cœlo sancto suo : * in potentátibus salus déxteræ ejus.

Hi in cúrribus, et hi in equis : * nos autem in nómine Dómini Dei nostri invocábimus.

Ipsi obligáti sunt, et cecidérunt : * nos autem surréximus, et eréćti sumus.

Dómine salvum fac Regem : * et exáudi nos in die, qua invocavérimus te.

Glória Patri, et Fílio.

In Adventu, Aña. Dies Dómini sicut fur in nocte véniet : et vos estóte paráti : quia qua hora non putátis, Fílius hóminis véniet.

Aña. Dicit Dóminus.

Post Oct. Epiph. usque ad Dominicam Passionis, Aña. Exáudiat te Dóminus in die tribulatiónis.

Aña. Dómine.

Post Trinit. Aña. Auxílium nobis Salvátor mitte salútis : Et tríbuas vitam témpore perpétuo.

Aña. Rex sine fine.

Psalmus xx.

Domine in virtúte tua lætábitur Rex : * et super salutáre tuum exsultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei : * et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit a te : * et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo : * glóriam, et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in sæculum sæculi : * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam Rex sperat in Dómino : * et in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui : * Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes : * et semen eórum a fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala : * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum : * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre Dómine in virtúte tua : * cantábimus et psallémus virtútes tuas.

Glória Patri, et Fílio.

In Adventu, Aña. Dicit Dóminus : Pœniténtiam

ágite : appropinquábit enim regnum cœlórum.

℣. Egrediétur Dóminus de loco sancto suo. ℟. Véniet ut salvum fáciat pópulum suum a peccátis eórum.

Post Oct. Epiph. usque ad Dominicam Passionis, Aña. Dómine in virtúte tua lætábitur Rex.

Usque ad Domin. j. Quadrag. ℣. Exaltáre Dómine in virtúte tua. ℟. Cantábimus, et psallémus virtútes tuas.

A prima Dominica Quadrag. usque ad Dominicam Passionis, ℣. Scuto circúmdabit te véritas ejus. ℟. Non timébis a timóre noctúrno.

Temp. Passion. Aña. Vulpes fóveas habent, et vólucres cœli nidos : Fílius autem hóminis non habet ubi caput suum reclínet.

℣. Ne perdas cum ímpiis Deus ánimam meam. ℟. Et cum viris sánguinum vitam meam.

Post Trinit. Aña. Rex sine fine manens míseris tu parce ruínis : Præmia concédens, et tua cuncta regens.

℣. Exaltáre Dómine in virtúte tua. ℟. Cantábimus, et psallémus virtútes tuas.

Hymnus SS. Ambrosii et Augustini.

TE Deum laudámus : * te Dóminum confitémur.
Te ætérnum Patrem : * omnis terra venerátur.
Tibi omnes Angeli : * tibi cœli, et univérsæ potestátes.
Tibi Chérubim, et Séraphim : * incessábili voce proclámant.
Sanctus, Sanctus, Sanctus : * Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cœli, et terra : * Majestátis glóriæ tuæ.
Te gloriósus : * Apostolórum chorus.
Te Prophetárum : * laudábilis númerus.
Te Mártyrum candidátus : * laudat exércitus.
Te per orbem terrárum : * sancta confitétur Ecclésia.
Patrem : * imménsæ Majestátis.
Venerándum tuum verum : * et únicum Fílium.
Sanctum quoque : * Paráclitum Spíritum.
Tu Rex glóriæ : * Christe.
Tu Patris : * sempitérnus es Fílius.
Tu ad liberándum susceptúrus hóminem : * non

horruísti vírginis úterum.
Tu devícto mortis acúleo : * aperuísti credéntibus regna cœlórum.
Tu ad déxteram Dei sedes : * in glória Patris.
Judex créderis : * esse ventúrus.
Te ergo, quæsumus, tuis fámulis súbveni : * quos pretióso sánguine redemísti.
Ætérna fac cum Sanctis tuis : * in glória numerári.
Salvum fac pópulum tuum Dómine : * et bénedic hereditáti tuæ.
Et rege eos : * et extólle illos usque in ætérnum.
Per síngulos dies : * benedícimus te.
Et laudámus nomen tuum in sæculum : * et in sæculum sæculi.
Dignáre Dómine die isto : * sine peccáto nos custodíre.
Miserére nostri Dómine : * miserére nostri.
Fiat misericórdia tua Dómine super nos : * quemádmodum sperávimus in te.
In te Dómine sperávi : * non confúndar in ætérnum.
Sacerdotalis ℣. Excélsus super omnes Gentes Dóminus. ℟. Et super cœlos glória ejus.
Supradictus ℣. dicitur ab Oct. Epiph. usque ad Quadrag. et ab Oct. Corporis Christi usque ad Adventum. Aliis vero temporibus ℣. ut suo proprio loco assignatur.

AD LAUDES.

Deus in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine ad adjuvándum me festína.
℣. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui sancto. ℟. Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen. Allelúia vel Laus tibi Dómine Rex ætérnæ glóriæ pro temporis diversitate.
Quando in Dominicis non assignantur Añæ propriæ, dicuntur sequentes.
Aña. Regnávit Dóminus.

Psalmus xcij.

Dominus regnávit, decórem indútus est : * indútus est Dóminus fortitúdinem, et præcínxit se.
Etenim firmávit orbem terræ, * qui non commovébitur.
Paráta sedes tua ex tunc : * a sæculo tu es.
Elevavérunt flúmina Dómine : * elevavérunt flúmina vocem suam.

Elevavérunt flúmina fluctus suos, * a vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris, * mirábilis in altis Dóminus.

Testimónia tua credibília facta sunt nimis : * domum tuam decet sanctitúdo Dómine in longitúdinem diérum.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Regnávit Dóminus præcínctus fortitúdine cum decóre virtútum : cujus sedes paráta est in ætérnum.

Aña. Sciámus omnes.

Psalmus xcix.

JUbiláte Deo omnis terra : * servíte Dómino in lætítia.

Introíte in conspéctu ejus, * in exsultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus : * ipse fecit nos, et non ipsi nos :

Pópulus ejus, et oves páscuæ ejus : introíte portas ejus in confessióne, átria ejus in hymnis : * confitémini illi.

Laudáte nomen ejus : quóniam suávis est Dóminus, * in ætérnum misericórdia ejus, et usque in generatiónem et generatiónem véritas ejus.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Sciámus omnes, quia Dóminus ipse est Deus : cui jubilémus, et laudémus nomen ejus in ætérnum.

Aña. Benedícam te.

Psalmus lxij.

DEus Deus meus * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea, * quam multiplíciter tibi caro mea.

In terra desérta, et ínvia, et inaquósa : * sic in sancto appárui tibi, ut vidérem virtútem tuam, et glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas : * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea : * et in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea : * et lábiis exsultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, in matutínis meditábor in te : * quia fuísti adjútor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exsultábo, adhæsit ánima mea post te : * me suscépit déxtera tua.

Ipsi vero in vanum quæsiérunt ánimam meam, introíbunt in inferióra terræ : * tradéntur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex vero lætábitur in Deo,

laudabúntur omnes qui jurant in eo : * quia obstrúctum est os loquéntium iníqua.

Psalmus lxvj.

DEus misereátur nostri, et benedícat nobis :* illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri.

Ut cognoscámus in terra viam tuam : * in ómnibus géntibus salutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli Deus : * confiteántur tibi pópuli omnes.

Lætántur et exsúltent Gentes : * quóniam júdicas pópulos in æquitáte, et Gentes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli Deus : confiteántur tibi pópuli omnes : * terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus : * et métuant eum omnes fines terræ.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Benedícam te Dómine in vita mea : ut vídeam virtútem tuam, et glóriam tuam.

Aña. Omnis creatúra.

Canticum trium puerorum.

Dan. 3. vers. 57.

BEnedícite ómnia ópera Dómini Dómino : * laudáte, et superexaltáte eum in sæcula.

Benedícite Angeli Dómini Dómino : * benedícite cœli Dómino.

Benedícite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt Dómino : * benedícite omnes virtútes Dómini Dómino.

Benedícite sol, et luna Dómino : * benedícite stellæ cœli Dómino.

Benedícite omnis imber, et ros Dómino :* benedícite omnes spíritus Dei Dómino.

Benedícite ignis, et æstus Dómino : * benedícite frigus, et æstus Dómino.

Benedícite rores, et pruína Dómino : * benedícite gelu, et frigus Dómino.

Benedícite glácies, et nives Dómino : * benedícite noctes et dies Dómino.

Benedícite lux, et ténebræ Dómino : * benedícite fúlgura, et nubes Dómino.

Benedícat terra Dóminum : * laudet et superexáltet eum in sæcula.

Benedícite montes, et colles Dómino : * benedícite univérsa germinántia in terra Dómino.

Benedícite fontes Dómino : * benedícite mária, et flúmina Dómino.

Benedícite cete, et ómnia quæ movéntur in aquis Dómino : * benedícite omnes vólucres cœli Dómino.

Benedícite omnes béstiæ, et pécora Dómino : * benedícite fílii hóminum Dómino.

Benedícat Israel Dóminum : * laudet, et superexáltet eum in sæcula.

Benedícite Sacerdótes Dómini Dómino : * benedícite servi Dómini Dómino.

Benedícite spíritus, et ánimæ justórum Dómino : * benedícite sancti, et húmiles corde Dómino.

Benedícite Ananía, Azaría, Mísael Dómino : * laudáte, et superexaltáte eum in sæcula.

Benedicámus Patrem, et Fílium, cum sancto Spíritu : * laudémus, et superexaltémus eum in sæcula.

Benedíctus es Dómine in firmaménto cœli : * et laudábilis et gloriósus, et superexaltátus in sæcula.

Hic non dicitur Glória, neque Amen.

Aña. Omnis creatúra cœli, et terræ benedícat Dóminum : hymnum dicat, et superexáltet eum in sæcula.

Aña. Spíritus omnis.

Psalmus cxlviij.

LAudáte Dóminum de cœlis : * laudáte eum in excélsis.

Laudáte eum omnes Angeli ejus : * laudáte eum omnes virtútes ejus.

Laudáte eum sol et luna : * laudáte eum omnes stellæ et lumen.

Laudáte eum cœli cœlórum : * et aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Dómini.

Quia ipse dixit et facta sunt : * ipse mandávit, et creáta sunt.

Státuit ea in ætérnum, et in sæculum sæculi : * præcéptum pósuit, et non præteríbit.

Laudáte Dóminum de terra, * dracónes, et omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum : * quæ fáciunt verbum ejus :

Montes, et omnes colles : * ligna fructífera, et omnes cedri.

Béstiæ, et univérsa pécora : * serpéntes, et vólucres pennátæ.

Reges terræ, et omnes pópuli : * Príncipes, et omnes júdices terræ.

Júvenes, et vírgines, senes cum junióribus, laudent nomen Dómini : * quia exaltátum est nomen ejus solíus.

Conféssio ejus super cœlum, et terram : * et exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus san-

ctis ejus : * fíliis Israel, pópulo appropinquánti sibi.

Psalmus cxlix.

CAntáte Dómino cánticum novum : * laus ejus in Ecclésia sanctórum.

Lætétur Israel in eo, qui fecit eum : * et fílii Sion exsúltent in Rege suo.

Laudent nomen ejus in choro : * in tympano, et psaltério psallant ei :

Quia beneplácitum est Dómino in pópulo suo : * et exaltábit mansuétos in salútem.

Exsultábunt sancti in glória, * lætabúntur in cubílibus suis.

Exaltatiónes Dei in gútture eórum : * et gládii ancípites in mánibus eórum :

Ad faciéndam vindíctam in natiónibus : * increpatiónes in pópulis.

Ad alligándos Reges eórum in compédibus : * et nóbiles eórum in mánicis férreis.

Ut fáciant in eis judícium conscríptum : * glória hæc est ómnibus sanctis ejus.

Psalmus cl.

LAudáte Dóminum in sanctis ejus : * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus : * laudáte eum secúndum multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ : * laudáte eum in psaltério, et cíthara.

Laudáte eum in tympano, et choro : * laudáte eum in chordis, et órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus : laudáte eum in cymbalis jubilatiónis : * omnis spíritus laudet Dóminum.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Spíritus omnis laudet Dóminum : quia ipse dixit, et facta sunt ómnia : mandávit, et creáta sunt.

Sequens Capit. dicitur ab Oct. Epiph. usque ad Quadr. et ab Oct. Corp. Christi usque ad Advent.

Capitulum. Apoc. 7.

BEnedíctio, et cláritas, et sapiéntia, et gratiárum áctio, honor, et virtus, et fortitúdo Deo nostro in sæcula sæculórum. Amen. ℞. Deo grátias.

Sic respondetur in fine omnium Capitulorum.

Sequens Hym. dic. ab Oct. Epiph. usque ad Quadrag.

Hymnus. D. Ambr.

ÆTérne rerum Cónditor,
Noctem diémque qui regis,

Et témporum das témpora,
Ut álleves fastídium.
Præco diéi jam sonat,
Noctis profúndæ pérvigil,
Noctúrna lux viántibus
A nocte noctem ségregans.
Hoc excitátus lúcifer,
Solvit polum calígine,
Hoc omnis errónum cohors
Viam nocéndi déserit.
Hoc nauta vires cólligit,
Pontíque mitéscunt freta :
Hoc ipsa petra Ecclésiæ
Canénte culpam díluit.
Surgámus ergo strénue,
Gallus jacéntes éxcitat,
Et somnoléntos íncrepat,
Gallus negántes árguit.
Gallo canénte spes redit,
Ægris salus refúnditur,
Mucro latrónis cónditur,
Lapsis fides revértitur.
Jesu labéntes réspice,
Et nos vidéndo córrige :
Si réspicis, labes cadunt,
Fletúque culpa sólvitur.
Tu lux refúlge sénsibus,
Mentísque somnum díscute :
Te nostra vox primum sonet :
Et vota solvámus tibi.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum. Amen.

Ab Oct. Epiph. usque ad Septuages. ℣. Dóminus regnávit. ℟. Decórem índuit.

A Septuages. usque ad Quadrages. ℣. Dómine, refúgium factus es nobis. ℟. A generatióne, et progénie.

Sequens Hymnus dicitur ab Oct. Corporis Christi usque ad Adventum.

Hymnus. D. Greg.

Ecce jam noctis tenuátur umbra,
Lucis auróra rútilans corúscat,
Nísibus totis rogitémus omnes
Cunctipoténtem.
Ut Deus nostri miserátus, omnem
Pellat languórem, tríbuat salútem,
Donet et nobis, pietáte Patris,
Regna polórum.
Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris, ac Nati, paritérque sancti
Spíritus, cujus réboat in omni
Glória mundo. Amen.

℣. Dóminus regnávit. ℟. Decórem índuit.

Aña ad Benedictus de proprio.

Canticum Zachariae.

Luc. 1. v. 68.

Benedíctus Dóminus Deus Israel, * quia visitávit, et fecit redemptiónem plebis suæ :

Et eréxit cornu salútis nobis : * In domo David púeri sui.

Sicut locútus est per os sanctórum, * qui a sæculo sunt, Prophetárum ejus :

Salútem ex inimícis nostris, * et de manu ómnium, qui odérunt nos :

Ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris : * et memorári testaménti sui sancti.

Jusjurándum, quod jurávit ad Abraham patrem nostrum, * datúrum se nobis :

Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi.

In sanctitáte, et justítia coram ipso, * ómnibus diébus nostris.

Et tu puer, Prophéta Altíssimi vocáberis : * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus :

Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus : * in remissiónem peccatórum eórum :

Per víscera misericórdiæ Dei nostri : * in quibus visitávit nos óriens ex alto :

Illumináre his, qui in ténebris, et in umbra mortis sedent : * ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis.

Glória Patri, et Fílio.

Oratio de proprio.

Post ultimam Orationem genibus flexis, nisi Dominica fuerit, dicitur Antiphona.

SAlve Regína, mater misericórdiæ. Vita, dulcédo, et spes nostra salve. Ad te clamámus éxsules fílii Hevæ. Ad te suspirámus geméntes, et flentes in hac lacrymárum valle. Eia ergo Advocáta nostra, illos tuos misericórdes óculos ad nos convérte. Et Jesum benedíctum fructum ventris tui, nobis post hoc exsílium osténde. O clemens, O pia, O dulcis virgo María.

℣. Ora pro nobis sancta Dei génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus. Oratio.

PRótege Dómine fámulos tuos subsídiis pacis : et beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis confidéntes, a cunctis hóstibus redde secúros. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Pater noster. et Ave María.

Tempore Pasch. loco **Salve Regína.** dicitur stando Antiphona.

REgína cœli lætáre, allelúia.
Quia quem meruísti portáre, allelúia.
Resurréxit sicut dixit, allelúia.
Ora pro nobis Deum, allelúia.
℣. Gaude, et lætáre virgo María. ℟. Quia surréxit Dóminus vere, allelúia.

Orémus. Oratio.

DEus, qui per Resurrectiónem Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi famíliam tuam lætificáre dignátus es : præsta quæsumus : ut per ejus Genitrícem Vírginem Maríam, perpétuæ capiámus gáudia vitæ. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Pater noster. et Ave María.

Horæ habentur infra post Laudes Sabbati.

FERIA SECUNDA
AD MATUTINUM.

Pater noster. Ave María. et Credo. ℣. Dómine lábia mea, etc.

Invitatorium. Veníte, * Exsultémus Dómino.

Psalm. Jubilémus Deo. 2.

Hymnus. D. Ambr.

SOmno reféctis ártubus,
Spreto cubíli súrgimus :
Nobis, Pater, canéntibus
Adésse te depóscimus.

Te lingua primum cóncinat,
Te mentis ardor ámbiat,
Ut áctuum sequéntium
Tu, sancte, sis exórdium.

Cedant tenébræ lúmini
Et nox diúrno síderi,
Ut culpa, quam nox íntulit,
Lucis labáscat múnere.

Precámur iídem súpplices,
Noxas ut omnes ámputes :
Et ore te canéntium
Laudéris in perpétuum.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum. Amen.

Invitatoria singulis Feriis præfixa dicuntur in Feriali Officio ab Oct. Epiph. usque ad Dominicam Passionis, et ab Oct. Corporis Christi usque ad Advent.

Hymni vero tam ad Matutinum quam ad Laudes et Vesp. dicuntur ab Oct. Epiph. usque ad Dñicam j. Quadrag. et ab Oct. Corporis Christi usque ad Adv. Añæ autem Nocturnorum per totum Annum.

Aña. Dóminus protéctor. Tempore Pasch. Aña. Allelúia, sub qua dicuntur omnes Psalmi Nocturnor.

Psalmus xxvj.



DOminus illuminátio mea, et salus mea :* quem timébo?

Dóminus protéctor vitæ meæ : * a quo trepidábo?

Dum appropiant super me nocéntes : * ut edant carnes meas.

Qui tríbulant me inimíci mei :* ipsi infirmáti sunt, et cecidérunt.

Si consístant advérsum me castra : * non timébit cor meum.

Si exsúrgat advérsum me prœlium : * in hoc ego sperábo.

Unam pétii a Dómino, hanc requíram :* ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ.

Ut vídeam voluptátem Dómini :* et vísitem templum ejus.

Quóniam abscóndit me in tabernáculo suo : * in die malórum protéxit me in abscóndito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me : * et nunc exaltávit caput meum super inimícos meos.

Circuívi, et immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis :* cantábo, et psalmum dicam Dómino.

Exáudi Dómine vocem meam, qua clamávi ad te : * miserére mei, et exáudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisívit te fácies mea : * fáciem tuam Dómine requíram.

Ne avértas fáciem tuam a me : * ne declínes in ira a servo tuo.

Adjútor meus esto : * ne derelínquas me, neque despícias me Deus salutáris meus.

Quóniam pater meus, et mater mea dereliquérunt me :* Dóminus autem assúmpsit me.

Legem pone mihi Dómine in via tua : * et dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me : * quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, et mentíta est iníquitas sibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Exspécta Dóminum, viríliter age : * et confortétur cor tuum, et sústine Dóminum.

Psalmus xxvij.

AD te Dómine clamábo, Deus meus ne síleas a me : * ne quando

táceas a me, et assimilábor descendéntibus in lacum.

Exáudi Dómine vocem deprecatiónis meæ dum oro ad te : * dum extóllo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatóribus : * et cum operántibus iniquitátem ne perdas me :

Qui loquúntur pacem cum próximo suo, * mala autem in córdibus eórum.

Da illis secúndum ópera eórum, * et secúndum nequítiam adinventiónum ipsórum.

Secúndum ópera mánuum eórum tríbue illis : * redde retributiónem eórum ipsis.

Quóniam non intellexérunt ópera Dómini, * et in ópera mánuum ejus: déstrues illos, et non ædificábis eos.

Benedíctus Dóminus : * quóniam exaudívit vocem deprecatiónis meæ.

Dóminus adjútor meus, et protéctor meus : * in ipso sperávit cor meum, et adjútus sum.

Et reflóruit caro mea : * et ex voluntáte mea confitébor ei.

Dóminus fortitúdo plebis suæ : * et protéctor salvatiónum Christi sui est.

Salvum fac pópulum tuum Dómine, et bénedic hereditáti tuæ : * et rege eos, et extólle illos usque in ætérnum.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Dóminus protéctor vitæ meæ.

Aña. Adoráte.

Psalmus xxviij.

AFférte Dómino fílii Dei :* afférte Dómino fílios aríetum :

Afférte Dómino glóriam et honórem, afférte Dómino glóriam nómini ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Vox Dómini super aquas, Deus Majestátis intónuit :* Dóminus super aquas multas.

Vox Dómini in virtúte :* vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confringéntis cedros : * et confrínget Dóminus cedros Líbani :

Et commínuet eas tamquam vítulum Líbani : * et diléctus quemádmodum fílius unicórnium.

Vox Dómini intercidéntis flammam ignis : * vox Dómini concutiéntis desértum, et commovébit Dóminus desértum Cades.

Vox Dómini præparántis cervos, et revelábit condénsa : * et in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit : * et sedébit Dóminus Rex in ætérnum.

Dóminus virtútem pópulo suo dabit : * Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

Psalmus xxix.

Exaltábo te Dómine, quóniam suscepísti me : * nec delectásti inimícos meos super me.

Dómine Deus meus clamávi ad te; * et sanásti me.

Dómine eduxísti ab inférno ánimam meam : * salvásti me a descendéntibus in lacum.

Psállite Dómino sancti ejus : * et confitémini memóriæ sanctitátis ejus.

Quóniam ira in indignatióne ejus : * et vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fletus : * et ad matutínum lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea : * Non movébor in ætérnum.

Dómine in voluntáte tua, * præstitísti decóri meo virtútem.

Avertísti fáciem tuam a me, * et factus sum conturbátus.

Ad te Dómine clamábo : * et ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in sánguine meo, * dum descéndo in corruptiónem?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus, et misértus est mei : * Dóminus factus est adjútor meus.

Convertísti planctum meum in gáudium mihi : * conscidísti saccum meum, et circumdedísti me lætítia :

Ut cantet tibi glória mea; et non compúngar : * Dómine Deus meus in ætérnum confitébor tibi.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Aña. In tua justítia.

Psalmus xxx.

In te Dómine sperávi, non confúndar in ætérnum : * in justítia tua líbera me.

Inclína ad me aurem tuam, * accélera ut éruas me.

Esto mihi in Deum protectórem : et in domum refúgii, * ut salvum me fácias.

Quóniam fortitúdo mea, et refúgium meum es tu : * et propter nomen tuum dedúces me, et enútries me.

Edúces me de láqueo hoc,

quem abscondérunt mihi :* quóniam tu es protéctor meus.

In manus tuas comméndo spíritum meum : * redemísti me Dómine Deus veritátis.

Odísti observántes vanitátes, * supervácue.

Ego autem in Dómino sperávi : * exsultábo, et lætábor in misericórdia tua.

Quóniam respexísti humilitátem meam, * salvásti de necessitátibus ánimam meam.

Nec conclusísti me in mánibus inimíci : * statuísti in loco spatióso pedes meos.

Miserére mei Dómine, quóniam tríbulor : * conturbátus est in ira óculus meus, ánima mea, et venter meus :

Quóniam defécit in dolóre vita mea : * et anni mei in gemítibus.

Infirmáta est in paupertáte virtus mea : * et ossa mea conturbáta sunt.

Super omnes inimícos meos factus sum oppróbrium, et vicínis meis valde : * et timor notis meis.

Qui vidébant me, foras fugérunt a me : * obliviόni datus sum tamquam mórtuus a corde.

Factus sum tamquam vas pérditum : * quóniam audívi vituperatiónem multórum commorántium in circúitu :

In eo dum convenírent simul advérsum me, * accípere ánimam meam consiliáti sunt.

Ego autem in te sperávi Dómine : * dixi : Deus meus es tu : in mánibus tuis sortes meæ.

Eripe me de manu inimicórum meórum, * et a persequéntibus me.

Illústra fáciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericórdia tua : * Dómine non confúndar, quóniam invocávi te.

Erubéscant ímpii, et deducántur in inférnum : * muta fiant lábia dolósa.

Quæ loquúntur advérsus justum iniquitátem, * in supérbia, et in abusióne.

Quam magna multitúdo dulcédinis tuæ Dómine, * quam abscondísti timéntibus te.

Perfecísti eis, qui sperant in te, * In conspéctu filiórum hóminum.

Abscóndes eos in abscóndito faciéi tuæ * a conturbatióne hóminum.

Próteges eos in tabernáculo tuo * a contradictióne linguárum.

Benedíctus Dóminus : * quóniam mirificávit misericórdiam suam mihi in civitáte muníta.

Ego autem dixi in excéssu mentis meæ : * Projéctus sum a fácie oculórum tuórum.

Ideo exaudísti vocem oratiónis meæ, * dum clamárem ad te.

Dilígite Dóminum omnes sancti ejus : * quóniam veritátem requíret Dóminus, et retríbuet abundánter faciéntibus supérbiam.

Viríliter ágite, et confortétur cor vestrum, * omnes qui sperátis in Dómino.

Psalmus xxxj.

BEáti, quorum remíssæ sunt iniquitátes : * et quorum tecta sunt peccáta.

Beátus vir, cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea, * dum clamárem tota die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua : * convérsus sum in ærúmna mea, dum confígitur spina.

Delíctum meum cógnitum tibi feci : * et injustítiam meam non abscóndi.

Dixi : confitébor advérsum me injustítiam meam Dómino : * et tu remisísti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus, * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum a tribulatióne, quæ circúmdedit me : * exsultátio mea érue me a circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, et ínstruam te in via hac, qua gradiéris : * firmábo super te óculos meos.

Nolíte fíeri sicut equus et mulus, * quibus non est intelléctus.

In camo, et fræno maxíllas eórum constrínge, * qui non appróximant ad te.

Multa flagélla peccatóris, * sperántem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino, et exsultáte justi, * et gloriámini omnes recti corde.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. In tua justítia líbera me Dómine.

Aña. Rectos decet.

Psalmus xxxij.

EXsultáte justi in Dómino : * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dómino in cíthara : * in psaltério de-

cem chordárum psállite illi.
Cantáte ei cánticum novum : * bene psállite ei in vociferatióne.
Quia rectum est verbum Dómini, * et ómnia ópera ejus in fide.
Díligit misericórdiam et judícium : * misericórdia Dómini plena est terra.
Verbo Dómini cœli firmáti sunt : * et spíritu oris ejus omnis virtus eórum.
Cóngregans sicut in utre aquas maris : * ponens in thesáuris abyssos.
Tímeat Dóminum omnis terra : * ab eo autem commoveántur omnes inhabitántes orbem.
Quóniam ipse dixit, et facta sunt : * ipse mandávit, et creáta sunt.
Dóminus díssipat consília géntium : * réprobat autem cogitatiónes populórum, et réprobat consília príncipum.
Consílium autem Dómini in ætérnum manet : * cogitatiónes cordis ejus in generatiónem et generatiónem.
Beáta gens, cujus est Dóminus, Deus ejus : * pópulus, quem elégit in hereditátem sibi.
De cœlo respéxit Dóminus : * vidit omnes fílios hóminum.
De præparáto habitáculo suo * respéxit super omnes, qui hábitant terram.
Qui finxit singillátim corda eórum : * qui intélligit ómnia ópera eórum.
Non salvátur rex per multam virtútem : * et gigas non salvábitur in multitúdine virtútis suæ.
Fallax equus ad salútem : * in abundántia autem virtútis suæ non salvábitur.
Ecce óculi Dómini super metuéntes eum : * et in eis, qui sperant super misericórdia ejus.
Ut éruat a morte ánimas eórum : * et alat eos in fame.
Anima nostra sústinet Dóminum : * quóniam adjútor et protéctor noster est.
Quia in eo lætábitur cor nostrum : * et in nómine sancto ejus sperávimus.
Fiat misericórdia tua Dómine super nos : * quemádmodum sperávimus in te.

Psalmus xxxiij.

BEnedícam Dóminum in omni témpore : * semper laus ejus in ore meo.
In Dómino laudábitur

ánima mea : * áudiant mansuéti, et læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum : * et exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, et exaudívit me : * et ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, et illuminámini : * et fácies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit, et Dóminus exaudívit eum : * et de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum : * et erípiet eos.

Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dóminus : * beátus vir, qui sperat in eo.

Timéte Dóminum omnes sancti ejus : * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt et esuriérunt : * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte fílii, audíte me : * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam : * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam a malo : * et lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte a malo, et fac bonum : * inquíre pacem, et perséquere eam.

Oculi Dómini super justos : * et aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala : * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos : * et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde : * et húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum : * et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum : * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima, * et qui odérunt justum delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum : * et non delínquent omnes qui sperant in eo.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Rectos decet collaudátio.

Aña. Expúgna.

Psalmus xxxiv.

Júdica Dómine nocéntes me, * expúgna impugnántes me.

Apprehénde arma et scutum : * et exsúrge in adjutórium mihi.

Effúnde frámeam, et conclúde advérsus eos, qui persequúntur me : * dic ánimæ meæ : Salus tua ego sum.

Confundántur et revereántur, * quæréntes ánimam meam.

Avertántur retrórsum, et confundántur * cogitántes mihi mala.

Fiant tamquam pulvis ante fáciem venti : * et ángelus Dómini coárctans eos.

Fiat via illórum ténebræ et lúbricum : * et ángelus Dómini pérsequens eos.

Quóniam gratis abscondérunt mihi intéritum láquei sui : * supervácue exprobravérunt ánimam meam.

Véniat illi láqueus, quem ignórat : et cáptio, quam abscóndit, apprehéndat eum : * et in láqueum cadat in ipsum.

Anima autem mea exsultábit in Dómino : * et delectábitur super salutári suo.

Omnia ossa mea dicent : * Dómine, quis símilis tibi?

Erípiens ínopem de manu fortiórum ejus : * egénum et páuperem a diripiéntibus eum.

Surgéntes testes iníqui, * quæ ignorábam interrogábant me.

Retribuébant mihi mala pro bonis : * sterilitátem ánimæ meæ.

Ego autem cum mihi molésti essent, * induébar cilício.

Humiliábam in jejúnio ánimam meam : * et orátio mea in sinu meo convertétur.

Quasi próximum, et quasi fratrem nostrum, sic complacébam : * quasi lugens et contristátus sic humiliábar.

Et advérsum me lætáti sunt, et convenérunt : * congregáta sunt super me flagélla, et ignorávi.

Dissipáti sunt, nec compúncti, tentavérunt me, subsannavérunt me subsannatióne : * frenduérunt super me déntibus suis.

Dómine quando respícies? * restítue ánimam meam a malignitáte eórum, a leónibus únicam meam.

Confitébor tibi in Ecclésia magna, * in pópulo gravi laudábo te.

Non supergáudeant mihi qui adversántur mihi iníque : * qui odérunt me gratis et ánnuunt óculis.

Quóniam mihi quidem pacífice loquebántur : * et in iracúndia terræ loquéntes, dolos cogitábant.

Et dilatavérunt super me os suum : * dixérunt : Euge, euge, vidérunt óculi nostri.

Vidísti Dómine, ne síleas:* Dómine ne discédas a me.

Exsúrge et inténde judício meo : * Deus meus, et Dóminus meus in causam meam.

Júdica me secúndum justítiam tuam Dómine Deus meus, * et non supergáudeant mihi.

Non dicant in córdibus suis : Euge, euge, ánimæ nostræ : * nec dicant : Devorávimus eum.

Erubéscant, et revereántur simul, * qui gratulántur malis meis.

Induántur confusióne et reveréntia * qui magna loquúntur super me.

Exsúltent et læténtur qui volunt justítiam meam : * et dicant semper : Magnificétur Dóminus, qui volunt pacem servi ejus.

Et lingua mea meditábitur justítiam tuam, * tota die laudem tuam.

Psalmus xxxv.

Dixit injústus ut delínquat in semetípso : * non est timor Dei ante óculos ejus.

Quóniam dolóse egit in conspéctu ejus : * ut inveniátur iníquitas ejus ad ódium.

Verba oris ejus iníquitas, et dolus : * nóluit intellígere, ut bene ágeret.

Iniquitátem meditátus est in cubíli suo : * ádstitit omni viæ non bonæ, malítiam autem non odívit.

Dómine in cœlo misericórdia tua : * et véritas tua usque ad nubes.

Justítia tua sicut montes Dei : * judícia tua abyssus multa.

Hómines, et juménta salvábis Dómine : * quemádmodum multiplicásti misericórdiam tuam Deus.

Fílii autem hóminum, * in tégmine alárum tuárum sperábunt.

Inebriabúntur ab ubertáte domus tuæ : * et torrénte voluptátis tuæ potábis eos.

Quóniam apud te est fons vitæ : * et in lúmine tuo vidébimus lumen.

Prætende misericórdiam tuam sciéntibus te, * et justítiam tuam his, qui recto sunt corde.

Non véniat mihi pes supérbiæ : * et manus peccatóris non móveat me.

Ibi cecidérunt qui operántur iniquitátem : * ex-

púlsi sunt, nec potuérunt stare.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Expúgna impugnántes me.

Aña. Revéla.

Psalmus xxxvj.

NOli æmulári in malignántibus : * neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

Quóniam tamquam fœnum velóciter aréscent : * et quemádmodum ólera herbárum cito décident.

Spera in Dómino, et fac bonitátem :* et inhábita terram, et pascéris in divítiis ejus.

Deleďtáre in Dómino : * et dabit tibi petitiónes cordis tui.

Revéla Dómino viam tuam, et spera in eo : * et ipse fáciet.

Et edúcet quasi lumen justítiam tuam, et judícium tuum tamquam merídiem : * súbditus esto Dómino, et ora eum.

Noli æmulári in eo, qui prosperátur in via sua : * in hómine faciénte injustítias.

Désine ab ira, et derelínque furórem : * noli æmulári ut malignéris.

Quóniam qui malignántur, exterminabúntur : * sustinéntes autem Dóminum, ipsi hereditábunt terram.

Et adhuc pusíllum, et non erit peccátor :* et quæres locum ejus, et non invénies.

Mansuéti autem hereditábunt terram, * et delectabúntur in multitúdine pacis.

Observábit peccátor justum : * et stridébit super eum déntibus suis.

Dóminus autem irridébit eum : * quóniam próspicit quod véniet dies ejus.

Gládium evaginavérunt peccatóres : * intendérunt arcum suum,

Ut dejíciant páuperem, et ínopem : * ut trucídent rectos corde.

Gládius eórum intret in corda ipsórum : * et arcus eórum confringátur.

Mélius est módicum justo, * super divítias peccatórum multas.

Quóniam bráchia peccatórum conteréntur : * confírmat autem justos Dóminus.

Novit Dóminus dies immaculatórum : * et heréditas eórum in ætérnum erit.

Non confundéntur in témpore malo, et in diébus famis saturabúntur : * quia peccatóres períbunt.

Inimíci vero Dómini mox ut honorificáti fúerint et exaltáti : * deficiéntes, quemádmodum fumus defícient.

Mutuábitur peccátor, et non solvet : * justus autem miserétur, et tríbuet.

Quia benedicéntes ei hereditábunt terram : * maledicéntes autem ei disperíbunt.

Apud Dóminum gressus hóminis dirigéntur : * et viam ejus volet.

Cum cecíderit, non collidétur : * quia Dóminus suppónit manum suam.

Júnior fui, étenim sénui : * et non vidi justum derelíctum, nec semen ejus quærens panem.

Tota die miserétur, et cómmodat : * et semen illíus in benedictióne erit.

Declína a malo, et fac bonum : * et inhábita in sæculum sæculi.

Quia Dóminus amat judícium, et non derelínquet sanctos suos : * in ætérnum conservabúntur.

Injústi puniéntur : * et semen impiórum períbit.

Justi autem hereditábunt terram : * et inhabitábunt in sæculum sæculi super eam.

Os justi meditábitur sapiéntiam, * et lingua ejus loquétur judícium.

Lex Dei ejus in corde ipsíus : * et non supplantabúntur gressus ejus.

Consíderat peccátor justum : * et quærit mortificáre eum.

Dóminus autem non derelínquet eum in mánibus ejus : * nec damnábit eum cum judicábitur illi.

Exspécta Dóminum, et custódi viam ejus : et exaltábit te ut hereditáte cápias terram : * cum períerint peccatóres vidébis.

Vidi ímpium superexaltátum, * et elevátum sicut cedros Líbani.

Et transívi, et ecce non erat : * et quæsívi eum, et non est invéntus locus ejus.

Custódi innocéntiam, et vide æquitátem : * quóniam sunt relíquiæ hómini pacífico.

Injústi autem disperíbunt simul : * relíquiæ impiórum interíbunt.

Salus autem justórum a Dómino : * et protéctor eórum in témpore tribulatiónis.

Et adjuvábit eos Dóminus, et liberábit eos : * et éruet eos a peccatóribus, et salvábit eos : quia speravérunt in eo.

Psalmus xxxvii.

Domine ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Quóniam sagíttæ tuæ infíxæ sunt mihi : * et confirmásti super me manum tuam.

Non est sánitas in carne mea a fácie iræ tuæ : * non est pax óssibus meis a fácie peccatórum meórum.

Quóniam iniquitátes meæ supergréssæ sunt caput meum : * et sicut onus grave gravátæ sunt super me.

Putruérunt, et corrúptæ sunt cicatríces meæ, * a fácie insipiéntiæ meæ.

Miser factus sum, et curvátus sum usque in finem :* tota die contristátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti sunt illusiónibus : * et non est sánitas in carne mea.

Afflíctus sum, et humiliátus sum nimis : * rugiébam a gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne desidérium meum :*et gémitus meus a te non est abscónditus.

Cor meum conturbátum est, derelíquit me virtus mea : * et lumen oculórum meórum, et ipsum non est mecum.

Amíci mei et próximi mei : * advérsum me appropinquavérunt, et stetérunt.

Et qui juxta me erant de longe stetérunt : * et vim faciébant, qui quærébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes : * et dolos tota die meditabántur.

Ego autem tamquam surdus non audiébam : * et sicut mutus non apériens os suum.

Et factus sum sicut homo non áudiens : * et non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te Dómine sperávi : * tu exáudies me Dómine Deus meus.

Quia dixi : Nequándo supergáudeant mihi inimíci mei : * et dum commovéntur pedes mei, super me magna locúti sunt.

Quóniam ego in flagélla parátus sum : * et dolor meus in conspéctu meo semper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo : * et cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, et confirmáti sunt super

me : * et multiplicáti sunt, qui odérunt me iníque.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi : * quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelínquas me Dómine Deus meus : * ne discésseris a me.

Inténde in adjutórium meum, * Dómine Deus salútis meæ.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. **Revéla Dómino viam tuam.**

In Adventu, ℣. **Ex Sion spécies decóris ejus.** ℟. **Deus noster maniféste véniet.**

In Quadrages. ℣. **Ipse liberábit me de láqueo venántium.** ℟. **Et a verbo áspero.**

Temp. Passionis, ℣. **Erue a frámea Deus ánimam meam.** ℟ **Et de manu canis únicam meam.**

Tempore Paschali, Aña. **Allelúia.**

℣. **Resurréxit Dóminus.** ℟. **Sicut dixit vobis, allelúia.**

Per Annum, ℣. **Dómine, in cœlo misericórdia tua.** ℟. **Et véritas tua usque ad nubes.**

In Officio Simpliciss. ℣. de Communi ut in j. Nocturno.

Responsoria, quæ sequuntur, dicantur quotidie, quando fit de Feria in Feriis ij. ab Oct. Epiph. usque ad Quadrages. et ab Oct. Corporis Christi usque ad Advent. quando in eisdem legitur aliqua Homil. et non legitur de Script. quod continget in Vigil. et quando ponenda est in eisdem Homil. aliqua Dominicalis, quæ superest.

℟. j. **Quam magna multitúdo dulcédinis tuæ Dómine! *Quam abscondísti timéntibus te.** ℣. **Perfecísti eis, qui sperant in te Dómine, in conspéctu filiórum hóminum. — Quam abscondísti.**

℟. ij. **Benedícam Dóminum in omni témpore : * Semper laus ejus in ore meo.** ℣. **In Dómino laudábitur ánima mea, áudiant mansuéti, et læténtur. — Semper.**

℟. iij. **Delectáre in Dómino, * Et dabit tibi petitiónes cordis tui.** ℣. **Spera in Dómino, et fac bonitátem : et pascéris in divítiis ejus. — Et. Glória Patri. Et dabit.** ℟. **Delectáre.**

Sacerdotalis ℣. in Adv. **Emítte Agnum Dómine, dominatórem terræ.** ℟. **De petra desérti ad montem fíliæ Sion.**

In Quadrag. ℣. Dicet Dómino. ℟. Suscéptor meus es tu.

Tempore Passionis, ℣. Eripe me de inimícis meis Deus meus. ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me.

Per Annum, ℣. Fiat misericórdia tua Dómine super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te.

AD LAUDES,

Deus in adjutórium, etc.

Quando non assignantur propriæ Añæ, dicentur illæ, quæ in singulis feriis assignatæ habentur.

Aña. Miserére.

Psalmus I.


Iserére mei Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea : * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci : * ut justificéris in sermónibus tuis, et vincas cum judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum : * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti : * incérta et occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor : * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium, et lætítiam : * et exsultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis : * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me Deus : * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me a fácie tua : * et Spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui : * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas : * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus Deus, Deus salútis meæ; * et exsultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries : * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem úti-

que : * holocáustis non deleƈtáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus : * cor contrítum et humiliátum Deus non despícies.

Benígne fac Dómine in bona voluntáte tua Sion : * ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes, et holocáusta : * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Miserére mei Deus.

Aña. Intéllige.

Psalmus v.

Verba mea áuribus pércipe Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo : * Dómine mane exáudies vocem meam.

Mane adstábo tibi, et vidébo : * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus : * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem : * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum, et dolósum abominábitur Dóminus : * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Introíbo in domum tuam : * adorábo ad templum sanƈtum tuum in timóre tuo.

Dómine deduc me in justítia tua : * propter inimícos meos dírige in conspéƈtu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas : * cor eórum vanum est.

Sepúlcrum patens est guttur eórum, linguis suis dolóse agébant, * júdica illos Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos, * quóniam irritavérunt te Dómine.

Et læténtur omnes, qui sperant in te, in ætérnum exsultábunt : * et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ, * coronásti nos.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Intéllige clamórem meum Dómine.

Aña. Deus Deus meus, ad te de luce vígilo.

Ps. Deus Deus meus. 22.

Aña. Convérsus est.

Canticum Isaiae Prophetae. Cap. 12.

Confitébor tibi Dómine, quóniam irátus es mihi : * convérsus est furor tuus, et consolátus es me.

Ecce Deus Salvátor meus, * fiduciáliter agam, et non timébo :

Quia fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, * et factus est mihi in salútem.

Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris : * et dicétis in die illa :

Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus :

Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus : * mementóte quóniam excélsum est nomen ejus.

Cantáte Dómino, quóniam magnífice fecit : * annuntiáte hoc in univérsa terra.

Exsúlta, et lauda habitátio Sion : * quia magnus in médio tui sanctus Israel.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Convérsus est furor tuus Dómine, et consolátus es me.

Aña. Laudáte Dóminum de cœlis.

Psalm. Laudáte Dóminum de cœlis. 24.

Capit. Hymni et ℣℣. quæ in singulis Feriis ad Laud. assignata sunt, dicuntur in Offic. feriali, ab Oct. Epiph. usque ad Dom. j. Quadrag. et ab Oct. Corporis Christi usque ad Advent. alio tempore ut ibi assignantur.

Capitulum. 1. Cor. 16.

Fratres : Vigiláte, state in fide, viríliter ágite, et confortámini : ómnia vestra in caritáte fiant.

Hymnus. D. Ambr.

Splendor patérnæ glóriæ,
De luce lucem próferens,
Lux lucis, et fons lúminis,
Dies diem illúminans.

Verúsque sol illábere,
Micans nitóre pérpeti :
Jubárque sancti Spíritus
Infúnde nostris sénsibus.

Votis vocémus te Patrem,
Patrem perénnis glóriæ :
Pater poténtis grátiæ
Culpam reléget lúbricam.

Infórmet actus strénuos,
Dentes retúndat ínvidi :
Casus secúndet ásperos,
Donet geréndi grátiam.

Mentem gubérnet, et regat
Casto fidéli córpore :
Fides calóre férveat,
Fraudis venéna nésciat.

Christúsque nobis sit cibus,
Potúsque noster sit fides,
Læti bibámus sóbriam
Ebrietátem Spíritus.
Lætus dies hic tránseat,
Pudor sit ut dilúculum :
Fides velut merídies,
Crepúsculum mens nésciat.
Auróra cursus próvehit,
Auróra totus pródeat,
In Patre totus Fílius,
Et totus in Verbo Pater.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc et in perpétuum. Amen.

℣. **In matutínis Dómine meditábor in te.** ℟. **Quia fuísti adjútor meus.**

Ad Benedictus, Antiphona. **Benedíctus Dóminus Deus Israel.**

Antiphonæ ad Benedictus in singulis Feriis positæ, dicuntur in Feriali Offic. ab Oct. Epiph. usque ad Septuages. et ab Oct. Corporis Christi usque ad Advent. exceptis Quatuor Temporibus Sept. et Feriis, in quibus ponuntur Homiliæ quæ supersunt ante Septuages. et ante ultimam Dominicam ante Adventum.

Preces infrascriptæ dicuntur cum genuflexione ad Laudes, Tertiam, Sextam, Nonam, et Vesp. in Feriis Advent. Quadrages. (sed in Quadrages. adduntur aliquot ℣. ut infra) in Quatuor Temp. Septembr. et in Vigiliis occurrentibus ab Oct. Epiphaniæ usque ad Quadrages. et ab Oct. Corporis Christi usque ad Advent. nisi in propriis locis aliud annotetur.

Sed in Vigiliis, Sabbatis, et quando in sequenti fit de Festo, non dicuntur in Nona, nec in Vesperis.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster.

℣. **Et ne nos indúcas in tentatiónem.** ℟. **Sed líbera nos a malo.**

℣. **Ego dixi : Dómine miserére mei.** ℟. **Sana ánimam meam, quia peccávi tibi.**

℣. **Convértere Dómine úsquequo.** ℟. **Et deprecábilis esto super servos tuos.**

℣. **Fiat misericórdia tua Dómine super nos.** ℟. **Quemádmodum sperávimus in te.**

℣. **Sacerdótes tui induántur justítiam.** ℟. **Et sancti tui exsúltent.**

℣. **Dómine salvum fac Regem.** ℟. **Et exáudi nos in die, qua invocavérimus te.**

℣. Salvum fac pópulum tuum, Dómine, et bénedic hereditáti tuæ. ℟. Et rege eos, et extólle illos usque in ætérnum.

℣. Fiat pax in virtúte tua. ℟. Et abundántia in túrribus tuis.

℣. Orémus pro fidélibus defúnctis. ℟. Réquiem ætérnam dona eis Dómine, et lux perpétua lúceat eis.

℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen.

℣. Pro Prióre Generáli nostro. ℟. Dóminus consérvet, et vivíficet eum in pace.

℣. Pro frátribus nostris abséntibus. ℟. Salvos fac servos tuos Deus meus sperántes in te.

℣. Pro amícis, et benefactóribus nostris. ℟. Bénefac Dómine bonis, et rectis corde.

℣. Pro afflíctis, et captívis. ℟. Líbera eos Deus Israel ex ómnibus tribulatiónibus suis.

℣. Mitte eis Dómine auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére eos.

In Feriis Quadrag. addun-túr hi ℣. Pro iter agéntibus, et ceteri ut infra. Aliis diebus, omissis iis, sequitur.

℣. Esto nobis Dómine turris fortitúdinis. ℟. A fácie inimíci.

℣. Exáudi Dómine vocem meam, qua clamávi ad te. ℟. Miserére mei, et exáudi me.

Psalm. Miserére mei. 42.
Glória Patri, et Fílio.

℣. Exsúrge Dómine ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

℣. Dómine Deus virtútum convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio propria, vel de Dominica præcedenti.

In Feriis Quadrages. incipiendo a Feria iv. Cinerum, dicuntur supradictæ Preces modo præfato, sed post ℣. Mitte eis Dómine additur ℣. Pro iter agéntibus, et fidélibus navigántibus. ℟. Exáudi nos Deus salutáris noster : spes ómnium fínium terræ, et in mari longe.

℣. Pro peccátis, et negligéntiis nostris. ℟. Dómine ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum : cito antícipent nos misericórdiæ tuæ; quia páuperes facti sumus nimis.

℣. Adjuva nos Deus sa-

lutáris noster. ℟. Et propter glóriam nóminis tui Dómine líbera nos : et propítius esto peccátis nostris propter nomen tuum.

℣. Esto nobis Dómine turris fortitúdinis. ℟. A fácie inimíci.

℣. Exáudi Dómine vocem meam, qua clamávi ad te. ℟. Miserére mei, et exáudi me.

Psalm. Miserére mei. 42. Glória Patri, et Fílio.

℣. Exsúrge Dómine, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

℣. Dómine Deus virtútum convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio propria.

FERIA TERTIA
AD MATUTINUM.

Invitatorium. Jubilémus Deo, * Salutári nostro. Ps. Veníte, exsultémus. 2.

Hymnus. D. Ambr.

Consors patérni lúminis,
Lux ipse lucis, et dies,
Noctem canéndo rúmpimus,
Assíste postulántibus.

Aufer tenébras méntium,
Fuga catérvas dæmonum,
Expélle somnoléntiam,
Ne pigritántes óbruat.

Sic Christe nobis ómnibus
Indúlgeas credéntibus,
Ut prosit exorántibus,
Quod præcinéntes psállimus.

Præsta Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu paráclito,
Regnans per omne sæculum. Amen.

Aña. Ut non delínquam.

Tempore Paschali, Aña. Allelúia, sub qua dicuntur omnes Psalmi Nocturni.

Psalmus xxxviij.

Dixi : Custódiam vias meas : * ut non delínquam in lingua mea.

Pósui ori meo custódiam, * cum consísteret peccátor advérsum me.

Obmútui, et humiliátus sum, et sílui a bonis : * et dolor meus renovátus est.

Concáluit cor meum intra me : * et in meditatióne mea exardéscet ignis.

Locútus sum in lingua mea : * notum fac mihi Dómine finem meum,

Et númerum diérum meórum, quis est : * ut sciam quid desit mihi.

Ecce mensurábiles posuísti dies meos : * et sub-

stántia mea tamquam níhilum ante te.

Verúmtamen univérsa vánitas, * omnis homo vivens.

Verúmtamen in imágine pertránsit homo : * sed et frustra conturbátur.

Thesaurízat : * et ignórat cui congregábit ea.

Et nunc quæ est exspectátio mea? nonne Dóminus?* et substántia mea apud te est.

Ab ómnibus iniquitátibus meis érue me : * oppróbrium insipiénti dedísti me.

Obmútui, et non apérui os meum, quóniam tu fecísti : * ámove a me plagas tuas.

A fortitúdine manus tuæ ego deféci in increpatiónibus : * propter iniquitátem corripuísti hóminem.

Et tabéscere fecísti sicut aráneam ánimam ejus : * verúmtamen vane conturbátur omnis homo.

Exáudi oratiónem meam Dómine, et deprecatiónem meam : * áuribus pércipe lácrymas meas.

Ne síleas : quóniam ádvena ego sum apud te, et peregrínus, * sicut omnes patres mei.

Remítte mihi, ut refrígerer, priúsquam ábeam : * et ámplius non ero.

Psalmus xxxix.

Exspéctans exspectávi Dóminum, * et inténdit mihi.

Et exaudívit preces meas : * et edúxit me de lacu misériæ, et de luto fæcis.

Et státuit super petram pedes meos : * et diréxit gressus meos.

Et immísit in os meum cánticum novum, * carmen Deo nostro.

Vidébunt multi, et timébunt : * et sperábunt in Dómino.

Beátus vir, cujus est nomen Dómini spes ejus : * et non respéxit in vanitátes et insánias falsas.

Multa fecísti tu Dómine Deus meus mirabília tua :* et cogitatiónibus tuis non est qui símilis sit tibi.

Annuntiávi et locútus sum : * multiplicáti sunt super númerum.

Sacrifícium et oblatiónem noluísti : * aures autem perfecísti mihi.

Holocáustum et pro peccáto non postulásti : * tunc dixi : Ecce vénio.

In cápite libri scriptum est de me ut fácerem voluntátem tuam : * Deus meus vólui, et legem tuam in médio cordis mei.

Annuntiávi justítiam

tuam in Ecclésia magna, ecce lábia mea non prohibébo : * Dómine tu scisti.
Justítiam tuam non abscóndi in corde meo : * veritátem tuam, et salutáre tuum dixi.
Non abscóndi misericórdiam tuam, * et veritátem tuam a concílio multo.
Tu autem Dómine ne longe fácias miseratiónes tuas a me : * misericórdia tua et véritas tua semper suscepérunt me.
Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non est númerus : * comprehendérunt me iniquitátes meæ, et non pótui ut vidérem.
Multiplicátæ sunt super capíllos cápitis mei : * et cor meum derelíquit me.
Compláceat tibi Dómine ut éruas me, * Dómine ad adjuvándum me réspice.
Confundántur et revereántur simul, qui quærunt ánimam meam, * ut áuferant eam.
Convertántur retrórsum, et revereántur * qui volunt mihi mala.
Ferant conféstim confusiónem suam, * qui dicunt mihi : Euge, euge.
Exsúltent et læténtur super te omnes quæréntes te : * et dicant semper : Magnificétur Dóminus qui díligunt salutáre tuum.
Ego autem mendícus sum, et pauper : * Dóminus sollícitus est mei.
Adjútor meus, et protéctor meus tu es : * Deus meus ne tardáveris.
Glória Patri, et Fílio.
Aña. Ut non delínquam in lingua mea.
Aña. Sana Dómine.

Psalmus xl.

BEátus qui intélligit super egénum, et páuperem : * in die mala liberábit eum Dóminus.
Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, et beátum fáciat eum in terra : * et non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.
Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus : * univérsum stratum ejus versásti in infirmitáte ejus.
Ego dixi : Dómine miserére mei : * sana ánimam meam, quia peccávi tibi.
Inimíci mei dixérunt mala mihi : * Quando moriétur, et períbit nomen ejus?
Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur, * cor ejus congregávit iniquitátem sibi.
Egrediebátur foras, * et loquebátur in idípsum.
Advérsum me susurrábant omnes inimíci mei : *

advérsum me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt advérsum me : * Numquid qui dormit, non adjíciet ut resúrgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo sperávi : * qui edébat panes meos, magnificávit super me supplantatiónem.

Tu autem Dómine miserére mei, et resúscita me :* et retríbuam eis.

In hoc cognóvi quóniam voluísti me : * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepísti : * et confirmásti me in conspéctu tuo in ætérnum.

Benedíctus Dóminus Deus Israel a sæculo, et usque in sæculum : * fiat, fiat.

Psalmus xlj.

QUemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum : * ita desíderat ánima mea ad te Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum : * quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte : * dum dícitur mihi quotídie : Ubi est Deus tuus?

Hæc recordátus sum, et effúdi in me ánimam meam : * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei :

In voce exsultatiónis, et confessiónis : * sonus epulántis.

Quare tristis es ánima mea? * et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei et Deus meus.

Ad meípsum ánima mea conturbáta est : * proptérea memor ero tui de terra Jordánis, et Hermóniim a monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua, et fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam :* et nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ, * dicam Deo : Suscéptor meus es :

Quare oblítus es mei? * et quare contristátus incédo, dum afflígit me inimícus?

Dum confringúntur ossa mea, * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei :

Dum dicunt mihi per síngulos dies : Ubi est Deus tuus? * quare tristis es ánima mea? et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Sana Dómine ánimam meam, quia peccávi tibi.

Aña. Eructávit.

Psalmus xliij.

DEus áuribus nostris audívimus : * patres nostri annuntiavérunt nobis.

Opus, quod operátus es in diébus eórum : * et in diébus antíquis.

Manus tua Gentes dispérdidit, et plantásti eos : * afflixísti pópulos; et expulísti eos :

Nec enim in gládio suo possedérunt terram, * et bráchium eórum non salvávit eos :

Sed déxtera tua, et bráchium tuum, et illuminátio vultus tui : * quóniam complacuísti in eis.

Tu es ipse rex meus, et Deus meus : * qui mandas salútes Jacob.

In te inimícos nostros ventilábimus cornu, * et in nómine tuo spernémus insurgéntes in nobis.

Non enim in arcu meo sperábo : * et gládius meus non salvábit me.

Salvásti enim nos de affligéntibus nos : * et odiéntes nos confudísti.

In Deo laudábimur tota die : * et in nómine tuo confitébimur in sæculum.

Nunc autem repulísti, et confudísti nos : * et non egrediéris Deus in virtútibus nostris.

Avertísti nos retrórsum post inimícos nostros : * et qui odérunt nos, diripiébant sibi.

Dedísti nos tamquam oves escárum : * et in Géntibus dispersísti nos.

Vendidísti pópulum tuum sine prétio : * et non fuit multitúdo in commutatiónibus eórum.

Posuísti nos oppróbrium vicínis nostris * subsannatiónem, et derísum his, qui sunt in circúitu nostro.

Posuísti nos in similitúdinem Géntibus : * commotiónem cápitis in pópulis.

Tota die verecúndia mea contra me est, * et confúsio faciéi meæ coopéruit me.

A voce exprobrántis, et obloquéntis : * a fácie inimíci, et persequéntis.

Hæc ómnia venérunt su-

per nos, nec oblíti sumus te : * et iníque non égimus in testaménto tuo.

Et non recéssit retro cor nostrum : * et declinásti sémitas nostras a via tua :

Quóniam humiliásti nos in loco afflictiónis, * et coopéruit nos umbra mortis.

Si oblíti sumus nomen Dei nostri, * et si expándimus manus nostras ad Deum aliénum :

Nonne Deus requíret ista? * ipse enim novit abscóndita cordis.

Quóniam propter te mortificámur tota die : * æstimáti sumus sicut oves occisiónis.

Exsúrge, quare obdórmis Dómine? * exsúrge, et ne repéllas in finem.

Quare fáciem tuam avértis, * oblivísceris inópiæ nostræ, et tribulatiónis nostræ?

Quóniam humiliáta est in púlvere ánima nostra : * conglutinátus est in terra venter noster.

Exsúrge Dómine, ádjuva nos : * et rédime nos propter nomen tuum.

Psalmus xliv.

ERuctávit cor meum verbum bonum : * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea cálamus scribæ, * velóciter scribéntis.

Speciósus forma præ fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis : * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime,

Spécie tua, et pulchritúdine tua * inténde, próspere procéde, et regna,

Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, * pópuli sub te cadent, in corda inimicórum regis.

Sedes tua Deus in sæculum sæculi : * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis : * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Adstitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto : * circúmdata varietáte.

Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam : * et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Et concupíscet rex decórem tuum : * quóniam ipse

est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus vultum tuum deprecabúntur :* omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus,* in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur regi vírgines post eam : * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia, et exsultatióne:* adducéntur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne, et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum : * et in sæculum sæculi.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Eructávit cor meum verbum bonum.

Aña. Adjútor.

Psalmus xlv.

DEus noster refúgium, et virtus : * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra : * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbátæ sunt aquæ eórum : * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei : * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus, in médio ejus, non commovébitur : * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt Gentes, et inclináta sunt regna : * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, et vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram : * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, et confrínget arma : * et scuta combúret igni.

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus : * exaltábor in Géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Psalmus xlvj.

OMnes Gentes pláudite mánibus : * jubiláte Deo in voce exsultatiónis.

Quóniam Dóminus excélsus, terríbilis : * Rex magnus super omnem terram.

Subjécit pópulos nobis: *

et Gentes sub pédibus nostris.
Elégit nobis hereditátem suam : * spéciem Jacob, quam diléxit.
Ascéndit Deus in júbilo : * et Dóminus in voce tubæ.
Psállite Deo nostro, psállite : * psállite Regi nostro, psállite.
Quóniam Rex omnis terræ Deus : * psállite sapiénter.
Regnábit Deus super Gentes : * Deus sedet super sedem sanctam suam.
Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham : * quóniam dii fortes terræ, veheménter eleváti sunt.
Glória Patri, et Fílio.
Aña. Adjútor in tribulatiónibus.
Aña. Auribus percípite.

Psalmus xlvij.

MAgnus Dóminus, et laudábilis nimis * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.
Fundátur exsultatióne univérsæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas Regis magni.
Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cum suscípiet eam.
Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt : * convenérunt in unum.
Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt : * tremor apprehéndit eos.
Ibi dolóres ut parturiéntis, * in spíritu veheménti cónteres naves Tharsis.
Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei nostri : * Deus fundávit eam in ætérnum.
Suscépimus Deus misericórdiam tuam, * in médio templi tui.
Secúndum nomen tuum Deus, sic et laus tua in fines terræ : * justítia plena est déxtera tua.
Lætétur mons Sion, et exsúltent fíliæ Judæ : * propter judícia tua Dómine.
Circúmdate Sion, et compleㄧctímini eam : * narráte in túrribus ejus.
Pónite corda vestra in virtúte ejus : * et distribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie áltera.
Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum, et in sæculum sæculi : * ipse reget nos in sæcula.

Psalmus xlviij.

AUdíte hæc omnes Gentes : * áuribus percípite omnes, qui habitátis orbem :
Quique terrígenæ, et fílii

hóminum :* simul in unum dives et pauper.

Os meum loquétur sapiéntiam : * et meditátio cordis mei prudéntiam.

Inclinábo in parábolam aurem meam : * apériam in psaltério propositiónem meam.

Cur timébo in die mala?* iníquitas calcánei mei circúmdabit me :

Qui confídunt in virtúte sua : * et in multitúdine divitiárum suárum gloriántur.

Frater non rédimit, rédimet homo : * non dabit Deo placatiónem suam.

Et prétium redemptiónis ánimæ suæ :* et laborábit in ætérnum, et vivet adhuc in finem.

Non vidébit intéritum, cum víderit sapiéntes moriéntes :* simul insípiens, et stultus períbunt.

Et relínquent aliénis divítias suas : * et sepúlcra eórum domus illórum in ætérnum.

Tabernácula eórum in progénie, et progénie : * vocavérunt nómina sua in terris suis.

Et homo, cum in honóre esset, non intelléxit:* comparátus est juméntis insipiéntibus, et símilis factus est illis.

Hæc via illórum scándalum ipsis : * et póstea in ore suo complacébunt.

Sicut oves in inférno pósiti sunt : * mors depáscet eos.

Et dominabúntur eórum justi in matutíno : * et auxílium eórum veteráscet in inférno a glória eórum.

Verúmtamen Deus rédimet ánimam meam de manu ínferi, * cum accéperit me.

Ne timúeris cum dives factus fúerit homo : * et cum multiplicáta fúerit glória domus ejus.

Quóniam cum interíerit, non sumet ómnia: *neque descéndet cum eo glória ejus.

Quia ánima ejus in vita ipsíus benedicétur : * confitébitur tibi cum benefé-ceris ei.

Introíbit usque in progénies patrum suórum : * et usque in ætérnum non vidébit lumen.

Homo, cum in honóre esset, non intelléxit: * comparátus est juméntis insipiéntibus, et símilis factus est illis.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Auribus percípite qui habitátis orbem.

Aña. Deus deórum.

Psalmus xlix.

DEus deórum Dóminus locútus est : * et vocávit terram,

A solis ortu usque ad occásum : * ex Sion spécies decóris ejus.

Deus maniféste véniet : * Deus noster et non silébit.

Ignis in conspéctu ejus exardéscet : * et in circúitu ejus tempéstas válida.

Advocábit cœlum desúrsum : * et terram discérnere pópulum suum.

Congregáte illi sanctos ejus : * qui órdinant testaméntum ejus super sacrifícia.

Et annuntiábunt cœli justítiam ejus : * quóniam Deus judex est.

Audi pópulus meus, et loquar : Israel, et testificábor tibi : * Deus Deus tuus ego sum.

Non in sacrifíciis tuis árguam te : * holocáusta autem tua in conspéctu meo sunt semper.

Non accípiam de domo tua vítulos : * neque de grégibus tuis hircos.

Quóniam meæ sunt omnes feræ silvárum, * juménta in móntibus, et boves.

Cognóvi ómnia volatília cœli : * et pulchritúdo agri mecum est.

Si esuríero, non dicam tibi : * meus est enim orbis terræ, et plenitúdo ejus.

Numquid manducábo carnes taurórum? * aut sánguinem hircórum potábo?

Immola Deo sacrifícium laudis : * et redde Altíssimo vota tua.

Et ínvoca me in die tribulatiónis : * éruam te, et honorificábis me.

Peccatóri autem dixit Deus : * Quare tu enárras justítias meas, et assúmis testaméntum meum per os tuum?

Tu vero odísti disciplínam : * et projecísti sermónes meos retrórsum :

Si vidébas furem, currébas cum eo : * et cum adúlteris portiónem tuam ponébas.

Os tuum abundávit malítia : * et lingua tua concinnábat dolos.

Sedens advérsus fratrem tuum loquebáris, et advérsus fílium matris tuæ ponébas scándalum : * hæc fecísti, et tácui.

Existimásti iníque quod ero tui símilis : * árguam te, et státuam contra fáciem tuam.

Intellígite hæc qui oblivíscímini Deum : * nequándo rápiat, et non sit qui erípiat.

Sacrifícium laudis honorificábit me : * et illic iter, quo osténdam illi salutáre Dei.

Psalmus lj.

QUid gloriáris in malítia,* qui potens es in iniquitáte?

Tota die injustítiam cogitávit lingua tua : * sicut novácula acúta fecísti dolum.

Dilexísti malítiam super benignitátem : * iniquitátem magis, quam loqui æquitátem.

Dilexísti ómnia verba præcipitatiónis, * lingua dolósa.

Proptérea Deus déstruet te in finem, evéllet te, et emigrábit te de tabernáculo tuo : * et radícem tuam de terra vivéntium.

Vidébunt justi, et timébunt, et super eum ridébunt, et dicent : * Ecce homo,qui non pósuit Deum adjutórem suum :

Sed sperávit in multitúdine divitiárum suárum : * et præváluit in vanitáte sua.

Ego autem, sicut olíva fructífera in domo Dei, * sperávi in misericórdia Dei in ætérnum : et in sæculum sæculi.

Confitébor tibi in sæculum quia fecísti : * et exspectábo nomen tuum, quóniam bonum est in conspéctu sanctórum tuórum.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Deus deórum Dóminus locútus est.

In Adventu, ℣. Egrediétur virga de radíce Jesse. ℞. Et flos de radíce ejus ascéndet.

In Quadrages. ℣. Scápulis suis obumbrábit tibi. ℞. Et sub pennis ejus sperábis.

Temp. Passionis, ℣. De ore leónis líbera me Dómine. ℞. Et a córnibus unicórnium humilitátem meam.

Tempore Paschali, Aña. Allelúia.

℣. Surréxit Dóminus vere. ℞. Et appáruit Simóni, allelúia.

Per Annum, ℣. Immola Deo sacrifícium laudis. ℞. Et redde Altíssimo vota tua.

In Officio Simpliciss. ℣. ut in Comm. de ij. Noct.

Responsoria, quæ sequuntur, dicuntur quotidie, quando fit de Feria, in Feriis iij. ab Oct. Epiph. usque ad Quadrages. et ab Oct. Corporis Christi,

usque ad Advent. quando in eisdem legitur aliqua Homilia; et non legitur de Script. quod continget in Vigiliis, et quando ponenda sit in eisdem Homilia aliqua Dominicalis, quæ superest.

℞. j. Auribus pércipe Dómine lácrymas meas : Ne síleas a me, remítte mihi : * Quóniam íncola ego sum apud te, et peregrínus. ℣. Dixi, Custódiam vias meas : ut non delínquam in lingua mea. — Quóniam íncola.

℞. ij. Státuit Dóminus supra petram pedes meos : et diréxit gressus meos Deus meus : * Et immísit in os meum cánticum novum. ℣. Exspéctans exspectávi Dóminum, et respéxit me. — Et immísit in os meum.

℞. iij. Ego dixi Dómine miserére mei : * Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. ℣. Dómine ne in ira tua árguas me : neque in furóre tuo corrípias me.— Sana. Glória Patri. Sana. ℞. Ego dixi.

Sacerdotalis ℣. in Adventu, Emítte Agnum Dómine Dominatórem terræ. ℞. De petra desérti ad montem fíliæ Sion.

In Quadrages. ℣. Dicet Dómino. ℞. Suscéptor meus es tu.

Temp. Passionis, ℣. Eripe me de inimícis meis Deus meus. ℞. Et ab insurgéntibus in me líbera me.

Per Annum, ℣. Fiat misericórdia tua Dómine super nos. ℞. Quemádmodum sperávimus in te.

AD LAUDES,

Aña. Secúndum magnam misericórdiam tuam, miserére mei Deus.

Ps. Miserére mei. 42.

Aña. Salutáre.

Psalmus xlij.

JUdica me Deus, et discérne causam meam de Gente non sancta, * ab hómine iníquo, et dolóso érue me.

Quia tu es Deus fortitúdo mea : * quare me repulísti? et quare tristis incédo, dum afflígit me inimícus?

Emítte lucem tuam, et veritátem tuam : * ipsa me deduxérunt, et adduxérunt in montem sanctum tuum, et in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei : * ad Deum, qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara Deus Deus meus : * Quare tristis es ánima mea? et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Salutáre vultus mei, et Deus meus.

Aña. Ad te de luce vígilo Deus.

Ps. Deus Deus meus. 22.

Aña. Cunctis diébus.

Canticum Ezechiae.
Isaiæ 38. ℣. 10.

Ego dixi : In dimídio diérum meórum * vadam ad portas ínferi.

Quæsívi resíduum annórum meórum. * Dixi : Non vidébo Dóminum Deum in terra vivéntium.

Non adspíciam hóminem ultra, * et habitatórem quiétis.

Generátio mea abláta est : * et convolúta est a me, quasi tabernáculum pastórum.

Præcísa est velut a texénte, vita mea : dum adhuc ordírer, succídit me : * de mane usque ad vésperam fínies me.

Sperábam usque ad mane, * quasi leo sic contrívit ómnia ossa mea :

De mane usque ad vésperam fínies me : * sicut pullus hirúndinis sic clamábo, meditábor ut colúmba :

Attenuáti sunt óculi mei, * suspiciéntes in excélsum.

Dómine vim pátior, respónde pro me : * Quid dicam, aut quid respondébit mihi, cum ipse fécerit?

Recogitábo tibi omnes annos meos * in amaritúdine ánimæ meæ.

Dómine si sic vívitur, et in tálibus vita spíritus mei, corrípies me, et vivificábis me : * ecce in pace amaritúdo mea amaríssima :

Tu autem eruísti ánimam meam, ut non períret, * projecísti post tergum tuum ómnia peccáta mea.

Quia non inférnus confitébitur tibi, neque mors laudábit te : * non exspectábunt qui descéndunt in lacum, veritátem tuam.

Vivens vivens ipse confitébitur tibi, sicut et ego hódie : * pater fíliis notam fáciet veritátem tuam.

Dómine salvum me fac, * et psalmos nostros cantábimus cunctis diébus vitæ nostræ in domo Dómini.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Cunctis diébus vitæ nostræ, salvos nos fac Dómine.

Aña. In Ecclésiis laudáte Deum.

Ps. Laudáte Dóminum de cœlis. 24.

Capitulum. 1. Cor. 16.

FRatres : Vigiláte, state in fide, viríliter ágite, et confortámini : ómnia vestra in caritáte fiant.

Hymnus. Aur. Prud.

ALes diéi núntius
Lucem propínquam præcinit :
Nos excitátor méntium
Jam Christus ad vitam vocat.
Auférte, clamat, léctulos,
Ægro sopóre désides :
Castéque, recte, ac sóbrie
Vigiláte, jam sum próximus.
Jesum ciámus vócibus,
Flentes, precántes sóbrie,
Inténta supplicátio,
Dormíre cor mundum vetat.
Tu Christe somnum díscute,
Tu rumpe noctis víncula :
Tu solve peccátum vetus,
Novúmque lumen íngere.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum.
Amen.

℣. In matutínis Dómine meditábor in te. ℟. Quia fuísti adjútor meus.

Ad Benedictus, Aña. Eréxit Dóminus cornu salútis nobis, in domo David púeri sui.

FERIA QUARTA
AD MATUTINUM.

Invitat. In manu tua Dómine; * Omnes fines terræ.

Ps. Veníte, exsultémus. 2.

Hymnus. D. Ambr.

RErum Creátor óptime,
Rectórque noster ádspice :
Nos a quiéte nóxia
Mersos sopóre líbera.
Te, sancte Christe póscimus,
Ignósce tu crimínibus :
Ad confitendum súrgimus,
Morásque noctis rúmpimus.
Mentes manúsque tóllimus,
Prophéta sicut nóctibus
Nobis geréndum præcipit,
Paulúsque gestis cénsuit.
Vides malum, quod géssimus,
Occúlta nostra pándimus :
Preces geméntes fúndimus,
Dimítte, quod peccávimus.
Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum.
Amen.

Aña. Convértit Deus.

Tempore Paschali, Aña. Allelúia, sub qua dicuntur omnes Psalmi Nocturn.

Psalmus lij.

DIxit insípiens in corde suo : * Non est Deus.

Corrúpti sunt, et abominábiles facti sunt in iniquitátibus : * non est qui fáciat bonum.

Deus de cœlo prospéxit super fílios hóminum : * ut vídeat si est intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt : * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Nonne scient omnes qui operántur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam ut cibum panis?

Deum non invocavérunt : * illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Deus dissipávit ossa eórum qui homínibus placent : * confúsi sunt, quóniam Deus sprevit eos.

Quis dabit ex Sion salutáre Israel? * cum convérterit Deus captivitátem plebis suæ, exsultábit Jacob, et lætábitur Israel.

Psalmus liv.

EXáudi Deus oratiónem meam, et ne despéxeris deprecatiónem meam : * inténde mihi, et exáudi me.

Contristátus sum in exercitatióne mea : * et conturbátus sum a voce inimíci, et a tribulatióne peccatóris.

Quóniam declinavérunt in me iniquitátes : * et in ira molésti erant mihi.

Cor meum conturbátum est in me : * et formído mortis cécidit super me.

Timor et tremor venérunt super me : * et contexérunt me ténebræ :

Et dixi : Quis dabit mihi pennas sicut colúmbæ, * et volábo, et requiéscam?

Ecce elongávi fúgiens : * et mansi in solitúdine.

Exspectábam eum, qui salvum me fecit * a pusillanimitáte spíritus, et tempestáte.

Præcípita Dómine, dívide linguas eórum : * quóniam vidi iniquitátem, et contradictiónem in civitáte.

Die ac nocte circúmdabit eam super muros ejus iníquitas * et labor in médio ejus, et injustítia.

Et non defécit de platéis ejus : * usúra, et dolus.

Quóniam si inimícus meus maledixísset mihi, * sustinuíssem útique.

Et si is, qui óderat me, super me magna locútus fuísset : * abscondíssem me fórsitan ab eo.

Tu vero homo unánimis ; * dux meus, et notus meus :
Qui simul mecum dulces capiébas cibos : * in domo Dei ambulávimus cum consénsu.
Véniat mors super illos : * et descéndant in inférnum vivéntes :
Quóniam nequítiæ in habitáculis eórum : * in médio eórum.
Ego autem ad Deum clamávi : * et Dóminus salvábit me.
Véspere, et mane, et merídie narrábo, et annuntiábo : * et exáudiet vocem meam.
Rédimet in pace ánimam meam ab his, qui appropínquant mihi : * quóniam inter multos erant mecum.
Exáudiet Deus, et humiliábit illos, * qui est ante sæcula.
Non enim est illis commutátio, et non timuérunt Deum : * exténdit manum suam in retribuéndo.
Contaminavérunt testaméntum ejus, divísi sunt ab ira vultus ejus; * et appropinquávit cor illíus.
Mollíti sunt sermónes ejus super óleum : * et ipsi sunt jácula.
Jacta super Dóminum curam tuam, et ipse te enútriet : * non dabit in ætérnum fluctuatiónem justo.
Tu vero Deus dedúces eos, * in púteum intéritus.
Viri sánguinum, et dolósi non dimidiábunt dies suos : * ego autem sperábo in te Dómine.
Glória Patri, et Fílio.
Aña. Convértit Deus captivitátem plebis suæ.
Aña, Quóniam.

Psalmus lv.

Miserére mei Deus, quóniam conculcávit me homo : * tota die impúgnans tribulávit me.
Conculcavérunt me inimíci mei tota die : * quóniam multi bellántes advérsum me.
Ab altitúdine diéi timébo : * ego vero in te sperábo.
In Deo laudábo sermónes meos, in Deo sperávi : * non timébo quid fáciat mihi caro.
Tota die verba mea exsecrabántur : * advérsum me omnes cogitatiónes eórum, in malum.
Inhabitábunt, et abscóndent : * ipsi calcáneum meum observábunt.
Sicut sustinuérunt ánimam meam, pro níhilo salvos fácies illos : * in ira pópulos confrínges.
Deus, vitam meam an-

nuntiávi tibi : * posuísti lácrymas meas in conspéctu tuo.

Sicut et in promissióne tua : * tunc converténtur inimíci mei retrórsum :

In quacúmque die invocávero te : * ecce cognóvi quóniam Deus meus es.

In Deo laudábo verbum, in Dómino laudábo sermónem : * in Deo sperávi, non timébo quid fáciat mihi homo.

In me sunt Deus vota tua, * quæ reddam, laudatiónes tibi.

Quóniam eripuísti ánimam meam de morte, et pedes meos de lapsu : * ut pláceam coram Deo in lúmine vivéntium.

Psalmus lvj.

MIserére mei Deus, miserére mei : * quóniam in te confídit ánima mea.

Et in umbra alárum tuárum sperábo, * donec tránseat iníquitas.

Clamábo ad Deum altíssimum : * Deum qui benefécit mihi.

Misit de cœlo, et liberávit me : * dedit in oppróbrium conculcántes me.

Misit Deus misericórdiam suam, et veritátem suam, et erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum : * dormívi conturbátus.

Fílii hóminum dentes eórum arma, et sagíttæ : * et lingua eórum gládius acútus.

Exaltáre super cœlos Deus : * et in omnem terram glória tua.

Láqueum paravérunt pédibus meis : * et incurvavérunt ánimam meam.

Fodérunt ante fáciem meam fóveam : * et incidérunt in eam.

Parátum cor meum Deus, parátum cor meum : * cantábo, et psalmum dicam.

Exsúrge glória mea, exsúrge psaltérium et cíthara : * exsúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis Dómine : * et psalmum dicam tibi in Géntibus.

Quóniam magnificáta est usque ad cœlos misericórdia tua, * et usque ad nubes véritas tua.

Exaltáre super cœlos Deus : * et super omnem terram glória tua.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Quóniam in te confídit ánima mea.

Aña. Recta judicáte.

Psalmus lvij.

SI vere útique justítiam loquímini : * recta judicáte fílii hóminum.

Etenim in corde iniquitátes operámini : * in terra injustítias manus vestræ concínnant.

Alienáti sunt peccatóres a vulva, erravérunt ab útero : * locúti sunt falsa.

Furor illis secúndum similitúdinem serpéntis : * sicut áspidis surdæ, et obturántis aures suas,

Quæ non exáudiet vocem incantántium : * et venéfici incantántis sapiénter.

Deus cónteret dentes eórum in ore ipsórum : * molas leónum confrínget Dóminus.

Ad níhilum devénient tamquam aqua decúrrens : * inténdit arcum suum donec infirméntur.

Sicut cera, quæ fluit, auferéntur : * supercécidit ignis, et non vidérunt solem.

Priúsquam intellígerent spinæ vestræ rhamnum : * sicut vivéntes, sic in ira absórbet eos.

Lætábitur justus cum víderit vindíctam : * manus suas lavábit in sánguine peccatóris.

Et dicet homo : Si útique est fructus justo : * útique est Deus júdicans eos in terra.

Psalmus lviij.

ERipe me de inimícis meis Deus meus : * et ab insurgéntibus in me líbera me.

Eripe me de operántibus iniquitátem : * et de viris sánguinum salva me.

Quia ecce cepérunt ánimam meam : * irruérunt in me fortes.

Neque iníquitas mea, neque peccátum meum Dómine : * sine iniquitáte cucúrri, et diréxi.

Exsúrge in occúrsum meum, et vide : * et tu Dómine Deus virtútum, Deus Israel,

Inténde ad visitándas omnes Gentes : * non misereáris ómnibus, qui operántur iniquitátem.

Converténtur ad vésperam : * et famem patiéntur ut canes, et circuíbunt civitátem.

Ecce loquéntur in ore suo, et gládius in lábiis eórum : * quóniam quis audívit?

Et tu Dómine deridébis eos : * ad níhilum dedúces omnes Gentes.

Fortitúdinem meam ad te custódiam, quia Deus suscéptor meus es : * Deus meus misericórdia ejus prævéniet me.

Deus osténdet mihi super inimícos meos, ne occídas

eos : * nequándo oblivi-scántur pópuli mei.

Dispérge illos in virtúte tua : * et depóne eos pro-téctor meus Dómine :

Delíctum oris eórum, ser-mónem labiórum ipsó-rum : * et comprehendán-tur in supérbia sua.

Et de exsecratióne, et mendácio annuntiabúntur in consummatióne : * in ira consummatiónis, et non erunt.

Et scient quia Deus do-minábitur Jacob : * et fí-nium terræ.

Convertántur ad véspe-ram, * et famem patiéntur ut canes, et circuíbunt ci-vitátem.

Ipsi dispergéntur ad manducándum : * si vero non fúerint saturáti, et murmurábunt.

Ego autem cantábo for-titúdinem tuam : * et exsul-tábo mane misericórdiam tuam.

Quia factus es suscéptor meus, * et refúgium meum, in die tribulatiónis meæ.

Adjútor meus tibi psal-lam, quia Deus suscéptor meus es : * Deus meus misericórdia mea.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Recta judicáte fílii hóminum.

Aña. Da nobis.

Psalmus lix.

DEus repulísti nos, et destruxísti nos : * irátus es, et misértus es nobis.

Commovísti terram, et conturbásti eam : * sana contritiónes ejus, quia com-móta est.

Ostendísti pópulo tuo dura : * potásti nos vino compunctiónis.

Dedísti metuéntibus te significatiónem : * ut fú-giant a fácie arcus :

Ut liberéntur dilécti tui : * salvum fac déxtera tua, et exáudi me.

Deus locútus est in san-cto suo : * Lætábor, et par-tíbor Síchimam : et con-vállem tabernaculórum metíbor.

Meus est Gálaad, et meus est Manásses : * Et Ephra-ïm fortitúdo cápitis mei :

Juda Rex meus : * Moab olla spei meæ.

In Idumæam exténdam calceaméntum meum : * mihi alienígenæ súbditi sunt.

Quis dedúcet me in civi-tátem munítam? * quis de-dúcet me usque in Idu-mæam?

Nonne tu Deus, qui re-pulísti nos : * et non egre-diéris Deus in virtútibus nostris?

Da nobis auxílium de tribulatióne : * quia vana salus hóminis.

In Deo faciémus virtútem : * et ipse ad níhilum dedúcet tribulántes nos.

Psalmus lx.

Exáudi Deus deprecatiónem meam : * inténde oratióni meæ.

A fínibus terræ ad te clamávi : * dum anxiarétur cor meum, in petra exaltásti me.

Deduxísti me, quia factus es spes mea : * turris fortitúdinis a fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in sæcula : * prótegar in velaménto alárum tuárum.

Quóniam tu Deus meus exaudísti oratiónem meam : * dedísti hereditátem timéntibus nomen tuum.

Dies super dies Regis adjícies : * annos ejus usque in diem generatiónis, et generatiónis.

Pérmanet in ætérnum in conspéctu Dei : * misericórdiam et veritátem ejus quis requíret?

Sic psalmum dicam nómini tuo in sæculum sæculi : * ut reddam vota mea de die in diem.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Da nobis Dómine auxílium de tribulatióne.

Aña. A timóre inimíci.

Psalmus lxi.

Nonne Deo subjécta erit ánima mea? * ab ipso enim salutáre meum.

Nam et ipse Deus meus, et salutáris meus : * suscéptor meus, non movébor ámplius.

Quoúsque irrúitis in hóminem? * interfícitis univérsi vos : tamquam paríeti inclináto, et macériæ depúlsæ?

Verúmtamen prétium meum cogitavérunt repéllere, cucúrri in siti : * ore suo benedicébant, et corde suo maledicébant.

Verúmtamen Deo subjécta esto ánima mea : * quóniam ab ipso patiéntia mea.

Quia ipse Deus meus, et salvátor meus, * adjútor meus, non emigrábo.

In Deo salutáre meum, et glória mea : * Deus auxílii mei, et spes mea in Deo est.

Speráte in eo omnis congregátio pópuli, effúndite coram illo corda vestra : * Deus adjútor noster in ætérnum.

Verúmtamen vani fílii hóminum, mendáces fílii hóminum in statéris : * ut

decípiant ipsi de vanitáte in idípsum.
Nolíte speráre in iniquitáte, et rapínas nolíte concupíscere : * divítiæ si áffluant nolíte cor appónere.
Semel locútus est Deus, duo hæc audívi, quia potéstas Dei est, et tibi Dómine misericórdia : * quia tu reddes unicuíque juxta ópera sua.

Psalmus lxiij.

Exáudi Deus oratiónem meam cum déprecor : * a timóre inimíci éripe ánimam meam.
Protexísti me a convéntu malignántium : * a multitúdine operántium iniquitátem.
Quia exacuérunt ut gládium linguas suas : * intendérunt arcum rem amáram, ut sagíttent in occúltis immaculátum.
Súbito sagittábunt eum, et non timébunt : * firmavérunt sibi sermónem nequam.
Narravérunt ut abscónderent láqueos : * dixérunt : Quis vidébit eos?
Scrutáti sunt iniquitátes : * defecérunt scrutántes scrutínio.
Accédet homo ad cor altum : * et exaltábitur Deus.
Sagíttæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum : * et infirmátæ sunt contra eos linguæ eórum.
Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos : * et tímuit omnis homo.
Et annuntiavérunt ópera Dei : * et facta ejus intellexérunt.
Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo, * et laudabúntur omnes recti corde.
Glória Patri, et Fílio.
Aña. A timóre inimíci éripe Dómine ánimam meam.
Aña. In Ecclésiis.

Psalmus lxv.

Jubiláte Deo omnis terra, psalmum dícite nómini ejus : * date glóriam laudi ejus.
Dícite Deo quam terribília sunt ópera tua Dómine! * in multitúdine virtútis tuæ mentiéntur tibi inimíci tui.
Omnis terra adóret te, et psallat tibi : * psalmum dicat nómini tuo.
Veníte, et vidéte ópera Dei : * terríbilis in consíliis super fílios hóminum.
Qui convértit mare in áridam, in flúmine pertransíbunt pede : * ibi lætábimur in ipso.
Qui dominátur in virtúte

sua in ætérnum, óculi ejus super Gentes respíciunt : * qui exásperant non exalténtur in semetípsis.

Benedícite Gentes Deum nostrum : * et audítam fácite vocem laudis ejus.

Qui pósuit ánimam meam ad vitam : * et non dedit in commotiónem pedes meos.

Quóniam probásti nos Deus : * igne nos examinásti, sicut examinátur argéntum.

Induxísti nos in láqueum, posuísti tribulatiónes in dorso nostro : * imposuísti hómines super cápita nostra.

Transívimus per ignem et aquam :* et eduxísti nos in refrigérium.

Introíbo in domum tuam in holocáustis : * reddam tibi vota mea, quæ distinxérunt lábia mea.

Et locútum est os meum,* in tribulatióne mea.

Holocáusta medulláta ófferam tibi cum incénso aríetum : * ófferam tibi boves cum hircis.

Veníte, audíte, et narrábo omnes qui timétis Deum,* quanta fecit ánimæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamávi, * et exaltávi sub lingua mea.

Iniquitátem si adspéxi in corde meo,* non exáudiet Dóminus.

Proptérea exaudívit Deus, * et atténdit voci deprecatiónis meæ.

Benedíctus Deus, * qui non amóvit oratiónem meam, et misericórdiam suam a me.

Psalmus lxvii.

Exsúrgat Deus, et dissipéntur inimíci ejus, * et fúgiant qui odérunt eum, a fácie ejus.

Sicut déficit fumus, defíciant : * sicut fluit cera a fácie ignis, sic péreant peccatóres a fácie Dei.

Et justi epuléntur, et exsúltent in conspéctu Dei :* et delectántur in lætítia.

Cantáte Deo, psalmum dícite nómini ejus : * iter fácite ei, qui ascéndit super occásum : Dóminus nomen illi.

Exsultáte in conspéctu ejus, * turbabúntur a fácie ejus, patris orphanórum, et júdicis viduárum.

Deus in loco sancto suo :* Deus, qui inhabitáre facit unius moris in domo :

Qui edúcit vinctos in fortitúdine, * simíliter eos qui exásperant, qui hábitant in sepúlcris.

Deus cum egrederéris in conspéctu pópuli tui,* cum pertransíres in desérto.

Terra mota est, * étenim cœli distillavérunt a fácie Dei Sínaï, a fácie Dei Israel.

Plúviam voluntáriam segregábis Deus hereditáti tuæ : * et infirmáta est, tu vero perfecísti eam.

Animália tua habitábunt in ea : * parásti in dulcédine tua páuperi, Deus.

Dóminus dabit verbum evangelizántibus, * virtúte multa.

Rex virtútum dilécti dilécti : * et speciéi domus divídere spólia.

Si dormiátis inter médios cleros, * pennæ colúmbæ deargentátæ, et posterióra dorsi ejus in pallóre auri.

Dum discérnit cœléstis reges super eam, nive dealbabúntur in Selmon : * mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulátus, mons pinguis : * ut quid suspicámini montes coagulátos?

Mons, in quo beneplácitum est Deo habitáre in eo : * étenim Dóminus habitábit in finem.

Currus Dei decem míllibus múltiplex, míllia lætántium : * Dóminus in eis in Sina in sancto.

Ascendísti in altum, cepísti captivitátem : * accepísti dona in homínibus.

Etenim non credéntes, * inhabitáre Dóminum Deum.

Benedíctus Dóminus die quotídie : * prósperum iter fáciet nobis Deus salutárium nostrórum.

Deus noster, Deus salvos faciéndi : * et Dómini Dómini éxitus mortis.

Verúmtamen Deus confrínget cápita inimicórum suórum : * vérticem capílli perambulántium in delíctis suis.

Dixit Dóminus : Ex Basan convértam : * convértam in profúndum maris :

Ut intingátur pes tuus in sánguine : * lingua canum tuórum ex inimícis, ab ipso.

Vidérunt ingréssus tuos Deus, ingréssus Dei mei : * Regis mei, qui est in sancto.

Prævenérunt príncipes conjúncti psalléntibus, * in médio juvenculárum tympanistriárum.

In Ecclésiis benedícite Deo Dómino, * de fóntibus Israel.

Ibi Bénjamin adolescéntulus, * in mentis excéssu.

Príncipes Juda duces eórum : * príncipes Zábulon, príncipes Néphtali.

Manda Deus virtúti tuæ : * confírma hoc Deus, quod operátus es in nobis.

A templo tuo in Jerúsalem, * tibi ófferent reges múnera.

Increpa feras arúndinis, congregátio taurórum in vaccis populórum :* ut exclúdant eos, qui probáti sunt argénto.

Díssipa Gentes, quæ bella volunt : * vénient legáti ex Ægypto, Æthiópia prævéniet manus ejus Deo.

Regna terræ, cantáte Deo : * psállite Dómino :

Psállite Deo,* qui ascéndit super cœlum cœli, ad Oriéntem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtútis,* date glóriam Deo super Israel, magnificéntia ejus, et virtus ejus in núbibus.

Mirábilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtútem, et fortitúdinem plebi suæ, * benedíctus Deus.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. **In Ecclésiis benedícite Dómino.**

In Adventu, ℣. **Egrediétur Dóminus de loco sancto suo.** ℟. **Véniet ut salvum fáciat pópulum suum a peccátis eórum.**

In Quadrag. post j. Dominicam. ℣. **Scuto circúmdabit te véritas ejus.** ℟. **Non timébis a timóre noctúrno.**

Tempore Passionis, ℣. **Ne perdas cum ímpiis Deus ánimam meam.** ℟. **Et cum viris sánguinum vitam meam.**

Tempore Paschali, Aña. **Allelúia.**

℣. **Surréxit Dóminus de sepúlcro.** ℟. **Qui pro nobis pepéndit in ligno, allelúia.**

Per Annum, ℣. **Deus vitam meam annuntiávi tibi.** ℟. **Posuísti lácrymas meas in conspéctu tuo.**

In Officio Simplicissimo, ℣. de Communi, ut in iij. Nocturno.

Responsoria, quæ sequuntur, dicantur quotidie. quando fit de Feria, in Feriis iv. ab Octava Epiphaniæ usque ad Quadrag. Item in Feriis iv. Cinerum, et Quatuor Temporum Septembris. Item ab Octava Corporis Christi usque ad Advent. quando in Feriis iv. legitur aliqua Homilia, et non legitur de Scriptura, quod continget in Vigiliis, et quando ponenda sit in eisdem Homilia aliqua Dominicalis quæ superest.

℟. j. **Ne perdíderis me**

Dómine, cum iniquitátibus meis : * Neque in finem irátus resérves mala mea. ℣. Miserére mei Deus, miserére mei : quóniam in te confídit ánima mea. — Neque in finem.

℟. ij. Parátum cor meum Deus, parátum cor meum : cantábo : * Et psalmum dicam Dómino. ℣. Exsúrge glória mea : exsúrge psaltérium, et cíthara : exsúrgam dilúculo. — Et psalmum.

℟. iij. Adjútor meus tibi psallam, quia Deus suscéptor meus es. * Deus meus misericórdia mea. ℣. Eripe me de inimícis meis Deus meus : et ab insurgéntibus in me líbera me. — Deus meus. Glória Patri. Deus meus.

℟. Adjútor meus.

Sacerdotalis ℣. in Advent. Emítte Agnum Dómine, Dominatórem terræ. ℟. De petra desérti ad montem fíliæ Sion.

In Quadrages. post j. Dominicam. ℣. Dicet Dómino. ℟. Suscéptor meus es tu.

Temp. Passionis, ℣. Eripe me de inimícis meis Deus meus. ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me.

Per Annum, ℣. Fiat misericórdia tua Dómine super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te.

AD LAUDES.

Aña. Amplius lava me Dómine ab iniquitáte mea.

Ps. Miserére mei. 42.

Aña. Te decet.

Psalmus lxiv.


TE decet hymnus Deus in Sion : * et tibi reddétur votum in Jerúsalem.

Exáudi oratiónem meam : * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt super nos : * et impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus, quem elegísti, et assumpsísti : * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domus tuæ : * sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exáudi nos Deus salutáris noster, * spes ómnium fínium terræ, et in mari longe.

Præparans montes in virtúte tua, accínctus poténtia : * qui contúrbas profúndum maris, sonum flúctuum ejus.

Turbabúntur Gentes, et timébunt qui hábitant términos a signis tuis : * éxitus matutíni, et véspere delectábis.

Visitásti terram, et inebriásti eam : * multiplicásti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis, parásti cibum illórum : * quóniam ita est præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus : * in stillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ : * et campi tui replebúntur ubertáte.

Pinguéscent speciósa desérti :* et exsultatióne colles accingéntur.

Indúti sunt aríetes óvium, et valles abundábunt fruménto : * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Te decet hymnus Deus in Sion.

Aña. Lábia mea laudábunt te in vita mea, Deus meus.

Ps. Deus Deus meus. 22.

Aña. Dóminus judicábit.

Canticum Annae.

1. Reg. 2.

Exsultávit cor meum in Dómino,* et exaltátum est cornu meum in Deo meo.

Dilatátum est os meum super inimícos meos : * quia lætáta sum in salutári tuo.

Non est sanctus, ut est Dóminus : * neque enim est álius extra te, et non est fortis sicut Deus noster.

Nolíte multiplicáre loqui sublímia, * gloriántes.

Recédant vétera de ore vestro : * quia Deus scientiárum Dóminus est, et ipsi præparántur cogitatiónes.

Arcus fórtium superátus est, * et infírmi accíncti sunt róbore.

Repléti prius, pro pánibus se locavérunt : * et famélici saturáti sunt,

Donec stérilis péperit plúrimos : * et quæ multos habébat fílios, infirmáta est.

Dóminus mortíficat, et vivíficat, * dedúcit ad ínferos, et redúcit.

Dóminus páuperem facit, et ditat, * humíliat, et súblevat.

Súscitat de púlvere egénum, * et de stércore élevat páuperem :

Ut sédeat cum princípibus, * et sólium glóriæ téneat.

Dómini enim sunt cárdines terræ, * et pósuit super eos orbem.

Pedes sanctórum suórum servábit, et ímpii in ténebris conticéscent : * quia

non in fortitúdine sua roborábitur vir.
Dóminum formidábunt adversárii ejus: * et super ipsos in cœlis tonábit:
Dóminus judicábit fines terræ, et dabit impérium Regi suo, * et sublimábit cornu Christi sui.
Glória Patri, et Fílio.
Aña. Dóminus judicábit fines terræ.
Aña. Cœli cœlórum laudáte Dóminum.
Ps. Laudáte Dóminum de cœlis. 24.
Capitulum. 1. Cor. 16.
FRatres: Vigiláte, state in fide, viríliter ágite, et confortámini: ómnia vestra in caritáte fiant.
Hymnus. Aur. Prud.
NOx, et tenébræ, et núbila,
Confúsa mundi, et túrbida,
(Lux intrat, albéscit polus,
Christus venit) discédite.
Calígo terræ scínditur,
Percússa solis spículo;
Rebúsque jam color redit,
Vultu niténtis síderis.
Te, Christe, solum nóvimus,
Te mente pura, et símplici
Flendo, et canéndo, quæsumus,
Inténde nostris sénsibus.
Sunt multa fucis íllita,
Quæ luce purgéntur tua:
Tu lux eói síderis,
Vultu seréno illúmina.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum. Amen.
℣. In matutínis Dómine meditábor in te. ℟. Quia fuísti adjútor meus.
Ad Benedictus, Aña. Salútem tríbue ex inimícis nostris, et de manu ómnium qui odérunt nos, líbera nos Dómine.

FERIA QUINTA
AD MATUTINUM.

Invitat. Adorémus Dóminum, * Quóniam ipse fecit nos.
Ps. Veníte, exsultémus. 2.
Hymnus. D. Ambr.
NOx atra rerum cóntegit
Terræ colóres ómnium;
Nos confiténtes póscimus
Te, juste judex córdium,
Ut áuferas piácula,
Sordésque mentis ábluas,
Donésque, Christe, grátiam,
Ut arceántur crímina.
Mens ecce torpet ímpia,
Quam culpa mordet nóxia:
Obscúra gestit tóllere,
Et te, Redémptor, quærere.

Repélle tu calíginem
Intrínsecus quam máxime :
Ut in beáto gáudeat
Se collocári lúmine.
Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum. Amen.

Aña. Dómine Deus.

Tempore Paschali, Aña. Allelúia, sub qua dicuntur omnes Psalmi Noctturn.

Psalmus lxviij.

SAlvum me fac Deus : * quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam.

Infíxus sum in limo profúndi :* et non est substántia.

Veni in altitúdinem maris :* et tempéstas demérsit me.

Laborávi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ : * defecérunt óculi mei, dum spero in Deum meum.

Multiplicáti sunt super capíllos cápitis mei, * qui odérunt me gratis.

Confortáti sunt qui persecúti sunt me inimíci mei injúste : * quæ non rápui, tunc exsolvébam.

Deus tu scis insipiéntiam meam : * et delícta mea a te non sunt abscóndita.

Non erubéscant in me qui exspéctant te Dómine, * Dómine virtútum.

Non confundántur super me * qui quærunt te, Deus Israel.

Quóniam propter te sustínui oppróbrium : * opéruit confúsio fáciem meam.

Extráneus factus sum frátribus meis,* et peregrínus fíliis matris meæ.

Quóniam zelus domus tuæ comédit me : * et oppróbria exprobrántium tibi, cecidérunt super me.

Et opérui in jejúnio ánimam meam : * et factum est in oppróbrium mihi.

Et pósui vestiméntum meum cilícium : * et factus sum illis in parábolam.

Advérsum me loquebántur qui sedébant in porta:* et in me psallébant qui bibébant vinum.

Ego vero oratiónem meam ad te Dómine : * tempus benepláciti Deus.

In multitúdine misericórdiæ tuæ exáudi me, * in veritáte salútis tuæ :

Eripe me de luto, ut non infígar : * líbera me ab iis, qui odérunt me, et de profúndis aquárum.

Non me demérgat tempéstas aquæ, neque absórbeat me profúndum : *

neque úrgeat super me púteus os suum.
Exáudi me Dómine, quóniam benígna est misericórdia tua : * secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum réspice in me.
Et ne avértas fáciem tuam a púero tuo : * quóniam tríbulor, velóciter exáudi me.
Inténde ánimæ meæ, et líbera eam : * propter inimícos meos éripe me.
Tu scis impropérium meum, et confusiónem meam, * et reveréntiam meam.
In conspéctu tuo sunt omnes qui tríbulant me, * impropérium exspectávit cor meum, et misériam.
Et sustínui qui simul contristarétur, et non fuit : * et qui consolarétur, et non invéni.
Et dedérunt in escam meam fel : * et in siti mea potavérunt me acéto.
Fiat mensa eórum coram ipsis in láqueum, * et in retributiónes, et in scándalum.
Obscuréntur óculi eórum ne vídeant : * et dorsum eórum semper incúrva.
Effúnde super eos iram tuam : * et furor iræ tuæ comprehéndat eos.
Fiat habitátio eórum desérta : * et in tabernáculis eórum non sit qui inhábitet.
Quóniam quem tu percussísti, persecúti sunt : * et super dolórem vúlnerum meórum addidérunt.
Appóne iniquitátem super iniquitátem eórum : * et non intrent in justítiam tuam.
Deleántur de libro vivéntium : * et cum justis non scribántur.
Ego sum pauper, et dolens : * salus tua Deus suscépit me.
Laudábo nomen Dei cum cántico : * et magnificábo eum in laude :
Et placébit Deo super vítulum novéllum : * córnua producéntem, et úngulas.
Vídeant páuperes, et læténtur : * quærite Deum, et vivet ánima vestra :
Quóniam exaudívit páuperes Dóminus : * et vinctos suos non despéxit.
Laudent illum cœli, et terra, * mare, et ómnia reptília in eis.
Quóniam Deus salvam fáciet Sion : * et ædificabúntur civitátes Juda.
Et inhabitábunt ibi, * et hereditáte acquírent eam.

Et semen servórum ejus possidébit eam : * et qui díligunt nomen ejus, habitábunt in ea.

Psalmus lxix.

Deus in adjutórium meum inténde:* Dómine ad adjuvándum me festína.

Confundántur, et revereántur,* qui quærunt ánimam meam :

Avertántur retrórsum, et erubéscant, * qui volunt mihi mala :

Avertántur statim erubescéntes,* qui dicunt mihi : Euge, euge.

Exsúltent, et læténtur in te omnes, qui quærunt te, et dicant semper : Magnificétur Dóminus : * qui díligunt salutáre tuum.

Ego vero egénus, et pauper sum,* Deus ádjuva me.

Adjútor meus, et liberátor meus es tu : * Dómine ne moréris.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Dómine Deus in adjutórium meum inténde.

Aña. Esto mihi.

Psalmus lxx.

In te Dómine sperávi, non confúndar in ætérnum : * in justítia tua líbera me, et éripe me.

Inclína ad me aurem tuam, * et salva me.

Esto mihi in Deum protectórem, et in locum munítum : * ut salvum me fácias,

Quóniam firmaméntum meum,* et refúgium meum es tu.

Deus meus éripe me de manu peccatóris, * et de manu contra legem agéntis, et iníqui :

Quóniam tu es patiéntia mea Dómine : * Dómine spes mea a juventúte mea.

In te confirmátus sum ex útero : * de ventre matris meæ tu es protéctor meus :

In te cantátio mea semper : * tamquam prodígium factus sum multis : et tu adjútor fortis.

Repleátur os meum laude, ut cantem glóriam tuam : * tota die magnitúdinem tuam.

Ne projícias me in témpore senectútis : * cum defécerit virtus mea, ne derelínquas me.

Quia dixérunt inimíci mei mihi :* et qui custodiébant ánimam meam, consílium fecérunt in unum,

Dicéntes : Deus derelíquit eum, persequímini, et comprehéndite eum : * quia non est qui erípiat.

Deus ne elongéris a me:* Deus meus in auxílium meum réspice.

Confundántur, et defíciant detrahéntes ánimæ meæ : * operiántur confusióne, et pudóre, qui quærunt mala mihi.

Ego autem semper sperábo : * et adjíciam super omnem laudem tuam.

Os meum annuntiábit justítiam tuam : * tota die salutáre tuum.

Quóniam non cognóvi litteratúram, introíbo in poténtias Dómini :* Dómine memorábor justítiæ tuæ solíus.

Deus docuísti me a juventúte mea : * et usque nunc pronuntiábo mirabília tua.

Et usque in senéctam, et sénium : * Deus ne derelínquas me.

Donec annúntiem bráchium tuum * generatióni omni, quæ ventúra est.

Poténtiam tuam, et justítiam tuam Deus usque in altíssima, quæ fecísti magnália :* Deus quis símilis tibi?

Quantas ostendísti mihi tribulatiónes · multas, et malas : * et convérsus vivificásti me : et de abyssis terræ íterum reduxísti me :

Multiplicásti magnificéntiam tuam : * et convérsus consolátus es me.

Nam et ego confitébor tibi in vasis psalmi veritátem tuam : * Deus psallam tibi in cíthara, sanctus Israel.

Exsultábunt lábia mea cum cantávero tibi : * et ánima mea, quam redemísti.

Sed et lingua mea tota die meditábitur justítiam tuam : * cum confúsi et revériti fúerint qui quærunt mala mihi.

Psalmus lxxi.

DEus judícium tuum Regi da:*et justítiam tuam fílio Regis :

Judicáre pópulum tuum in justítia, * et páuperes tuos in judício.

Suscípiant montes pacem pópulo : * et colles justítiam.

Judicábit páuperes pópuli, et salvos fáciet fílios páuperum : * et humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum sole, et ante lunam, * in generatióne, et generatiónem.

Descéndet sicut plúvia in vellus : * et sicut stillicídia stillántia super terram.

Oriétur in diébus ejus justítia, et abundántia pacis : * donec auferátur luna.

Et dominábitur a mari usque ad mare : * et a flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes :* et inimíci ejus terram lingent.

Reges Tharsis, et ínsulæ múnera ófferent : * reges Arabum et Saba dona addúcent :

Et adorábunt eum omnes reges terræ : *omnes Gentes sérvient ei :

Quia liberábit páuperem a poténte : * et páuperem cui non erat adjútor.

Parcet páuperi, et ínopi :* et ánimas páuperum salvas fáciet.

Ex usúris et iniquitáte rédimet ánimas eórum : * et honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet, et dábitur ei de auro Arábiæ, et adorábunt de ipso semper : * tota die benedícent ei.

Et erit firmaméntum in terra in summis móntium, superextollétur super Líbanum fructus ejus : * et florébunt de civitáte sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedíctum in sæcula : * ante solem pérmanet nomen ejus.

Et benedicéntur in ipso omnes tribus terræ : * omnes Gentes magnificábunt eum.

Benedíctus Dóminus Deus Israel, * qui facit mirabília solus :

Et benedíctum nomen majestátis ejus in ætérnum : * et replébitur majestáte ejus omnis terra : fiat, fiat.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Esto mihi Dómine in Deum protectórem.

Aña. Redemísti virgam.

Psalmus lxxij.

QUam bonus Israel Deus * his, qui recto sunt corde!

Mei autem pene moti sunt pedes : * pene effúsi sunt gressus mei.

Quia zelávi super iníquos, * pacem peccatórum videns.

Quia non est respéctus morti eórum : * et firmaméntum in plaga eórum.

In labóre hóminum non sunt, * et cum homínibus non flagellabúntur :

Ideo ténuit eos supérbia,* opérti sunt iniquitáte et impietáte sua.

Pródiit quasi ex ádipe iníquitas eórum : * transiérunt in afféctum cordis.

Cogitavérunt, et locúti sunt nequítiam : * iniquitátem in excélso locúti sunt.

Posuérunt in cœlum os suum : * et lingua eórum transívit in terra.

Ideo convertétur pópulus meus hic : * et dies pleni inveniéntur in eis.

Et dixérunt : Quómodo scit Deus, * et si est sciéntia in excélso?

Ecce ipsi peccatóres, et abundántes in sæculo, * obtinuérunt divítias.

Et dixi : Ergo sine causa justificávi cor meum, * et lavi inter innocéntes manus meas :

Et fui flagellátus tota die, * et castigátio mea in matutínis.

Si dicébam : Narrábo sic : * ecce natiónem filiórum tuórum reprobávi.

Existimábam ut cognóscerem hoc, * labor est ante me :

Donec intrem in Sanctuárium Dei : * et intélligam in novíssimis eórum..

Verúmtamen propter dolos posuísti eis : * dejecísti eos dum allevaréntur.

Quómodo facti sunt in desolatiónem, súbito defecérunt : * periérunt propter iniquitátem suam.

Velut sómnium surgéntium Dómine, * in civitáte tua imáginem ipsórum ad níhilum rédiges.

Quia inflammátum est cor meum, et renes mei commutáti sunt : * et ego ad níhilum redáctus sum, et nescívi.

Ut juméntum factus sum apud te : * et ego semper tecum.

Tenuísti manum déxteram meam : * et in voluntáte tua deduxísti me, et cum glória suscepísti me.

Quid enim mihi est in cœlo? * et a te quid vólui super terram?

Defécit caro mea, et cor meum : * Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætérnum.

Quia ecce, qui elóngant se a te, períbunt : * perdidísti omnes, qui fornicántur abs te.

Mihi autem adhærére Deo bonum est : * pónere in Dómino Deo spem meam :

Ut annúntiem omnes prædicatiónes tuas, * in portis fíliæ Sion.

Psalmus lxxiij.

UT quid Deus repulísti in finem : * irátus est furor tuus super oves páscuæ tuæ?

Memor esto congregatiónis tuæ, * quam possedísti ab inítio.

Redemísti virgam here-

ditátis tuæ * mons Sion, in quo habitásti in eo.

Leva manus tuas in supérbias eórum in finem : * quanta malignátus est inimícus in sancto!

Et gloriáti sunt qui odérunt te : * in médio solemnitátis tuæ.

Posuérunt signa sua, signa : * et non cognovérunt sicut in éxitu super summum.

Quasi in silva lignórum secúribus excidérunt jánuas ejus in idípsum : * in secúri, et áscia dejecérunt eam.

Incendérunt igni Sanctuárium tuum : * in terra polluérunt tabernáculum nóminis tui.

Dixérunt in corde suo cognátio eórum simul : * Quiéscere faciámus omnes dies festos Dei a terra.

Signa nostra non vídimus, jam non est Prophéta : * et nos non cognóscet ámplius.

Usquequo Deus improperábit inimícus : * irrítat adversárius nomen tuum in finem?

Ut quid avértis manum tuam, et déxteram tuam, * de médio sinu tuo in finem?

Deus autem Rex noster ante sæcula : * operátus est salútem in médio terræ.

Tu confirmásti in virtúte tua mare : * contribulásti cápita dracónum in aquis.

Tu confregísti cápita dracónis : * dedísti eum escam pópulis Æthíopum.

Tu dirupísti fontes et torréntes : * tu siccásti flúvios Ethan.

Tuus est dies, et tua est nox : * tu fabricátus es auróram, et solem.

Tu fecísti omnes términos terræ : * æstátem et ver tu plasmásti ea.

Memor esto hujus, inimícus improperávit Dómino : * et pópulus insípiens incitávit nomen tuum.

Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi, * et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem.

Réspice in testaméntum tuum : * quia repléti sunt, qui obscuráti sunt terræ dómibus iniquitátum.

Ne avertátur húmilis factus confúsus : * pauper et inops laudábunt nomen tuum.

Exsúrge Deus, júdica causam tuam : * memor esto improperiórum tuórum, eórum quæ ab insipiénte sunt tota die.

Ne obliviscáris voces inimicórum tuórum : * supér-

bia eórum, qui te odérunt, ascéndit semper.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Redemísti virgam hereditátis tuæ.

Aña. In Israel.

Psalmus lxxiv.

Confitébimur tibi Deus : * confitébimur, et invocábimus nomen tuum.

Narrábimus mirabília tua : * cum accépero tempus, ego justítias judicábo.

Liquefácta est terra, et omnes qui hábitant in ea :* ego confirmávi colúmnas ejus.

Dixi iníquis : Nolíte iníque ágere :* et delinquéntibus : Nolíte exaltáre cornu :

Nolíte extóllere in altum cornu vestrum : * nolíte loqui advérsus Deum iniquitátem.

Quia neque ab Oriénte, neque ab Occidénte, neque a desértis móntibus : * quóniam Deus judex est.

Hunc humíliat, et hunc exáltat : * quia calix in manu Dómini vini meri plenus misto.

Et inclinávit ex hoc in hoc : verúmtamen fæx ejus non est exinaníta:* bibent omnes peccatóres terræ.

Ego autem annuntiábo in sæculum, * cantábo Deo Jacob.

Et ómnia córnua peccatórum confríngam : * et exaltabúntur córnua justi.

Psalmus lxxv.

Notus in Judæa Deus :* in Israel magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus : * et habitátio ejus in Sion.

Ibi confrégit poténtias árcuum,* scutum, gládium, et bellum.

Illúminans tu mirabíliter a móntibus ætérnis : * turbáti sunt omnes insipiéntes corde.

Dormiérunt somnum suum : * et nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus suis.

Ab increpatióne tua Deus Jacob * dormitavérunt, qui ascendérunt equos.

Tu terríbilis es, et quis resístet tibi? * ex tunc ira tua.

De cœlo audítum fecísti judícium : * terra trémuit, et quiévit,

Cum exsúrgeret in judícium Deus, * ut salvos fáceret omnes mansuétos terræ.

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi : * et relíquiæ cogitatiónis diem festum agent tibi.

Vovéte, et réddite Dómino Deo vestro : * omnes, qui in circúitu ejus affértis múnera.

Terríbili, et ei qui aufert spíritum príncipum,* terríbili apud reges terræ.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. In Israel magnum nomen ejus.

Aña. Tu es Deus.

Psalmus lxxvj.

Voce mea ad Dóminum clamávi : * voce mea ad Deum, et inténdit mihi.

In die tribulatiónis meæ Deum exquisívi, mánibus meis nocte contra eum : * et non sum decéptus.

Rénuit consolári ánima mea, memor fui Dei, et delectátus sum, et exercitátus sum : * et defécit spíritus meus.

Anticipavérunt vigílias óculi mei : * turbátus sum, et non sum locútus.

Cogitávi dies antíquos : * et annos ætérnos in mente hábui.

Et meditátus sum nocte cum corde meo, * et exercitábar, et scopébam spíritum meum.

Numquid in ætérnum projíciet Deus : * aut non appónet, ut complacítior sit adhuc?

Aut in finem misericórdiam suam abscíndet, * a generatióne in generatiónem?

Aut obliviscétur miseréri Deus? * aut continébit in ira sua misericórdias suas?

Et dixi, nunc cœpi : * hæc mutátio déxteræ excélsi.

Memor fui óperum Dómini : * quia memor ero ab inítio mirabílium tuórum.

Et meditábor in ómnibus opéribus tuis: * et in adinventiónibus tuis exercébor.

Deus in sancto via tua : quis Deus magnus sicut Deus noster? * tu es Deus, qui facis mirabília.

Notam fecísti in pópulis virtútem tuam: * redemísti in bráchio tuo pópulum tuum, fílios Jacob, et Joseph.

Vidérunt te aquæ Deus, vidérunt te aquæ : * et timuérunt et turbátæ sunt abyssi.

Multitúdo sónitus aquárum : * vocem dedérunt nubes.

Etenim sagíttæ tuæ tránseunt : * vox tonítrui tui in rota.

Illuxérunt coruscatiónes tuæ orbi terræ : * commóta est, et contrémuit terra.

In mari via tua, et sémitæ tuæ in aquis multis : *

et vestígia tua non cognoscéntur.

Deduxísti sicut oves pópulum tuum, * in manu Móysi et Aáron.

Psalmus lxxvij.

ATténdite pópule meus legem meam : * inclináte aurem vestram in verba oris mei.

Apériam in parábolis os meum : * loquar propositiónes ab inítio.

Quanta audívimus, et cognóvimus ea : * et patres nostri narravérunt nobis.

Non sunt occultáta a fíliis eórum, * in generatióne áltera.

Narrántes laudes Dómini, et virtútes ejus, * et mirabília ejus, quæ fecit.

Et suscitávit testimónium in Jacob : * et legem pósuit in Israel.

Quanta mandávit pátribus nostris nota fácere ea fíliis suis : * ut cognóscat generátio áltera.

Fílii, qui nascéntur, et exsúrgent, * et narrábunt fíliis suis,

Ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscántur óperum Dei : * et mandáta ejus exquírant.

Ne fiant sicut patres eórum : * generátio prava et exásperans.

Generátio, quæ non diréxit cor suum : * et non est créditus cum Deo spíritus ejus.

Fílii Ephrem intendéntes et mitténtes arcum : * convérsi sunt in die belli.

Non custodiérunt testaméntum Dei : * et in lege ejus noluérunt ambuláre.

Et oblíti sunt benefactórum ejus, * et mirabílium ejus quæ osténdit eis.

Coram pátribus eórum fecit mirabília in terra Ægypti, * in campo Táneos.

Interrúpit mare, et perdúxit eos : * et státuit aquas quasi in utre.

Et dedúxit eos in nube diéi : * et tota nocte in illuminatióne ignis.

Interrúpit petram in erémo : * et adaquávit eos velut in abysso multa.

Et edúxit aquam de petra : * et dedúxit tamquam flúmina aquas.

Et apposuérunt adhuc peccáre ei : * in iram excitavérunt excélsum in inaquóso.

Et tentavérunt Deum in córdibus suis : * ut péterent escas animábus suis.

Et male locúti sunt de Deo : * dixérunt : Numquid póterit Deus paráre mensam in desérto?

Quóniam percússit pe-

tram, et fluxérunt aquæ, * et torréntes inundavérunt.
Numquid et panem póterit dare, * aut paráre mensam pópulo suo?
Ideo audívit Dóminus, et dístulit : * et ignis accénsus est in Jacob, et ira ascéndit in Israel :
Quia non credidérunt in Deo, * nec speravérunt in salutári ejus :
Et mandávit núbibus désuper, * et jánuas cœli apéruit.
Et pluit illis manna ad manducándum,* et panem cœli dedit eis.
Panem Angelórum manducávit homo : * cibária misit eis in abundántia.
Tránstulit Austrum de cœlo : * et indúxit in virtúte sua Africum.
Et pluit super eos sicut púlverem carnes : * et sicut arénam maris volatília pennáta.
Et cecidérunt in médio castrórum eórum : * circa tabernácula eórum.
Et manducavérunt et saturáti sunt nimis, et desidérium eórum áttulit eis : * non sunt fraudáti a desidério suo.
Adhuc escæ eórum erant in ore ipsórum * et ira Dei ascéndit super eos.
Et occídit pingues eórum, * et eléctos Israel impedívit.
In ómnibus his peccavérunt adhuc : * et non credidérunt in mirabílibus ejus.
Et defecérunt in vanitáte dies eórum : * et anni eórum cum festinatióne.
Cum occíderet eos, quærébant eum : * et revertebántur, et dilúculo veniébant ad eum.
Et rememoráti sunt, quia Deus adjútor est eórum : * et Deus excélsus redémptor eórum est.
Et dilexérunt eum in ore suo, * et lingua sua mentíti sunt ei :
Cor autem eórum non erat rectum cum eo : * nec fidéles hábiti sunt in testaménto ejus.
Ipse autem est miséricors, et propítius fiet peccátis eórum : * et non dispérdet eos.
Et abundávit ut avérteret iram suam : * et non accéndit omnem iram suam:
Et recordátus est, quia caro sunt : * spíritus vadens, et non rédiens.
Quóties exacerbavérunt eum in desérto, * in iram concitavérunt eum in inaquóso?
Et convérsi sunt : et tentavérunt Deum : * et san-

ctum Israel exacerbavérunt.
Non sunt recordáti manus ejus, * die qua redémit eos de manu tribulántis,
Sicut pósuit in Ægypto signa sua, * et prodígia sua in campo Táneos.
Et convértit in sánguinem flúmina eórum, * et imbres eórum, ne bíberent.
Misit in eos cœnomyiam, et comédit eos : * et ranam, et dispérdidit eos.
Et dedit ærúgini fructus eórum : * et labóres eórum locústæ.
Et occídit in grándine víneas eórum : * et moros eórum in pruína.
Et trádidit grándini juménta eórum : * et possessiónem eórum igni.
Misit in eos iram indignatiónis suæ : indignatiónem, et iram, et tribulatiónem : * immissiónes per ángelos malos.
Viam fecit sémitæ iræ suæ, non pepércit a morte animábus eórum : * et juménta eórum in morte conclúsit.
Et percússit omne primogénitum in terra Ægypti : * primítias omnis labóris eórum in tabernáculis Cham.
Et ábstulit sicut oves pópulum suum : * et perdúxit eos tamquam gregem in desérto.
Et dedúxit eos in spe, et non timuérunt : * et inimícos eórum opéruit mare.
Et indúxit eos in montem sanctificatiónis suæ, * montem, quem acquisívit déxtera ejus.
Et ejécit a fácie eórum Gentes : * et sorte divísit eis terram in funículo distributiónis.
Et habitáre fecit in tabernáculis eórum * tribus Israel.
Et tentavérunt, et exacerbavérunt Deum excélsum : * et testimónia ejus non custodiérunt.
Et avertérunt se, et non servavérunt pactum : * quemádmodum patres eórum, convérsi sunt in arcum pravum.
In iram concitavérunt eum in cóllibus suis : * et in sculptílibus suis ad æmulatiónem eum provocavérunt.
Audívit Deus, et sprevit : * et ad níhilum redégit valde Israel.
Et répulit tabernáculum Silo, * tabernáculum suum, ubi habitávit in homínibus.
Et trádidit in captivitátem virtútem eórum : * et

pulchritúdinem eórum in manus inimíci.

Et conclúsit in gládio pópulum suum : * et hereditátem suam sprevit.

Júvenes eórum comédit ignis : * et vírgines eórum non sunt lamentátæ.

Sacerdótes eórum in gládio cecidérunt : * et víduæ eórum non plorabántur.

Et excitátus est tamquam dórmiens Dóminus : * tamquam potens crapulátus a vino.

Et percússit inimícos suos in posterióra : * oppróbrium sempitérnum dedit illis.

Et répulit tabernáculum Joseph : * et tribum Ephraïm non elégit.

Sed elégit tribum Juda, * montem Sion, quem diléxit.

Et ædificávit sicut unicórnium sanctifícium suum in terra, * quam fundávit in sæcula.

Et elégit David servum suum, et sústulit eum de grégibus óvium : * de post fœtántes accépit eum,

Páscere Jacob servum suum, * et Israel hereditátem suam :

Et pavit eos in innocéntia cordis sui : * et in intelléctibus mánuum suárum dedúxit eos.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Tu es Deus qui facis mirabília.

Aña. Propítius esto.

Psalmus lxxviij.

DEus venérunt Gentes in hereditátem tuam, polluérunt templum sanctum tuum : * posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam.

Posuérunt morticína servórum tuórum, escas volatílibus cœli : * carnes sanctórum tuórum béstiis terræ.

Effudérunt sánguinem eórum tamquam aquam in circúitu Jerúsalem : * et non erat qui sepelíret.

Facti sumus oppróbrium vicínis nostris : * subsannátio, et illúsio his qui in circúitu nostro sunt.

Usquequo Dómine irascéris in finem : * accendétur velut ignis zelus tuus?

Effúnde iram tuam in Gentes, quæ te non novérunt : * et in regna, quæ nomen tuum non invocavérunt :

Quia comedérunt Jacob : * et locum ejus desolavérunt.

Ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquá-

rum, cito antícipent nos misericórdiæ tuæ : * quia páuperes facti sumus nimis.

Adjuva nos Deus salutáris noster : et propter glóriam nóminis tui Dómine líbera nos : * et propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum :

Ne forte dicant in Géntibus : Ubi est Deus eórum? * et innotéscat in natiónibus coram óculis nostris,

Ultio sánguinis servórum tuórum, qui effúsus est : * intróeat in conspéctu tuo gémitus compeditórum.

Secúndum magnitúdinem bráchii tui, * pósside fílios mortificatórum.

Et redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum : * impropérium ipsórum, quod exprobravérunt tibi Dómine.

Nos autem pópulus tuus, et oves páscuæ tuæ, * confitébimur tibi in sæculum,

In generatiónem, et generatiónem * annuntiábimus laudem tuam.

Psalmus lxxix

Qui regis Israel, inténde : * qui dedúcis velut ovem Joseph.

Qui sedes super Chérubim, * manifestáre coram Ephraïm, Bénjamin, et Manásse.

Excita poténtiam tuam, et veni : * ut salvos fácias nos.

Deus convérte nos : * et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

Dómine Deus virtútum, * quoúsque irascéris super oratiónem servi tui?

Cibábis nos pane lacrymárum : * et potum dabis nobis in lácrymis in mensúra?

Posuísti nos in contradictiónem vicínis nostris : * et inimíci nostri subsannavérunt nos.

Deus virtútum convérte nos : * et osténde fáciem tuam : et salvi érimus.

Víneam de Ægypto transtulísti : * ejecísti Gentes, et plantásti eam.

Dux itíneris fuísti in conspéctu ejus : * plantásti radíces ejus, et implévit terram.

Opéruit montes umbra ejus : * et arbústa ejus cedros Dei.

Exténdit pálmites suos usque ad mare : * et usque ad flumen propágines ejus.

Ut quid destruxísti macériam ejus : * et vindémiant eam omnes, qui

prætergrediúntur viam? Extermínávit eam aper de silva : * et singuláris ferus depástus est eam.

Deus virtútum convérte-re : * réspice de cœlo, et vide, et vísita víneam istam.

Et pérfice eam, quam plantávit déxtera tua : * et super fílium hóminis, quem confirmásti tibi.

Incénsa igni, et suffóssa * ab increpatióne vultus tui períbunt.

Fiat manus tua super virum déxteræ tuæ : * et super fílium hóminis, quem confirmásti tibi.

Et non discédimus a te, vivificábis nos : * et nomen tuum invocábimus.

Dómine Deus virtútum convérte nos : * et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Propítius esto peccátis nostris Dómine.

In Adventu, ℣. Ex Sion spécies decóris ejus. ℟. Deus noster maniféste véniet.

In Quadrages. post j. Dominicam, ℣. Ipse liberábit me de láqueo venántium. ℟. Et a verbo áspero.

Temp. Passionis, ℣. Erue a frámea Deus ánimam meam. ℟. Et de manu canis únicam meam.

Tempore Paschali, Aña. Allelúia.

℣. Resurréxit Dóminus. ℟. Sicut dixit vobis, allelúia.

Per Annum, ℣. Gaudébunt lábia mea cum cantávero tibi. ℟. Et ánima mea, quam redemísti.

In Officio Simpliciss. ℣. de Communi ut in j. Nocturno.

Responsoria, quæ sequuntur, dicantur quotidie, quando fit de Feria, in Feriis v. ab Oct. Epiph. usque ad Quadrag. Item in Feria v. post Cineres. Item ab Oct. Corporis Christi usque ad Adventum, quando in Feriis v. legitur aliqua Homilia, et non legitur de Scriptura; quod continget in Vigiliis, et quando ponenda sit in eisdem Homilia aliqua Dominicalis, quæ superest.

℟. j. Deus in te sperávi, Dómine non confúndar in ætérnum, * In tua justítia líbera me, et éripe me. ℣. Esto mihi in Deum protectórem, et in locum munítum : ut salvum me fácias. — In tua.

℟. ij. Repleátur os meum laude, ut hymnum dicam nómini glóriæ tuæ : tota

die magnitúdinem tuam. Noli me projícere in témpore senectútis : * Cum defécerit virtus mea, Deus ne derelínquas me. ℣. Gaudébunt lábia mea cum cantávero tibi : et ánima mea, quam redemísti. — Cum. ℟. iij. Gaudébunt lábia mea cum cantávero tibi : * Et ánima mea, quam redemísti Dómine. ℣. Sed et lingua mea meditábitur justítiam tuam, tota die laudem tuam. — Et. Glória Patri. Et. ℟. Gaudébunt lábia.

Sacerdotalis ℣. in Adv. Emítte Agnum Dómine, dominatórem terræ. ℟. De petra desérti ad montem fíliæ Sion.

In Quadrag. post j. Dominicam, ℣. Dicet Dómino. ℟. Suscéptor meus es tu.

Temp. Passionis, ℣. Erípe me de inimícis meis Deus meus. ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me.

Per Annum, ℣. Fiat misericórdia tua Dómine super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te.

AD LAUDES.

Aña. Tibi soli peccávi, Dómine miserére mei.

Psalmus. Miserére mei Deus. 42.

Aña. Dómine.

Psalmus lxxxix.



Omine, refúgium factus es nobis : * a generatióne in generatiónem.

Priúsquam montes fíerent, aut formarétur terra et orbis : * a sæculo, et usque in sæculum tu es Deus.

Ne avértas hóminem in humilitátem : * et dixísti : Convertímini fílii hóminum.

Quóniam mille anni ante óculos tuos, * tamquam dies hestérna, quæ prætériit,

Et custódia in nocte, * quæ pro níhilo habéntur, eórum anni erunt.

Mane sicut herba tránseat, mane flóreat, et tránseat : * véspere décidat, indúret, et aréscat.

Quia defécimus in ira tua, * et in furóre tuo turbáti sumus.

Posuísti iniquitátes nostras in conspéctu tuo : * sæculum nostrum in illuminatióne vultus tui.

Quóniam omnes dies nostri defecérunt : * et in ira tua defécimus.

Anni nostri sicut aránea meditabúntur : * dies annórum nostrórum in ipsis, septuagínta anni.

Si autem in potentátibus

octogínta anni : * et ámplius eórum, labor et dolor.

Quóniam supervénit mansuetúdo : * et corripiémur.

Quis novit potestátem iræ tuæ : * et præ timóre tuo iram tuam dinumeráre?

Déxteram tuam sic notam fac : * et erudítos corde in sapiéntia.

Convértere Dómine úsquequo ! * et deprecábilis esto super servos tuos.

Repléti sumus mane misericórdia tua : * et exsultávimus, et delectáti sumus ómnibus diébus nostris.

Lætáti sumus pro diébus, quibus nos humiliásti : * annis, quibus vídimus mala.

Réspice in servos tuos, et in ópera tua : * et dírige fílios eórum.

Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos, et ópera mánuum nostrárum dírige super nos : * et opus mánuum nostrárum dírige.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Dómine refúgium factus es nobis.

Aña. In matutínis Dómine meditábor in te.

Ps. Deus Deus meus. 22.

Aña. In ætérnum.

Canticum Moysi.
Exod. 15.

CAntémus Dómino : * gloriόse enim magnificátus est, equum et ascensórem dejécit in mare.

Fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, * et factus est mihi in salútem :

Iste Deus meus, et glorificábo eum : * Deus Patris mei, et exaltábo eum.

Dóminus quasi vir pugnátor, omnípotens nomen ejus. * Currus Pharaónis, et exércitum ejus projécit in mare,

Elécti Príncipes ejus submérsi sunt in mari Rubro, * Abyssi operuérunt eos, descendérunt in profúndum quasi lapis.

Déxtera tua Dómine magnificáta est in fortitúdine, déxtera tua Dómine percússit inimícum. * Et in multitúdine glóriæ tuæ deposuísti adversários tuos :

Misísti iram tuam, quæ devorávit eos sicut stípulam. * Et in spíritu furóris tui congregátæ sunt aquæ :

Stetit unda fluens, * congregátæ sunt abyssi in médio mari.

Dixit inimícus : pérsequar, et comprehéndam, * dívidam spólia, implébitur ánima mea :

Evaginábo gládium meúm, * interfíciet eos manus mea.

Flavit spíritus tuus, et opéruit eos mare : * submérsi sunt quasi plumbum in aquis veheméntibus.

Quis símilis tui in fórtibus Dómine? * quis símilis tui, magníficus in sanctitáte, terríbilis atque laudábilis, fáciens mirabília?

Extendísti manum tuam, et devorávit eos terra. * Dux fuísti in misericórdia tua pópulo quem redemísti :

Et portásti eum in fortitúdine tua, * ad habitáculum sanctum tuum.

Ascendérunt pópuli, et iráti sunt : * dolóres obtinuérunt habitatóres Philísthiim.

Tunc conturbáti sunt Príncipes Edom, robústos Moab obtínuit tremor : * obriguérunt omnes habitatóres Chánaan.

Irruat super eos formído et pavor, * in magnitúdine bráchii tui :

Fiant immóbiles quasi lapis, donec pertránseat pópulus tuus Dómine, * donec pertránseat pópulus tuus iste, quem possedísti.

Introdúces eos, et plantábis in monte hereditátis tuæ, * firmíssimo habitáculo tuo quod operátus es Dómine :

Sanctuárium tuum Dómine, quod firmavérunt manus tuæ. * Dóminus regnábit in ætérnum, et ultra.

Ingréssus est enim eques Phárao cum cúrribus, et equítibus ejus in mare : * et redúxit super eos Dóminus aquas maris :

Fílii autem Israel ambulavérunt per siccum : * in médio ejus.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. In ætérnum Dóminus regnábit, et ultra.

Aña. In sanctis ejus laudáte Deum.

Ps. Laudáte Dóminum de cœlis. 24.

Capitulum. 1. Cor. 16.



FRatres : Vigiláte, state in fide, viríliter ágite, et confortámini : ómnia vestra in caritáte fiant.

Hymnus. Aur. Prud.

LUx ecce surgit áurea,
Pallens fatíscat cæcitas,
Quæ nosmet in præceps diu
Erróre traxit dévio.

Hæc lux serénum cónferat,
Purósque nos præstet sibi:
Nihil loquámur súbdolum,
Volvámus obscúrum nihil.

Sic tota decúrrat dies,
Ne lingua mendax, ne manus :
Oculíve peccent lúbrici,
Ne noxa corpus ínquinet.
Speculátor adstat désuper,
Qui nos diébus ómnibus,
Actúsque nostros próspicit,
A luce prima in vésperum.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum. Amen.

℣. In matutínis Dómine meditábor in te. ℟. Quia fuísti adjútor meus.

Ad Benedictus, Antiphona. In sanctitáte serviámus Dómino, et liberábit nos ab inimícis nostris.

FERIA SEXTA

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Dóminum qui fecit nos * Veníte adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus. 2.

Hymnus. D. Ambr.

Tu Trinitátis únitas,
Orbem poténter qui regis,
Atténde laudum cántica,
Quæ excubántes psállimus.
Nam léctulo consúrgimus,
Noctis quiéto témpore,
Ut flagitémus vúlnerum
A te medélam ómnium.
Quo, fraude quidquid dæmonum
In nóctibus delíquimus,
Abstérgat illud cœlitus
Tuæ potéstas glóriæ.
Ne corpus adsit sórdidum,
Nec torpor instet córdium,
Nec críminis contágio
Tepéscat ardor spíritus.
Ob hoc Redémptor quæsumus,
Reple tuo nos lúmine :
Per quod diérum círculis
Nullis ruámus áctibus.
Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum. Amen.

Aña. Exsultáte Deo.

Tempore Paschali, Aña. Allelúia, sub qua dicuntur omnes Psalmi Nocturn.

Psalmus lxxx.

Exsultáte Deo adjutóri nostro : * jubiláte Deo Jacob.

Súmite psalmum, et date tympanum : * psaltérium jucúndum cum cíthara.

Buccináte in Neoménia tuba, * in insígni die solemnitátis vestræ :

Quia præcéptum in Israel est : * et judícium Deo Jacob.

Testimónium in Joseph

pósuit illud, cum exíret de terra Ægypti : * linguam, quam non nóverat, audívit.

Divértit ab onéribus dorsum ejus : * manus ejus in cóphino serviérunt.

In tribulatióne invocásti me, et liberávi te : exaudívi te in abscóndito tempestátis : * probávi te apud aquam contradictiónis.

Audi pópulus meus, et contestábor te : * Israel si audíeris me, non erit in te Deus recens, neque adorábis Deum aliénum.

Ego enim sum Dóminus Deus tuus, qui edúxi te de terra Ægypti : * diláta os tuum, et implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meam : * et Israel non inténdit mihi.

Et dimísi eos secúndum desidéria cordis eórum, * ibunt in adinventiónibus suis.

Si pópulus meus audísset me : * Israel si in viis meis ambulásset :

Pro níhilo fórsitan inimícos eórum humiliássem : * et super tribulántes eos misíssem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti sunt ei : * et erit tempus eórum in sæcula.

Et cibávit eos ex ádipe fruménti : * et de petra, melle saturávit eos.

Psalmus lxxxj.

DEus stetit in synagóga deórum : * in médio autem deos dijúdicat.

Usquequo judicátis iniquitátem : * et fácies peccatórum súmitis?

Judicáte egéno, et pupíllo : * húmilem, et páuperem justificáte.

Erípite páuperem : * et egénum de manu peccatóris liberáte.

Nesciérunt, neque intellexérunt, in ténebris ámbulant : * movebúntur ómnia fundaménta terræ.

Ego dixi : Dii estis, * et fílii Excélsi omnes.

Vos autem sicut hómines moriémini : * et sicut unus de princípibus cadétis.

Surge Deus, júdica terram, * quóniam tu hereditábis in ómnibus Géntibus.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Exsultáte Deo adjutóri nostro.

Aña. Tu solus.

Psalmus lxxxij.

DEus, quis símilis erit tibi? * ne táceas, neque compescáris Deus :

Quóniam ecce inimíci tui sonuérunt : * et qui odérunt te, extulérunt caput.

Super pópulum tuum ma-

lignavérunt consílium : * et cogitavérunt advérsus sanctos tuos.

Dixérunt : Veníte, et disperdámus eos de gente : * et non memorétur nomen Israel ultra.

Quóniam cogitavérunt unanímiter : * simul advérsum te testaméntum disposuérunt, tabernácula Idumæórum, et Ismahelítæ.

Moab, et Agaréni, Gebal, et Ammon, et Amalec : * alienígenæ cum habitántibus Tyrum.

Etenim Assur venit cum illis : * facti sunt in adjutórium fíliis Lot.

Fac illis sicut Mádian, et Sísaræ : * sicut Jabin in torrénte Cisson.

Disperiérunt in Endor : * facti sunt ut stercus terræ.

Pone Príncipes eórum sicut Oreb, * et Zeb, et Zébee, et Sálmana :

Omnes Príncipes eórum : * qui dixérunt : Hereditáte possideámus Sanctuárium Dei.

Deus meus pone illos ut rotam : * et sicut stípulam ante fáciem venti.

Sicut ignis, qui combúrit silvam : * et sicut flamma combúrens montes :

Ita persequéris illos in tempestáte tua : * et in ira tua turbábis eos.

Imple fácies eórum ignomínia : * et quærent nomen tuum, Dómine.

Erubéscant, et conturbéntur in sæculum sæculi : * et confundántur, et péreant.

Et cognóscant, quia nomen tibi Dóminus : * tu solus Altíssimus in omni terra.

Psalmus lxxxiij.

QUam diléсta tabernácula tua Dómine virtútum : * concupíscit et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum, et caro mea : * exsultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum : * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua Dómine virtútum : * Rex meus, et Deus meus.

Beáti, qui hábitant in domo tua Dómine : * in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxílium abs te : * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrymárum in loco, quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de

virtúte in virtútem : * vidébitur Deus deórum in Sion.
Dómine Deus virtútum exáudi oratiónem meam:* áuribus pércipe Deus Jacob.
Protéctor noster ádspice Deus : * et réspice in fáciem Christi tui :
Quia mélior est dies una in átriis tuis * super míllia.
Elégi abjéctus esse in domo Dei mei : * magis *quam* habitáre in tabernáculis peccatórum.
Quia misericórdiam, et veritátem díligit Deus : * grátiam, et glóriam dabit Dóminus.
Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia : * Dómine virtútum, beátus homo, qui sperat in te.
Glória Patri, et Fílio.
Aña. Tu solus Altíssimus super omnem terram.
Aña. Benedixísti.

Psalmus lxxxiv.

BEnedixísti Dómine terram tuam, * avertísti captivitátem Jacob.
Remisísti iniquitátem plebis tuæ: * operuísti ómnia peccáta eórum.
Mitigásti omnem iram tuam : * avertísti ab ira indignatiónis tuæ.
Convérte nos Deus salutáris noster : * et avérte iram tuam a nobis.
Numquid in ætérnum irascéris nobis?* aut exténdes iram tuam a generatióne in generatiónem?
Deus tu convérsus vivificábis nos : * et plebs tua lætábitur in te.
Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam : * et salutáre tuum da nobis.
Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus : * quóniam loquétur pacem in plebem suam.
Et super sanctos suos : * et in eos, qui convertúntur ad cor.
Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsíus : * ut inhábitet glória in terra nostra.
Misericórdia, et véritas obviavérunt sibi :* justítia, et pax osculátæ sunt.
Véritas de terra orta est : * et justítia de cœlo prospéxit.
Etenim Dóminus dabit benignitátem : * et terra nostra dabit fructum suum.
Justítia ante eum ambulábit : * et ponet in via gressus suos.

Psalmus lxxxv.

INclína Dómine aurem tuam, et exáudi me :* quóniam inops, et pauper sum ego.

Custódi ánimam meam, quóniam sanctus sum : * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te.

Miserére mei Dómine, quóniam ad te clamávi tota die : * lætífica ánimam servi tui, quóniam ad te Dómine ánimam meam levávi.

Quóniam tu Dómine suávis, et mitis : * et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Auribus pércipe Dómine oratiónem meam : * et inténde voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te : * quia exaudísti me,

Non est símilis tui in diis Dómine : * et non est secúndum ópera tua.

Omnes gentes quascúmque fecísti, vénient, et adorábunt coram te Dómine : * et glorificábunt nomen tuum.

Quóniam magnus es tu, et fáciens mirabília : * tu es Deus solus.

Deduc me Dómine in via tua, et ingrédiar in veritáte tua : * lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi Dómine Deus meus in toto corde meo, * et glorificábo nomen tuum in ætérnum :

Quia misericórdia tua magna est super me : * et eruísti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus, íniqui insurrexérunt super me, et synagóga poténtium quæsiérunt ánimam meam : * et non proposuérunt te in conspéctu suo.

Et tu Dómine Deus miserátor, et miséricors, * pátiens, et multæ misericórdiæ, et verax,

Réspice in me, et miserére mei, da impérium tuum púero tuo : * et salvum fac fílium ancíllæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut vídeant, qui odérunt me, et confundántur : * quóniam tu Dómine adjuvísti me, et consolátus es me.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Benedixísti Dómine terram tuam.

Aña. Fundaménta ejus.

Psalmus lxxxvj.

Fundaménta ejus in móntibus sanctis : * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab, et Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ, et Tyrus, et pópulus Æthíopum, * hi fuérunt illic.
Numquid Sion dicet : Homo, et homo natus est in ea : * et ipse fundávit eam Altíssimus?
Dóminus narrábit in scriptúris populórum, et Príncipum : * horum, qui fuérunt in ea.
Sicut lætántium ómnium : * habitátio est in te.

Psalmus lxxxvij.

Domine Deus salútis meæ : * in die clamávi, et nocte coram te.
Intret in conspéctu tuo orátio mea : * inclína aurem tuam ad precem meam :
Quia repléta est malis ánima mea : * et vita mea inférno appropinquávit.
Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum : * factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber,
Sicut vulneráti dormiéntes in sepúlcris, quorum non es memor ámplius : * et ipsi de manu tua repúlsi sunt.
Posuérunt me in lacu inferióri : * in tenebrósis, et in umbra mortis.
Super me confirmátus est furor tuus : * et omnes fluctus tuos induxísti super me.
Longe fecísti notos meos a me : * posuérunt me abominatiónem sibi.
Tráditus sum, et non egrediébar : * óculi mei languérunt præ inópia.
Clamávi ad te Dómine tota die : * expándi ad te manus meas.
Numquid mórtuis fácies mirabília : * aut médici suscitábunt, et confitebúntur tibi?
Numquid narrábit áliquis in sepúlcro misericórdiam tuam, * et veritátem tuam in perditióne?
Numquid cognoscéntur in ténebris mirabília tua : * et justítia tua in terra obliviónis?
Et ego ad te Dómine clamávi : * et mane orátio mea prævéniet te.
Ut quid Dómine repéllis oratiónem meam : * avértis fáciem tuam a me?
Pauper sum ego, et in labóribus a juventúte mea : * exaltátus autem, humiliátus sum, et conturbátus.
In me transiérunt iræ tuæ : * et terróres tui conturbavérunt me.
Circumdedérunt me sicut aqua tota die : * circumdedérunt me simul.
Elongásti a me amícum,

et próximum : * et notos meos a miséria.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Fundaménta ejus in móntibus sanctis.

Aña. Benedíctus.

Psalmus lxxxviij.

Misericórdias Dómini * in ætérnum cantábo.

In generatiónem, et generatiónem * annuntiábo veritátem tuam in ore meo.

Quóniam dixísti: In ætérnum misericórdia ædificábitur in cœlis : * præparábitur véritas tua in eis.

Dispósui testaméntum eléctis meis, jurávi David servo meo : * usque in ætérnum præparábo semen tuum.

Et ædificábo in generatiónem, et generatiónem : * sedem tuam.

Confitebúntur cœli mirabília tua Dómine : * étenim veritátem tuam in Ecclésia sanctórum.

Quóniam quis in núbibus æquábitur Dómino : * símilis erit Deo in filiis Dei?

Deus, qui glorificátur in consílio sanctórum : * magnus, et terríbilis super omnes, qui in circúitu ejus sunt.

Dómine Deus virtútum quis símilis tibi? * potens es Dómine, et véritas tua in circúitu tuo.

Tu domináris potestáti maris : * motum autem flúctuum ejus tu mítigas.

Tu humiliásti sicut vulnerátum, supérbum : * in bráchio virtútis tuæ dispersísti inimícos tuos.

Tui sunt cœli, et tua est terra, orbem terræ, et plenitúdinem ejus tu fundásti : * aquilónem, et mare tu creásti.

Thabor, et Hermon in nómine tuo exsultábunt : * tuum bráchium cum poténtia.

Firmétur manus tua, et exaltétur déxtera tua : * justítia, et judícium præparátio sedis tuæ.

Misericórdia, et véritas præcédent fáciem tuam : * beátus pópulus, qui scit jubilatiónem.

Dómine, in lúmine vultus tui ambulábunt, et in nómine tuo exsultábunt tota die : * et in justítia tua exaltabúntur.

Quóniam glória virtútis eórum tu es : * et in bene plácito tuo exaltábitur cornu nostrum.

Quia Dómini est assúmptio nostra : * et sancti Israel Regis nostri.

Tunc locútus es in visióne sanctis tuis, et dixí-

sti : * Pósui adjutórium in poténte : et exaltávi eléctum de plebe mea.

Invéni David servum meum : * óleo sancto meo unxi eum.

Manus enim mea auxiliábitur ei : * et bráchium meum confortábit eum.

Nihil profíciet inimícus in eo, * et fílius iniquitátis non appónet nocére ei.

Et concídam a fácie ipsíus inimícos ejus : * et odiéntes eum in fugam convértam.

Et véritas mea, et misericórdia mea cum ipso : * et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Et ponam in mari manum ejus : * et in flumínibus déxteram ejus.

Ipse invocábit me : Pater meus es tu : * Deus meus, et suscéptor salútis meæ.

Et ego primogénitum ponam illum * excélsum præ régibus terræ.

In ætérnum servábo illi misericórdiam meam : * et testaméntum meum fidéle ipsi.

Et ponam in sæculum sæculi semen ejus : * et thronum ejus sicut dies cœli.

Si autem derelíquerint fílii ejus legem meam : * et in judíciis meis non ambuláverint :

Si justítias meas profanáverint : * et mandáta mea non custodíerint :

Visitábo in virga iniquitátes eórum : * et in verbéribus peccáta eórum.

Misericórdiam autem meam non dispérgam ab eo : * neque nocébo in veritáte mea :

Neque profanábo testaméntum meum : * et quæ procédunt de lábiis meis non fáciam írrita.

Semel jurávi in sancto meo, si David méntiar : * semen ejus in ætérnum manébit.

Et thronus ejus sicut sol in conspéctu meo, et sicut luna perfécta in ætérnum : * et testis in cœlo fidélis.

Tu vero repulísti, et despexísti : * distulísti Christum tuum.

Evertísti testaméntum servi tui : * profanásti in terra Sanctuárium ejus.

Destruxísti omnes sepes ejus : * posuísti firmaméntum ejus formídinem.

Diripuérunt eum omnes transeúntes viam : * factus est oppróbrium vicínis suis.

Exaltásti déxteram depriméntium eum : * lætificásti omnes inimícos ejus.

Avertísti adjutórium glá-

dii ejus : * et non es auxiliátus ei in bello.

Destruxísti eum ab emundatióne : * et sedem ejus in terram collisísti.

Minorásti dies témporis ejus : * perfudísti eum confusióne.

Usquequo Dómine avértis in finem : * exardéscet sicut ignis ira tua?

Memoráre quæ mea substántia : * numquid enim vane constituísti omnes fílios hóminum?

Quis est homo, qui vivet, et non vidébit mortem : * éruet ánimam suam de manu ínferi?

Ubi sunt misericórdiæ tuæ antíquæ Dómine, * sicut jurásti David in veritáte tua?

Memor esto Dómine oppróbrii servórum tuórum * (quod contínui in sinu meo) multárum Géntium.

Quod exprobravérunt inimíci tui Dómine, * quod exprobravérunt commutatiónem Christi tui.

Benedíctus Dóminus in ætérnum : * fiat, fiat.

Psalmus xciij.

Deus ultiónum Dóminus : * Deus ultiónum líbere egit.

Exaltáre qui júdicas terram : * redde retributiónem supérbis.

Usquequo peccatóres Dómine : * úsquequo peccatóres gloriabúntur :

Effabúntur, et loquéntur iniquitátem : * loquéntur omnes, qui operántur injustítiam?

Pópulum tuum Dómine humiliavérunt : * et hereditátem tuam vexavérunt.

Víduam, et ádvenam interfecérunt : * et pupíllos occidérunt.

Et dixérunt : Non vidébit Dóminus, * nec intélliget Deus Jacob.

Intellígite insipiéntes in pópulo : * et stulti aliquándo sápite.

Qui plantávit aurem, non áudiet? * aut qui finxit óculum non consíderat?

Qui córripit Gentes, non árguet : * qui docet hóminem sciéntiam?

Dóminus scit cogitatiónes hóminum, * quóniam vanæ sunt.

Beátus homo, quem tu erudíeris Dómine : * et de lege tua docúeris eum.

Ut mítiges ei a diébus malis : * donec fodiátur peccatóri fóvea.

Quia non repéllet Dóminus plebem suam : * et hereditátem suam non derelínquet.

Quoadúsque justítia convertátur in judícium : * et

qui juxta illam omnes, qui recto sunt corde.

.Quis consúrget mihi advérsus malignántes? * aut quis stabit mecum advérsus operántes iniquitátem?

Nisi quia Dóminus adjúvit me : * paulo minus habitásset in inférno ánima mea.

Si dicébam : Motus est pes meus : * misericórdia tua Dómine adjuvábat me.

Secúndum multitúdinem dolórum meórum in corde meo : * consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Numquid adhæret tibi sedes iniquitátis : * qui fingis labórem in præcépto?

Captábunt in ánimam justi : * et sánguinem innocéntem condemnábunt.

Et factus est mihi Dóminus in refúgium : * et Deus meus in adjutórium spei meæ.

Et reddet illis iniquitátem ipsórum : * et in malítia eórum dispérdet eos : dispérdet illos Dóminus Deus noster.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Benedíctus Dóminus in ætérnum.

Aña. Cantáte Dómino.

Psalmus xcv.

Cantáte Dómino cánticum novum : * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus : * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter Gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis : * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii Géntium dæmónia : * Dóminus autem cœlos fecit :

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus : * sanctimónia, et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriæ Géntium, afférte Dómino glóriam, et honórem, * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra : * dícite in Géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur : * judicábit pópulos in æquitáte.

Lætentur cœli, et exsúltet

terra, commoveátur mare, et plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, et ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Psalmus xcvj.

Dominus regnávit, exsúltet terra : * lætén-tur ínsulæ multæ.

Nubes, et calígo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit, et commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes qui adórant sculptília : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audívit, et lætáta est Sion.

Et exsultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua Dómine :

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini justi in Dómino : * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Cantáte Dómino et benedícite nómini ejus.

In Adventu, ℣. Egrediétur virga de radíce Jesse. ℟. Et flos de radíce ejus ascéndet.

In Quadrages. post primam Domínicam, ℣. Scápulis suis obumbrábit tibi. ℟. Et sub pennis ejus sperábis.

Temp. Pass., ℣. De ore leónis líbera me Dómine. ℟. Et a córnibus unicórnium humilitátem meam.

Tempore Paschali, Aña. Allelúia. ℣. Surréxit Dóminus vere. ℟. Et appáruit Simóni, allelúia.

Per Annum, ℣. Intret orátio mea in conspéctu tuo Dómine. ℟. Inclína

aurem tuam ad precem meam.

In Officio Simpliciss. ℣. de Communi ut in ij. Noct.

Responsoria, quæ sequuntur, dicantur quotidie, quando fit de Feria, in Feriis vj. ab Octava Epiphaniæ usque ad Quadrag. Item in Feria vj. post Cineres, et in Feria vj. Quatuor Temporum Septembris. Item ab Octava Corporis Christi usque ad Adventum, quando in Feriis vj. legitur aliqua Homilia, et non legitur de Scriptura : quod continget in Vigiliis, et quando ponenda sit in eisdem Homilia aliqua Dominicalis, quæ superest.

℟. j. Confitébor tibi Dómine Deus meus in toto corde meo, et honorificábo nomen tuum in ætérnum : * Quia misericórdia tua Dómine, magna est super me. ℣. Et eruísti ánimam meam ex inférno inferióri. — Quia misericórdia.

℟. ij. Misericórdia tua Dómine magna est super me : * Et eruísti ánimam meam ex inférno inferióri. ℣. Deus, iníqui insurrexérunt in me, et fortes quæsiérunt ánimam meam. — Et eruísti.

℟. iij. Factus est mihi Dóminus in refúgium :* Et Deus meus in auxílium spei meæ. ℣. Deus ultiónum Dóminus : Deus ultiónum líbere egit. — Et. Glória Patri. Et.

℟. Factus est.

Sacerdotalis ℣. in Adventu, **Emítte Agnum Dómine, Dominatórem terræ. ℟. De petra desérti ad montem fíliæ Sion.**

In Quadrag. post j. Dominicam, **℣. Dicet Dómino. ℟. Suscéptor meus es tu.**

Temp. Passionis, **℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus. ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me.**

Per Annum, **℣. Fiat misericórdia tua Dómine super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te.**

AD LAUDES.

Aña. **Spíritu principáli confírma cor meum Deus.**

Ps. **Miserére mei. 42.**

Aña. **In veritáte tua.**

Psalmus cxlij.

Domine exáudi oratiónem meam : * áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua, exáudi me in tua justítia.

Et non intres in judícium cum servo tuo : * quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam : * humiliávit in terra vitam meam.
Collocávit me in obscúris sicut mórtuos sæculi : * et anxiátus est super me spíritus meus, in me turbátum est cor meum.
Memor fui diérum antiquórum, meditátus sum in ómnibus opéribus tuis : * in factis mánuum tuárum meditábar.
Expándi manus meas ad te : * ánima mea sicut terra sine aqua tibi :
Velóciter exáudi me Dómine : * defécit spíritus meus.
Non avértas fáciem tuam a me : * et símilis ero descendéntibus in lacum.
Audítam fac mihi mane misericórdiam tuam : * quia in te sperávi.
Notam fac mihi viam, in qua ámbulem : * quia ad te levávi ánimam meam.
Eripe me de inimícis meis Dómine, ad te confúgi : * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.
Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam : * propter nomen tuum Dómine vivificábis me, in æquitáte tua.
Edúces de tribulatióne ánimam meam : * et in misericórdia tua dispérdes inimícos meos.
Et perdes omnes, qui tríbulant ánimam meam : * quóniam ego servus tuus sum.
Glória Patri, et Fílio.
Aña. In veritáte tua exáudi me Dómine.
Aña. Illúmina Dómine vultum tuum super nos.
Ps. Deus Deus meus. 22.
Aña. Dómine audívi.

Canticum Habacuc.
Cap. 3.

Dómine, audívi auditiónem tuam, * et tímui.
Dómine opus tuum * in médio annórum vivífica illud :
In médio annórum notum fácies : * cum irátus fúeris, misericórdiæ recordáberis.
Deus ab Austro véniet, * et sanctus de monte Pharan :
Opéruit cœlos glória ejus : * et laudis ejus plena est terra.
Splendor ejus ut lux erit : * córnua in mánibus ejus :
Ibi abscóndita est fortitúdo ejus : * ante fáciem ejus ibit mors.
Et egrediétur diábolus ante pedes ejus. * Stetit, et mensus est terram.
Adspéxit, et dissólvit

Gentes : * et contríti sunt montes sæculi.

Incurváti sunt colles mundi, * ab itinéribus æternitátis ejus.

Pro iniquitáte vidi tentória Æthiópiæ, * turbabúntur pelles terræ Mádian.

Numquid in flumínibus irátus es Dómine? * aut in flumínibus furor tuus? vel in mari indignátio tua?

Qui ascéndes super equos tuos : * et quadrígæ tuæ salvátio.

Súscitans suscitábis arcum tuum : * juraménta tríbubus, quæ locútus es :

Flúvios scindes terræ : * vidérunt te, et doluérunt montes : gurges aquárum tránsiit.

Dedit abyssus vocem suam : * altitúdo manus suas levávit.

Sol, et luna stetérunt in habitáculo suo, * in luce sagittárum tuárum, ibunt in splendóre fulgurántis hastæ tuæ.

In frémitu conculcábis terram : * et in furóre obstupefácies Gentes.

Egréssus es in salútem pópuli tui : * in salútem cum Christo tuo :

Percussísti caput de domo ímpii : * denudásti fundaméntum ejus usque ad collum.

Maledixísti sceptris ejus, cápiti bellatórum ejus, * veniéntibus ut turbo ad dispergéndum me.

Exsultátio eórum * sicut ejus, qui dévorat páuperem in abscóndito.

Viam fecísti in mari equis tuis, * in luto aquárum multárum.

Audívi, et conturbátus est venter meus : * a voce contremuérunt lábia mea.

Ingrediátur putrédo in óssibus meis, * et subter me scáteat.

Ut requiéscam in die tribulatiónis : * ut ascéndam ad pópulum accínctum nostrum.

Ficus enim non florébit : * et non erit germen in víneis.

Mentiétur opus olívæ : * et arva non áfferent cibum.

Abscindétur de ovíli pecus : * et non erit arméntum in præsépibus.

Ego autem in Dómino gaudébo : * et exsultábo in Deo Jesu meo.

Deus Dóminus fortitúdo mea : * et ponet pedes meos quasi cervórum.

Et super excélsa mea dedúcet me victor * in psalmis canéntem.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Dómine audívi auditiónem tuam, et tímui.

Aña. In tympano et choro, in chordis, et órgano laudáte Deum.

Psalm. Laudáte Dóminum de cœlis. 24.

Capitulum. 1. Cor. 16.

FRatres : Vigiláte, state in fide, viríliter ágite, et confortámini : ómnia vestra in caritáte fiant.

Hymnus. D. Ambr.

ÆTérna cœli glória,
Beáta spes mortálium,
Celsi tonántis Unice,
Castæque proles Vírginis.
Da déxteram surgéntibus,
Exsúrgat et mens sóbria;
Flagránsque in laudem Dei,
Grates repéndat débitas.
Ortus refúlget lúcifer,
Sparsámque lucem núntiat,
Cadit calígo nóctium :
Lux sancta nos illúminet.
Manénsque nostris sénsibus,
Noctem repéllat sæculi,
Omníque fine diéi
Purgáta servet péctora.
Quæsíta jam primum fides
Radícet altis sénsibus,
Secúnda spes congáudeat,
Qua major exstat cáritas.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum.
Amen.

℣. In matutínis Dómine meditábor in te. ℟. Quia fuísti adjútor meus.

Ad Benedictus, Antiphona. Per víscera misericórdiæ Dei nostri visitávit nos Oriens ex alto.

SABBATO
AD MATUTINUM.

Invitat. Dóminum Deum nostrum, * Veníte, adorémus.

Ps. Veníte exsultémus. 2.

Hymnus. D. Ambr.

SUmmæ Deus cleméntiæ,
Mundíque factor máchinæ
Unus potentiáliter,
Trinúsque personáliter.
Nostros piis cum cánticis
Fletus benígne súscipe :
Quo corde puro sórdibus
Te perfruámur lárgius.
Lumbos jecúrque mórbidum
Adúre igni cóngruo,
Accíncti ut sint pérpetim,
Luxu remóto péssimo.
Ut quique horas nóctium
Nunc concinéndo rúmpimus,
Donis beátæ pátriæ
Ditémur omnes áffatim.
Præsta Pater piíssime,
Patríque compar Unice,

Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum. Amen.

Aña. Quia mirabília.

Tempore Paschali, Aña. Allelúia, sub qua dicuntur omnes Psalmi Nocturni.

Psalmus xcvij.

Antáte Dómino cánticum novum :* quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus : * et bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum : * in conspéctu Géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * et veritátis suæ dómui Israel.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo omnis terra : * cantáte, et exsultáte, et psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara, et voce psalmi : * in tubis ductílibus, et voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu Regis Dómini : * moveátur mare, et plenitúdo ejus, orbis terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exsultábunt a conspéctu Dómini : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia * et pópulos in æquitáte.

Psalmus xcviij.

Dominus regnávit, irascántur pópuli: * qui sedet super Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus : * et excélsus super omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno, quóniam terríbile, et sanctum est : * et honor regis judícium díligit.

Tu parásti directiónes :* judícium et justítiam in Jacob tu fecísti.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, et adoráte scabéllum pedum ejus : * quóniam sanctum est.

Móyses, et Aáron in sacerdótibus ejus : * et Sámuel inter eos, qui ínvocant nomen ejus :

Invocábant Dóminum, et ipse exaudiébat eos : * in colúmna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus,* et præcéptum quod dedit illis.

Dómine Deus noster tu exaudiébas eos : * Deus tu propítius fuísti eis, et ulcíscens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, et adoráte in monte sancto ejus : * quóniam sanctus Dóminus Deus noster.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Quia mirabília fecit Dóminus.

Quando occurrit Vigilia Nativitatis Domini in Sabbato, dicitur sequens

Aña. Bonum est.

Psalmus xcj.

Bonum est confitéri Dómino : * et psállere nómini tuo Altíssime.

Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam : * et veritátem tuam per noctem.

In decachórdo psaltério : * cum cántico, in cíthara.

Quia delectásti me Dómine in factúra tua : * et in opéribus mánuum tuárum exsultábo.

Quam magnificáta sunt ópera tua Dómine! * nimis profúndæ factæ sunt cogitatiónes tuæ :

Vir insípiens non cognóscet : * et stultus non intélliget hæc.

Cum exórti fúerint peccatóres sicut fœnum : * et apparúerint omnes, qui operántur iniquitátem :

Ut intéreant in sæculum sæculi : * tu autem Altíssimus in ætérnum Dómine.

Quóniam ecce inimíci tui Dómine, quóniam ecce inimíci tui períbunt : * et dispergéntur omnes; qui operántur iniquitátem.

Et exaltábitur sicut unicórnis cornu meum : * et senéctus mea in misericórdia úberi.

Et despéxit óculus meus inimícos meos : * et in insurgéntibus in me malignántibus áudiet auris mea.

Justus, ut palma florébit : * sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dómini, * in átriis domus Dei nostri florébunt.

Adhuc multiplicabúntur in senécta úberi : * et bene patiéntes erunt, ut annúntient :

Quóniam rectus Dóminus Deus noster * et non est iníquitas in eo.

Et Psalmus : **Misericórdiam.** ut infra, sub uno **Glória Patri.**

In Feriis Paschalis temporis dicuntur duo Psalmi. **Bonum est.** et **Misericórdiam.** sub uno **Glória Patri.** sine Antiphona.

In aliis Sabbatis, si contingeret fieri totum Offi-

cium de Feria, seu de Vigilia dicitur sequens

Aña. Jubiláte.

Psalmus xcix.

Jubiláte Deo omnis terra : * servíte Dómino in lætítia.

Introíte in conspéctu ejus, * in exsultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus : * ipse fecit nos, et non ipsi nos :

Pópulus ejus, et oves páscuæ ejus : introíte portas ejus in confessióne, átria ejus in hymnis : * confitémini illi.

Laudáte nomen ejus : quóniam suávis est Dóminus, * in ætérnum misericórdia ejus, et usque in generatiónem et generatiónem véritas ejus.

Psalmus c.

Misericórdiam, et judícium * cantábo tibi Dómine :

Psallam, et intélligam in via immaculáta, * quando vénies ad me.

Perambulábam in innocéntia cordis mei, * in médio domus meæ.

Non proponébam ante óculos meos rem injústam : * faciéntes prævaricatiónes odívi.

Non adhæsit mihi cor pravum : * declinántem a me malígnum non cognoscébam.

Detrahéntem secréto próximo suo, * hunc persequébar.

Supérbo óculo, et insatiábili corde, * cum hoc non edébam.

Oculi mei ad fidéles terræ, ut sédeant mecum : * ámbulans in via immaculáta, hic mihi ministrábat.

Non habitábit in médio domus meæ qui facit supérbiam : * qui lóquitur iníqua, non diréxit in conspéctu oculórum meórum.

In matutíno interficiébam omnes peccatóres terræ : * ut dispérderem de civitáte Dómini omnes operántes iniquitátem.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Jubiláte Deo omnis terra. vel (quando dicenda fuerit.) Aña. Bonum est confitéri Dómino.

Aña. Clamor meus.

Psalmus ci.

Dómine exáudi oratiónem meam : * et clamor meus ad te véniat.

Non avértas fáciem tuam a me : * in quacúmque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacúmque die invocávero te, * velóciter exáudi me :

Quia defecérunt sicut fu-

mus dies mei : * et ossa mea sicut crémium aruérunt.

Percússus sum ut fœnum, et áruit cor meum : * quia oblítus sum comédere panem meum.

A voce gémitus mei * adhæsit os meum carni meæ.

Símilis factus sum pellicáno solitúdinis : * factus sum sicut nycticorax in domicílio.

Vigilávi, * et factus sum sicut passer solitárius in tecto.

Tota die exprobrábant mihi inimíci mei : * et qui laudábant me, advérsum me jurábant.

Quia cínerem tamquam panem manducábam, * et potum meum cum fletu miscébam.

A fácie iræ et indignatiónis tuæ : * quia élevans allisísti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt : * et ego sicut fœnum árui.

Tu autem Dómine in ætérnum pérmanes : * et memoriále tuum in generatiónem et generatiónem.

Tu exsúrgens miseréberis Sion : * quia tempus miseréndi ejus, quia venit tempus.

Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus : * et terræ ejus miserebúntur.

Et timébunt Gentes nomen tuum Dómine, * et omnes Reges terræ glóriam tuam.

Quia ædificávit Dóminus Sion : * et vidébitur in glória sua.

Respéxit in oratiónem humílium : * et non sprevit precem eórum.

Scribántur hæc in generatióne áltera : * et pópulus qui creábitur, laudábit Dóminum :

Quia prospéxit de excélso sancto suo : * Dóminus de cœlo in terram adspéxit :

Ut audíret gémitus compeditórum : * ut sólveret fílios interemptórum :

Ut annúntient in Sion nomen Dómini : * et laudem ejus in Jerúsalem.

In conveniéndo pópulos in unum, * et reges ut sérviant Dómino.

Respóndit ei in via virtútis suæ : * paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum : * in generatiónem et generatiónem anni tui.

Inítio tu Dómine terram fundásti : * et ópera mánuum tuárum sunt cœli.

Ipsi períbunt, tu autem pérmanes : * et omnes sic-

ut vestiméntum veteráscent.
Et sicut opertórium mutábis eos : et mutabúntur : * tu autem idem ipse es, et anni tui non defícient.
Fílii servórum tuórum habitábunt : * et semen eórum in sæculum dirigétur.

Psalmus cij.

BEnedic ánima mea Dómino : * et ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto ejus.
Bénedic ánima mea Dómino : * et noli oblivísci omnes retributiónes ejus :
Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis : * qui sanat omnes infirmitátes tuas.
Qui rédimit de intéritu vitam tuam : * qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus.
Qui replet in bonis desidérium tuum : * renovábitur ut áquilæ juvéntus tua :
Fáciens misericórdias Dóminus : * et judícium ómnibus injúriam patiéntibus.
Notas fecit vias suas Móysi, * fíliis Israel voluntátes suas.
Miserátor, et miséricors Dóminus : * longánimis, et multum miséricors.
Non in perpétuum irascétur : * neque in ætérnum comminábitur.
Non secúndum peccáta nostra fecit nobis : * neque secúndum iniquitátes nostras retríbuit nobis.
Quóniam secúndum altitúdinem cœli a terra : * corroborávit misericórdiam suam super timéntes se.
Quantum distat ortus ab Occidénte : * longe fecit a nobis iniquitátes nostras.
Quómodo miserétur pater filiórum, misértus est Dóminus timéntibus se : * quóniam ipse cognóvit figméntum nostrum.
Recordátus est quóniam pulvis sumus : * homo, sicut fœnum dies ejus, tamquam flos agri sic efflorébit.
Quóniam spíritus pertransíbit in illo, et non subsístet : * et non cognóscet ámplius locum suum.
Misericórdia autem Dómini ab ætérno, * et usque in ætérnum super timéntes eum.
Et justítia illíus in fílios filiórum, * his qui servant testaméntum ejus :
Et mémores sunt mandatórum ipsíus : * ad faciéndum ea.
Dóminus in cœlo parávit

sedem suam : * et regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

Benedícite Dómino omnes Angeli ejus : * poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus, ad audiéndam vocem sermónum ejus.

Benedícite Dómino omnes virtútes ejus : * minístri ejus, qui fácitis voluntátem ejus.

Benedícite Dómino ómnia ópera ejus : * in omni loco dominatiónis ejus, bénedic ánima mea Dómino.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Clamor meus ad te véniat Deus.

Aña. Bénedic.

Psalmus ciij.

BEnedic ánima mea Dómino : * Dómine Deus meus magnificátus es veheménter.

Confessiónem, et decórem induísti : * amíctus lúmine sicut vestiménto :

Exténdens cœlum sicut pellem : * qui tegis aquis superióra ejus.

Qui ponis nubem ascénsum tuum : * qui ámbulas super pennas ventórum.

Qui facis ángelos tuos, spíritus : * et minístros tuos ignem uréntem.

Qui fundásti terram super stabilitátem suam : * non inclinábitur in sæculum sæculi.

Abyssus, sicut vestiméntum, amíctus ejus : * super montes stabunt aquæ.

Ab increpatióne tua fúgient : * a voce tonítrui tui formidábunt.

Ascéndunt montes : et descéndunt campi * in locum, quem fundásti eis.

Términum posuísti,quem non transgrediéntur : * neque converténtur operíre terram.

Qui emíttis fontes in convállibus : * inter médium móntium pertransíbunt aquæ.

Potábunt omnes béstiæ agri : * exspectábunt ónagri in siti sua.

Super ea vólucres cœli habitábunt : * de médio petrárum dabunt voces.

Rigans montes de superióribus suis : * de fructu óperum tuórum satiábitur terra :

Prodúcens fœnum juméntis, * et herbam servitúti hóminum :

Ut edúcas panem de terra : * et vinum lætíficet cor hóminis :

Ut exhílaret fáciem in óleo : * et panis cor hóminis confírmet.

Saturabúntur ligna campi, et cedri Líbani, quas

plantávit : * illic pásseres nidificábunt.

Heródii domus dux est eórum : * montes excélsi cervis : petra refúgium herináciis.

Fecit lunam in témpora : * sol cognóvit occásum suum.

Posuísti ténebras, et facta est nox : * in ipsa pertransíbunt omnes béstiæ silvæ.

Cátuli leónum rugiéntes, ut rápiant, * et quærant a Deo escam sibi.

Ortus est sol, et congregáti sunt : * et in cubílibus suis collocabúntur.

Exíbit homo ad opus suum : * et ad operatiónem suam usque ad vésperum.

Quam magnificáta sunt ópera tua Dómine! * ómnia in sapiéntia fecísti : impléta est terra possessióne tua.

Hoc mare magnum, et spatiósum mánibus : * illic reptília, quorum non est númerus.

Animália pusílla cum magnis : * illic naves pertransíbunt.

Draco iste, quem formásti ad illudéndum ei : * ómnia a te exspéctant ut des illis escam in témpore.

Dante te illis, cólligent : * aperiénte te manum tuam, ómnia implebúntur bonitáte.

Averténte autem te fáciem, turbabúntur : * áuferes spíritum eórum, et defícient, et in púlverem suum reverténtur.

Emíttes spíritum tuum, et creabúntur : * et renovábis fáciem terræ.

Sit glória Dómini in sæculum : * lætábitur Dóminus in opéribus suis :

Qui réspicit terram, et facit eam trémere : * qui tangit montes, et fúmigant.

Cantábo Dómino in vita mea : * psallam Deo meo quámdiu sum.

Jucúndum sit ei elóquium meum : * ego vero delectábor in Dómino.

Defíciant peccatóres a terra, et iníqui ita ut non sint : * bénedic ánima mea Dómino.

Psalmus civ.

Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus : * annuntiáte inter Gentes ópera ejus.

Cantáte ei, et psállite ei : * narráte ómnia mirabília ejus.

Laudámini in nómine sancto ejus : * lætétur cor quæréntium Dóminum.

Quærite Dóminum, et confirmámini : * quærite fáciem ejus semper.

Mementóte mirabílium ejus, quæ fecit : * prodígia ejus, et judícia oris ejus.

Semen Abraham, servi ejus : * fílii Jacob eléсti ejus.

Ipse Dóminus Deus noster : * in univérsa terra judícia ejus.

Memor fuit in sæculum testaménti sui : * verbi, quod mandávit in mille generatiónes :

Quod dispósuit ad Abraham : * et juraménti sui ad Isaac :

Et státuit illud Jacob in præcéptum : * et Israel in testaméntum ætérnum :

Dicens : Tibi dabo terram Chánaan, * funículum hereditátis vestræ.

Cum essent número brevi, * paucíssimi et íncolæ ejus.

Et pertransiérunt de Gente in Gentem : * et de regno ad pópulum álterum.

Non relíquit hóminem nocére eis : * et corrípuit pro eis reges.

Nolíte tángere Christos meos : * et in prophétis meis nolíte malignári.

Et vocávit famem super terram : * et omne firmaméntum panis contrívit.

Misit ante eos virum : * in servum venúmdatus est Joseph.

Humiliavérunt in compédibus pedes ejus, ferrum pertránsiit ánimam ejus, * donec veníret verbum ejus.

Elóquium Dómini inflammávit eum : * misit Rex, et solvit eum ; Princeps populórum, et dimísit eum.

Constítuit eum Dóminum domus suæ : * et príncipem omnis possessiónis suæ.

Ut erudíret Príncipes ejus sicut semetípsum : * et senes ejus prudéntiam docéret.

Et intrávit Israel in Ægyptum : * et Jacob áccola fuit in terra Cham.

Et auxit pópulum suum veheménter : * et firmávit eum super inimícos ejus.

Convértit cor eórum, ut odírent pópulum ejus : * et dolum fácerent in servos ejus.

Misit Móysen servum suum : * Aáron, quem elégit ipsum.

Pósuit in eis verba signórum suórum, * et prodigiórum in terra Cham.

Misit ténebras, et obscu-

rávit : * et non exacerbávit sermónes suos.

Convértit aquas eórum in sánguinem : * et occídit pisces eórum.

Edidit terra eórum ranas * in penetrálibus regum ipsórum.

Dixit, et venit cœnomyía : * et cínifes in ómnibus fínibus eórum.

Pósuit plúvias eórum grándinem : * ignem comburéntem in terra ipsórum.

Et percússit víneas eórum, et ficúlneas eórum :* et contrívit lignum fínium eórum.

Dixit, et venit locústa, et bruchus, * cujus non erat númerus :

Et comédit omne fœnum in terra eórum : * et comédit omnem fructum terræ eórum.

Et percússit omne primogénitum in terra eórum : * primítias omnis labóris eórum.

Et edúxit eos cum argénto, et auro : * et non erat in tríbubus eórum infírmus.

Lætáta est Ægyptus in profectióne eórum; * quia incúbuit timor eórum super eos.

Expándit nubem in protectiónem eórum, * et ignem ut lucéret eis per noctem.

Petiérunt, et venit cotúrnix : * et pane cœli saturávit eos.

Dirúpit petram, et fluxérunt aquæ : * abiérunt in sicco flúmina,

Quóniam memor fuit verbi sancti sui, * quod hábuit ad Abraham púerum suum.

Et edúxit pópulum suum in exsultatióne,* et eléctos suos in lætítia.

Et dedit illis regiónes Géntium : * et labóres populórum possedérunt :

Ut custódiant justificatiónes ejus, * et legem ejus requírant.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Bénedic ánima mea Dómino.

Aña. Vísita nos.

Psalmus cv.

Confitémini Dómino quóniam bonus : * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Quis loquétur poténtias Dómini, * audítas fáciet omnes laudes ejus?

Beáti qui custódiunt judícium, * et fáciunt justítiam in omni témpore.

Meménto nostri Dómine in beneplácito pópuli tui :* vísita nos in salutári tuo :

Ad vidéndum in bonitáte

electórum tuórum, ad lætándum in lætítia Gentis tuæ : * ut laudéris cum hereditáte tua.

Peccávimus cum pátribus nostris : * injúste égimus, iniquitátem fécimus.

Patres nostri in Ægypto non intellexérunt mirabília tua : * non fuérunt mémores multitúdinis misericórdiæ tuæ.

Et irritavérunt ascendéntes in mare * mare Rubrum.

Et salvávit eos propter nomen suum : * ut notam fáceret poténtiam suam.

Et incrépuit mare Rubrum, et exsiccátum est : * et dedúxit eos in abyssis sicut in desérto.

Et salvávit eos de manu odiéntium : * et redémit eos de manu inimíci.

Et opéruit aqua tribulántes eos : * unus ex eis non remánsit.

Et credidérunt verbis ejus : * et laudavérunt laudem ejus.

Cito fecérunt, oblíti sunt óperum ejus : * et non sustinuérunt consílium ejus.

Et concupiérunt concupiscéntiam in desérto : * et tentavérunt Deum in inaquóso.

Et dedit eis petitiónem ipsórum : * et misit saturitátem in ánimas eórum.

Et irritavérunt Móysen in castris : * Aáron sanctum Dómini.

Apérta est terra, et deglutívit Dathan : * et opéruit super congregatiónem Abíron.

Et exársit ignis in synagóga eórum : * flamma combússit peccatóres.

Et fecérunt vítulum in Horeb : * et adoravérunt scúlptile.

Et mutavérunt glóriam suam * in similitúdinem vítuli comedéntis fœnum.

Oblíti sunt Deum, qui salvávit eos, qui fecit magnália in Ægypto : * mirabília in terra Cham : terribília in mari Rubro.

Et dixit ut dispérderet eos : * si non Móyses eléctus ejus stetísset in confractióne in conspéctu ejus :

Ut avérteret iram ejus, ne dispérderet eos : * et pro níhilo habuérunt terram desiderábilem :

Non credidérunt verbo ejus, et murmuravérunt in tabernáculis suis : * non exaudiérunt vocem Dómini.

Et elevávit manum suam super eos : * ut prostérneret eos in desérto.

Et ut dejíceret semen eó-

rum in natiónibus :* et dispérgeret eos in regiónibus.

Et initiáti sunt Beélphegor : * et comedérunt sacrifícia mortuórum.

Et irritavérunt eum in adinventiónibus suis : * et multiplicáta est in eis ruína.

Et stetit Phínees, et placávit : * et cessávit quassátio.

Et reputátum est ei in justítiam, * in generatiónem et generatiónem usque in sempitérnum.

Et irritavérunt eum ad aquas contradictiónis : * et vexátus est Móyses propter eos : quia exacerbavérunt spíritum ejus.

Et distínxit in lábiis suis : * non disperdidérunt Gentes, quas dixit Dóminus illis.

Et commíxti sunt inter Gentes, et didicérunt ópera eórum, et serviérunt sculptílibus eórum, * et factum est illis in scándalum.

Et immolavérunt fílios suos, * et fílias suas dæmóniis.

Et effudérunt sánguinem innocéntem : * sánguinem filiórum suórum, et filiárum suárum, quas sacrificavérunt sculptílibus Chánaan.

Et inficta est terra in sanguínibus, et contamináta est in opéribus eórum : * et fornicáti sunt in adinventiónibus suis.

Et irátus est furóre Dóminus in pópulum suum; * et abominátus est hereditátem suam.

Et trádidit eos in manus Géntium : * et domináti sunt eórum, qui odérunt eos.

Et tribulavérunt eos inimíci eórum, et humiliáti sunt sub mánibus eórum : * sæpe liberávit eos.

Ipsi autem exacerbavérunt eum in consílio suo : * et humiliáti sunt in iniquitátibus suis.

Et vidit cum tribularéntur : * et audívit oratiónem eórum.

Et memor fuit testaménti sui : * et pœnítuit eum secúndum multitúdinem misericórdiæ suæ.

Et dedit eos in misericórdias * in conspéctu ómnium qui céperant eos.

Salvos nos fac Dómine Deus noster : * et cóngrega nos de natiónibus.

Ut confiteámur nómini sancto tuo : * et gloriémur in laude tua.

Benedíctus Dóminus Deus Israël a sæculo, et usque in sæculum : * et

dicet omnis pópulus : Fiat, fiat.

Psalmus cvj.

Confitémini Dómino quóniam bonus : * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicant qui redémpti sunt a Dómino, quos redémit de manu inimíci : * et de regiónibus congregávit eos :

A solis ortu, et occásu : * ab Aquilóne, et mari.

Erravérunt in solitúdine in inaquóso : * viam civitátis habitáculi non invenérunt,

Esuriéntes, et sitiéntes : * ánima eórum in ipsis defécit.

Et clamavérunt ad Dóminum cum tribularéntur : * et de necessitátibus eórum erípuit eos.

Et dedúxit eos in viam rectam : * ut irent in civitátem habitatiónis.

Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus : * et mirabília ejus fíliis hóminum.

Quia satiávit ánimam inánem : * et ánimam esuriéntem satiávit bonis.

Sedéntes in ténebris, et umbra mortis : * vinctos in mendicitáte, et ferro.

Quia exacerbavérunt elóquia Dei : * et consílium Altíssimi irritavérunt.

Et humiliátum est in labóribus cor eórum : * infirmáti sunt, nec fuit qui adjuváret.

Et clamavérunt ad Dóminum cum tribularéntur : * et de necessitátibus eórum liberávit eos.

Et edúxit eos de ténebris, et umbra mortis : * et víncula eórum disrúpit.

Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus : * et mirabília ejus fíliis hóminum.

Quia contrívit portas æreas : * et vectes férreos confrégit.

Suscépit eos de via iniquitátis eórum : * propter injustítias enim suas humiliáti sunt.

Omnem escam abomináta est ánima eórum : * et appropinquavérunt usque ad portas mortis.

Et clamavérunt ad Dóminum cum tribularéntur : * et de necessitátibus eórum liberávit eos.

Misit verbum suum, et sanávit eos : * et erípuit eos de interitiónibus eórum.

Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus : * et mirabília ejus fíliis hóminum.

Et sacríficent sacrifícium

laudis : * et annúntient ópera ejus in exsultatióne.
Qui descéndunt mare in návibus, * faciéntes operatiónem in aquis multis.
Ipsi vidérunt ópera Dómini, * et mirabília ejus in profúndo.
Dixit, et stetit spíritus procéllæ : * et exaltáti sunt fluctus ejus.
Ascéndunt usque ad cœlos, et descéndunt usque ad abyssos : * ánima eórum in malis tabescébat.
Turbáti sunt, et moti sunt sicut ébrius : * et omnis sapiéntia eórum devoráta est.
Et clamavérunt ad Dóminum cum tribularéntur, * et de necessitátibus eórum edúxit eos.
Et státuit procéllam ejus in auram : * et siluérunt fluctus ejus.
Et lætáti sunt quia siluérunt : * et dedúxit eos in portum voluntátis eórum.
Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus : * et mirabília ejus fíliis hóminum.
Et exáltent eum in ecclésia plebis : * et in cáthedra seniórum laudent eum.
Pósuit flúmina in desértum : * et éxitus aquárum in sitim.
Terram fructíferam in salsúginem, * a malítia inhabitántium in ea.
Pósuit desértum in stagna aquárum : * et terram sine aqua in éxitus aquárum.
Et collocávit illic esuriéntes : * et constituérunt civitátem habitatiónis.
Et seminavérunt agros, et plantavérunt víneas : * et fecérunt fructum nativitátis.
Et benedíxit eis, et multiplicáti sunt nimis : * et juménta eórum non minorávit.
Et pauci facti sunt : * et vexáti sunt a tribulatióne malórum, et dolóre.
Effúsa est contémptio super príncipes : * et erráre fecit eos in ínvio, et non in via.
Et adjúvit páuperem de inópia : * et pósuit sicut oves famílias.
Vidébunt recti, et lætabúntur : * et omnis iníquitas oppilábit os suum.
Quis sápiens, et custódiet hæc? * et intélliget misericórdias Dómini?
Glória Patri, et Fílio.
Aña. Vísita nos Dómine in salutári tuo.
Aña. Confitébor Dómino.

Psalmus cvij.

PArátum cor meum Deus, parátum cor meum : * cantábo, et psallam in glória mea.

Exsúrge glória mea, exsúrge psaltérium, et cíthara : * exsúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis Dómine : * et psallam tibi in natiónibus.

Quia magna est super cœlos misericórdia tua : * et usque ad nubes véritas tua.

Exaltáre super cœlos Deus, et super omnem terram glória tua : * ut liberéntur dilécti tui.

Salvum fac déxtera tua, et exáudi me : * Deus locútus est in sancto suo.

Exsultábo, et dívidam Síchimam, * et convállem tabernaculórum dimétiar.

Meus est Gálaad, et meus est Manásses : * et Ephraïm suscéptio cápitis mei.

Juda Rex meus : * Moab lebes spei meæ.

In Idumæam exténdam calceaméntum meum : * mihi alienígenæ amíci facti sunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam? * quis dedúcet me usque in Idumæam?

Nonne tu Deus, qui repulísti nos, * et non exíbis, Deus, in virtútibus nostris?

Da nobis auxílium de tribulatióne : * quia vana salus hóminis.

In Deo faciémus virtútem : * et ipse ad níhilum dedúcet inimícos nostros.

Psalmus cviij.

DEus laudem meam ne tacúeris : * quia os peccatóris, et os dolósi super me apértum est.

Locúti sunt advérsum me lingua dolósa, et sermónibus ódii circumdedérunt me : * et expugnavérunt me gratis.

Pro eo ut me dilígerent, detrahébant mihi : * ego autem orábam.

Et posuérunt advérsum me mala pro bonis : * et ódium pro dilectióne mea.

Constítue super eum peccatórem : * et diábolus stet a dextris ejus.

Cum judicátur, éxeat condemnátus : * et orátio ejus fiat in peccátum.

Fiant dies ejus pauci : * et Episcopátum ejus accípiat alter.

Fiant fílii ejus órphani : * et uxor ejus vídua.

Nutántes transferántur fílii ejus, et mendícent : * et ejiciántur de habitatiónibus suis.

Scrutétur fœnerátor omnem substántiam ejus : * et dirípiant aliéni labóres ejus.

Non sit illi adjútor : * nec sit qui misereátur pupíllis ejus.

Fiant nati ejus in intéritum : * in generatióne una deleátur nomen ejus.

In memóriam rédeat iníquitas patrum ejus in conspéctu Dómini : * et peccátum matris ejus non deleátur.

Fiant contra Dóminum semper, et dispéreat de terra memória eórum : * pro eo quod non est recordátus fácere misericórdiam.

Et persecútus est hóminem ínopem, et mendícum, * et compúnctum corde mortificáre.

Et diléxit maledictiónem, et véniet ei : * et nóluit benedictiónem, et elongábitur ab eo.

Et índuit maledictiónem sicut vestiméntum, * et intrávit sicut aqua in interióra ejus, et sicut óleum in óssibus ejus.

Fiat ei sicut vestiméntum, quo operítur : * et sicut zona, qua semper præcíngitur.

Hoc opus eórum, qui détrahunt mihi apud Dóminum : * et qui loquúntur mala advérsus ánimam meam.

Et tu, Dómine, Dómine, fac mecum propter nomen tuum : * quia suávis est misericórdia tua.

Líbera me, quia egénus et pauper ego sum : * et cor meum conturbátum est intra me.

Sicut umbra cum declínat, ablátus sum : * et excússus sum sicut locústæ.

Génua mea infirmáta sunt a jejúnio : * et caro mea immutáta est propter óleum.

Et ego factus sum oppróbrium illis : * vidérunt me, et movérunt cápita sua.

Adjuva me Dómine Deus meus : * salvum me fac secúndum misericórdiam tuam.

Et sciant quia manus tua hæc : * et tu Dómine fecísti eam.

Maledícent illi, et tu benedíces : qui insúrgunt in me, confundántur : * servus autem tuus lætábitur.

Induántur, qui détrahunt mihi, pudóre : * et operiántur sicut diplóide confusióne sua.

Confitébor Dómino nimis in ore meo : * et in médio multórum laudábo eum.

Quia ádstitit a dextris páuperis, * ut salvam fáceret a persequéntibus ánimam meam.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Confitébor Dómino nimis in ore meo.

In Adventu, ℣. Egrediétur Dóminus de loco sancto suo. ℟. Véniet ut salvum fáciat pópulum suum a peccátis eórum.

In Quadrages. post j. Dominicam, ℣. Scuto circúmdabit te véritas ejus. ℟. Non timébis a timóre noctúrno.

Temp. Pass. ℣. Ne perdas cum ímpiis Deus ánimam meam. ℟. Et cum viris sánguinum vitam meam.

Temp. Paschali, Aña. Allelúia. ℣. Surréxit Dóminus de sepúlcro. ℟. Qui pro nobis pepéndit in ligno, allelúia.

Per Annum, ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Responsoria, quæ sequuntur, dicantur in Sabbato post Cineres, et in Sabb. Quatuor Temp. Septemb. Item ab Oct. Epiph. usque ad Quadrag. et ab Oct. Corp. Christi, usque ad Advent. quando in Sabb. legitur aliqua Homilia et non legitur de Script. quod continget in Vigiliis, et quando in eisdem ponenda sit Homilia aliqua Dom. quæ superest.

℟. j. Misericórdiam, et judícium cantábo tibi Dómine : * Psallam, et intélligam in via immaculáta, quando vénies ad me. ℣. Perambulábam in innocéntia cordis mei, in médio domus meæ. — Psallam.

℟. ij. Dómine exáudi oratiónem meam : et clamor meus ad te véniat : * Quia non spernis Deus preces páuperum. ℣. De profúndis clamávi ad te Dómine : Dómine exáudi vocem meam. — Quia.

℟. iij. Velóciter exáudi me Dómine : * Quia defecérunt sicut fumus dies mei. ℣. Dies mei sicut umbra declinavérunt : et ego sicut fœnum árui. — Quia. Glória Patri. Quia.

℟. Velóciter.

Sacerdotalis ℣. in Adventu, Emítte, Agnum Dómine, Dominatórem terræ. ℟. De petra desérti ad montem fíliæ Sion.

In Quadrages. post j. Dominicam, ℣. Dicet Dómino. ℟. Suscéptor meus es tu.

Temp. Passionis, ℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus. ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me.

Per Annum, ℣. Fiat misericórdia tua Dómine super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te.

AD LAUDES.

Aña. Benígne fac Dómine in bona voluntáte tua.

Psalm. Miserére mei. 42.

Aña. Bonum est confitéri Dómino.

Psalm. Bonum est. 108.

Aña. Métuant te Dómine omnes fines terræ.

Ps. Deus Deus meus. 22.

Aña. Et in servis suis.

Canticum Moysi.

Deut. 32

AUdíte cœli quæ loquor, * áudiat terra verba oris mei.

Concréscat ut plúvia doctrína mea, * fluat ut ros elóquium meum,

Quasi imber super herbam, et quasi stillæ super grámina : * quia nomen Dómini invocábo.

Date magnificéntiam Deo nostro. * Dei perfécta sunt ópera, et omnes viæ ejus judícia :

Deus fidélis, et absque ulla iniquitáte, justus et rectus : * peccavérunt ei, et non fílii ejus in sórdibus.

Generátio prava, atque pervérsa : * hæccine reddis Dómino, pópule stulte et insípiens?

Numquid non ipse est pater tuus, * qui possédit te, et fecit, et creávit te?

Meménto diérum antiquórum, * cógita generatiónes síngulas.

Intérroga patrem tuum, et annuntiábit tibi : * majóres tuos, et dicent tibi.

Quando dividébat Altíssimus Gentes : * quando separábat fílios Adam,

Constítuit términos populórum * juxta númerum filiórum Israel.

Pars autem Dómini, pópulus ejus : * Jacob funículus hereditátis ejus.

Invénit eum in terra desérta, * in loco horróris, et vastæ solitúdinis :

Circumdúxit eum, et dócuit : * et custodívit quasi pupíllam óculi sui.

Sicut áquila próvocans ad volándum pullos suos, * et super eos vólitans,

Expándit alas suas, et assúmpsit eum, * atque portávit in húmeris suis.

Dóminus solus dux ejus fuit : * et non erat cum eo Deus aliénus.

Constítuit eum super excélsam terram : * ut comméderet fructus agrórum,

Ut súgeret mel de pe-

tra, * oleúmque de saxo duríssimo.

Butyrum de arménto, * et lac de óvibus cum ádipe agnórum, et aríetum filiórum Basan :

Et hircos cum medúlla trítici,* et sánguinem uvæ bíberet meracíssimum.

Incrassátus est diléctus, et recalcitrávit : * incrassátus, impinguátus, dilatátus,

Derelíquit Deum factórem suum, * et recéssit a Deo salutári suo.

Provocavérunt eum in diis aliénis, * et in abominatiónibus ad iracúndiam concitavérunt.

Immolavérunt dæmóniis et non Deo, * diis, quos ignorábant :

Novi recentésque venérunt * quos non coluérunt patres eórum.

Deum, qui te génuit dereliquísti, * et oblítus es Dómini Creatóris tui.

Vidit Dóminus, et ad iracúndiam concitátus est : * quia provocavérunt eum fílii sui, et fíliæ.

Et ait : Abscóndam fáciem meam ab eis, * et considerábo novíssima eórum :

Generátio enim pervérsa est, * et infidéles fílii.

Ipsi me provocavérunt in eo, qui non erat Deus, * et irritavérunt in vanitátibus suis :

Et ego provocábo eos in eo, qui non est pópulus, * et in Gente stulta irritábo illos.

Ignis succénsus est in furóre meo, * et ardébit usque ad inférni novíssima :

Devorabítque terram cum gérmine suo, * et móntium fundaménta combúret.

Congregábo super eos mala, * et sagíttas meas complébo in eis.

Consuméntur fame : * et devorábunt eos aves morsu amaríssimo :

Dentes bestiárum immíttam in eos, * cum furóre trahéntium super terram, atque serpéntium.

Foris vastábit eos gládius, et intus pavor, * júvenem simul ac vírginem, lacténtem cum hómine sene.

Dixi : Ubinam sunt? * cessáre fáciam ex homínibus memóriam eórum.

Sed propter iram inimicórum dístuli : * ne forte superbírent hostes eórum.

Et dícerent : Manus nostra excélsa, * et non Dóminus, fecit hæc ómnia.

Gens absque consílio est, et sine prudéntia : *

útinam sáperent, et intellígerent, ac novíssima providérent.
Quómodo persequátur unus mille, * et duo fugent decem míllia?
Nonne ídeo, quia Deus suus véndidit eos, * et Dóminus conclúsit illos?
Non enim est Deus noster ut dii eórum : * et inimíci nostri sunt júdices.
De vínea Sodomórum, vínea eórum : * et de suburbánis Gomórrhæ :
Uva eórum uva fellis, * et botri amaríssimi.
Fel dracónum vinum eórum, * et venénum áspidum insanábile.
Nonne hæc cóndita sunt apud me, * et signáta in thesáuris meis?
Mea est últio, et ego retríbuam in témpore, * ut labátur pes eórum :
Juxta est dies perditiónis, * et adésse festínant témpora.
Judicábit Dóminus pópulum suum, * et in servis suis miserébitur :
Vidébit quod infirmáta sit manus, et clausi quoque defecérunt, * residuíque consúmpti sunt.
Et dicet : Ubi sunt dii eórum, * in quibus habébant fidúciam?
De quorum víctimis comedébant ádipes, * et bibébant vinum libáminum?
Surgant, et opitueléntur vobis : * et in necessitáte vos prótegant.
Vidéte quod ego sim solus, * et non sit álius Deus præter me :
Ego occídam, et ego vívere fáciam : percútiam, et ego sanábo, * et non est qui de manu mea possit erúere.
Levábo ad cœlum manum meam, * et dicam : Vivo ego in ætérnum.
Si acúero ut fulgur gládium meum, * et arripúerit judícium manus mea :
Reddam ultiónem hóstibus meis, * et his qui odérunt me retríbuam.
Inebriábo sagíttas meas sánguine, * et gládius meus devorábit carnes,
De cruóre occisórum, * et de captivitáte, nudáti inimicórum cápitis.
Laudáte Gentes pópulum ejus, * quia sánguinem servórum suórum ulciscétur :
Et vindíctam retríbuet in hostes eórum, * et propítius erit terræ pópuli sui.
Glória Patri, et Fílio.
Aña. Et in servis suis Dóminus miserébitur.
Aña. In cymbalis benesonántibus laudáte Dóminum.

Psalm. Laudáte Dóminum de cœlis. 24.

Capitulum. 1. Cor. 16.

FRatres, Vigiláte, state in fide, viríliter ágite, et confortámini : ómnia vestra in caritáte fiant.

Hymnus. D. Ambr.

AUróra jam spargit polum,
Terris dies illábitur,
Lucis resúltat spículum,
Discédat omne lúbricum.
Phantásma noctis décidat,
Mentis reátus súbruat,
Quidquid tenébris hórridum
Nox áttulit culpæ, cadat.
Et mane illúd último,
Quod præstolámur cérnui,
In lucem nobis éffluat,
Dum hoc canóre cóncrepat.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc et in perpétuum.
Amen.

℣. In matutínis Dómine meditábor in te. ℟. Quia fuísti adjútor meus.

Ad Benedictus, Antiphona. In viam pacis dírige nos Dómine.

AD PRIMAM.

In Dominicis Adventus et a Domin. Septuages. usque ad Dom. Palm. Pater noster. Ave María. et Credo. Deus in adjutórium. Hymnus. Jam lucis. ut infra. 130. Añæ accipiantur a propriis locis.

Psalmus xxj.

DEus Deus meus réspice in me, quare me dereliquísti? * longe a salúte mea verba delictórum meórum.

Deus meus clamábo per diem, et non exáudies : * et nocte, et non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas, * laus Israel.

In te speravérunt patres nostri : * speravérunt, et liberásti eos.

Ad te clamavérunt, et salvi facti sunt : * in te speravérunt, et non sunt confúsi.

Ego autem sum vermis, et non homo : * oppróbrium hóminum, et abjéctio plebis.

Omnes vidéntes me, derisérunt me : * locúti sunt lábiis, et movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum : * salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es, qui extraxísti me de ventre, spes mea ab ubéribus matris meæ : * in te projéctus sum ex útero.

De ventre matris meæ

Deus meus es tu, * ne discésseris a me.
Quóniam tribulátio próxima est : * quóniam non est qui ádjuvet.
Circumdedérunt me vítuli multi : * tauri pingues obsedérunt me,
Aperuérunt super me os suum, * sicut leo rápiens, et rúgiens.
Sicut aqua effúsus sum : * et dispérsa sunt ómnia ossa mea.
Factum est cor meum tamquam cera liquéscens * in médio ventris mei.
Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit fáucibus meis : * et in púlverem mortis deduxísti me.
Quóniam circumdedérunt me canes multi : * concílium malignántium obsédit me.
Fodérunt manus meas, et pedes meos : * dinumeravérunt ómnia ossa mea.
Ipsi vero consideravérunt, et inspexérunt me : * divisérunt sibi vestiménta mea, et super vestem meam misérunt sortem.
Tu autem Dómine ne elongáveris auxílium tuum a me : * ad defensiónem meam cónspice.
Erue a frámea Deus ánimam meam : * et de manu canis únicam meam :
Salva me ex ore leónis : * et a córnibus unicórnium humilitátem meam.
Narrábo nomen tuum frátribus meis : * in médio Ecclésiæ laudábo te.
Qui timétis Dóminum, laudáte eum : * univérsum semen Jacob glorificáte eum :
Tímeat eum omne semen Israel : * quóniam non sprevit, neque despéxit deprecatiónem páuperis :
Nec avértit fáciem suam a me : * et cum clamárem ad eum, exaudívit me.
Apud te laus mea in ecclésia magna : * vota mea reddam in conspéctu timéntium eum.
Edent páuperes, et saturabúntur : et laudábunt Dóminum qui requírunt eum : * vivent corda eórum in sæculum sæculi.
Reminiscéntur et converténtur ad Dóminum * univérsi fines terræ :
Et adorábunt in conspéctu ejus * univérsæ famíliæ Géntium.
Quóniam Dómini est regnum : * et ipse dominábitur Géntium.
Manducavérunt et adoravérunt omnes pingues terræ : * in conspéctu

ejus cadent omnes, qui descéndunt in terram.

Et ánima mea illi vivet : * et semen meum sérviet ipsi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra : * et annuntiábunt cœli justítiam ejus pópulo, qui nascétur, quem fecit Dóminus.

Psalmus xxij.

Dominus regit me, et nihil mihi déerit : * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me : * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justítiæ, * propter nomen suum.

Nam, et si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala : * quóniam tu mecum es.

Virga tua, et báculus tuus : * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam, * advérsus eos, qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum : * et calix meus inébrians quam præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ :

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Glória Patri, et Fílio.

Psalmus xxiij.

Domini est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus, et mundo corde, qui non accépit in vano ánimam suam, * nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras, et elevámini portæ æternáles : * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis, et potens, Dóminus potens in prœlio.

Attóllite portas príncipes vestras, et elevámini portæ æternáles : * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Psalmus xxiv.

AD te Dómine levávi ánimam meam : * Deus meus in te confído, non erubéscam :

Neque irrídeant me inimíci mei : * étenim univérsi, qui sústinent te, non confundéntur.

Confundántur omnes iníqua agéntes * supervácue.

Vias tuas Dómine demónstra mihi : * et sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, et doce me : * quia tu es Deus salvátor meus, et te sustínui tota die.

Reminíscere miseratiónum tuárum Dómine, * et misericordiárum tuárum, quæ a sæculo sunt.

Delícta juventútis meæ, * et ignorántias meas ne memíneris.

Secúndum misericórdiam tuam meménto mei tu : * propter bonitátem tuam Dómine.

Dulcis et rectus Dóminus : * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget mansuétos in judício : * docébit mites vias suas.

Univérsæ viæ Dómini, misericórdia, et véritas, * requiréntibus testaméntum ejus, et testimónia ejus.

Propter nomen tuum Dómine propitiáberis peccáto meo : * multum est enim.

Quis est homo qui timet Dóminum? * legem státuit ei in via, quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur : * et semen ejus hereditábit terram.

Firmaméntum est Dóminus timéntibus eum : * et testaméntum ipsíus ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad Dóminum : * quóniam ipse evéllet de láqueo pedes meos.

Réspice in me, et miserére mei : * quia únicus et pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ sunt, * de necessitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam, et labórem meum : * et dimítte univérsa delícta mea.

Réspice inimícos meos, quóniam multiplicáti sunt : * et ódio iníquo odérunt me.

Custódi ánimam meam, et érue me : * non erubéscam, quóniam sperávi in te.

Innocéntes et recti adhæsérunt mihi : * quia sustínui te.

Líbera Deus Israel : * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

Glória Patri, et Fílio.

Psalmus xxv.

JUdica me Dómine, quóniam ego in innocéntia mea ingréssus sum : * et in Dómino sperans non infirmábor.

Proba me Dómine, et tenta me : * ure renes meos et cor meum.

Quóniam misericórdia tua ante óculos meos est : * et complácui in veritáte tua.

Non sedi cum concílio vanitátis : * et cum iníqua geréntibus non introíbo.

Odívi Ecclésiam malignántium : * et cum ímpiis non sedébo.

Lavábo inter innocéntes manus meas : * et circúmdabo altáre tuum, Dómine.

Ut áudiam vocem laudis, * et enárrem univérsa mirabília tua.

Dómine diléxi decórem domus tuæ, * et locum habitatiónis glóriæ tuæ.

Ne perdas cum ímpiis Deus ánimam meam, * et cum viris sánguinum vitam meam :

In quorum mánibus iniquitátes sunt : * déxtera eórum repléta est munéribus.

Ego autem in innocéntia mea ingréssus sum : * rédime me, et miserére mei.

Pes meus stetit in diréćto : * in Ecclésiis benedícam te Dómine.

Ps. Deus in nómine. 131.

Glória Patri.

Ps. Confitémini.

Glória Patri. ut infra, loco cujus, a Septuages. usque ad Dominicam in Ramis, inclusive dicitur Ps. Dóminus regnávit. 21.

Glória Patri; deinde Ps. Beáti immaculáti.

Glória Patri.

Ps. Retríbue. Glória Patri.

Symbolum. Quicúmque vult. Glória Patri.

Capitulum. Dómine miserére.

℟. Jesu Christe. cum ℣. competenti, preces et cetera omnia ut infra.

AD PRIMAM.

In aliis a supradićtis Dominicis ac in Festis, et Feriis per totum Annum Pater noster. Ave María et Credo. Deus in adjutórium meum inténde. Glória Patri.

Hymnus. D. Ambr.

JAm lucis orto sídere,
Deum precémur súpplices,
Ut in diúrnis áćtibus
Nos servet a nocéntibus.

Linguam refrænans témperet,
Ne litis horror ínsonet :
Visum fovéndo cóntegat,
Ne vanitátes háuriat.
Sint pura cordis íntima,
Absístat et vecórdia :
Carnis terat supérbiam
Potus, cibíque párcitas.
Ut, cum dies abscésserit,
Noctémque sors redúxerit,
Mundi per abstinéntiam
Ipsi canámus glóriam.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum. Amen.

In Adventu Ferialibus diebus, nisi Laudes proprias Antiphonas habuerint, Aña. **Dicit Dóminus.**

Post Epiph. et Trinitat. in Dominicis diebus, Aña. **Glória tibi Trínitas.**

Ferialibus diebus, Aña. **Deus exáudi.**

Post Dom. j. Quadrages. Ferialibus diebus, Aña. **Vivo ego.**

In Feriis Hebdomadæ Passionis, Aña. **Animæ impiórum.**

Tempore Paschali, Dominicis diebus, Aña. **Angelus autem Dómini.**

Ferialibus diebus, Aña. **Allelúia.**

Diebus Festivis, prima Aña Laudum.

Psalmus liij.

DEus in nómine tuo salvum me fac : * et in virtúte tua júdica me.

Deus exáudi oratiónem meam : * áuribus pércipe verba oris mei.

Quóniam aliéni insurrexérunt advérsum me, et fortes quæsiérunt ánimam meam : * et non proposuérunt Deum ante conspéctum suum.

Ecce enim Deus ádjuvat me : * et Dóminus suscéptor est ánimæ meæ.

Avérte mala inimícis meis : * et in veritáte tua dispérde illos.

Voluntárie sacrificábo tibi, et confitébor nómini tuo Dómine : * quóniam bonum est :

Quóniam ex omni tribulatióne eripuísti me : * et super inimícos meos despéxit óculus meus.

Glória Patri, et Fílio.

Si Officium fit de Dominica, additur sequens

Psalmus cxvij.

COnfitémini Dómino quóniam bonus : * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicat nunc Israel quóniam bonus : * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicat nunc domus Aáron : * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicant nunc qui timent Dóminum : * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

De tribulatióne invocávi Dóminum : * et exaudívit me in latitúdine Dóminus.

Dóminus mihi adjútor : * non timébo quid fáciat mihi homo.

Dóminus mihi adjútor : * et ego despíciam inimícos meos.

Bonum est confídere in Dómino : * quam confídere in hómine,

Bonum est speráre in Dómino, * quam speráre in princípibus.

Omnes Gentes circuiérunt me : * et in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Circumdántes circumdedérunt me : * et in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Circumdedérunt me sicut apes, et exarsérunt sicut ignis in spinis : * et in nómine Dómini, quia ultus sum in eos.

Impúlsus evérsus sum ut cáderem : * et Dóminus suscépit me.

Fortitúdo mea, et laus mea Dóminus : * et factus est mihi in salútem.

Vox exsultatiónis, et salútis * in tabernáculis justórum.

Déxtera Dómini fecit virtútem : * déxtera Dómini exaltávit me, déxtera Dómini fecit virtútem.

Non móriar, sed vivam : * et narrábo ópera Dómini.

Castígans castigávit me Dóminus : * et morti non trádidit me.

Aperíte mihi portas justítiæ, ingréssus in eas confitébor Dómino : * hæc porta Dómini, justi intrábunt in eam.

Confitébor tibi, quóniam exaudísti me : * et factus es mihi in salútem.

Lápidem, quem reprobavérunt ædificántes : * hic factus est in caput ánguli.

A Dómino factum est istud : * et est mirábile in óculis nostris.

Hæc est dies, quam fecit Dóminus : * exsultémus, et lætémur in ea.

O Dómine salvum me fac, o Dómine bene prosperáre : * benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Benedíximus vobis de domo Dómini : * Deus Dóminus, et illúxit nobis.

Constitúite diem solémnem in condénsis, * usque ad cornu altáris.

Deus meus es tu, et con-

fitébor tibi : * Deus meus es tu, et exaltábo te.

Confitébor tibi, quóniam exaudísti me : * et factus es mihi in salútem.

Confitémini Dómino, quóniam bonus : * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Glória Patri, et Fílio.

Psalmus cxviij.

BEáti immaculáti in via : * qui ámbulant in lege Dómini.

Beáti, qui scrutántur testimónia ejus : * in toto corde exquírunt eum.

Non enim qui operántur iniquitátem, * in viis ejus ambulavérunt.

Tu mandásti * mandáta tua custodíri nimis.

Utinam dirigántur viæ meæ, * ad custodiéndas justificatiónes tuas.

Tunc non confúndar, * cum perspéxero in ómnibus mandátis tuis.

Confitébor tibi in directióne cordis : * in eo quod dídici judícia justítiæ tuæ.

Justificatiónes tuas custódiam : * non me derelínquas usquequáque.

In quo córrigit adolescéntior viam suam? * in custodiéndo sermónes tuos.

In toto corde meo exquisívi te : * ne repéllas me a mandátis tuis.

In corde meo abscóndi elóquia tua : * ut non peccem tibi.

Benedíctus es Dómine : * doce me justificatiónes tuas.

In lábiis meis, pronuntiávi * ómnia judícia oris tui.

In via testimoniórum tuórum delectátus sum, * sicut in ómnibus divítiis.

In mandátis tuis exercébor : * et considerábo vias tuas.

In justificatiónibus tuis meditábor : * non oblivíscar sermónes tuos.

Glória Patri, et Fílio.

REtríbue servo tuo, vivífica me : * et custódiam sermónes tuos.

Revéla óculos meos : * et considerábo mirabília de lege tua.

Incola ego sum in terra : * non abscóndas a me mandáta tua.

Concupívit ánima mea desideráre justificatiónes tuas, * in omni témpore.

Increpásti supérbos : * maledícti qui declínant a mandátis tuis.

Aufer a me oppróbrium, et contémptum : * quia testimónia tua exquisívi.

Etenim sedérunt prínci-

pes, et advérsum me loquebántur : * servus autem tuus exercebátur in justificatiónibus tuis.

Nam et testimónia tua meditátio mea est : * et consílium meum justificatiónes tuæ.

Adhæsit paviménto ánima mea : * vivífica me secúndum verbum tuum.

Vias meas enuntiávi, et exaudísti me : * doce me justificatiónes tuas.

Viam justificatiónum tuárum ínstrue me : * et exercébor in mirabílibus tuis.

Dormitávit ánima mea præ tædio : * confírma me in verbis tuis.

Viam iniquitátis ámove a me : * et de lege tua miserére mei.

Viam veritátis elégi : * judícia tua non sum oblítus.

Adhæsi testimóniis tuis Dómine : * noli me confúndere.

Viam mandatórum tuórum cucúrri, * cum dilatásti cor meum.

Glória Patri, et Fílio.

Si Officium fiat de Dominica, additur sequens

Symbolum S. Athanasii.

QUicúmque vult salvus esse : * ante ómnia opus est, ut téneat cathólicam fidem.

Quam nisi quisque íntegram inviolatámque serváverit : * absque dúbio in ætérnum períbit.

Fides autem cathólica hæc est : * ut unum Deum in Trinitáte, et Trinitátem in unitáte venerémur.

Neque confundéntes persónas : * neque substántiam separántes.

Alia est enim persóna Patris, ália Fílii : * ália Spíritus sancti.

Sed Patris, et Fílii, et Spíritus sancti una est divínitas : * æquális glória, coætérna majéstas.

Qualis Pater, talis Fílius : * talis Spíritus sanctus.

Increátus Pater, increátus Fílius : * increátus Spíritus sanctus.

Imménsus Pater, imménsus Fílius : * imménsus Spíritus sanctus.

Ætérnus Pater, ætérnus Fílius : * ætérnus Spíritus sanctus.

Et tamen non tres ætérni : * sed unus ætérnus.

Sicut non tres increáti, nec tres imménsi : * sed unus increátus, et unus imménsus.

Simíliter omnípotens Pater, omnípotens Fílius : * omnípotens Spíritus sanctus.

Et tamen non tres omnipoténtes : * sed unus omnípotens.

Ita Deus Pater, Deus Fílius : * Deus Spíritus sanctus.

Et tamen non tres dii : * sed unus est Deus.

Ita Dóminus Pater, Dóminus Fílius : * Dóminus Spíritus sanctus.

Et tamen non tres Dómini : * sed unus est Dóminus.

Quia sicut singillátim unamquámque persónam Deum, ac Dóminum confitéri Christiána veritáte compéllimur : * ita tres Deos, aut Dóminos dícere, cathólica religióne prohibémur.

Pater a nullo est factus : * nec creátus, nec génitus.

Fílius a Patre solo est : * non factus, nec creátus, sed génitus.

Spíritus sanctus a Patre et Fílio : * non factus, nec creátus, nec génitus, sed procédens.

Unus ergo Pater, non tres Patres, unus Fílius, non tres Fílii : * unus Spíritus sanctus, non tres Spíritus sancti.

Et in hac Trinitáte, nihil prius, aut postérius, nihil majus, aut minus : * sed totæ tres persónæ coætérnæ sibi sunt, et coæquáles.

Ita ut per ómnia sicut jam supra dictum est : * et únitas in Trinitáte, et Trínitas in unitáte veneránda sit.

Qui vult ergo salvus esse : * ita de Trinitáte séntiat.

Sed necessárium est ad ætérnam salútem : * ut incarnatiónem quoque Dómini nostri Jesu Christi fidéliter credat.

Est ergo fides recta, ut credámus, et confiteámur : * quia Dóminus noster Jesus Christus Dei fílius, Deus et homo est.

Deus est ex substántia Patris ante sæcula génitus : * et homo est ex substántia matris in sæculo natus.

Perféctus Deus, perféctus homo : * ex ánima rationáli, et humána carne subsístens.

Æquális Patri secúndum divinitátem : * minor Patre secúndum humanitátem.

Qui licet Deus sit, et homo : * non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem non conversióne divinitátis in carnem : * sed assumptióne humanitátis in Deum.

Unus omníno non confu-

sióne substántiæ : * sed unitáte persónæ.

Nam sicut ánima rationális, et caro unus est homo : * ita Deus et homo unus est Christus.

Qui passus est pro salúte nostra, descéndit ad ínferos : * tértia die resurréxit a mórtuis.

Ascéndit ad cœlos, sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis : * inde ventúrus est judicáre vivos, et mórtuos.

Ad cujus advéntum omnes hómines resúrgere habent cum corpóribus suis : * et redditúri sunt de factis própriis ratiónem.

Et qui bona egérunt, ibunt in vitam ætérnam : * qui vero mala, in ignem ætérnum.

Hæc est fides cathólica, quam nisi quisque fidéliter, firmitérque credíderit : * salvus esse non póterit.

Glória Patri, et Fílio.

In Adventu, Ferialibus diebus, Aña. Dicit Dóminus, pœniténtiam ágite, appropinquábit enim regnum cœlórum.

Post Epiph. et Trinit. Dominicis diebus, Aña. Glória tibi Trínitas æquális, una Déitas, et ante ómnia sæcula, et nunc, et in perpétuum.

Ferialibus diebus, Aña. Deus, exáudi oratiónem meam : áuribus pércipe verba oris mei.

Post j. Dominicam Quadrages. Ferialibus diebus, Aña. Vivo ego, dicit Dóminus, nolo mortem peccatóris, sed ut magis convertátur, et vivat.

In Feriis Hebdomadæ Passionis, Aña. Animæ impiórum fremébant advérsum me, et gravátum est cor meum super eos.

Tempore Paschali, Dominicis diebus, Aña. Angelus autem Dómini descéndit de cœlo; et accédens, revólvit lápidem, et sedébat super eum, allelúia, allelúia.

Ferialibus diebus, Aña. Allelúia, allelúia, allelúia, allelúia, allelúia, allelúia, allelúia.

Capitulum. Isaiæ 33.



Domine miserére nostri : te enim exspectávimus : esto bráchium nostrum in mane, et salus nostra in témpore tribulatiónis. ℟. Deo grátias.

℟. Jesu Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. Et repetitur Jesu Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis.

℣. **Qui sedes ad déxteram Patris.** ℟. **Miserére nobis.**

℣. **Glória Patri, et Fílio, et Spirítui sancto.** ℟. **Jesu Christe Fili Dei vivi, * Miserére nobis.**

℣. **Exsúrge Dómine, ádjuva nos.** ℟. **Et líbera nos propter nomen tuum.**

A Vigilia Nativitatis usque ad Oct. Epiphan. et per totum Tempus Paschale in Festis et Feriis: in duplicibus et per Octavas, dum de Oct. agitur, dicitur hoc ℟. cum duobus **Allelúia,** præterquam a Septuages. usque ad Pascha, et sic de ℟. ad Tertiam, Sextam, et Nonam.

℟. **Jesu Christe, Fili Dei vivi, miserére nobis : * Allelúia, allelúia.** Et repetitur **Jesu Christe, Fili Dei vivi, miserére nobis: * Allelúia, allelúia.**

℣. **Qui sedes, ad déxteram Patris.** ℟. **Allelúia, allelúia.**

℣. **Glória Patri, et Fílio, et Spirítui sancto.** ℟. **Jesu Christe, Fili Dei vivi, miserére nobis : * Allelúia, allelúia.**

℣. **Exsúrge Dómine, ádjuva nos.** ℟. **Et líbera nos propter nomen tuum, allelúia.**

Loco ℣. **Qui sedes** aliquando dicitur alius ℣. ut infra pro qualitate Temporum et Festorum.

℣. **Qui ventúrus es in mundum,** dicitur a Dominica prima Adventus, usque ad Vigiliam Nativitatis inclusive, de quocumque fiat Officium, exceptis Festis proprium versiculum habentibus.

℣. **Qui de Vírgine dignátus es nasci,** dicitur a die Nativitatis usque ad Vigiliam Epiph. inclusive, de quocumque fiat Officium. Item dicitur per totum Annum, quando de beata Virgine Officium agitur et in Festo SS. Nominis Jesu.

℣. **Qui hódie mundo apparuísti,** dicitur in die, et per Oct. Epiphan. de quocumque Offic. fiat. Item in Festo Transfigurationis.

℣. **Qui nos salvásti in Cruce,** dicitur a Dominica Passionis, usque ad Cœnam Domini, exceptis Festis proprium ℣. habentibus. Item in utroque Festo sanctæ Crucis, in Festo SS. Cordis et pretiosiss. Sanguinis Domini, et quando fit Offic. de Passione Domini aut de ejusdem instrumentis.

℣. **Qui surrexísti a mórtuis,** dicitur a Dominica in Albis usque ad Vigiliam Ascensionis inclusive, ex-

ceptis Festis proprium ℣. habentibus.

℣. **Qui scandis super sídera,** dicitur a die Ascensionis usque ad Vigiliam Pentecostes inclusive, exceptis Festis proprium ℣. habentibus.

℣. **Qui Spíritum Paráclitum misísti Apóstolis,** dicitur in die et per Octavam Pentecostes.

℣. **Qui corpus tuum nobis dedísti in cibum, et sánguinem in potum,** dicitur in die et per Oct. Corporis Christi, quando de Oct. fit Officium, et per annum, cum de Venerabili Sacramento agitur.

In Officio duplici, per Oct. in Festis, quæ infra Oct. celebrantur, etiamsi duplicia non sint: in Dominicis a Nativitate Domini usque ad Septuagesimam, et a Pascha usque ad Adventum, et per totum Tempus Paschale, de quocumque fiat Officium, finitis ℟. et ℣. **Exsúrge Dómine** statim dicitur ℣. **Dóminus vobíscum.**

Oratio. **Dómine Deus.** ℣. **Dóminus vobíscum.** ℣. **Benedicámus Dómino,** quibus omnibus finitis, mox fiat Confessio, ut infra, et legatur Martyrologium, et dicatur **Pretiósa,** et cetera omnia, ut infra.

Aliis autem diebus post ℣. **Exsúrge Dómine,** statim subjungitur

Kyrie eléïson. Christe eléïson. Kyrie eléïson.

Pater noster. ℣. **Et ne nos.**

℣. **Vivet ánima mea, et laudábit te.** ℟. **Et judícia tua adjuvábunt me.**

℣. **Errávi, sicut ovis, quæ périit.** ℟. **Quære servum tuum, Dómine, quia mandáta tua non sum oblítus.**

Credo in Deum.

℣. **Carnis resurrectiónem.** ℟. **Vitam ætérnam. Amen.**

℣. **Et ego ad te Dómine clamávi.** ℟. **Et mane orátio mea prævéniet te.**

℣. **Verba mea áuribus pércipe Dómine.** ℟. **Intéllige clamórem meum.**

℣. **Inténde voci oratiónis meæ.** ℟. **Rex meus, et Deus meus.**

℣. **Quóniam ad te orábo Dómine.** ℟. **Mane exáudies vocem meam.**

℣. **Repleátur os meum laude.** ℟. **Ut cantem glóriam tuam, tota die magnitúdinem tuam.**

℣. **Dómine avérte fáciem tuam a peccátis meis.**

℟. Et omnes iniquitátes meas dele.
℣. Cor mundum crea in me Deus. ℟. Et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.
℣. Ne projícias me a fácie tua. ℟. Et Spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.
℣. Redde mihi lætítiam salutáris tui. ℟. Et spíritu principáli confírma me.
℣. Eripe me Dómine ab hómine malo. ℟. A viro iníquo éripe me.
℣. Eripe me de inimícis meis Deus meus. ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me.
℣. Eripe me de operántibus iniquitátem. ℟. Et de viris sánguinum salva me.
℣. Sic psalmum dicam nómini tuo in sæculum sæculi. ℟. Ut reddam vota mea de die in diem.
℣. Exáudi nos Deus salutáris noster. ℟. Spes ómnium fínium terræ, et in mari longe.
℣. Deus in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine ad adjuvándum me festína.
℣. Sancte Deus, sancte fortis, sancte et immortális. ℟. Miserére nobis.
℣. Bénedic ánima mea Dómino. ℟. Et ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto ejus.
℣. Bénedic ánima mea Dómino. ℟. Et noli oblivísci omnes retributiónes ejus.
℣. Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis. ℟. Qui sanat omnes infirmitátes tuas.
℣. Qui rédimit de intéritu vitam tuam. ℟. Qui corónat te in misericórdia, et miseratiónibus.
℣. Qui replet in bonis desidérium tuum. ℟. Renovábitur, ut áquilæ juvéntus tua.

Prior, vel si abest, Hebdomadarius dicit :

Confíteor Deo omnipoténti, beátæ Maríæ semper Vírgini, beáto Patri nostro Elíæ, ómnibus Sanctis, et vobis fratres : quia peccávi nimis cogitatióne, locutióne, ópere, et omissióne : mea culpa. Ideo precor beátam Maríam semper Vírginem, beátum Patrem nostrum Elíam, omnes Sanctos, et vos fratres, oráre pro me ad Dóminum Jesum Christum.

Chorus respondet :

Misereátur tui omnípotens Deus, et dimíttat tibi ómnia peccáta tua : líberet te ab omni malo,

consérvet, et confírmet in omni ópere bono : et perdúcat ad vitam ætérnam.

℟. Amen.

Deinde repetit Confessionem, et ubi dicitur **vobis fratres, et vos fratres,** dicitur **tibi pater, et te pater.**

Facta Confessione a Choro, Prior vel Hebdomadarius dicit :

Misereátur vestri omnípotens Deus, et dimíttat vobis ómnia peccáta vestra : líberet vos ab omni malo : consérvet, et confírmet in omni ópere bono : et perdúcat ad vitam ætérnam.

℟. Amen.

INdulgéntiam, absolutiónem et remissiónem ómnium peccatórum nostrórum tríbuat nobis omnípotens, et miséricors Dóminus.

℟. Amen.

Si quis vero solus dicit Primam, vel Completorium, dicat sic :

Confíteor Deo omnipoténti, beátæ Maríæ semper Vírgini, beáto Patri nostro Elíæ, et ómnibus Sanctis : quia peccávi nimis cogitatióne, locutióne, ópere, et omissióne : mea culpa. Ideo precor beátam Maríam semper Vírginem, beátum Patrem nostrum Elíam, et omnes Sanctos, oráre pro me ad Dóminum Jesum Christum.

Postea subjungat : **Misereátur mei omnípotens Deus, et dimíttat mihi ómnia peccáta mea : líberet me ab omni malo : consérvet, et confírmet in omni ópere bono : et perdúcat ad vitam ætérnam. Amen.**

Similiter : **Indulgéntiam, absolutiónem, et remissiónem ómnium peccatórum meórum tríbuat mihi omnípotens, et miséricors Dóminus. Amen.**

℣. Dignáre Dómine die isto. ℟. Sine peccáto nos custodíre.

℣. Miserére nostri Dómine. ℟. Miserére nostri.

℣. Fiat misericórdia tua Dómine super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te.

Quando fiunt genuflexiones hic adduntur ℣. **Exáudi Dómine,** et Psalm. **Miserére,** ut infra.

Aliis diebus, his omissis, sequitur ℣. **Dómine Deus virtútum convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.**

℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. **Dóminus vobíscum.** ℟. **Et cum spíritu tuo.**

Orémus. Oratio. **Dómine Deus.** ut infra.

In Feriis Adventus et Quadrag. incipiendo a Feria iv. Cinerum, in Quatuor Temporibus Septembris, et in Vigiliis occurrentibus ab Oct. Epiph. usque ad Quadrages. et ab Octava Corporis Christi usque ad Adventum supradictæ Preces dicuntur cum genuflexione, et post ℣. **Fiat misericórdia,** additur

℣. **Exáudi Dómine vocem meam, qua clamávi ad te.** ℟. **Miserére mei, et exáudi me.**

Psalm. **Miserére mei. 42.** totus. In fine : **Glória Patri.**

Finito Psalmo dicitur ℣. **Exsúrge Dómine, ádjuva nos.** ℟. **Et líbera nos propter nomen tuum.**

℣. **Dómine Deus virtútum convérte nos.** ℟. **Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.**

℣. **Dómine exáudi oratiónem meam.** ℟. **Et clamor meus ad te véniat.**

℣. **Dóminus vobíscum.**

Orémus. Oratio.

Domine Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos perveníre fecísti, tua nos hódie salva virtúte : ut in hac die ad nullum declinémus peccátum; sed semper ad tuam justítiam faciéndam nostra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes, et ópera. Per Dóminum.

℣. **Dóminus vobíscum.**

℣. **Benedicámus Dómino.**

℟. **Deo grátias.**

Tempore Paschali dicitur **Benedicámus** cum uno **Allelúia.**

Deinde legitur Martyrologium.

Postea Hebdomadarius dicit ℣. **Pretiósa in conspéctu Dómini.** ℟. **Mors sanctórum ejus.**

Oratio.

Sancta María, et omnes Sancti intercédant pro nobis ad Dóminum, ut nos mereámur ab eo adjuvári, et salvári, qui vivit et regnat in sæcula sæculórum. ℟. **Amen.**

℣. **Deus in adjutórium meum inténde.** ℟. **Dómine ad adjuvándum me festína.**

Et dicitur ter : ultimo additur

Glória Patri. Sicut erat.

Kyrie eléïson. Christe eléïson. Kyrie eléïson. Pater noster.

℣. **Et ne nos indúcas.**

℣. **Et véniat super nos misericórdia tua Dómine.**

℟. Salutáre tuum secúndum elóquium tuum.

℣. Et réspice Dómine in servos tuos. ℟. Et in ópera tua dírige fílios eórum.

℣. Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos. ℟. Et ópera mánuum nostrárum dírige super nos, et opus mánuum nostrárum dírige. Oratio.

DIrígere, et sanctificáre, régere, et gubernáre, dignáre Dómine Deus Rex cœli, et terræ, hódie corda, et córpora nostra, sensus, sermónes, et actus nostros in lege tua, et in opéribus mandatórum tuórum; ut hic et in ætérnum, te auxiliánte, semper salvi, et líberi esse mereámur. Per Dóminum.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum. ℟. Ex hoc nunc, et usque in sæculum.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Lect. Jube domne benedícere.

Bened. Divínum auxílium máneat semper nobíscum. ℟. Amen.

Lectio. 2. Cor. 13.

GRátia Dómini nostri Jesu Christi, et cáritas Dei, et communicátio sancti Spíritus, sit cum ómnibus nobis. Amen. Tu autem Dómine, miserére nostri. ℟. Deo grátias.

Pro Benefactoribus. Commemorátio fratrum, sorórum, confrátrum, familiárium, et benefactórum, defunctórum Ordinis nostri.

℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen.

Psalm. Laudáte Dóminum omnes Gentes, * laudáte eum omnes pópuli.

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus, * et véritas Dómini manet in ætérnum.

Glória Patri.

℣. Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam. ℟. Et salutáre tuum da nobis.

Orémus. Oratio.

ACtiónes nostras, quæsumus Dómine, aspirándo præveni, et adjuvándo proséquere : ut cuncta nostra orátio, et operátio a te semper incípiat, et per te cœpta finiátur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Aña. Salve Regína. vel Regína cœli. pro temporis congruentia, deinde Pater noster et Ave María.

AD TERTIAM.

Pater noster. Ave María. Deus in adjutórium.

Hymnus. D. Ambr.

Nunc sancte nobis Spíritus
Unum Patri cum Fílio,
Dignáre promptus íngeri :
Nostro refúsus péctori.

Os, lingua, mens, sensus, vigor,
Confessiónem pérsonent :
Flamméscat igne cáritas,
Accéndat ardor próximos.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum.
Amen.

In Adventu Ferialibus diebus, nisi Laudes habuerint Antiphonas proprias, Aña. **Veni et líbera.**

Post Epiphaniam et Trinitatem in Dominicis diebus, Aña. **Laus et perénnis glória.**

Ferialibus diebus, Aña. **Véniant mihi.**

Post Dominicam j. Quadragesimæ Ferialibus diebus, Aña. **Advenérunt nobis.**

In Feriis Hebdomadæ Passionis, Aña. **Judicásti Dómine.**

Tempore Paschali Dominicis diebus, Aña. **Et ecce terræmótus.**

Ferialibus diebus, Aña. **Allelúia.**

Psalmus cxviij. N. 33.

Egem pone mihi Dómine viam justificatiónum tuárum : * et exquíram eam semper.

Da mihi intelléctum, et scrutábor legem tuam : * et custódiam illam in toto corde meo.

Deduc me in sémitam mandatórum tuórum : * quia ipsam vólui.

Inclína cor meum in testimónia tua : * et non in avarítiam.

Avérte óculos meos, ne vídeant vanitátem : * in via tua vivífica me.

Státue servo tuo elóquium tuum :* in timóre tuo.

Amputa oppróbrium meum, quod suspicátus sum : * quia judícia tua jucúnda.

Ecce concupívi mandáta tua : * in æquitáte tua vivífica me.

Et véniat super me misericórdia tua Dómine : * salutáre tuum secúndum elóquium tuum.

Et respondébo exprobrántibus mihi verbum : * quia sperávi in sermónibus tuis.

Et ne áuferas de ore meo verbum veritátis usquequáque : * quia in judíciis tuis supersperávi.

Et custódiam legem tuam semper : * in sæculum, et in sæculum sæculi.

Et ambulábam in latitúdine : * quia mandáta tua exquisívi.

Et loquébar in testimóniis tuis in conspéctu regum : * et non confundébar.

Et meditábar in mandátis tuis, * quæ diléxi.

Et levávi manus meas ad mandáta tua, quæ diléxi : * et exercébar in justificatiónibus tuis.

Glória Patri, et Fílio.

MEmor esto verbi tui servo tuo, * in quo mihi spem dedísti.

Hæc me consoláta est in humilitáte mea : * quia elóquium tuum vivificávit me.

Supérbi iníque agébant usquequáque : * a lege autem tua non declinávi.

Memor fui judiciórum tuórum a sæculo Dómine : * et consolátus sum.

Deféctio ténuit me, * pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam.

Cantábiles mihi erant justificatiónes tuæ, * in loco peregrinatiónis meæ.

Memor fui nocte nóminis tui Dómine : * et custodívi legem tuam.

Hæc facta est mihi : * quia justificatiónes tuas exquisívi.

Pórtio mea Dómine, * dixi custodíre legem tuam.

Deprecátus sum fáciem tuam in toto corde meo : * miserére mei secúndum elóquium tuum.

Cogitávi vias meas : * et convérti pedes meos in testimónia tua.

Parátus sum, et non sum turbátus : * ut custódiam mandáta tua.

Funes peccatórum circumpléxi sunt me : * et legem tuam non sum oblítus.

Média nocte surgébam ad confitédum tibi, * super judícia justificatiónis tuæ.

Párticeps ego sum ómnium timéntium te : * et custodiéntium mandáta tua.

Misericórdia tua Dómine plena est terra : * justificatiónes tuas doce me.

Glória Patri, et Fílio.

BOnitátem fecísti cum servo tuo Dómine, * secúndum verbum tuum.

Bonitátem, et disciplínam, et sciéntiam doce me : * quia mandátis tuis crédidi.

Priúsquam humiliárer ego delíqui : * proptérea elóquium tuum custodívi.

Bonus es tu : * et in bonitáte tua doce me justificatiónes tuas.

Multiplicáta est super me iníquitas superbórum : * ego autem in toto corde meo scrutábor mandáta tua.

Coagulátum est sicut lac cor eórum : * ego vero legem tuam meditátus sum.

Bonum mihi quia humiliásti me : * ut discam justificatiónes tuas.

Bonum mihi lex oris tui, * super míllia auri, et argénti.

Manus tuæ fecérunt me, et plasmavérunt me : * da mihi intelléctum, et discam mandáta tua.

Qui timent te, vidébunt me, et lætabúntur : * quia in verba tua supersperávi.

Cognóvi Dómine, quia æquitas judícia tua : * et in veritáte tua humiliásti me.

Fiat misericórdia tua ut consolétur me, * secúndum elóquium tuum servo tuo.

Véniant mihi miseratiónes tuæ et vivam : * quia lex tua meditátio mea est.

Confundántur supérbi, quia injúste iniquitátem fecérunt in me : * ego autem exercébor in mandátis tuis.

Convertántur mihi timéntes te : * et qui novérunt testimónia tua.

Fiat cor meum immaculátum in justificatiónibus tuis, * ut non confúndar.

Glória Patri, et Fílio.

In Adventu diebus Ferialibus, Aña. Veni et líbera nos Deus noster.

Sequens Capit. et ℟. dicuntur diebus Dom. et Ferial. in Adventu.

Capitulum. Jerem. 23.


ECce dies véniunt, dicit Dóminus : et suscitábo David germen justum, et regnábit Rex, et sápiens erit : et fáciet judícium et justítiam in terra.

℟. Veni ad liberándum, nos, * Dómine Deus virtútum. Veni.

℣. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus. Dómine Deus.

Glória Patri. Veni.

℣. Timébunt gentes nomen tuum Dómine. ℟. Et omnes Reges terræ glóriam tuam.

Diebus Ferialibus statim dicuntur Preces, ut signantur supra in Laud. Feriæ secundæ. 45.

Sequens Aña, Capit. et ℟. dicuntur Dom. diebus

a Dom. j. post Oct. Epiph. usque ad Septuages. et a Dom. ij. post Trinit. inclusive, usque ad Adventum: Capit. vero usque ad Quadragesimam.

Aña. **Laus, et perénnis glória Deo Patri, et Fílio, sancto simul Paráclito, in sæculórum sæcula.**

Capitulum. Jerem. 17.

Sana me Dómine, et sanábor: salvum me fac, et salvus ero: quóniam laus mea tu es.

℟. **Inclína cor meum Deus, * In testimónia tua. Inclína.**

℣. **Avérte óculos meos, ne vídeant vanitátem: in via tua vivífica me. In testimónia.**

Glória Patri. Inclína.

℣. **Ego dixi, Dómine miserére mei.** ℟. **Sana ánimam meam, quia peccávi tibi.**

Sequens ℟. dicitur tantum in Dominicis Septuag. Sexages. et Quinquages. et Responsorium non repetitur ante versum.

℟. **Adjútor meus esto Dómine: * Ne derelínquas me.**

℣. **Neque despícias me Deus salutáris meus. Ne derelínquas.**

Glória Patri. Adjútor.

℣. **Ego dixi, Dómine miserére mei.** ℟. **Sana ánimam meam, quia peccávi tibi.**

Sequens Aña, Capit. et ℟. dicuntur diebus Ferialibus post Oct. Epiph. usque ad j. Dominicam Quadrag. et a Trinitate usque ad Advent. Aña. **Véniant mihi Dómine miseratiónes tuæ, et vivam.**

Capitulum. Jerem. 17.

Sana me Dómine, et sanábor, salvum me fac, et salvus ero: quóniam laus mea tu es.

℟. **Sana ánimam meam, * Quia peccávi tibi. Sana.**

℣. **Ego dixi, Dómine miserére mei. Quia.**

Glória Patri. Sana.

℣. **Adjútor meus esto Dómine, ne derelínquas me.** ℟. **Neque despícias me Deus salutáris meus.**

Diebus Ferialibus post j. Dominicam Quadrag. usque ad Dominicam Passionis, Aña. **Advenérunt nobis dies pœniténtiæ, ad rediménda peccáta, ad salvándas ánimas.**

Sequens Capit. dicitur in Dominicis tantum, a Dominica j. Quadrag. usque ad Dominicam Passionis.

Capitulum. 2. Cor. 6.

Hortámur vos, ne in vácuum grátiam Dei recipiátis. Ait enim: Tém-

pore accépto exaudívi te, et in die salútis adjúvi te.

Sequens Capit. dicitur in Feriis tantum, a Dominica j. Quadrag. usque ad Dominicam Passionis.

Capitulum. Joel. 2.

Convertímini ad Dóminum Deum vestrum : quia benígnus, et mísericors est, pátiens, et multæ misericórdiæ, et præstábilis super malítia.

Sequens ℟. dicitur tam in Domin. quam in Feriis, a Dominica j. Quadrages. usque ad Dominicam iij. et ante ℣. non repetitur.

℟. Partícipem me fac Deus ómnium timéntium te : * Et custodiéntium mandáta tua.

℣. Adspice in me, et miserére mei, secúndum judícium diligéntium nomen tuum. Et.

Glória Patri. Partícipem.

℣. Ipse liberábit me de láqueo venántium. ℟. Et a verbo áspero.

Diebus Ferialibus dicuntur Preces, ut supra. 45.

Sequens ℟. dicitur tam in Dominicis, quam in Feriis a Dominica iij. Quadrag. usque ad Dominicam Passionis, et ante ℣. non repetitur.

℟. Bonum mihi Dómine : quia humiliásti me : * Bonum mihi lex oris tui super míllia auri, et argénti.

℣. Manus tuæ Dómine fecérunt me, et plasmavérunt me : da mihi intelléctum : ut discam mandáta tua. Bonum mihi lex.

Glória. Bonum mihi Dómine.

℣. Ipse liberábit me de láqueo venántium. ℟. Et a verbo áspero.

Diebus Ferialibus dicuntur Preces, ut supra. 45.

In Feriis Hebdomadæ Passionis, Aña. Judicásti Dómine causam ánimæ meæ, defénsor vitæ meæ, Deus meus.

Sequens Capit. et ℟. dicuntur a Dominica Pass. usque ad Cœnam Domini, quando fit de Temp.

Capitulum. Isaiæ 50.

Dominus Deus apéruit mihi aurem, ego autem non contradíco : retrórsum non ábii. Corpus meum dedi percutiéntibus, et genas meas velléntibus.

℟. ante ℣. non repetitur.

℟. Erue a frámea Deus ánimam meam : * Et de manu canis únicam meam.

℣ Salva me ex ore leónis : et a córnibus unicórnium humilitátem meam. Et de manu.

Non dicitur Glória. sed repetitur ℟. Erue.

℣. De ore leónis líbera me Dómine. ℟. Et a córnibus unicórnium humilitátem meam.

Diebus Ferialibus dicuntur Preces, ut supra. 45.

Diebus Dominicis Temporis Paschalis, Aña. **Et ecce terræmótus factus est magnus, Angelus enim Dómini descéndit de cœlo, allelúia.**

Diebus Ferialibus Temporis Pasch. Aña. **Allelúia, allelúia, allelúia, allelúia, allelúia, allelúia, allelúia, allelúia, allelúia.**

Sequens Capit. et ℟. dicuntur tam in diebus Dominicis, quam Ferialibus Temporis Paschalis.

Capitulum. Rom. 6.

Christus resúrgens ex mórtuis jam non móritur, mors illi ultra non dominábitur. Quod enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel : quod autem vivit, vivit Deo.

℟. Resurréxit Dóminus : * Allelúia, allelúia. Resurréxit.

℣. Sicut dixit vobis. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Resurréxit.

℣. Surréxit Dóminus vere. ℟. Et appáruit Simóni, allelúia.

AD SEXTAM.

Pater noster. Ave María. Deus in adjutórium.

Hymnus. D. Ambr.

Rector potens, verax Deus,
Qui témperas rerum vices,
Splendóre mane ínstruis,
Et ígnibus merídiem.

Exstíngue flammas lítium,
Aufer calórem nóxium;
Confer salútem córporum,
Verámque pacem córdium.

Præsta, Pater piíssime :
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum. Amen.

In Adventu Ferialibus diebus, nisi Laudes habuerint Añas proprias, Aña. **Tuam Dómine.**

Dominicis diebus post Epiphaniam et Trinitat. Aña. **Glória laudis.**

Ferialibus diebus, Aña. **Non confúndas me.**

Ferialibus diebus post Dominicam j. Quadrag. Aña. **Commendémus nosmetípsos.**

In Feriis Hebdomadæ Passionis, Aña. **Pópule meus.**

Temporis Paschalis Dominicis diebus, Aña. **Erat autem.**

Ferialibus diebus. Aña. Allelúia.

Psalmus cxviij. ℣. 81.

Efécit in salutáre tuum ánima mea: * et in verbum tuum supersperávi.

Defecérunt óculi mei in elóquium tuum, * dicéntes : Quando consoláberis me.

Quia factus sum sicut uter in pruína : * justificatiónes tuas non sum oblítus.

Quot sunt dies servi tui:* quando fácies de persequéntibus me judícium?

Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes : * sed non ut lex tua.

Omnia mandáta tua véritas : * iníque persecúti sunt me, ádjuva me.

Paulo minus consummavérunt me in terra : * ego autem non derelíqui mandáta tua.

Secúndum misericórdiam tuam vivífica me : * et custódiam testimónia oris tui.

In ætérnum Dómine, * verbum tuum pérmanet in cœlo.

In generatiónem et generatiónem véritas tua : * fundásti terram, et pérmanet.

Ordinatióne tua persevérat dies : * quóniam ómnia sérviunt tibi.

Nisi quod lex tua meditátio mea est : * tunc forte periíssem in humilitáte mea.

In ætérnum non oblivíscar justificatiónes tuas : * quia in ipsis vivificásti me.

Tuus sum ego, salvum me fac : * quóniam justificatiónes tuas exquisívi.

Me exspectavérunt peccatóres, ut pérderent me : * testimónia tua intelléxi.

Omnis consummatiónis vidi finem : * latum mandátum tuum nimis.

Glória Patri, et Fílio.

QUómodo diléxi legem tuam Dómine? * tota die meditátio mea est.

Super inimícos meos prudéntem me fecísti mandáto tuo : * quia in ætérnum mihi est.

Super omnes docéntes me intelléxi : * quia testimónia tua meditátio mea est.

Super senes intelléxi : * quia mandáta tua quæsívi.

Ab omni via mala prohíbui pedes meos : * ut custódiam verba tua.

A judíciis tuis non declinávi : * quia tu legem posuísti mihi.

Quam dúlcia fáucibus

meis elóquia tua, * super mel ori meo!

A mandátis tuis intelléxi : * proptérea odívi omnem viam iniquitátis.

Lucérna pédibus meis verbum tuum, * et lumen sémitis meis.

Jurávi, et státui * custodíre judícia justítiæ tuæ.

Humiliátus sum usquequáque Dómine : * vivífica me secúndum verbum tuum.

Voluntária oris mei beneplácita fac Dómine : * et judícia tua doce me.

Anima mea in mánibus meis semper : * et legem tuam non sum oblítus.

Posuérunt peccatóres láqueum mihi : * et de mandátis tuis non errávi.

Hereditáte acquisívi testimónia tua in ætérnum : * quia exsultátio cordis mei sunt.

Inclinávi cor meum ad faciéndas justificatiónes tuas in ætérnum, * propter retributiónem.

Glória Patri, et Fílio.

Iníquos ódio hábui : * et legem tuam diléxi.

Adjútor, et suscéptor meus es tu : * et in verbum tuum supersperávi.

Declináte a me malígni : * et scrutábor mandáta Dei mei.

Súscipe me secúndum elóquium tuum, et vivam : * et non confúndas me ab exspectatióne mea.

Adjuva me, et salvus ero : * et meditábor in justificatiónibus tuis semper.

Sprevísti omnes discedéntes a judíciis tuis : * quia injústa cogitátio eórum.

Prævaricántes reputávi omnes peccatóres terræ : * ídeo diléxi testimónia tua.

Confíge timóre tuo carnes meas : * a judíciis enim tuis tímui.

Feci judícium, et justítiam : * non tradas me calumniántibus me.

Súscipe servum tuum in bonum : * non calumniéntur me supérbi.

Oculi mei defecérunt in salutáre tuum : * et in elóquium justítiæ tuæ.

Fac cum servo tuo secúndum misericórdiam tuam : * et justificatiónes tuas doce me.

Servus tuus sum ego : * da mihi intelléctum, ut sciam testimónia tua.

Tempus faciéndi Dómine : * dissipavérunt legem tuam.

Ideo diléxi mandáta

tua, * super aurum et topázion.

Proptérea ad ómnia mandáta tua dirigébar : * omnem viam iníquam ódio hábui.

Glória Patri, et Fílio.

In Adventu diebus Ferialibus, Aña. **Tuam Dómine éxcita poténtiam, et veni ad salvándum nos.**

Sequens Capit. et ℟. dicuntur in Dominicis et Ferialibus diebus in Adventu.

Capitulum. Jerem. 23.

IN diébus illis salvábitur Juda, et Israel habitábit confidénter : et hoc est nomen, quod vocábunt eum, Dóminus justus noster.

℟. Osténde nobis Dómine : * Misericórdiam tuam. Osténde.

℣. Et salutáre tuum da nobis. Misericórdiam.

Glória Patri. Osténde.

℣. Meménto nostri Dómine in beneplácito pópuli tui. ℟. Vísita nos in salutári tuo.

Diebus Ferialibus statim dicuntur Preces, ut supra in Laud. Fer. secundæ. 45.

Sequens Aña, Capit. et ℟. dicuntur Dominicis diebus a Dominica j. post Octavam Epiph. usque ad Septuag. et a Dominica ij. post Trinit. usque ad Adventum; Capitulum vero usque ad Quadrag.

Aña. **Glória laudis résonet in ore ómnium, Patri, genitæque Proli, Spirítui sancto páriter resúltet laude perénni.**

Capitulum. 1. Thess. 5.

OMnia autem probáte : quod bonum est, tenéte. Ab omni spécie mala abstinéte vos.

℟. In ætérnum Dómine, * Pérmanet verbum tuum. In ætérnum.

℣. In sæculum sæculi véritas tua. Pérmanet.

Glória. In ætérnum.

℣. Dóminus regit me, et nihil mihi déerit. ℟. In loco páscuæ ibi me collocávit.

Sequens ℟. dicitur tantum Dominicis Septuag. Sexag. et Quinquag. et ante ℣. non repetitur.

℟. Ab occúltis meis, * Munda me Dómine.

℣. Et ab aliénis parce servo tuo. Munda.

Glória Patri. Ab occúltis.

℣. Dóminus regit me, et nihil mihi déerit. ℟. In loco páscuæ ibi me collocávit.

Sequens Aña, Capit. et ℟. dicuntur diebus Ferialibus post Oct. Epiph.

usque ad j. Dominicam Quadr. et a Trinit. usque ad Adventum. Aña. **Non confúndas me Dómine ab exspectatióne mea.**

Capítulum. 1. Thess. 5.

OMnia autem probáte : quod bonum est, tenéte. Ab omni spécie mala abstinéte vos.

℟. **Benedícam Dóminum : * In omni témpore. Benedícam.**

℣. **Semper laus ejus in ore meo. In omni.**

Glória Patri. Benedícam.

℣. **Dóminus regit me, et nihil mihi déerit.** ℟. **In loco páscuæ ibi me collocávit.**

Diebus Ferialibus post j. Dominicam Quadrag. usque ad Dominicam Passionis, Aña. **Commendémus nosmetípsos in multa patiéntia, in jejúniis multis, per arma justítiæ.**

Sequens Capit. dicitur tantum in Domin. a Dominica j. Quadrag. usque ad Dominicam Passionis.

Capítulum. 2. Cor. 6.

ECce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salútis : némini dantes ullam offensiónem, ut non vituperétur ministérium nostrum.

Sequens Capit. dicitur in Feriis tantum, a Domin. j. Quadrag. usque ad Dominicam Passionis.

Capítulum. Isaiæ 58.

CLama, ne cesses, quasi tuba exálta vocem tuam, et annúntia pópulo meo scélera eórum, et dómui Jacob peccáta eórum.

Sequens ℟. dicitur tam in Domin. quam in Feriis a Domin. j. Quadrag. usque ad Dominicam iij. et ante ℣. non repetitur.

℟. **Ab omni via mala prohíbui pedes meos : * Ut custódiam mandáta tua Dómine.**

℣. **A judíciis tuis non declinávi : quia tu legem posuísti mihi. Ut custódiam.**

Glória Patri. Ab omni.

℣. **Scápulis suis obumbrábit tibi.** ℟. **Et sub pennis ejus sperábis.**

Diebus Ferialibus dicuntur Preces, ut supra. **45.**

Sequens ℟. dicitur tam in Dominicis quam in Feriis a Dominica iij. Quadrag. usque ad Dominicam Passionis, et ante ℣. non repetitur.

℟. **Servus tuus sum ego, * Da mihi intelléctum Dómine.**

℣. **Ut discam mandáta tua. Da mihi.**

Glória Patri. Servus.

℣. Scápulis suis obumbrábit tibi. ℟. Et sub pennis ejus sperábis.

Diebus Ferialibus dicuntur Preces, ut supra. 45.

In Feriis Hebdomadæ Passionis, Aña. Pópule meus quid feci tibi, aut quid moléstus fui tibi? Respónde mihi.

Sequens Capit. et ℟. dicuntur a Dominica Passionis usque ad Cœnam Domini quando fit de Tempore.

Capitulum. Jerem. 11.

Tu autem Dómine Sábaoth, qui júdicas juste, et probas renes et corda, vídeam ultiónem tuam ex eis : tibi enim revelávi causam meam, Dómine Deus meus.

℟. ante ℣. non repetitur.

℟. De ore leónis líbera me Dómine : * Et a córnibus unicórnium humilitátem meam.

℣. Erue a frámea Deus ánimam meam : et de manu canis únicam meam. Et a córnibus.

Non dicitur Glória Patri sed reiteratur ℟. De ore.

℣. Ne perdas cum ímpiis Deus ánimam meam. ℟. Et cum viris sánguinum vitam meam.

Diebus Ferialibus dicuntur Preces, ut supra. 45.

Diebus Dñicis Temp. Pasch. Aña. Erat autem adspéctus ejus sicut fulgur : et vestiméntum ejus sicut nix, allelúia, allelúia.

Diebus Ferialibus Temp. Pasch. Aña. Allelúia, allelúia, allelúia, allelúia, allelúia, allelúia, allelúia.

Sequens Capit. et ℟. dicuntur tam in Dominicis diebus, quam Ferialibus Temporis Paschalis.

Capitulum. 1. Pet. 3.

Christus semel pro peccátis nostris mórtuus est, justus pro injústis, ut nos offérret Deo, mortificátus quidem carne, vivificátus autem spíritu.

℟. Surréxit Dóminus vere : * Allelúia, allelúia. Surréxit.

℣. Et appáruit Simóni. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Surréxit.

℣. Surréxit Dóminus de sepúlcro. ℟. Qui pro nobis pepéndit in ligno, allelúia.

AD NONAM.

Pater noster. Ave María.
Deus in adjutórium.

Hymnus. D. Ambr.

Rerum Deus tenax vigor,
Immótus in te pérmanens,
Lucis diúrnæ témpora
Succéssibus detérminans.

Largíre clarum véspere :
Quo vita nusquam décidat :
Sed præmium mortis sacræ
Perénnis instet glória.
Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum. Amen.

In Adventu Ferialibus diebus, nisi sint in Laudibus Añæ propriæ, Aña. **In tuo advéntu.**

Post Epiphaniam et Trinitatem Dominicis diebus, Aña. **Ex quo ómnia.**

Ferialibus diebus, Aña. **Juxta elóquium tuum.**

Diebus Ferialibus post Dominicam j. Quadrag. Aña. **Per arma justítiæ.**

In Feriis Hebdomadæ Passionis, Aña. **Numquid rédditur.**

Temp. Pasch. Dominicis diebus, Aña. **Respóndens autem Angelus.**

Ferialibus diebus, Aña. **Allelúia.**

Psalmus cxviij. ℣. 129.



Mirabília testimónia tua : * ídeo scrutáta est ea ánima mea.

Declarátio sermónum tuórum illúminat : * et intelléctum dat párvulis.

Os meum apérui, et attráxi spíritum : * quia mandáta tua desiderábam.

Adspice in me, et miserére mei, * secúndum judícium diligéntium nomen tuum.

Gressus meos dírige secúndum elóquium tuum : * et non dominétur mei omnis injustítia.

Rédime me a calúmniis hóminum : * ut custódiam mandáta tua.

Fáciem tuam illúmina super servum tuum : * et doce me justificatiónes tuas.

Exitus aquárum deduxérunt óculi mei : * quia non custodiérunt legem tuam.

Justus es Dómine : * et rectum judícium tuum.

Mandásti justítiam testimónia tua : * et veritátem tuam nimis.

Tabéscere me fecit zelus meus : * quia oblíti sunt verba tua inimíci mei.

Ignítum elóquium tuum veheménter : * et servus tuus diléxit illud.

Adolescéntulus sum ego, et contémptus : * justificatiónes tuas non sum oblítus.

Justítia tua, justítia in ætérnum : * et lex tua véritas.

Tribulátio, et angústia

invenérunt me : * mandáta tua meditátio mea est.
Æquitas testimónia tua in ætérnum : * intelléctum da mihi, et vivam.
Glória Patri, et Fílio.
CLamávi in toto corde meo, exáudi me Dómine : * justificatiónes tuas requíram.
Clamávi ad te, salvum me fac : * ut custódiam mandáta tua.
Prævéni in maturitáte, et clamávi : * quia in verba tua supersperávi.
Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo : * ut meditárer elóquia tua.
Vocem meam audi secúndum misericórdiam tuam Dómine : * et secúndum judícium tuum vivífica me.
Appropinquavérunt persequéntes me iniquitáti : * a lege autem tua longe facti sunt.
Prope es tu Dómine : * et omnes viæ tuæ véritas.
Inítio cognóvi de testimóniis tuis : * quia in ætérnum fundásti ea.
Vide humilitátem meam, et éripe me : * quia legem tuam non sum oblítus.
Júdica judícium meum, et rédime me : * propter elóquium tuum vivífica me.
Longe a peccatóribus salus : * quia justificatiónes tuas non exquisiérunt.
Misericórdiæ tuæ multæ Dómine : * secúndum judícium tuum vivífica me.
Multi qui persequúntur me, et tríbulant me : * a testimóniis tuis non declinávi.
Vidi prævaricántes, et tabescébam : * quia elóquia tua non custodiérunt.
Vide quóniam mandáta tua diléxi Dómine : * in misericórdia tua vivífica me.
Princípium verbórum tuórum, véritas : * in ætérnum ómnia judícia justítiæ tuæ.
Glória Patri, et Fílio.
PRíncipes persecúti sunt me gratis : * et a verbis tuis formidávit cor meum.
Lætábor ego super elóquia tua : * sicut qui invénit spólia multa.
Iniquitátem ódio hábui, et abominátus sum : * legem autem tuam diléxi.
Sépties in die laudem dixi tibi, * super judícia justítiæ tuæ.
Pax multa diligéntibus legem tuam : * et non est illis scándalum.
Exspectábam salutáre tuum Dómine : * et mandáta tua diléxi.

Custodívit ánima mea testimónia tua : * et diléxit ea veheménter.

Servávi mandáta tua, et testimónia tua : * quia omnes viæ meæ in conspéctu tuo.

Appropínquet deprecátio mea in conspéctu tuo Dómine : * juxta elóquium tuum da mihi intelléctum.

Intret postulátio mea in conspéctu tuo : * secúndum elóquium tuum éripe me.

Eructábunt lábia mea hymnum, * cum docúeris me justificatiónes tuas.

Pronuntiábit lingua mea elóquium tuum : * quia ómnia mandáta tua æquitas.

Fiat manus tua, ut salvet me : * quóniam mandáta tua elégi.

Concupívi salutáre tuum Dómine : * et lex tua meditátio mea est.

Vivet ánima mea, et laudábit te : * et judícia tua adjuvábunt me.

Errávi, sicut ovis quæ périit : * quære servum tuum, quia mandáta tua non sum oblítus.

Glória Patri, et Fílio.

In Adventu diebus Ferialibus, Aña. In tuo advéntu tuére nos Dómine.

Sequens Capit. et ℟. dicuntur Dom. et Ferialibus diebus, in Adventu.

Capitulum. Isaiæ 14.

Prope est ut véniat tempus ejus, et dies ejus non elongabúntur. Miserébitur enim Dóminus Jacob, et Israel salvábitur.

℟. Super te Jerúsalem, * Oriétur Dóminus. Super.

℣. Et glória ejus in te vidébitur. Oriétur.

Glória Patri. Super.

℣. Dómine Deus virtútum convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

Diebus Ferialibus dicuntur Preces, ut supra. 45.

Sequens Aña, Capit. et ℟. dicuntur Domin. diebus a Domin. j. post Oct. Epiph. usque ad Septuag. et a Domin. ij. post Trinitat. usque ad Advent. ; Capitulum vero usque ad Quadrag.

Aña. Ex quo ómnia, per quem ómnia, in quo ómnia, ipsi glória in sæcula.

Capitulum. 1. Cor. 6.

Empti enim estis prétio magno : glorificáte, et portáte Deum in córpore vestro.

℟. Clamávi in toto corde meo, * Exáudi me Dómine. Clamávi.

℣. Justificatiónes tuas requíram. Exáudi.
Glória Patri. Clamávi.
℣. Ab occúltis meis munda me Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.
Sequens ℟. dicitur tantum Dominicis Septuag. Sexages. Quinquages. et ante ℣. non repetitur.
℟. Spes mea Dómine : * A juventúte mea.
℣. In te confirmátus sum ex útero : de ventre matris meæ tu es protéctor meus. A juventúte.
Glória Patri. Spes.
℣. Ab occúltis meis munda me Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.
Sequens Antiphona, Capitulum et ℟. dicuntur diebus Ferialibus post Octavam Epiph. usque ad j. Domin. Quadragesimæ et a Trinitate usque ad Adventum. Aña. Juxta elóquium tuum da mihi intelléctum Dómine.

Capitulum. Rom. 10.

OMnis enim, quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit.
℟. Rédime me Dómine, * Et miserére mei. Rédime.
℣. Pes enim meus stetit in via recta : in ecclésiis benedícam te Dómine. Et.
Glória Patri. Rédime.
℣. Ab occúltis meis munda me Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.
Diebus Ferialibus, post j. Domin. Quadrag. usque ad Domin. Pass. Aña. Per arma justítiæ virtútis Dei commendémus nosmetípsos in multa patiéntia.
Sequens Capit. dicitur in Dominicis tantum, a Dominica j. Quadrag. usque ad Dominicam Passionis.

Capitulum. 2. Cor. 6.

IN ómnibus exhibeámus nosmetípsos, sicut Dei minístros, in multa patiéntia, in jejúniis, per arma justítiæ.
Sequens Capit. dicitur tantum in Feriis a Dominica j. Quadrages. usque ad Dominicam Passionis.

Capitulum. Isaiæ 55.

DErelínquat ímpius viam suam, et vir iníquus cogitatiónes suas, et revertátur ad Dóminum, et miserébitur ejus, et ad Deum nostrum : quóniam multus est ad ignoscéndum.
Sequens ℟. dicitur tam in Domin. quam in Feriis a Domin. j. Quadrag. usque ad Dominicam iij. et ante ℣. non repetitur.
℟. Declára super nos, * Deus tuam misericórdiam.

℣. Declarátio sermónum tuórum dat mihi intelléctum Dómine. Deus.
Glória Patri. Declára.
℣. Scuto circúmdabit te véritas ejus. ℟. Non timébis a timóre noctúrno.
Diebus Ferialibus dicuntur Preces, ut supra. 45.
Sequens ℟. dicitur tam in Dominicis, quam in Feriis a Dominica iij. Quadrag. usque ad Domin. Passionis, et ante ℣. non repetitur.
℟. Sépties in die laudem dixi tibi Dómine Deus meus, * Ne perdas me.
℣. Errávi, sicut ovis quæ períerat : requíre servum tuum Dómine, quia mandáta tua non sum oblítus. Ne perdas me.
Glória Patri. Sépties.
℣. Scuto circúmdabit te véritas ejus. ℟. Non timébis a timóre noctúrno.
Diebus Ferialibus dicuntur Preces, ut supra. 45.
In Feriis Hebdomadæ Passionis, Aña. **Numquid rédditur pro bono malum, quia fodérunt fóveam ánimæ meæ?**
Sequens Capit. et ℟. dicuntur a Dominica Passionis, usque ad Cœnam Domini, quando fit de Tempore.

Capitulum. Isaiæ 50.
Faciem meam non avérti ab increpántibus, et conspuéntibus in me : Dóminus Deus auxiliátor meus, ídeo non sum confúsus.
℟. non repetitur ante ℣.
℟. Príncipes persecúti sunt me gratis : et a verbis tuis formidávit cor meum. * Lætábor ego super elóquia tua.
℣. Quasi qui invénit spólia multa. Lætábor.
Non dicitur **Glória Patri** sed reiteratur ℟. **Príncipes.**
℣. Eripe me Dómine ab hómine malo. ℟. A viro iníquo éripe me.
Diebus Ferialibus dicuntur Preces, ut supra. 45.
Dominicis diebus Temp. Paschalis, Aña. **Respóndens autem Angelus, dixit muliéribus : Nolíte timére, scio enim quod Jesum quæritis, allelúia.**
Ferialibus diebus Temp. Paschalis, Aña. **Allelúia, allelúia, allelúia.**
Sequens Capitulum et ℟. dicuntur tam in Dominicis, quam Ferialibus diebus Temp. Paschalis.

Capitulum. Coloss. 3.
Mortui enim estis, et vita vestra est abscóndita cum Christo in

Deo. Cum Christus appa-rúerit, vita vestra : tunc et vos apparébitis cum ipso in glória.

℟. Surréxit Dóminus de sepúlcro : * Allelúia, allelúia. Surréxit.

℣. Qui pro nobis pepéndit in ligno. Allelúia, allel.

Glória Patri. Surréxit.

℣. Gavísi sunt discípuli.

℟. Viso Dómino, allelúia.

DOMINICA
AD VESPERAS.

Pater noster. Ave María.
Deus in adjutórium.

Aña. Sede a dextris meis.

Tempore Paschali, Aña. Allelúia.

Psalmus cix.



Dixit Dóminus Dómino meo : * Sede a dextris meis :

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion : * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum : * tu es Sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet : * proptérea exaltábit caput.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Sede a dextris meis : dixit Dóminus Dómino meo.

Aña. Fidélia.

Tempore Paschali. Aña. Allelúia allelúia, allelúia, allelúia.

Aña. Allelúia.

Psalmus cx.

Confitébor tibi Dómine in toto corde meo : * in consílio justórum, et congregatióne.

Magna ópera Dómini : * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio, et magnificéntia opus ejus : * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, miséricors et miserátor Dóminus : * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui : * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo :

Ut det illis hereditátem

Géntium : * ópera mánuum ejus véritas, et judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus : * confirmáta in sæculum sæculi, facta in veritáte et æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo : * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum, et terríbile nomen ejus : * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum : * laudátio ejus manet in sæculum sæculi.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Fidélia ómnia mandáta ejus : confirmáta in sæculum sæculi

Aña. In mandátis.

Temp. Pasch. Aña. Allelúia, allelúia, allelúia, allelúia, allelúia.

Aña. Allelúia.

Psalmus cxj.

BEátus vir, qui timet Dóminum : * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus : * generátio rectórum benedicétur.

Glória et divítiæ in domo ejus : * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis : * misericors, et miserátor, et justus.

Jucúndus homo qui miserétur et cómmodat, dispónet sermónes suos in judício : * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit justus : * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus speráre in Dómino, confirmátum est cor ejus : * non commovébitur, donec despíciat inimícos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus : * justítia ejus manet in sæculum sæculi, cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit, et irascétur, déntibus suis fremet, et tabéscet : * desidérium peccatórum períbit.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. In mandátis ejus volet nimis.

Aña. Sit nomen Dómini.

Tempore Paschali, Aña. Allelúia, allelúia, allelúia.

Aña. Allelúia.

Psalmus cxij.

LAudáte púeri Dóminum : * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes Gentes Dóminus,* et super cœlos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cœlo, et in terra?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem,

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Sit nomen Dómini benedíctum in sæcula.

Aña. Nos qui vívimus.

Tempore Paschali, Aña. Allelúia, allelúia, allelúia.

Aña. Allelúia.

Psalmus cxiij.

In éxitu Israel de Ægypto, * domus Jacob de pópulo bárbaro :

Facta est Judæa sanctificátio ejus, * Israel potéstas ejus.

Mare vidit, et fugit : * Jordánis convérsus est retrórsum.

Montes exsultavérunt ut aríetes : * et colles sicut agni óvium.

Quid est tibi mare quod fugísti : * et tu Jordánis, quia convérsus es retrórsum?

Montes exsultástis sicut aríetes, * et colles sicut agni óvium?

A fácie Dómini mota est terra, * a fácie Dei Jacob.

Qui convértit petram in stagna aquárum : * et rupem in fontes aquárum.

Non nobis Dómine, non nobis : * sed nómini tuo da glóriam.

Super misericórdia tua, et veritáte tua : * nequándo dicant Gentes : Ubi est Deus eórum?

Deus autem noster in cœlo : * ómnia quæcúmque vóluit, fecit.

Simulácra Géntium argéntum et aurum, * ópera mánuum hóminum.

Os habent, et non loquéntur : * óculos habent, et non vidébunt.

Aures habent, et non áudient : * nares habent, et non odorábunt.

Manus habent, et non palpábunt, pedes habent, et non ambulábunt : * non clamábunt in gútture suo.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea : * et omnes qui confídunt in eis.

Domus Israel sperávit in Dómino : * adjútor eórum, et protéctor eórum est.

Domus Aáron sperávit in Dómino : * adjútor

eórum, et protéctor eórum est.

Qui timent Dóminum, speravérunt in Dómino : * adjútor eórum, et protéctor eórum est.

Dóminus memor fuit nostri : * et benedíxit nobis :

Benedíxit dómui Israel : * benedíxit dómui Aáron.

Benedíxit ómnibus qui timent Dóminum, * pusíllis cum majóribus.

Adjíciat Dóminus super vos : * super vos, et super fílios vestros.

Benedícti vos a Dómino, * qui fecit cœlum et terram.

Cœlum cœli Dómino : * terram autem dedit fíliis hóminum.

Non mórtui laudábunt te Dómine : * neque omnes qui descéndunt in inférnum.

Sed nos qui vívimus, benedícimus Dómino, * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Nos qui vívimus benedícimus Dómino.

Tempore Paschali, Aña. Allelúia, allelúia, allelúia.

Capitulum. 2. Thess. c. 3.

DOminus autem dírigat corda vestra in caritáte Dei et patiéntia Christi.

Hymnus. D. Greg.

LUcis Creátor óptime,
Lucem diérum próferens,
Primórdiis lucis novæ,
Mundi parans oríginem.

Qui mane junctum vésperi
Diem vocári præcipis,
Tetrum chaos illábitur,
Audi preces cum flétibus.

Ne mens graváta crímine,
Vitæ sit exsul múnere :
Dum nil perénne cógitat,
Seséque culpis ílligat.

Cœlórum pulset íntimum,
Vitále tollat præmium :
Vitémus omne nóxium,
Purgémus omne péssimum.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum. Amen.

℣. Dirigátur Dómine orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Prædictum Capitulum, Hymnus et ℣. dicuntur a Dominica j. post Octavam Epiphaniæ usque ad Quadrag. et a Dominica ij. post Trinitatem usque ad Advent. Añæ autem dicuntur ut supra, quando fit Officium de Domin. exceptis Domin. Adven-

tus, et Domin. Passionis, et Palmarum; Psalmi vero semper dicuntur, quando fit Officium de Dominica.

Ad Magnificat, Aña de proprio.

Canticum B. Mariae Virginis. Lucæ I.

Magníficat * ánima mea Dóminum :

Et exsultávit spíritus meus * in Deo salutári meo.

Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ : * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

Quia fecit mihi magna, qui potens est : * et sanctum nomen ejus.

Et misericórdia ejus a progénie in progénies * timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio suo : * dispérsit supérbos mente cordis sui.

Depósuit poténtes de sede, * et exaltávit húmiles.

Esuriéntes implévit bonis : * et dívites dimísit inánes.

Suscépit Israel púerum suum, * recordátus misericórdiæ suæ.

Sicut locútus est ad patres nostros, * Abraham, et sémini ejus in sæcula.

Glória Patri, et Fílio.

Oratio de proprio.

FERIA SECUNDA
AD VESPERAS.

Aña. **Inclinávit.**

Tempore Paschali, Aña. **Allelúia,** sub qua sola dicuntur omnes quinque Psalmi.

Psalmus cxiv.

Diléxi quóniam exáudiet Dóminus * vocem oratiónis meæ.

Quia inclinávit aurem suam mihi : * et in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis : * et perícula inférni invenérunt me.

Tribulatiónem et dolórem invéni : * et nomen Dómini invocávi.

O Dómine, líbera ánimam meam : * miséricors Dóminus, et justus, et Deus noster miserétur.

Custódiens párvulos Dóminus : * humiliátus sum, et liberávit me.

Convértere ánima mea in réquiem tuam : * quia Dóminus benefécit tibi.

Quia erípuit ánimam meam de morte : * óculos meos a lácrymis, pedes meos a lapsu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Inclinávit Dóminus aurem suam mihi.

Aña. Crédidi.

Psalmus cxv.

CRédidi, propter quod locútus sum : * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo : * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino, * pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam : * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus : * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus :

O Dómine, quia ego servus tuus : * ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea : * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus : * in átriis domus Dómini, in médio tui Jerúsalem.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Crédidi, propter quod locútus sum.

Aña. Laudáte.

Psalmus cxvj.

LAudáte Dóminum omnes Gentes : * laudáte eum omnes pópuli :

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus : * et véritas Dómini manet in ætérnum.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Laudáte Dóminum omnes Gentes.

Aña. Clamávi.

Canticum Graduum.

Psalmus cxix.

AD Dóminum cum tribulárer clamávi : * et exaudívit me.

Dómine líbera ánimam meam a lábiis iníquis, * et a lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam?

Sagíttæ poténtis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est : habitávi cum habitántibus Cedar : * multum íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus : * cum loquébar illis, impugnábant me gratis.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Clamávi, et exaudívit me.

Aña. Auxílium.

Psalmus cxx.

LEvávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum a Dómino : * qui fecit cœlum et terram.

Non det in commotiónem pedem tuum : * neque dormítet, qui custódit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet, * qui custódit Israel.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua, * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te : * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo : * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat intróitum tuum, et éxitum tuum : * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Auxílium meum a Dómino.

Tempore Paschali, Aña. Allelúia, allelúia, allelúia, allelúia.

Capitulum. 2. Thess. 3.



Ominus autem dírigat corda vestra in caritáte Dei et patiéntia Christi.

Hymnus. D. Ambr.

IMménse cœli Cónditor,
Qui mixta ne confúnderent,
Aquæ fluénta dívidens,
Cœlum dedísti límitem.

Firmans locum cœléstibus,
Simúlque terræ rívulis,
Ut unda flammas témperet,
Terræ solum ne díssipent.

Infúnde nunc piíssime
Donum perénnis grátiæ,
Fraudis novæ ne cásibus
Nos error átterat vetus.

Lucem fides invéniat,
Sic lúminis jubar ferat,
Ut vana cuncta térreat,
Hanc falsa nulla cómprimant.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum. Amen.

℣. Dirigátur Dómine orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnificat Antiphona. Magníficet te semper ánima mea, Deus meus.

Antiphonæ cum Psalmis hic in Psalterio in singulis Feriis signatæ semper dicuntur ad Vesperas, et ad Magnif. in Offic. feriali, nisi propriæ assignentur.

Capitulum, Hymnus et

℣. dicuntur ab Octava Epiphaniæ usque ad Sabbatum j. Quadragesimæ, et ab Oct. Corporis Christi usque ad Adventum.

FERIA TERTIA
AD VESPERAS.

Aña. **In domum Dómini.**

Tempore Paschali, Aña. **Allelúia,** sub qua sola dicuntur omnes quinque Psalmi.

Psalmus cxxj.



Ætátus sum in his, quæ dicta sunt mihi : * in domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri, * in átriis tuis Jerúsalem.

Jerúsalem, quæ ædificátur ut cívitas : * cujus participátio ejus in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini : * testimónium Israel ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem : * et abundántia diligéntibus te :

Fiat pax in virtúte tua : * et abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, et próximos meos : * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei nostri : * quæsívi bona tibi.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. **In domum Dómini lætántes íbimus.**

Aña. **Qui hábitas.**

Psalmus cxxij.

AD te levávi óculos meos, * qui hábitas in cœlis.

Ecce sicut óculi servórum, * in mánibus dominórum suórum.

Sicut óculi ancíllæ in mánibus dóminæ suæ : * ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, donec misereátur nostri.

Miserére nostri Dómine, miserére nostri : * quia multum repléti sumus despectióne :

Quia multum repléta est ánima nostra : * oppróbrium abundántibus, et despéctio supérbis.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. **Qui hábitas in cœlis, miserére nobis.**

Aña. **Adjutórium.**

Psalmus cxxiij.

NIsi quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Israel : * nisi quia Dóminus erat in nobis.

Cum exsúrgerent hómi-

nes in nos, * forte vivos deglutíssent nos :
Cum irascerétur furor eórum in nos : * fórsitan aqua absorbuísset nos :
Torréntem pertransívit ánima nostra : * fórsitan pertransísset ánima nostra aquam intolerábilem.
Benedíctus Dóminus * qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.
Anima nostra sicut passer erépta est * de láqueo venántium :
Láqueus contrítus est, * et nos liberáti sumus.
Adjutórium nostrum in nómine Dómini, * qui fecit cœlum et terram.
Glória Patri, et Fílio.
Aña. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
Aña. Bénefac.

Psalmus cxxiv.

Qui confídunt in Dómino, sicut mons Sion : * non commovébitur in ætérnum, qui hábitat in Jerúsalem.
Montes in circúitu ejus :* et Dóminus in circúitu pópuli sui, ex hoc nunc, et usque in sæculum.
Quia non relínquet Dóminus virgam peccatórum super sortem justórum : * ut non exténdant justi ad iniquitátem manus suas.
Bénefac Dómine bonis, * et rectis corde.
Declinántes autem in obligatiónes, addúcet Dóminus cum operántibus iniquitátem : * pax super Israel.
Glória Patri, et Fílio.
Aña. Bénefac Dómine bonis, et rectis corde.
Aña. Facti sumus.

Psalmus cxxv.

In converténdo Dóminus captivitátem Sion : * facti sumus sicut consoláti :
Tunc replétum est gáudio os nostrum : * et lingua nostra exsultatióne.
Tunc dicent inter Gentes : * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.
Magnificávit Dóminus fácere nobíscum : * facti sumus lætántes.
Convérte Dómine captivitátem nostram, * sicut torrens in Austro.
Qui séminant in lácrymis, * in exsultatióne metent.
Eúntes ibant, et flebant, * mitténtes sémina sua.
Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, * portántes manípulos suos.
Glória Patri, et Fílio.
Aña. Facti sumus sicut consoláti.

Tempore Paschali, Aña. Allelúia, allelúia, allelúia, allelúia.

Capitulum. 2. Thess. c. 3.

DOminus autem dírigat corda vestra in caritáte Dei et patiéntia Christi.

Hymnus. D. Ambr.

TEllúris ingens Cónditor,
Mundi solum qui éruens,
Pulsis aquæ moléstiis,
Terram dedísti immóbilem.

Ut germen aptum prófe-rens,
Fulvis decóra flóribus,
Fœcúnda fructu sísteret,
Pastúmque gratum rédderet.

Mentis perústæ vúlnera,
Munda viróre grátiæ :
Ut facta fletu díluat,
Motúsque pravos átterat.

Jussis tuis obtémperet :
Nullis malis appróximet :
Bonis repléri gáudeat,
Et mortis actum nésciat.

Præsta,Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum. Amen.

℣. Dirigátur Dómine orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnificat, Antiphona. Exsúltet spíritus meus in Deo salutári meo.

FERIA QUARTA
AD VESPERAS.

Aña. Beátus vir.

Tempore Paschali, Aña. Allelúia, sub qua sola dicuntur omnes quinque Psalmi.

Psalmus cxxvj.

NIsi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustra vígilat, qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere : * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cum déderit diléctis suis somnum : * ecce heréditas Dómini, fílii; merces, fructus ventris.

Sicut sagíttæ in manu poténtis : * ita fílii excussórum.

Beátus vir, qui implévit desidérium suum ex ipsis : * non confundétur cum loquétur inimícis suis in porta.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Beátus vir, qui implévit desidérium suum.

Aña. Beáti omnes.

Psalmus cxxvij.

BEáti omnes, qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis : * beátus es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abúndans, * in latéribus domus tuæ.

Fílii tui sicut novéllæ olivárum, * in circúitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicétur homo, * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion : * et vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et vídeas fílios filiórum tuórum, *. pacem super Israel.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Beáti omnes, qui timent Dóminum.

Aña. Benedíximus.

Psalmus cxxviij.

SÆpe expugnavérunt me a juventúte mea, * dicat nunc Israel.

Sæpe expugnavérunt me a juventúte mea, * étenim non potuérunt mihi.

Supra dorsum meum fabricavérunt peccatóres : * prolongavérunt iniquitátem suam.

Dóminus justus concídit cervíces peccatórum : * confundántur, et convertántur retrórsum omnes, qui odérunt Sion.

Fiant sicut fœnum tectórum : * quod priúsquam evellátur, exáruit :

De quo non implévit manum suam qui metit, * et sinum suum qui manípulos cólligit.

Et non dixérunt qui præteríbant : Benedíctio Dómini super vos : * benedíximus vobis in nómine Dómini.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Benedíximus vobis in nómine Dómini.

Aña. De profúndis.

Psalmus cxxix.

DE profúndis clamávi ad te Dómine : * Dómine exáudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes, * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris Dómine : * Dómine quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est : * et propter legem tuam sustínui te Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus : * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem : * speret Israel in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia : * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israel, *

ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. De profúndis clamávi ad te Dómine.

Aña. Speret.

Psalmus cxxx.

Domine non est exaltátum cor meum : * neque eláti sunt óculi mei.

Neque ambulávi in magnis : * neque in mirabílibus super me.

Si non humíliter sentiébam : * sed exaltávi ánimam meam :

Sicut ablactátus est super matre sua, * ita retribútio in ánima mea.

Speret Israel in Dómino, * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Speret Israel in Dómino.

Tempore Paschali, Aña. Allelúia, allelúia, allelúia, allelúia.

Capitulum. 2. Thess. c. 3.

Dominus autem dírigat corda vestra in caritáte Dei et patiéntia Christi.

Hymnus. D. Ambr.

Cœli Deus sanctíssime,
Qui lúcidum centrum poli
Candóre pingis ígneo,
Augens decóro lúmine.
Quarto die qui flámmeam
Solis rotam constítuens,
Lunæ minístras órdinem,
Vagósque cursus síderum.
Ut nóctibus, vel lúmini
Diremptiónis términum,
Primórdiis et ménsium
Signum dares notíssimum.
Illúmina cor hóminum,
Abstérge sordes méntium,
Resólve culpæ vínculum,
Evérte moles críminum.
Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum. Amen.

℣. Dirigátur Dómine orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnificat, Antiphona. Fecit mihi Deus meus magna, qui potens est : et sanctum nomen ejus.

FERIA QUINTA
AD VESPERAS.

Aña. Et omnis.

Tempore Paschali, Aña. Allelúia, sub qua sola dicuntur omnes quinque Psalmi.

Psalmus cxxxi.

Meménto Dómine David, * et omnis mansuetúdinis ejus :

Sicut jurávit Dómino, * votum vovit Deo Jacob :

Si introíero in tabernáculum domus meæ, * si

ascéndero in lectum strati mei :

Si dédero somnum óculis meis, * et pálpebris meis dormitatiónem :

Et réquiem tempóribus meis : * donec invéniam locum Dómino, tabernáculum Deo Jacob.

Ecce audívimus eam in Ephrata : * invénimus eam in campis silvæ.

Introíbimus in tabernáculum ejus : * adorábimus in loco, ubi stetérunt pedes ejus.

Surge Dómine in réquiem tuam, * tu et arca sanctificatiónis tuæ.

Sacerdótes tui induántur justítiam : * et sancti tui exsúltent.

Propter David servum tuum, * non avértas fáciem Christi tui.

Jurávit Dóminus David veritátem, et non frustrábitur eam : * De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodíerint fílii tui testaméntum meum, * et testimónia mea hæc, quæ docébo eos :

Et fílii eórum usque in sæculum, * sedébunt super sedem tuam.

Quóniam elégit Dóminus Sion : * elégit eam in habitatiónem sibi.

Hæc réquies mea in sæculum sæculi : * hic habitábo quóniam elégi eam.

Víduam ejus benedícens benedícam : * páuperes ejus saturábo pánibus.

Sacerdótes ejus índuam salutári : * et sancti ejus exsultatióne exsultábunt.

Illuc prodúcam cornu David, * parávi lucérnam Christo meo.

Inimícos ejus índuam confusióne : * super ipsum autem efflorébit sanctificátio mea.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Et omnis mansuetúdinis ejus.

Aña. Ecce quam bonum.

Psalmus cxxxij.

Ecce quam bonum, et quam jucúndum * habitáre fratres in unum :

Sicut unguéntum in cápite, * quod descéndit in barbam, barbam Aáron.

Quod descéndit in oram vestiménti ejus : * sicut ros Hermon, qui descéndit in montem Sion.

Quóniam illic mandávit Dóminus benedictiónem,* et vitam usque in sæculum.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Ecce quam bonum, et quam jucúndum habitáre fratres in unum.

Aña. Omnia.

Psalmus cxxxiv.

LAudáte nomen Dómini, * laudáte servi Dóminum.

Qui statis in domo Dómini, * in átriis domus Dei nostri.

Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus : * psállite nómini ejus, quóniam suáve.

Quóniam Jacob elégit sibi Dóminus * Israel in possessiónem sibi.

Quia ego cognóvi quod magnus est Dóminus, * et Deus noster præ ómnibus diis.

Omnia quæcúmque vóluit, Dóminus fecit in cœlo, et in terra, * in mari, et in ómnibus abyssis.

Edúcens nubes ab extrémo terræ : * fúlgura in plúviam fecit.

Qui prodúcit ventos de thesáuris suis : * qui percússit primogénita Ægypti ab hómine usque ad pecus.

Et misit signa, et prodígia in médio tui Ægypte : * in Pharaónem, et in omnes servos ejus.

Qui percússit Gentes multas : * et occídit reges fortes :

Sehon regem Amorrhæórum, et Og regem Basan, * et ómnia regna Chánaan.

Et dedit terram eórum hereditátem, * hereditátem Israel pópulo suo.

Dómine nomen tuum in ætérnum : * Dómine memoriále tuum in generatiónem et generatiónem.

Quia judicábit Dóminus pópulum suum : * et in servis suis deprecábitur.

Simulácra Géntium argéntum, et aurum, * ópera mánuum hóminum.

Os habent, et non loquéntur : * óculos habent, et non vidébunt.

Aures habent, et non áudient : * neque enim est spíritus in ore ipsórum.

Símiles illis fiant, qui fáciunt ea : * et omnes, qui confídunt in eis.

Domus Israel benedícite Dómino : * domus Aáron benedícite Dómino.

Domus Levi benedícite Dómino : * qui timétis Dóminum, benedícite Dómino.

Benedíctus Dóminus ex Sion, * qui hábitat in Jerúsalem.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Omnia quæcúmque vóluit, Dóminus fecit.

Aña. Quóniam in ætérnum.

Psalmus cxxxv.

Confitémini Dómino quóniam bonus : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Confitémini Deo deórum : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Confitémini Dómino dominórum : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui facit mirabília magna solus : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui fecit cœlos in intelléctu : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui firmávit terram super aquas : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui fecit luminária magna : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Solem in potestátem diéi : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Lunam, et stellas in potestátem noctis : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui percússit Ægyptum cum primogénitis eórum : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui edúxit Israel de médio eórum : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

In manu poténti, et bráchio excélso : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui divísit mare Rubrum in divisiónes : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Et edúxit Israel per médium ejus : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Et excússit Pharaónem, et virtútem ejus in mari Rubro : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui tradúxit pópulum suum per desértum : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui percússit reges magnos : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Et occídit reges fortes : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Sehon regem Amorrhæórum : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Et Og regem Basan : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Et dedit terram eórum hereditátem : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Hereditátem Israel servo

suo : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Quia in humilitáte nostra memor fuit nostri : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Et redémit nos ab inimícis nostris : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui dat escam omni carni : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Confitémini Deo cœli : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Confitémini Dómino dominórum : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Aña. Hymnum cantáte.

Psalmus cxxxvj.

SUper flúmina Babylónis, illic sédimus et flévimus : * cum recordarémur Sion :

In salícibus in médio ejus, * suspéndimus órgana nostra.

Quia illic interrogavérunt nos, qui captívos duxérunt nos, * verba cantiónum :

Et qui abduxérunt nos : * Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Quómodo cantábimus cánticum Dómini * in terra aliéna?

Si oblítus fúero tui Jerúsalem, * oblivióni detur déxtera mea.

Adhæreat lingua mea fáucibus meis, * si non memínero tui :

Si non proposúero Jerúsalem : * in princípio lætítiæ meæ.

Memor esto Dómine filiórum Edom, * in die Jerúsalem :

Qui dicunt : Exinaníte, exinaníte * usque ad fundaméntum in ea.

Fília Babylónis mísera :* beátus, qui retríbuet tibi retributiónem tuam, quam retribuísti nobis.

Beátus, qui tenébit, * et allídet párvulos tuos ad petram.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Tempore Paschali, Aña. Allelúia, allelúia, allelúia, allelúia.

Capitulum. 2. Thess. c. 3.

DOminus autem dírigat corda vestra in caritáte Dei et patiéntia Christi.

Hymnus. D. Ambr.

MAgnæ Deus poténtiæ,
Qui ex aquis ortum genus,

Partim remíttis gúrgiti,
Partim levas in äëra.
Demérsa lymphis ímprimens
Subvécta cœlis írrigans,
Ut stirpe una pródita,
Divérsa rápiant loca.
Largíre cunctis sérvulis,
Quos mundat unda sánguinis,
Nescíre lapsus críminum,
Nec ferre mortis tædium.
Ut culpa nullum déprimat :
Nullum levet jactántia :
Elísa mens ne cóncidat :
Eláta mens ne córruat.
Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum. Amen.

℣. Dirigátur Dómine orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnificat, Antiphona. Depósuit poténtes, sanctos persequéntes : et exaltávit húmiles, Christum confiténtes.

FERIA SEXTA
AD VESPERAS.

Aña. In conspéctu Angelórum.

Tempore Paschali, Aña. Allelúia, sub qua sola dicuntur omnes quinque Psalmi.

Psalmus cxxxvij.

Onfitébor tibi Dómine in toto corde meo : * quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi : * adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Super misericórdia tua, et veritáte tua : * quóniam magnificásti super omne nomen sanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exáudi me : * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi Dómine omnes reges terræ : * quia audiérunt ómnia verba oris tui :

Et cantent in viis Dómini : * quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excélsus Dóminus, et humília réspicit : * et alta a longe cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me : * et super iram inimicórum meórum extendísti manum tuam, et salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me : * Dómine misericórdia tua in sæculum : ópera

mánuum tuárum ne despícias.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus.

Aña. Dómine probásti me.

Psalmus cxxxviij.

Domine probásti me, et cognovísti me : * tu cognovísti sessiónem meam, et resurrectiónem meam.

Intellexísti cogitatiónes meas de longe : * sémitam meam, et funículum meum investigásti.

Et omnes vias meas prævidísti : * quia non est sermo in lingua mea.

Ecce Dómine tu cognovísti ómnia, novíssima et antíqua : * tu formásti me, et posuísti super me manum tuam.

Mirábilis facta est sciéntia tua ex me : * confortáta est, et non pótero ad eam.

Quo ibo a spíritu tuo? * et quo a fácie tua fúgiam?

Si ascéndero in cœlum, tu illic es : * si descéndero in inférnum, ades.

Si súmpsero pennas meas dilúculo, * et habitávero in extrémis maris :

Etenim illuc manus tua dedúcet me : * et tenébit me déxtera tua.

Et dixi : Fórsitan ténebræ conculcábunt me : * et nox illuminátio mea in delíciis meis.

Quia ténebræ non obscurabúntur a te, et nox sicut dies illuminábitur : * sicut ténebræ ejus, ita et lumen ejus.

Quia tu possedísti renes meos : * suscepísti me de útero matris meæ.

Confitébor tibi quia terribíliter magnificátus es : * mirabília ópera tua, et ánima mea cognóscit nimis.

Non est occultátum os meum a te, quod fecísti in occúlto : * et substántia mea in inferióribus terræ.

Imperféctum meum vidérunt óculi tui, et in libro tuo omnes scribéntur : * dies formabúntur, et nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus : * nimis confortátus est principátus eórum.

Dinumerábo eos, et super arénam multiplicabúntur : * exsurréxi, et adhuc sum tecum.

Si occíderis Deus peccatóres : * viri sánguinum declináte a me :

Quia dícitis in cogitatió-

ne : * Accípient in vanitáte civitátes tuas.

Nonne qui odérunt te Dómine, óderam : * et super inimícos tuos tabescébam?

Perféсtо ódio óderam illos : * et inimíci facti sunt mihi.

Proba me Deus, et scito cor meum : * intérroga me, et cognósce sémitas meas.

Et vide, si via iniquitátis in me est : * et deduc me in via ætérna.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Dómine probásti me, et cognovísti me.

Aña. A viro iníquo.

Psalmus cxxxix.

Eripe me Dómine ab hómine malo : * a viro iníquo éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde : * tota die constituébant prœlia.

Acuérunt linguas suas sicut serpéntis : * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Custódi me Dómine de manu peccatóris : * et ab homínibus iníquis éripe me.

Qui cogitavérunt supplantáre gressus meos : * abscondérunt supérbi láqueum mihi :

Et funes extendérunt in láqueum : * juxta iter scándalum posuérunt mihi.

Dixi Dómino : Deus meus es tu : * exáudi Dómine vocem deprecatiónis meæ.

Dómine, Dómine virtus salútis meæ : * obumbrásti super caput meum in die belli :

Ne tradas me Dómine a desidério meo peccatóri : * cogitavérunt contra me, ne derelínquas me, ne forte exalténtur.

Caput circúitus eórum : * labor labiórum ipsórum opériet eos.

Cadent super eos carbónes, in ignem dejícies eos : * in misériis non subsístent.

Vir linguósus non dirigétur in terra : * virum injústum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciet Dóminus judícium ínopis : * et vindíctam páuperum.

Verúmtamen justi confitebúntur nómini tuo : * et habitábunt recti cum vultu tuo.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. A viro iníquo éripe me Dómine.

Aña. Dómine clamávi.

Psalmus cxl.

Dómine clamávi ad te, exáudi me : * inténde voci meæ, cum clamávero ad te.

Dirigátur orátio mea sicut incénsum in conspéctu tuo : * elevátio mánuum meárum sacrifícium vespertínum.

Pone Dómine custódiam ori meo : * et óstium circumstántiæ lábiis meis.

Non declínes cor meum in verba malítiæ, * ad excusándas excusatiónes in peccátis.

Cum homínibus operántibus iniquitátem : * et non communicábo cum eléctis eórum.

Corrípiet me justus in misericórdia, et increpábit me : * óleum autem peccatóris non impínguet caput meum.

Quóniam adhuc et orátio mea in beneplácitis eórum : * absórpti sunt juncti petræ júdices eórum.

Audient verba mea quóniam potuérunt : * sicut crassitúdo terræ erúpta est super terram.

Dissipáta sunt ossa nostra secus inférnum : * quia ad te Dómine, Dómine óculi mei, in te sperávi, non áuferas ánimam meam.

Custódi me a láqueo, quem statuérunt mihi : * et a scándalis operántium iniquitátem.

Cadent in retiáculo ejus peccatóres : * singuláriter sum ego donec tránseam.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Dómine clamávi ad te, exáudi me.

Aña. Pórtio mea.

Psalmus cxlj.

Voce mea ad Dóminum clamávi : * voce mea ad Dóminum deprecátus sum :

Effúndo in conspéctu ejus oratiónem meam, * et tribulatiónem meam ante ipsum pronúntio.

In deficiéndo ex me spíritum meum, * et tu cognovísti sémitas meas.

In via hac, qua ambulábam, * abscondérunt láqueum mihi.

Considerábam ad déxteram, et vidébam : * et non erat qui cognósceret me.

Périit fuga a me, * et non est qui requírat ánimam meam.

Clamávi ad te Dómine, * dixi : Tu es spes mea, pórtio mea in terra vivéntium.

Inténde ad deprecatiónem meam : * quia humiliátus sum nimis.

Líbera me a persequéntibus me : * quia confortáti sunt super me.

Educ de custódia ánimam meam ad confitén-

dum nómini tuo : * me exspéctant justi, donec retríbuas mihi.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Pórtio mea Dómine sit in terra vivéntium.

Tempore Paschali, Aña. Allelúia, allelúia, allelúia, allelúia.

Capitulum. 2. Thess. c. 3.

DOminus autem dírigat corda vestra in caritáte Dei et patiéntia Christi.

Hymnus. D. Ambr.

PLasmátor hóminis Deus,
Qui cuncta solus órdinans,
Humum jubes prodúcere
Reptántis, et feræ genus.

Qui magna rerum córpora,
Dictu jubéntis vívida,
Ut sérviant per órdinem
Subdens dedísti hómini.

Repélle a servis tuis
Quidquid per immundítiam,
Aut móribus se súggerit,
Aut áctibus se intérserit.

Da gaudiórum præmia,
Da gratiárum múnera,
Dissólve litis víncula,
Adstrínge pacis fœdera.

Præsta Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum. Amen.

℣. Dirigátur Dómine orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnificat, Antiphona. Suscépit Deus Israel púerum suum : sicut locútus est ad Abraham, et semen ejus, exaltáre húmiles usque in sæculum.

SABBATO
AD VESPERAS.

Aña. Benedíctus.

Tempore Paschali, Aña. Allelúia.

Psalmus cxliij.

BEnedíctus Dóminus Deus meus, qui docet manus meas ad prœlium, * et dígitos meos ad bellum.

Misericórdia mea, et refúgium meum : * suscéptor meus, et liberátor meus :

Protéctor meus, et in ipso sperávi : * qui subdit pópulum meum sub me.

Dómine quid est homo, quia innotuísti ei? * aut fílius hóminis, quia réputas eum?

Homo vanitáti símilis factus est : * dies ejus sicut umbra prætéreunt.

Dómine inclína cœlos tuos, et descénde : * tange montes, et fumigábunt.

Fúlgura coruscatiónem, et dissipábis eos : * emítte

sagíttas tuas, et conturbábis eos :
Emítte manum tuam de alto, éripe me, et líbera me de aquis multis : * de manu filiórum alienórum.
Quorum os locútum est vanitátem : * et déxtera eórum, déxtera iniquitátis.
Deus cánticum novum cantábo tibi : * in psaltério decachórdo psallam tibi.
Qui das salútem régibus : * qui redemísti David servum tuum de gládio malígno : éripe me.
Et érue me de manu filiórum alienórum, quorum os locútum est vanitátem : * et déxtera eórum, déxtera iniquitátis :
Quorum fílii, sicut novéllæ plantatiónes, * in juventúte sua.
Fíliæ eórum compósitæ : * circumornátæ ut similitúdo templi.
Promptuária eórum plena, * eructántia ex hoc in illud.
Oves eórum fœtósæ, abundántes in egréssibus suis : * boves eórum crassæ.
Non est ruína macériæ, neque tránsitus : * neque clamor in platéis eórum.
Beátum dixérunt pópulum, cui hæc sunt : * beátus pópulus, cujus Dóminus Deus ejus.
Glória Patri, et Fílio.
Aña. Benedíctus Dóminus Deus meus.
Aña. In sæculum.
Tempore Paschali, Aña. Allelúia, allelúia, allelúia.
Aña. Allelúia.

Psalmus cxliv.

Exaltábo te Deus meus Rex : * et benedícam nómini tuo in sæculum, et in sæculum sæculi.
Per síngulos dies benedícam tibi : * et laudábo nomen tuum in sæculum, et in sæculum sæculi.
Magnus Dóminus, et laudábilis nimis : * et magnitúdinis ejus non est finis.
Generátio, et generátio laudábit ópera tua : * et poténtiam tuam pronuntiábunt.
Magnificéntiam glóriæ sanctitátis tuæ loquéntur : * et mirabília tua narrábunt.
Et virtútem terribílium tuórum dicent : * et magnitúdinem tuam narrábunt.
Memóriam abundántiæ suavitátis tuæ eructábunt : * et justítia tua exsultábunt.
Miserátor, et miséricors

Dóminus : * pátiens, et multum miséricors.

Suávis Dóminus univérsis : * et miseratiónes ejus super ómnia ópera ejus.

Confiteántur tibi Dómine ómnia ópera tua : * et sancti tui benedícant tibi.

Glóriam regni tui dicent : * et poténtiam tuam loquéntur :

Ut notam fáciant fíliis hóminum poténtiam tuam : * et glóriam magnificéntiæ regni tui.

Regnum tuum, regnum ómnium sæculórum : * et dominátio tua in omni generatióne et generatiónem.

Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis : * et sanctus in ómnibus opéribus suis.

Allevat Dóminus omnes, qui córruunt : * et érigit omnes elísos.

Oculi ómnium in te sperant Dómine : * et tu das escam illórum in témpore opportúno.

Aperis tu manum tuam : * et imples omne ánimal benedictióne.

Justus Dóminus in ómnibus viis suis : * et sanctus in ómnibus opéribus suis.

Prope est Dóminus ómnibus invocántibus eum :* ómnibus invocántibus eum in veritáte.

Voluntátem timéntium se fáciet, et deprecatiónem eórum exáudiet : * et salvos fáciet eos.

Custódit Dóminus omnes diligéntes se : * et omnes peccatóres dispérdet.

Laudatiónem Dómini loquétur os meum : * et benedícat omnis caro nómini sancto ejus in sæculum, et in sæculum sæculi.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. In sæculum, et in sæculum sæculi.

Aña. Laudábo.

Tempore Paschali, Aña. Allelúia, allelúia, allelúia.

Aña. Allelúia.

Psalmus cxlv.

LAuda ánima mea Dóminum, laudábo Dóminum in vita mea : * psallam Deo meo quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus : * in fíliis hóminum, in quibus non est salus.

Exíbit spíritus ejus, et revertétur in terram suam : * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus, cujus Deus Jacob adjútor ejus, spes ejus in Dómino Deo ipsíus : * qui fecit cœlum, et ter-

ram, mare et ómnia, quæ in eis sunt.

Qui custódit veritátem in sæculum, facit judícium injúriam patiéntibus : * dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedítos : * Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit elísos, * Dóminus díligit justos.

Dóminus custódit ádvenas, pupíllum, et víduam suscípiet : * et vias peccatórum dispérdet.

Regnábit Dóminus in sæcula, Deus tuus Sion, * in generatiónem et generatiónem.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Laudábo Dóminum meum in vita mea.

Aña. Deo nostro.

Tempore Paschali, Antiphona. Allelúia, allelúia, allelúia.

Aña. Allelúia.

Psalmus cxlvj.

LAudáte Dóminum quóniam bonus est psalmus : * Deo nostro sit jucúnda decoráque laudátio.

Ædíficans Jerúsalem Dóminus : * dispersiónes Israélis congregábit.

Qui sanat contrítos corde : * et álligat contritiónes eórum.

Qui númerat multitúdinem stellárum : * et ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noster, et magna virtus ejus : * et sapiéntiæ ejus non est númerus.

Suscípiens mansuétos Dóminus, * humílians autem peccatóres usque ad terram.

Præcínite Dómino in confessióne : * psállite Deo nostro in cíthara.

Qui óperit cœlum núbibus : * et parat terræ plúviam,

Qui prodúcit in móntibus fœnum : * et herbam servitúti hóminum.

Qui dat juméntis escam ipsórum : * et pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit : * nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum est Dómino super timéntes eum : * et in eis, qui sperant super misericórdia ejus.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Deo nostro sit jucúnda laudátio.

Aña. Lauda.

Tempore Paschali, Antiphona. Allelúia, allelúia, allelúia.

Aña. Allelúia.

Psalmus cxlvij.

LAuda Jerúsalem Dóminum : * lauda Deum tuum Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum : * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem : * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ : * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam : * nébulam sicut cínerem spargit,

Mittit crystállum suam sicut buccéllas : * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emíttet verbum suum, et liquefáciet ea : * flabit spíritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob : * justítias, et judícia sua Israel.

Non fecit táliter omni natióni : * et judícia sua non manifestávit eis.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Lauda Jerúsalem Dóminum.

Tempore Paschali, Aña. Allelúia, allelúia, allelúia.

Capitulum. 2. Cor. 1.

BEnedíctus Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra.

℟. (si dicendum sit) ut in Proprio

Hymnus. D. Greg.

O Lux beáta Trínitas,
Et principális Unitas,
Jam sol recédit ígneus,
Infúnde lumen córdibus.

Te mane laudum cármine,
Te deprecémur véspere,
Te nostra supplex glória
Per cuncta laudet sæcula.

Deo Patri sit glória
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum.
Amen.

℣. Vespertína orátio adscéndat ad te Dómine. ℟. Et descéndat super nos misericórdia tua.

Aña ad Magnificat, et Oratio de proprio.

AD COMPLETORIUM.

Lector incipit ℣. Jube domne benedícere.

Benedictio. Noctem quiétam, et finem perféctum tríbuat nobis omnípotens, et miséricors Dóminus.

℟. Amen.

Lectio. 1. Pet. 5.

FRatres : Sóbrii estóte, et vigiláte : quia adversárius vester diábolus tamquam leo rúgiens círcuit, quærens quem dévo-

ret : cui resístite fortes in fide. Tu autem Dómine miserére nostri.

℟. Deo grátias.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cœlum, et terram.

Pater noster, et Ave María, totum secreto.

Deinde fit Confessio communis alternatim, ut supra ad Primam 139. et facta Absolutione dicitur Versus :

Convérte nos Deus salutáris noster. ℟. Et avérte iram tuam a nobis.

℣. Deus in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine ad adjuvándum.

Aña. Miserére.

Tempore Paschali, Aña. Allelúia.

Psalmus iv.

Cum invocárem exaudívit me Deus justítiæ meæ : * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum úsquequo gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, et quæritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum : * Dóminus exáudiet me, cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre : * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, et speráte in Dómino. * Multi dicunt : Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui Dómine : * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam, et requiéscam.

Quóniam tu Dómine singuláriter in spe * constituísti me.

Glória Patri, et Fílio.

Psalmus xxx.

In te Dómine sperávi, non confúndar in ætérnum : * in justítia tua líbera me.

Inclína ad me aurem tuam, * accélera ut éruas me.

Esto mihi in Deum protectórem : et in domum refúgii, * ut salvum me fácias.

Quóniam fortitúdo mea, et refúgium meum es tu : * et propter nomen tuum dedúces me, et enútries me.

Edúces me de láqueo hoc, quem abscondérunt

mihi : * quóniam tu es protéctor meus.

In manus tuas comméndo spíritum meum : * redemísti me Dómine Deus veritátis.

Glória Patri, et Fílio.

Psalmus xc.

Qui hábitat in adjutório Altíssimi, * in protectióne Dei cœli commorábitur.

Dicet Dómino : Suscéptor meus es tu, et refúgium meum : * Deus meus sperábo in eum.

Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium, * et a verbo áspero.

Scápulis suis obumbrábit tibi : * et sub pennis ejus sperábis.

Scuto circúmdabit te véritas ejus : * non timébis a timóre noctúrno,

A sagítta volánte in die, a negótio perambulánte in ténebris : * ab incúrsu, et dæmónio meridiáno.

Cadent a látere tuo mille, et decem míllia a dextris tuis : * ad te autem non appropinquábit.

Verúmtamen óculis tuis considerábis : * et retributiónem peccatórum vidébis.

Quóniam tu es Dómine spes mea : * altíssimum posuísti refúgium tuum.

Non accédet ad te malum : * et flagéllum non appropinquábit tabernáculo tuo.

Quóniam Angelis suis mandávit de te : * ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

In mánibus portábunt te : * ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

Super áspidem, et basilíscum ambulábis : * et conculcábis leónem et dracónem.

Quóniam in me sperávit, liberábo eum, * prótegam eum, quóniam cognóvit nomen meum.

Clamábit ad me, et ego exáudiam eum : * cum ipso sum in tribulatióne, erípiam eum et glorificábo eum.

Longitúdine diérum replébo eum : * et osténdam illi salutáre meum.

Glória Patri, et Fílio.

Psalmus cxxxiij.

Ecce nunc benedícite Dóminum, * omnes servi Dómini :

Qui statis in domo Dómini, * in átriis domus Dei nostri.

In nóctibus extóllite manus vestras in sancta, * et benedícite Dóminum.

Benedícat te Dóminus

ex Sion, * qui fecit cœlum et terram.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Miserére mei Dómine, et exáudi oratiónem meam.

Tempore Paschali, Aña. Allelúia, allelúia, allelúia, allelúia.

Capitulum. Jerem. 14.

TU autem in nobis es Dómine, et nomen tuum invocátum est super nos, ne derelínquas nos Dómine Deus noster.

Sequens Hymnus dicitur quotidie a j. Sabb. Advent. usque ad Sabb. primum Quadrag.

Hymnus. D. Ambr.

TE lucis ante términum
Rerum Creátor póscimus;
Ut sólita cleméntia
Sis præsul ad custódiam.

Procul recédant sómnia,
Et nóctium phantásmata,
Hostémque nostrum cómprime,
Ne polluántur córpora.

Præsta, Pater omnípotens :
Per Jesum Christum Dóminum :
Qui tecum in perpétuum
Regnat cum sancto Spíritu. Amen.

℣. Custódi nos Dómine ut pupíllam óculi. ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege nos.

Post Capitulum sequens ℟. dicitur a j. Sabb. Quadrag. usque ad Sabb. ante Dom. Passionis in Dominicis et Festis duplicibus ad utrumque Completorium.

℟. In pace in idípsum * Dórmiam, et requiéscam. In pace.

℣. Si dédero somnum óculis meis, et pálpebris meis dormitatiónem. Dórmiam.

Glória Patri. In pace.

Sequens vero ℟. dicitur in Festis non dup. et Feriis per totam Quadrag. sed a Sabb. ante Dom. Passionis usque ad Feriam iv. majoris Hebdom. quotidie dicitur tam in dup. quam non duplicibus, et a dicto Sabb. in Offic. de temp. non dicitur Glória Patri sed reiteratur ℟. In manus.

℟. In manus tuas, Dómine, * Comméndo spíritum meum. In manus.

℣. Redemísti nos Dómine Deus veritátis. Comméndo.

Glória Patri. In manus.

Sequens Hymn. dicitur quotidie a primo Sabbato Quadrag. usque ad Cœnam Domini.

Hymnus. D. Ambr.

CHriste, qui lux es et dies,
Noctis tenébras détegis,
Lucísque lumen créderis,
Lumen beátum prædicans.

Precámur sancte Dómine,
Defénde nos in hac nocte,
Sit nobis in te réquies,
Quiétam noctem tríbue.

Ne gravis somnus írruat,
Nec hostis nos surrípiat,
Nec caro illi conséntiens,
Nos tibi reos státuat.

Oculi somnum cápiant,
Cor ad te semper vígilet :
Déxtera tua prótegat
Fámulos, qui te díligunt.

Defénsor noster ádspice,
Insidiántes réprime :
Gubérna tuos fámulos,
Quos sánguine mercátus es.

Meménto nostri Dómine
In gravi isto córpore,
Qui es defénsor ánimæ,
Adésto nobis Dómine.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum. Amen.

℣. Custódi nos Dómine, ut pupíllam óculi. ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege nos.

Sequens Hymn. dicitur quotidie a Sabb. in Albis, usque ad Vigiliam Ascensionis exclusive.

Hymnus. D. Ambr.

JEsu Salvátor sæculi,
Verbum Patris altíssimi,
Lux lucis invisíbilis,
Custos tuórum pérvigil.

Tu fabricátor ómnium,
Discrétor atque témporum,
Fessa labóre córpora
Noctis quiéte récrea.

Ut dum gravi in córpore
Brevi manémus témpore,
Sic caro nostra dórmiat,
Ut mens in Christo vígilet.

Te deprecámur súpplices,
Ut nos ab hoste líberes :
Ne váleat sedúcere
Tuo redémptos sánguine.

Quæsumus Auctor ómnium
In hoc Pascháli gáudio,
Ab omni mortis ímpetu
Tuum defénde pópulum.

Glória tibi Dómine,
Qui surrexísti a mórtuis,
Cum Patre, et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Custódi nos Dómine, ut pupíllam óculi. ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege nos, allelúia.

Sequens Hymnus dicitur a Vigilia Ascensionis usque ad Trinitatem.

Hymnus. D. Ambr.
JEsu nostra redémptio,
Amor et desidérium,
Deus creátor ómnium,
Homo in fine témporum.
Quæ te vicit cleméntia,
Ut ferres nostra crímina :
Crudélem mortem pátiens,
Ut nos a morte tólleres.
Inférni claustra pénetrans,
Tuos captívos rédimens,
Victor triúmpho nóbili,
Ad dextram Patris résidens.
Ipsa te cogat píetas,
Ut mala nostra súperes :
Parcéndo, et voti cómpotes
Nos tuo vultu sáties.
Tu esto nostrum gáudium,
Qui es futúrus præmium :
Sit nostra in te glória,
Per cuncta semper sæcula.
Glória tibi Dómine,
Qui scandis super sídera,
Cum Patre, et sancto Spíritu
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Custódi nos Dómine, ut pupíllam óculi. ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege nos, allelúia.

A Vigil. Pentecostes usque ad Sabb. sequens loco ℣. Tu esto et Glória tibi Dómine dicuntur sequentes Versus :

Dudum sacráta péctora
Tua replésti grátia :
Dimítte nostra crímina,
Et da quiéta témpora.
Sit laus Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito :
Nobísque mittat Fílius
Charísma sancti Spíritus. Amen.

℣. Custódi nos Dómine, ut pupíllam óculi. ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege nos, allelúia.

Sequens Hymnus dicitur a Sabb. Trinitatis usque ad Adventum.

Hymnus.
SAlvátor mundi Dómine,
Qui nos salvásti hódie,
In hac nocte nos prótege,
Et salva omni témpore.
Adésto nunc propítius,
Et parce supplicántibus :
Tu dele nostra crímina;
Tu ténebras illúmina.
Ne mentem somnus ópprimat,
Nec hostis nos surrípiat,
Nec ullis caro, pétimus,
Commaculétur sórdibus.
Te reformátor sénsuum,
Votis precámur córdium,
Ut puri castis méntibus
Surgámus a cubílibus.
Sit laus, perénnis glória,
Deo Patri, et Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. **Custódi nos Dómine, ut pupíllam óculi.** ℟. **Sub umbra alárum tuárum prótege nos.**

Aña ad Nunc dimittis pro qualitate Temporum, et Festorum, ut infra.

Canticum Simeonis.

Luc. 2.

Nunc dimíttis servum tuum Dómine, * secúndum verbum tuum in pace :

Quia vidérunt óculi mei * salutáre tuum,

Quod parásti : * ante fáciem ómnium populórum.

Lumen ad revelatiónem Géntium, * et glóriam plebis tuæ Israel.

Glória Patri, et Fílio.

In Adventu (exceptis Festis propriam Añam habentibus) dicitur ad Nunc dimittis sequens Aña. **Veni Dómine, visitáre nos in pace, ut lætémur coram te corde perféćto.**

In Vigilia Nativ. Domini, Aña. **Impléti sunt dies Maríæ, ut páreret fílium suum primogénitum.**

A die Nativit. usque ad Epiph. de quocumque fiat Offic. et in Festo SS. Nominis Jesu, Aña. **Allelúia : Verbum caro fastum est, allelúia : et habitávit in nobis, allelúia, allelúia.**

A Vigilia Epiph. usque ad diem Oct. ejusdem de quocumque fiat Offic. Aña. **Allelúia : Omnes de Saba vénient, allelúia : aurum et thus deferéntes, allelúia, allelúia.**

Ab Oct. Epiph. usque ad j. Dominicam Quadrag. et a Sabb. Trinitatis usque ad Adventum (exceptis Festis propriam Añam habentibus) Aña. **Salva nos Dómine vigilántes, custódi nos dormiéntes, ut vigilémus cum Christo, et requiescámus in pace.**

A Sabb. ante Domin. j. Quadrag. usque ad Sabb. ante Dom. iij. (exceptis Festis propriam Añam habentibus) Aña. **O Rex glorióse inter sanctos tuos, qui semper es laudábilis, et tamen ineffábilis. Tu in nobis es Dómine, et nomen sanctum tuum invocátum est super nos, ne derelínquas nos Dómine Deus noster : ut in die judícii nos collocáre dignéris inter sanctos, et eléctos tuos, Rex benedícte.**

Sequens Aña dicitur a Sabb. ante Dom. iij. Quadrag. usque ad Sabb. ante Dom. Passionis (exceptis Festis propriam Añam habentibus) et quoties dicitur : **Sancte,** toties genuflectitur, etiamsi de Festo

fiat, et non de Feria : et in Feriis in repetitione post ℣. nullo modo tertia genuflexio cum genuflexione precum sequentium continuatur. Cerem. l. I. p. 3. Rubr. 19. n. 4.

Idem Versus in Festis dup. non dicitur ad utrumque Completorium.

Aña. **Média vita in morte sumus : quem quærimus adjutórem, nisi te Dómine? qui pro peccátis nostris juste irásceris :* Sancte Deus, Sancte fortis, Sancte miséricors Salvátor, amáræ morti ne tradas nos. ℣. Ne projícias nos in témpore senectútis, cum defécerit virtus nostra, ne derelínquas nos Dómine. Sancte Deus.**

A Sabb. ante Dominicam Passionis usque ad Cœnam Domini (exceptis Festis propriam Añam habentibus) Aña. **Vigiláte, et oráte in hac nocte, ut non surrípiat vos cállidus tentátor : Angelus Dómini custódiat vos in hac nocte, et perdúcat vos ad lætítiam matutínam, ante sacrum et sanctum altáre.**

A Sabb. in Albis usque ad Vigil. Ascens. (exceptis Festis propriam Antiphonam habentibus) Aña. **Allelúia : Resurréxit Dóminus, allelúia : sicut dixit vobis, allelúia, allelúia.**

A Vigilia Ascens. usque ad Vigil. Pent. (exceptis Festis propriam Añam habentibus) Aña. **Allelúia : Ascéndens Christus in altum, allelúia : captívam duxit captivitátem, allelúia, allelúia.**

A Vigil. Pent. usque ad Sabb. Trinit. exclusive, Aña. **Allelúia, Spíritus Paráclitus, allelúia : docébit vos ómnia, allelúia, allelúia.**

In die Corporis Christi, et quando fit de Oct. item per annum, quando fit de V. Sacramento, Aña. **Allelúia : Panis quem ego dédero, allelúia : caro mea est pro mundi vita, allelúia, allelúia.**

A Septuag. autem usque ad Pascha, Aña. **Panis, quem ego dédero, caro mea est pro mundi vita.**

In Purificatione B. Virginis, Aña. **Ecce compléta sunt ómnia, quæ dicta sunt per Angelum de Vírgine María.**

In Annuntiat. B. V. M. extra Tempus Paschale et in Adventu, quando fit de Beata in Sabb. Aña. **Ecce ancílla Dómini : fiat mihi secúndum verbum tuum.**

Temp. vero Pasch. Aña. **Allelúia : Ecce ancílla Dómini, allelúia : fiat mihi secúndum verbum tuum, allelúia, allelúia.**

In omnibus aliis Festis B. Virginis et de Nomine ejus ad utrumque Complet. et quando Tempore Pasch. fit de beata Virg. in Hebdomada, Aña. **Allelúia : Sancta Dei génitrix, allelúia : intercéde pro nobis, allelúia, allelúia.**

Extra Tempus Paschale, quando fit de B. V. in Hebd. et per Oct. ejusdem, et post Septuag. de Glor. Nomine Mariæ, dicitur Aña. **Sub tuum præsídium confúgimus, sancta Dei génitrix : nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus nostris : sed a perículis cunctis líbera nos semper, Virgo gloriósa et benedícta.**

In utroque Festo S. Crucis et in Festo SS. Cordis Jesu, pretiosiss. Sanguinis, et Coronæ Domini, Aña. **Allelúia : Hoc signum Crucis erit in cœlo, allelúia : cum Dóminus ad judicándum vénerit, allelúia, allelúia.**

In Officiis de Passione post Sept. Aña. **Hoc signum Crucis erit in cœlo, cum Dóminus ad judicándum vénerit.**

In festo Transfigurationis, Aña. **Allelúia : Hic est Fílius meus diléctus, allelúia : in quo mihi bene complácui, allelúia, allelúia.**

In Officio duplici, per Oct. in Festis quæ infra Oct. celebrantur, etiamsi duplicia non sint, et per totum tempus Pasch. de quocumque fiat Officium, ac in Dominicis a Nativitate, usque ad Septuag. et a Trinitate usque ad Advent. dicta Aña post Nunc dimittis, statim dicitur **Dóminus vobíscum.**

Oratio. **Vísita, quæsumus,** etc. ut infra.

In alio vero Offic. finita Aña post Nunc dimittis, dicuntur Preces.

Kyrie eléïson. Christe eléïson. Kyrie eléïson. Pater noster.

Hebdomadarius dicit.

℣. **Et ne nos.** ℟. **Sed líbera.**

℣. **In pace in idípsum.** ℟. **Dórmiam et requiéscam.**

Credo in Deum.

℣. **Carnis resurrectiónem.** ℟. **Vitam ætérnam. Amen.**

℣. **Benedicámus Patrem, et Fílium, cum sancto**

Spíritu. ℟. Laudémus, et superexaltémus eum in sæcula.

℣. Benedíctus es Dómine in firmaménto cœli. ℟. Et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in sæcula.

℣. Benedícat, et custódiat nos omnípotens et miséricors Dóminus. ℟. Amen.

℣. Dignáre Dómine nocte ista. ℟. Sine peccáto nos custodíre.

℣. Miserére nostri Dómine. ℟. Miserére nostri.

℣. Fiat misericórdia tua Dómine super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te.

Quando fiunt genuflexiones adduntur hic ℣. Exáudi Dómine et Psalmus Miserére, etc. ut infra. Aliis diebus, his omissis sequitur ℣. Dómine Deus virtútum convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

℣. Dómine exáudi.

℣. Dóminus vobíscum.

Oratio. Vísita, quæsumus Dómine, ut infra.

In Feriis Adventus, et in Feriis Quadrag. incipiendo a Feria iv. Cinerum usque ad Feriam iv. majoris Hebd. inclusive, dicuntur supradictæ Preces cum genuflexione : et post ℣. Fiat misericórdia, additur ℣. Exáudi Dómine vocem meam, qua clamávi ad te. ℟. Miserére mei, et exáudi me.

Psalm. Miserére mei. 42. totus. In fine : Glória Patri.

Finito Psalmo dicitur ℣. Exsúrge Dómine, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

℣. Dómine Deus virtútum convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

Orémus. Oratio.

Visita, quæsumus Dómine, habitatiónem istam, et omnes insídias inimíci ab ea longe repélle : Angeli tui sancti hábitent in ea, qui nos in pace custódiant, et benedíctio tua sit super nos semper. Per Dóminum.

℣. Dóminus vobíscum.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Temp. Pasch. dicitur Benedicámus cum Allelúia.

Prior, vel in ejus absentia, qui facit Officium, dat benedictionem erectus dicens : Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et

Filii, et Spíritus sancti descéndat super nos, et máneat semper.

℟. Amen.

Statim dicitur Complet. de beata Virgine, si dicendum sit, quo dicto (vel si dicendum non sit) data benedictione, statim dicitur Aña. Salve Regína.

℣. Ora pro nobis. ut supra. 27.

Orémus. Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui gloriósæ Vírginis matris Maríæ corpus et ánimam, ut dignum Fílii tui habitáculum éffici mererétur, Spíritu sancto cooperánte præparásti : da, ut cujus commemoratióne lætámur, ejus pia intercessióne ab instántibus malis, et a morte perpétua liberémur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Temp. Pasch. loco Salve Regína, dic. Aña. Regína cœli. ℣. Gaude, et lætáre.

Oratio. Deus, qui per resurrectiónem Fílii tui. ut supra ad Laud. Dom. 28.

Finita Oratione, qui facit Officium incipiat Antiphonam Aspérges me, quam Conventus prosequitur, et interea aqua benedicta aspergit Fratres.

Aña. Aspérges me Dómine hyssópo, et mundábor : lavábis me : et super nivem dealbábor.

Ps. Miserére mei Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum : * dele iniquitátem meam.

Glória Patri.

Et repetitur Aña. Aspérges me, et qui facit Officium dicit.

℣. Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam. ℟. Et salutáre tuum da nobis.

Orémus. Oratio.

Exáudi nos, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus : et míttere dignéris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui custódiat, fóveat, prótegat, vísitet et deféndat omnes habitántes in hoc habitáculo. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Pater noster. Ave María. et Credo.

PRECES DICENDÆ

Omnibus diebus per Annum, exceptis Festis Duplicibus majoribus, et triduo ante Pascha.

Post Matutinum (nisi dictum fuerit Offic. Defunctorum vel Septem Psalmi Pœnitentiales) dicitur Psalm. De profúndis. 169. Réquiem ætérnam.

Kyrie eléïson. Christe eléïson. Kyrie eléïson.

Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas.

℣. A porta ínferi. ℟. Erue Dómine ánimas eórum.

℣. Credo vidére bona Dómini. ℟. In terra vivéntium.

℣. Dómine exáudi.

℣. Dóminus vobíscum.

Orémus. Oratio.

Fidélium, Deus, ómnium Cónditor et Redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum: ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur. Qui vivis, et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen.

Post Primam, vel post Tertiam, vel post completa divina Officia antemeridiana: dum convenientior hora fuerit, dicitur Psalmus. Deus misereátur nostri. 23. Glória Patri.

Psalm. Ad te levávi. 166. Glória Patri, et Fílio.

Psalm. De profúndis. 169. Réquiem ætérnam.

Kyrie eléïson. Christe eléïson. Kyrie eléïson.

Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas.

℣. Memor esto congregatiónis tuæ. ℟. Quam possedísti ab inítio.

℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus sperántes in te.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

℣. Orémus pro fidélibus defúnctis. ℟. Réquiem ætérnam dona eis Dómine, et lux perpétua lúceat eis.

℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen.

℣. Dómine exáudi.

℣. Dóminus vobíscum.

Orémus. Oratio.

Ecclésiæ tuæ, quæsumus Dómine, preces placátus admítte: ut destrúctis adversitátibus et erróribus univérsis, secúra tibi sérviat libertáte.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui facis mirabília magna solus, præténde super fámulos

tuos, et super cunctas congregatiónes illis commíssas spíritum grátiæ salutáris : et, ut in veritáte tibi compláceant, perpétuum eis rorem tuæ benedictiónis infúnde.

Oratio.

PRótege Dómine, fámulos tuos subsídiis pacis, et beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis confidéntes, a cunctis hóstibus redde secúros.

Oratio.

MIserére, quæsumus Dómine, animábus ómnium benefactórum nostrórum defunctórum, et de benefíciis, quæ nobis largíti sunt in terris, præmia ætérna consequántur in cœlis.

Oratio.

ABsólve, quæsumus Dómine, ánimas famulórum famularúmque tuárum ab omni vínculo delictórum : ut in resurrectiónis glória inter Sanctos, et eléctos tuos resuscitáti respírent. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum. ℟. Ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Post Completorium autem dicitur Psalmus. Ad te levávi. 166. Glória Patri.

Kyrie eléïson. Christe eléïson. Kyrie eléïson. Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas.

℣. Dómine salvum fac Regem. ℟. Et exáudi nos in die, qua invocavérimus te.

℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus sperántes in te.

℣. Dómine exáudi oratiónem.

℣. Dóminus vobíscum.

Orémus. Oratio.

INeffábilem nobis Dómine misericórdiam tuam cleménter osténde : ut simul nos et a peccátis ómnibus éxuas, et a pœnis, quas pro his merémur, erípias : et fámulos tuos, Papam, Cardinálem Protectórem, * Priórem Generálem, nos, totúmque Ordinem nostrum, et pópulum istum ab omni adversitáte custódi : salútem, et pacem tuam nostris concéde tempóribus : ab Ecclésia tua cunctam repélle nequítiam : gentes paganórum, et hæreticórum, quæ in sua feritáte, ac perversitáte confídunt, déxteræ tuæ poténtia conterántur : et benefactóribus nostris sempitérna

bona retríbuas. Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.
In Regnis, et Dominiis, dicto in superiori Oratione Protectórem, potest addi * Imperatórem, vel Regem, aut Ducem, seu Príncipem, juxta illorum dignitates.
In exeundo vero e choro Completis quibuscumque Officiis, etsi duplicia majora vel Defunctorum forent, dummodo suprascriptæ preces, exeundo dicendæ non sint, dicitur. Psalmus. Deus misereátur nostri. 23. cum Glória Patri.
℣. Salvos fac servos tuos.
℟. Deus meus sperántes in te.
℣. Dómine exáudi oratiónem.
℣. Dóminus vobíscum. Orémus. Oratio.
PRæténde Dómine fámulis et famulábus tuis déxteram cœléstis auxílii : ut te toto corde perquírant, et quæ digne póstulant cónsequi mereántur. Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Antiphona B. V. Mariæ, et Oratio de Sanctis O. N. quotidie dicendæ post Vesp. vel Compl. etiam extra Chorum : Ex Decr. Capit. Gener. anni 1680.

AVe Stella matutína,
Peccatórum medicína,
Mundi Princeps et Regína.
Virgo, sola digna dici,
Contra tela inimíci
Clypeum pone salútis
Tuæ títulum virtútis.
Tu es enim Virga Jesse :
In qua Deus fecit esse
Aáron amygdalum,
Mundi tollens scándalum.
Tu es área complúta,
Cœlésti rore imbúta,
Sicco tamen véllere.
Tu nos in hoc cárcere
Soláre propítia,
Dei plena grátia.
O Sponsa Dei elécta
Esto nobis via recta
Ad ætérna gáudia
Ubi pax est et glória.
Tu nos semper aure pia
Dulcis exáudi María.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus.

DEféndé, quæsumus Dómine, beáta María semper Vírgine intercedénte, istam ab omni adversitáte famíliam tuam, et toto corde tibi prostrá-

tam ab hóstium propítius tuére cleménter insídiis. Per Christum Dóminum nostrum.


℟. Amen.

℣. In omni tribulatióne et angústia, succúrrat nobis pia Virgo María.
℟. Amen.

Orémus.

OMnípotens et Clementíssime Deus, qui Montis Carméli Ordinem gloriosíssimæ Vírginis Maríæ, Genitrícis Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi, sacráto título insignítum, Sanctórum tuórum Patris nostri Elíæ, et Eliséi Prophetárum, Angeli et Anastásii Mártyrum, Cyrílli et Albérti Confessórum, Euphrásiæ, Terésiæ et Maríæ Magdalénæ Vírginum, et aliórum plurimórum méritis decorásti : tríbue nobis quæsumus, ut per eórum suffrágia ab instántibus malis ánimæ et córporis liberáti, ad te verum Carméli vérticem gaudéntes perveníre valeámus. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.




AVE
GRATIA-PLENA-
DN



Proprium de Tempore.

PARS HIEMALIS.

PRIMO SABBATO ADVENTUS.

AD VESPERAS.

Añæ et Psalmi de Officio præcedenti.

Capitulum. Jerem. 23.


Cce dies véniunt, dicit Dóminus, et suscitábo David germen justum : et regnábit Rex, et sápiens erit; et fáciet judícium, et justítiam in terra.

℟. Læténtur cœli, et exsúltet terra : jubiláte montes laudem, quia Dóminus noster véniet, * Et páuperum suórum miserébitur.

℣. Oriétur in diébus ejus justítia, et abundántia pacis. Et.

Glória Patri. Et.

Hymnus. D. Ambrosii.

Conditor alme síderum,
Ætérna lux credéntium,
Christe Redémptor ómnium,
Exáudi preces súpplicum.

Qui cóndolens intéritu
Mortis períre sæculum,
Salvásti mundum lánguidum,
Donans reis remédium.

Vergénte mundi véspere,
Uti sponsus de thálamo,
Egréssus honestíssima
Vírginis matris cláusula.

Cujus forti poténtiæ
Genu curvántur ómnia;

Cœléstia, terréstria
Nutu faténtur súbdita.
Te deprecámur ágie,
Ventúre judex sæculi;
Consérva nos in témpore,
Hostis a telo pérfidi.
Laus, honor, virtus, glória
Deo Patri, et Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sæculórum sæcula.
Amen.

℣. Roráte cœli désuper, et nubes pluant justum. ℟. Aperiátur terra, et gérminet Salvatórem.

Ad Magnif. Aña. Ecce nomen Dómini venit de longínquo, et cláritas ejus replet orbem terrárum.

Oratio. Excita, ut infra ad Laudes. 206.

In j. et ij. Vesp. hujus Dominicæ, et in Laud. non dicuntur commemorationes communes.

Ad Complet. Hymnus. Te lucis.

Ad Nunc dimittis, Aña. Veni Dómine.

Dicantur preces.

DOMINICA PRIMA ADVENTUS.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Ecce véniet Rex : * Occurrámus óbviam Salvatóri nostro.

Psalmus. Veníte, exsultémus. 2

Hymnus. D. Gregorii.

VErbum supérnum pródiens,
A Patre olim éxiens,
Qui natus orbi súbvenis
Cursu declívi témporis.
Illúmina nunc péctora,
Tuóque amóre cóncrema :
Audíto ut præcónio
Sint pulsa tandem lúbrica.
Judéxque cum post áderis,
Rimári facta péctoris,
Reddens vicem pro ábditis,
Justísque regnum pro bonis.
Non demum arctémur malis
Pro qualitáte críminis,
Sed cum beátis cómpotes,
Simus perénnes cœlibes.
Laus, honor, virtus, glória
Deo Patri, et Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sæculórum sæcula.
Amen.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Consúrge.

Ps. Beátus vir, cum reliquis ut in Psalt. 4.

Incipit liber Isaíæ Prophétæ.

Lectio j. Cap. 1.

VIsio Isaíæ fílii Amos, quam vidit super Judam et Jerúsalem in diébus Ozíæ, Jóathan, Achaz et Eze-

chíæ regum Juda. Audíte cœli, et áuribus pércipe terra, quóniam Dóminus locútus est. Fílios enutrívi, et exaltávi : ipsi autem sprevérunt me. Cognóvit bos possessórem suum, et ásinus præsépe dómini sui : Israel autem me non cognóvit, et pópulus meus non intelléxit. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

℟. Deo grátias.

℟. Adspíciens a longe, ecce vídeo Dei poténtiam veniéntem, et nébulam totam terram tegéntem. * Ite óbviam ei, et dícite : * Núntia nobis, si tu es ipse, * Qui regnatúrus es * In pópulo Israel.

℣. Quique terrígenæ, et fílii hóminum, simul in unum dives, et pauper. — Ite óbviam ei et dícite : Núntia nobis, si tu es ipse, qui regnatúrus es in pópulo Israel.

℣. Qui regis Israel, inténde : qui dedúcis velut ovem Joseph. — Núntia nobis, si tu es ipse, qui regnatúrus es in pópulo Israel.

℣. Excita poténtiam tuam, et veni, ut salvos fácias nos. — Qui regnatúrus es in pópulo Israel.

℣. Glória Patri. In pópulo Israel.

℟. Adspíciens, usque ad primum ℣. exclusive.

Prædictum ℟. non dicitur per Hebdom. sed ejus loco dicitur sequens

℟. Aliéni non transíbunt per Jerúsalem ámplius : * Nam in illa die stillábunt montes dulcédinem, et colles fluent lac et mel, dicit Dóminus.

℣. Ecce ego véniam, dicit Dóminus, et sanábo contritiónem pópuli mei. Nam.

Lectio ij.

Væ genti peccatríci, pópulo gravi iniquitáte, sémini nequam, fíliis scelerátis : dereliquérunt Dóminum, blasphemavérunt Sanctum Israel, abalienáti sunt retrórsum. Super quo percútiam vos ultra, addéntes prævaricatiónem? Omne caput lánguidum, et omne cor mœrens. A planta pedis usque ad vérticem non est in eo sánitas : vulnus, et livor, et plaga tumens, non est circumligáta, nec curáta medicámine, neque fota óleo. Hæc dicit Dóminus.

℟. Adspiciébam in visu noctis, et ecce in núbibus cœli Fílius hóminis veniébat : et datum est ei

regnum, et honor : * Et omnis pópulus, tribus, et linguæ sérvient ei.

℣. Potéstas ejus, potéstas ætérna, quæ non auferétur : et regnum ejus, quod non corrumpétur. Et omnis.

Lectio iij.

TErra vestra desérta, civitátes vestræ succénsæ igni : regiónem vestram coram vobis aliéni dévorant, et desolábitur sicut in vastitáte hostíli. Et derelinquétur fília Sion ut umbráculum in vínea, et sicut tugúrium in cucumerário, et sicut cívitas, quæ vastátur. Nisi Dóminus exercítuum reliquísset nobis semen, quasi Sódoma fuissémus, et quasi Gomórrha símiles essémus. Hæc dicit Dóminus.

℟. Missus est Angelus Gábriel ad Maríam Vírginem desponsátam Joseph, núntians ei verbum : et expavéscit Virgo de lúmine. Ne tímeas María; invenísti enim grátiam apud Deum : * Ecce concípies, et páries, et Fílius Altíssimi vocábitur.

℣. Dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus, et regnábit in domo Jacob in ætérnum. Ecce. Glória Patri. Ecce.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Leva Jerúsalem. Ps. Consérva. 12.

Sermo sancti Máximi Epíscopi.

Hom. de Vigil. Nativitat.

Lectio iv.



Um Imperatóris mundi istíus natális celebrándus est, bene nostis, quemádmodum duces ejus, et príncipes, omnes étiam militántes accuráti séricis véstibus, accíncti operósis cíngulis auro fulgénte pretiósis, ámbiant sólito nitídius in conspéctu regis incédere. Credunt enim majus esse Imperatóris gáudium, si víderit majórem suæ apparitiónis ornátum : tantóque illum lætum futúrum, quanto ipsi fúerint in ejus festivitáte devóti. Tu autem Dómine, miserére nostri.

℟. Deo grátias.

Sic terminantur Lectiones omnes, exceptis Lectionibus Prophetarum.

℟. Ave María, grátia plena : Dóminus tecum : * Spíritus sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Ideóque et quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei.

℣. Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Angelus dixit ei. Spíritus.

Lectio v.

Si ergo, fratres, sæculi istíus hómines propter præséntis honóris glóriam, terréni regis sui natális diem tanta apparitióne suscípiunt : quanta nos accuratióne, ætérni Regis nostri Jesu Christi natálem suscípere debémus, qui pro devotióne nostra non nobis temporálem largiétur glóriam, sed ætérnam : nec terréni honóris administratiónem dabit, quæ successóre finítur; sed cœléstis impérii dignitátem, quæ non habet successórem?

℟. Salvatórem exspectámus Dóminum nostrum Jesum Christum, * Qui reformábit corpus humilitátis nostræ, configurátum córpori claritátis suæ.

℣. Sóbrie, juste, et pie vivámus in hoc sæculo, exspectántes beátam spem, et advéntum glóriæ magni Dei. Qui reformábit.

Lectio vi.

Ambiámus ergo inveníri ante ipsum probáti fide, compti misericórdia, móribus accuráti : et, qui fidélius Christum díligit, nitídius se mandatórum ejus observatióne compónat : ut vere nos in se crédere vídeat, cum ita in ejus solemnitáte fulgémus, et eo magis lætus sit, quo nos perspéxerit puriores. Atque ídeo ante complúres dies castificémus corda nostra, mundémus consciéntiam, purificémus spíritum : ac nítidi, et sine mácula immaculáti Dómini suscipiámus advéntum.

℟. Audíte verbum Dómini Gentes, et annuntiáte illud in fínibus terræ : et in ínsulis, quæ procul sunt, dícite : * Salvátor noster advéniet.

℣. Annuntiáte, et audítum fácite : loquímini, et clamáte. Salvátor.

Glória Patri. Salvátor.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Consolámini.

Ps. Cœli enárrant. 17.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 21.

In illo témpore : Cum appropinquásset Jesus Jerosólymis, et venísset Béthphage ad montem Olivéti : tunc misit duos discípulos. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 9. in Luc. cap. 19.

PUlchre relíctis Judæis, habitatúrus in afféctibus Géntium, templum Dóminus ascéndit. Hoc enim templum est verum, in quo non in líttera, sed in spíritu Dóminus adorátur. Hoc Dei templum est, quod fídei séries, non lápidum structúra fundávit. Deserúntur ergo qui óderant : eligúntur qui amatúri erant. Et ídeo ad montem venit Olivéti, ut novéllas óleas in sublími virtúte plantáret : quarum mater est illa, quæ sursum est Jerúsalem. In hoc monte est ille cœléstis agrícola : ut plantáti omnes in domo Dei possint virítim dícere : Ego autem sicut olíva fructífera in domo Dómini.

℟. Ecce Virgo concípiet, et páriet fílium, dicit Dóminus : * Et vocábitur nomen ejus, Admirábilis, Deus, Fortis.

℣. Super sólium David, et super regnum ejus sedébit in ætérnum. Et.

Lectio viij.

ET fortásse ipse mons est Christus. Quis enim álius tales fructus ferret oleárum, non curvescéntium ubertáte baccárum, sed spíritus plenitúdine Géntium fecundárum? Ipse est, per quem ascéndimus, et ad quem ascéndimus : ipse est jánua, ipse est via, qui aperítur, et qui áperit : qui pulsátur ab ingrediéntibus, et ab eméritis adorátur. Ergo in castéllo erat, et ligátus erat pullus cum ásina. Non póterat solvi, nisi jussu Dómini : solvit eum manus Apostólica : talis actus, talis vita, talis grátia : Esto talis et tu, ut possis ligátos sólvere.

℟. Obsecro Dómine, mitte quem missúrus es : vide afflictiónem pópuli tui : * Sicut locútus es, veni, et líbera nos.

℣. A solis ortu et occásu, ab Aquilóne et mari. Sicut.

Lectio ix.

NUnc considerémus qui fúerint illi, qui erróre detécto de paradíso ejécti, in castéllum sint relegáti. Et vides, quemádmodum quos mors expúlerat, vita revocáverit. Et ídeo secúndum Matthæum, et ásinam et pullum légimus : ut quia in duóbus homínibus utérque fúerat sexus expúlsus, in duóbus animálibus se-

xus utérque revocétur. Ergo illic in ásina matrem quasi Hevam figurávit erróris : hic autem in pullo generalitátem pópuli gentílis expréssit. Et ídeo pullo sedétur ásinæ : et bene, in quo nemo sedit, quia nullus ántequam Christus natiónum pópulos vocávit ad Ecclésiam. Dénique secúndum Marcum sic habes : Quem nemo adhuc sedit hóminum.

℟. Læténtur cœli, et exsúltet terra, jubiláte montes laudem : quia Dóminus noster véniet, * Et páuperum suórum miserébitur.

℣. Oriétur in diébus ejus justítia, et abundántia pacis. Et páuperum.

Glória Patri. Et.

℟. Læténtur cœli.

Sacerdotalis ℣. Emítte Agnum Dómine dominatórem terræ. ℟. De Petra desérti ad montem fíliæ Sion.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

In illa die stillábunt montes dulcédinem, et colles fluent lac et mel, allelúia.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Jucundáre fília Sion, et exsúlta satis fília Jerúsalem, allelúia.

Aña. Ecce Dóminus véniet, et omnes sancti ejus cum eo : et erit in die illa lux magna, allelúia.

Aña. Omnes sitiéntes veníte ad aquas : quærite Dóminum dum inveníri potest, allelúia.

Aña. Ecce véniet Prophéta magnus, et ipse renovábit Jerúsalem, allelúia.

Capitulum. Jerem. 23.


Ecce dies véniunt, dicit Dóminus : et suscitábo David germen justum : et regnábit Rex, et sápiens erit : et fáciet judícium, et justítiam in terra.

Hymnus. D. Ambrosii.

Vox clara ecce íntonat,
Obscúra quæque íncrepat :
Pellántur éminus sómnia :
Ab æthere Christus prómicat.

Mens jam resúrgat tórpida,
Quæ sorde exstat sáucia :
Sidus refúlget jam novum,
Ut tollat omne nóxium.

E sursum Agnus míttitur
Laxáre gratis débitum :
Omnes pro indulgéntia

Vocem demus cum lácrymis :
Secúndo ut cum fúlserit,
Mundúmque horror cínxerit,
Non pro reátu púniat,
Sed nos pius tunc prótegat.
Laus, honor, virtus, glória
Deo Patri, et Fílio,
Sancto simul Paráclito
In sæculórum sæcula.
Amen.

℣. Vox clamántis in desérto. ℟. Paráte viam Dómini, rectas fácite sémitas Dei nostri.

Ad Benedictus, Aña. Spíritus sanctus in te descéndet María : ne tímeas, habébis in útero Fílium Dei, allelúia.

Oratio.

Excita, quæsumus Dómine, poténtiam tuam, et veni : ut ab imminéntibus peccatórum nostrórum perículis, te mereámur protegénte éripi, te liberánte salvári. Qui vivis et regnas.

AD PRIMAM.

Ps. Deus Deus meus réspice, cum reliquis ut in Psalterio. 126.

Capit. Dómine miserére.

℟. Jesu Christe.

℣. Qui ventúrus es in mundum.

Ad Tertiam, Sextam, et Nonam, Capitul. ℟℟. et ℣℣. ut in Psalterio pro tempore Adventus.

Oratio. Excita, ut supra.

AD VESPERAS.

Aña. In illa die. Psalm. Dixit Dóminus, et reliq. de Dominica, 159. cum hac sola. Capitulum, Hymnus et ℣. ut in j. Vesperis.

Ad Magnificat, Aña. Ne tímeas María, invenísti enim grátiam apud Deum: ecce concípies, et páries Fílium, allelúia.

Dicantur Vesperæ Defunctorum, si sequenti die fiat de Feria, quod pro omnibus Feriis secundis Adventus observandum.

PER FERIAS

Adventus sic ordinandum est Officium, nisi aliter in propriis locis assignetur.

AD MATUTINUM.

Invitatorium, usque ad Feriam iv. Quatuor Temporum. Regem ventúrum Dóminum, * Veníte, adorémus. Psalm. Veníte. 2.

A Feria iv. Quatuor Temporum usque ad Vigil. Nativit. dicitur Invitator. Prope est jam Dóminus, * Veníte, adorémus. Ps. Veníte. 2.

Hymnus. Verbum supérnum, ut supra in Dominica I. Adv. 200.

Antiphonæ, Psalmi et ℣. de Feria, ut in Psalterio, Lectiones tres ut in singulis Feriis propriæ habentur. Responsoria, (nisi adsint de Proprio) accipiantur de Dominica præcedenti illam Feriam, de qua fit Officium, secundum ordinem Nocturnorum. Non dicitur **Te Deum,** sed Sacerdot. ℣. **Emítte.**

Ad Laudes et Vesperas, Antiphonæ et Psalmi de Psalterio : Capitulum, Hymnus et ℣. de Laudibus et Vesperis Dominicæ primæ Adventus.

Ad Benedictus, et Magnificat Antiphonæ, quæ in singulis Feriis sunt positæ. Deinde dicuntur Preces Feriales, ut in Psalterio post Laudes Feriæ secundæ, Oratio de Dominica præcedenti illam Feriam, nisi aliter in proprio ordinetur, et fiunt commemor. communes pro tempore Adventus, exceptis Vesperis, in quibus dicitur Aña **O,** quia in iis nec Preces, nec commem. communes dicuntur. Ad Primam, Tertiam, Sextam, et Nonam, Añæ, Capit. ℟℟. et ℣℣. ut in Psalterio pro Feriis Adventus, et dicuntur Preces feriales cum genuflexione. Oratio Dominicæ præced. quamlibet Feriam.

Ad Completorium omnia ut in Psalterio, cum Precibus ferialibus et genuflexione.

FERIA SECUNDA.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. I.



LAvámini, mundi estóte, auférte malum cogitatiónum vestrárum ab óculis meis : quiéscite ágere pervérse, díscite benefácere : quærite judícium, subveníte opprésso, judicáte pupíllo, defféndite víduam. Et veníte, et argúite me, dicit Dóminus : si fúerint peccáta vestra ut cóccinum, quasi nix dealbabúntur : et si fúerint rubra quasi vermículus, velut lana alba erunt. Hæc dicit Dóminus.

℟. **Aliéni,** de j. Noct. Domin. præcedentis.

Lectio ij.

SI voluéritis, et audiéritis me, bona terræ comedétis. Quod si noluéritis, et me ad iracúndiam provocavéritis : gládius devorábit vos, quia os Dómini locútum est. Quómodo facta est méretrix

cívitas fidélis, plena judícii? Justítia habitávit in ea, nunc autem homicídæ. Argéntum tuum versum est in scóriam : vinum tuum mistum est aqua. Príncipes tui infidéles, sócii furum : omnes díligunt múnera, sequúntur retributiónes. Pupíllo non júdicant : et causa víduæ non ingréditur ad illos. Hæc dicit Dóminus.

Lectio iij.

PRopter hoc ait Dóminus Deus exercítuum fortis Israel : Heu, consolábor super hóstibus meis, et vindicábor de inimícis meis. Et convértam manum meam ad te, et éxcoquam ad purum scóriam tuam, et áuferam omne stannum tuum. Et restítuam júdices tuos, ut fuérunt prius, et consiliários tuos sicut antíquitus : post hæc vocáberis cívitas Justi, urbs fidélis. Sion in judício redimétur, et redúcent eam in justítia : et cónteret sceléstos, et peccatóres simul. Hæc dicit Dóminus.

Ad Benedictus, Aña. Angelus Dómini nuntiávit Maríæ, et concépit de Spíritu sancto, allelúia.

Dicitur j. Nocturnus, et Laudes Defunctorum, si fiat Officium de Feria, quod pro omnibus Feriis ij. Adventus observandum.

Ad Magnificat, Aña. Jerúsalem réspice ad Oriéntem, et vide, allelúia.

FERIA TERTIA.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 2.

VErbum, quod vidit Isaías fílius Amos, super Juda et Jerúsalem. Et erit in novíssimis diébus præparátus mons domus Dómini in vértice móntium, et elevábitur super colles, et fluent ad eum omnes Gentes. Et ibunt pópuli multi, et dicent : Veníte, et ascendámus ad montem Dómini, et ad domum Dei Jacob, et docébit nos vias suas, et ambulábimus in sémitis ejus : quia de Sion exíbit lex, et verbum Dómini de Jerúsalem. Hæc dicit Dóminus.

℟. Ave María, de ij. Noct. Domin. præced.

Lectio ij.

ET judicábit Gentes, et árguet pópulos multos : et conflábunt gládios suos in vómeres, et lánceas suas in falces : non levábit Gens contra Gentem gládium, nec exercebúntur ultra ad

prælium. Domus Jacob veníte, et ambulémus in lúmine Dómini. Projecísti enim pópulum tuum, domum Jacob : quia repléti sunt ut olim, et áugures habuérunt ut Philísthiim, et púeris aliénis adhæsérunt. Hæc dicit Dóminus.

Lectio iij.

REpléta est terra argénto et auro, et non est finis thesaurórum ejus, et repléta est terra ejus equis : et innumerábiles quadrígæ ejus. Et repléta est terra ejus idólis : opus mánuum suárum adoravérunt, quod fecérunt dígiti eórum. Et incurvávit se homo, et humiliátus est vir : ne ergo dimíttas eis. Hæc dicit Dóminus.

Ad Benedictus, Aña. Antequam convenírent, invénta est María habens in útero de Spíritu sancto, allelúia.

Ad Magnif. Aña. Quærite Dóminum, dum inveníri potest; invocáte eum, dum prope est, allelúia.

FERIA QUARTA.
De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 3.

ECce enim Dominátor Dóminus exercítuum áuferet a Jerúsalem, et a Juda válidum et fortem, omne robur panis, et omne robur aquæ : fortem, et virum bellatórem, júdicem, et Prophétam, et aríolum, et senem : príncipem super quinquagínta, et honorábilem vultu, et consiliárium, et sapiéntem de architéctis, et prudéntem elóquii mystici. Et dabo púeros príncipes eórum, et effemináti dominabúntur eis. Hæc dicit Dóminus.

℟. Ecce Virgo, de iij. Nocturno Domin. præced.

Lectio ij.

ET írruet pópulus vir ad virum, et unusquísque ad próximum suum, tumultuábitur puer contra senem, et ignóbilis contra nóbilem. Apprehéndet enim vir fratrem suum domésticum patris sui : Vestiméntum tibi est, princeps esto noster, ruína autem hæc sub manu tua. Respondébit in die illa, dicens : Non sum médicus, et in domo mea non est panis, neque vestiméntum : nolíte constitúere me príncipem pópuli. Hæc dicit Dóminus.

Lectio iij.

RUit enim Jerúsalem, et Judas cóncidit : quia lingua eórum, et ad-

inventiónes eórum contra Dóminum, ut provocárent óculos majestátis ejus. Agnítio vultus eórum respóndit eis, et peccátum suum quasi Sódoma prædicavérunt, nec abscondérunt : væ ánimæ eórum, quóniam réddita sunt eis mala. Dícite justo quóniam bene, quóniam fructum adinventiónum suárum cómedet. Væ ímpio in malum; retribútio enim mánuum ejus fiet ei. Hæc dicit Dóminus.

Ad Benedictus, Aña. De Sion exíbit lex, et verbum Dómini de Jerúsalem.

Ad Magnificat, Aña. Véniet fórtior me post me, cujus non sum dignus sólvere corrígiam calceamentórum.

FERIA QUINTA.
De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 4.


ET apprehéndent septem mulíeres virum unum in die illa, dicéntes : Panem nostrum comedémus, et vestiméntis nostris operiémur : tantúmmodo invocétur nomen tuum super nos, aufer oppróbrium nostrum. In die illa erit germen Dómini in magnificéntia, et glória, et fructus terræ sublímis, et exsultátio his, qui salváti fúerint de Israel. Et erit : Omnis, qui relíctus fúerit in Sion, et resíduus in Jerúsalem, sanctus vocábitur, omnis qui scriptus est in vita in Jerúsalem. Hæc dicit Dóminus.

℟. Aliéni, de j. Noct. Dom. præc.

Lectio ij. Cap. 5.

CAntábo dilécto meo cánticum patruélis mei víneæ suæ. Vínea facta est dilécto meo in cornu fílio ólei. Et sepívit eam, et lápides elégit ex illa, et plantávit eam eléctam, et ædificávit turrim in médio ejus, et torcúlar exstrúxit in ea : et exspectávit ut fáceret uvas, et fecit labrúscas. Nunc ergo habitatóres Jerúsalem, et viri Juda, judicáte inter me, et víneam meam. Quid est quod débui ultra fácere víneæ meæ, et non feci ei? An quod exspectávi, ut fáceret uvas, et fecit labrúscas? Hæc dicit Dóminus.

Lectio iij.

ET nunc osténdam vobis quid ego fáciam víneæ meæ, áuferam sepem ejus, et erit in direptiónem : díruam macériam ejus, et erit in con-

culcatiónem. Et ponam eam desértam : non putábitur, et non fodiétur : et ascéndent vepres, et spinæ; et núbibus mandábo, ne pluant super eam imbrem. Vínea enim Dómini exercítuum domus Israel est : et vir Juda germen ejus delectábile : et exspectávi ut fáceret judícium, et ecce iníquitas : et justítiam, et ecce clamor. Hæc dicit Dóminus.

Ad Benedictus, Aña. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.

Ad Magnificat, Aña. Exspectábo Dóminum Salvatórem meum, et præstolábor eum, dum prope est, allelúia.

FERIA SEXTA.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 6.

IN anno, quo mórtuus est rex Ozías, vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum, et elevátum : et ea quæ sub ipso erant, replébant templum. Séraphim stabant super illud : sex alæ uni, et sex alæ álteri : duábus velábant fáciem ejus, et duábus velábant pedes ejus, et duábus volábant. Et clamábant alter ad álterum, et dicébant : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus exercítuum, plena est omnis terra glória ejus. Hæc dicit Dóminus.

℟. Ave María, de ij. Noct. Dom. præc.

Lectio ij.

ET commóta sunt superliminária cárdinum a voce clamántis, et domus repléta est fumo. Et dixi : Væ mihi, quia tácui, quia vir pollútus lábiis ego sum, et in médio pópuli pollúta lábia habéntis ego hábito, et Règem Dóminum exercítuum vidi óculis meis. Et volávit ad me unus de Séraphim, et in manu ejus cálculus, quem fórcipe túlerat de altári. Et tétigit os meum, et dixit : Ecce tétigit hoc lábia tua, et auferétur iníquitas tua, et peccátum tuum mundábitur. Hæc dicit Dóminus.

Lectio iij.

ET audívi vocem Dómini dicéntis : Quem mittam? et quis ibit nobis? Et dixi : Ecce ego, mitte me. Et dixit : Vade, et dices pópulo huic : Audíte audiéntes, et nolíte intellígere : et vidéte visiónem, et nolíte cognóscere. Excæca cor pópuli

hujus, et aures ejus ággrava, et óculos ejus claude : ne forte vídeat óculis suis, et áuribus suis áudiat, et corde suo intélligat, et convertátur, et sanem eum. Hæc dicit Dóminus.

Ad Benedictus, Aña. Ecce véniet Dóminus, et homo de domo David, sedére in throno, allelúia.

Ad Magnificat, Aña. Ex Ægypto vocávi Fílium meum : véniet, ut salvet pópulum suum.

SABBATO.
De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 11.

ET egrediétur virga de radíce Jesse, et flos de radíce ejus ascéndet. Et requiéscet super eum Spíritus Dómini; spíritus sapiéntiæ, et intelléctus, spíritus consílii, et fortitúdinis, spíritus sciéntiæ, et pietátis : et replébit eum spíritus timóris Dómini : non secúndum visiónem oculórum judicábit, neque secúndum audítum áurium árguet : sed judicábit in justítia páuperes, et árguet in æquitáte pro mansuétis terræ. Hæc dicit Dóminus.

℟. Ecce Virgo, de iij. Noct. Dom. præc.

Lectio ij.

ET percútiet terram virga oris sui, et spíritu labiórum suórum interfíciet ímpium. Et erit justítia cíngulum lumbórum ejus : et fides cinctórium renum ejus. Habitábit lupus cum agno, et pardus cum hædo accubábit ; vítulus et leo et ovis simul morabúntur, et puer párvulus minábit eos. Vítulus et ursus pascéntur : simul requiéscent cátuli eórum : et leo quasi bos cómedet páleas. Hæc dicit Dóminus.

Lectio iij.

ET delectábitur infans ab úbere super forámine áspidis : et in cavérna réguli, qui ablactátus fúerit, manum suam mittet. Non nocébunt, et non occídent in univérso monte sancto meo : quia repléta est terra sciéntia Dómini, sicut aquæ maris operiéntes. In die illa radix Jesse, qui stat in signum populórum, ipsum Gentes deprecabúntur, et erit sepúlcrum ejus gloriósum. Hæc dicit Dóminus.

Ad Benedictus, Aña. Sion noli timére, ecce Deus tuus véniet, allelúia.

AD VESPERAS.

Aña et Ps. de Offic. praec.

Capitulum. Jerem. 23.

Ecce dies véniunt, dicit Dóminus : et suscitábo David germen justum : et regnábit Rex, et sápiens erit : et fáciet judícium, et justítiam in terra.

℟. Rex noster advéniet Christus, * Quem Joánnes prædicávit Agnum esse ventúrum.

℣. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi. Quem.

Glória Patri. Quem.

Hymnus. Cónditor. 199.

℣. Roráte.

Ad Magnificat, Aña. Veni Dómine, et noli tardáre : reláxa facínora plebi tuæ.

Oratio. Excita Dómine, ut infra ad Laudes Dom. ij.

DOMINICA II. ADVENTUS.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Rex noster advéniet Christus, * Quem Joánnes prædicávit Agnum esse ventúrum.

Ps. Veníte. 2.

Hymn. Verbum supérnum. 200.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Consúrge.

Ps. Beátus vir, cum reliq. ut in Psalt. 4.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 14.

Prope est ut véniat tempus ejus, et dies ejus non elongabúntur. Miserébitur enim Dóminus Jacob, et éliget adhuc de Israel, et requiéscere eos fáciet super humum suam : adjungétur ádvena ad eos, et adhærébit dómui Jacob. Et tenébunt eos pópuli, et addúcent eos in locum suum : et possidébit eos domus Israel super terram Dómini in servos et ancíllas : et erunt capiéntes eos, qui se céperant, et subjícient exactóres suos. Hæc dicit Dóminus.

℟. Jerúsalem, cito véniet salus tua, quare mœróre consúmeris? numquid consiliárius non est tibi, quia innovávit te dolor? * Salvábo te, et liberábo te, noli timére.

℣. Israel si me audíeris, non erit in te deus recens, neque adorábis deum aliénum : ego enim Dóminus. Salvábo.

Lectio ij.

Et erit in die illa, cum réquiem déderit tibi Deus a labóre tuo, et a concussióne tua, et a servitúte dura, qua ante servísti : sumes parábolam

istam contra regem Babylónis, et dices : Quómodo cessávit exáctor, quiévit tribútum? Contrívit Dóminus báculum impiórum, virgam dominántium, cædéntem pópulos in indignatióne, plaga insanábili, subjiciéntem in furóre Gentes, persequéntem crudéliter. Conquiévit, et síluit omnis terra, gavísa est, et exsultávit : abíetes quoque lætátæ sunt super te, et cedri Líbani. Hæc dicit Dóminus.

℟. Ecce Dóminus véniet, et omnes sancti ejus cum eo : et erit in die illa lux magna : et exíbunt de Jerúsalem sicut aqua munda : * Et regnábit Dóminus in ætérnum super omnes Gentes.

℣. Ecce cum virtúte véniet : et regnum in manu ejus, et potéstas, et impérium. Et regnábit.

Lectio iij.

Ex quo dormísti, non ascéndet qui succídat nos. Inférnus subter conturbátus est in occúrsum advéntus tui, suscitávit tibi gigántes. Omnes príncipes terræ surrexérunt de sóliis suis, omnes príncipes natiónum. Univérsi respondébunt, et dicent tibi : Et tu vulnerátus es sicut et nos, nostri símilis efféctus es. Detrácta est ad ínferos supérbia tua, cóncidit cadáver tuum : subter te sternétur tínea, et operiméntum tuum erunt vermes. Hæc dicit Dóminus.

℟. Cívitas Jerúsalem noli flere : quóniam dóluit Dóminus super te, * Et áuferet a te omnem tribulatiónem.

℣. Ecce Dóminus in fortitúdine véniet : et bráchium ejus dominábitur. Et áuferet.

Glória Patri. Et.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Leva Jerúsalem.

Ps. Consérva. 12.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 2. de Temp.

Lectio iv.

Sanctam et desiderábilem, gloriósam ac singulárem solemnitátem, hoc est, Nativitátem Dómini Salvatóris, fratres dilectíssimi, devotióne fidelíssima susceptúri, totis víribus nos debémus cum ipsíus adjutório præparáre, et omnes látebras ánimæ nostræ diligénter adspícere : ne forte sit in nobis áliquod peccátum abscónditum, quod et consciéntiam nostram

confúndat ac mórdeat, et óculos divínæ Majestátis offéndat. Nam licet Christus Dóminus noster post passiónem resurréxerit, et in cœlum ascénderit; consíderat tamen, ut crédimus, et diligénter atténdit, quáliter se unusquísque servórum ejus sine avarítia, sine ira, sine supérbia, atque luxúria, ad celebrándam ejus Nativitátem stúdeat præparáre, atque compónere : et secúndum quod unumquémque ornátum bonis móribus víderit, ita illi grátiam suæ misericórdiæ dispensábit.

℟. Docébit nos Dóminus vias suas, et ambulábimus in sémitis ejus : * Quia de Sion exíbit lex, et verbum Dómini de Jerúsalem.

℣. Veníte, ascendámus ad montem Dómini, et ad domum Dei Jacob. Quia.

Lectio v.

Si enim víderit caritátis luce vestítum, justítiæ vel misericórdiæ margarítis ornátum, castum, húmilem, misericórdem, benígnum, et sóbrium : si talem agnóverit, corpus et sánguinem suum ei non ad judícium, sed ad remédium per sacerdótum suórum ministérium dispensábit. Si vero áliquem víderit adúlterum, ebriósum, cúpidum, et supérbum, tímeo, ne hoc illi dicátur, quod in Evangélio Dóminus ipse dixit : Amíce, quómodo huc intrásti non habens vestem nuptiálem? Et (quod Dóminus avértat) fiat illud, quod séquitur : Ligáte illi manus et pedes, et projícite in ténebras exterióres; ubi est fletus, et stridor déntium.

℟. Ecce véniet Dóminus protéctor noster, Sanctus Israel, * Corónam regni habens in cápite suo.

℣. Et dominábitur a mari usque ad mare, et a flúmine usque ad términos orbis terrárum. Corónam.

Lectio vj.

Ecce qualem senténtiam in die judícii excípiet, qui sine remédio pœniténtiæ ad festivitátem Dómini vitiórum sórdibus inquinátus accésserit. In Natáli enim Dómini, fratres dilectíssimi, quasi in núptiis spiritálibus sponsæ suæ Ecclésiæ Christus adjúnctus est. Tunc véritas de terra orta est, tunc justítia de cœlo prospéxit : tunc procéssit sponsus de thálamo suo,

hoc est, Verbum Dei de útero virgináli. Procéssit enim cum sponsa sua Ecclésia, id est humánam carnem suscépit. Ad istas ergo tam sanctas núptias invitáti, et ad convívium Patris, et Fílii, et Spíritus sancti intratúri, vidéte quálibus induméntis debeámus ornári. Et ídeo mundémus, quantum póssumus cum Dei adjutório, corda simul et córpora nostra; ut cœléstis ille invitátor nihil in nobis sórdidum, nihil fœdum, nihil obscúrum, nihil óculis suis deprehéndat indígnum.

℞. Sicut mater consolátur fílios suos, ita consolábor vos, dicit Dóminus : et de Jerúsalem civitáte, quam elégi, véniet vobis auxílium : * Et vidébitis, et gaudébit cor vestrum.

℣. Dabo in Sion salútem, et in Jerúsalem glóriam meam. Et vidébitis.

Glória Patri. Et vidébitis.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Consolámini.

Ps. Cœli enárrant. 17.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 21.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressúra Géntium. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homilia j. in Evangelia.

DOminus ac Redémptor noster parátos nos inveníre desíderans, senescéntem mundum quæ mala sequántur denúntiat, ut nos ab ejus amóre compéscat. Appropinquántem ejus términum quantæ percussiónes prævéniant, innotéscit, ut si Deum metúere in tranquillitáte nólumus, saltem vicínum ejus judícium vel percussiónibus attríti timeámus.

℞. Jerúsalem plantábis víneam in móntibus tuis, et exsultábis : quia dies Dómini véniet; surge Sion, convértere ad Deum tuum : gaude, et lætáre Jacob, * Quia de médio Géntium Salvátor tuus véniet.

℣. Exsúlta satis fília Sion : júbila fília Jerúsalem. Quia de.

Lectio viij.

HUic étenim lectióni sancti Evangélii, quam modo vestra fratérnitas audívit, paulo supérius Dóminus præmísit, dicens : Exsúrget Gens

contra Gentem, et regnum advérsus regnum : et erunt terræmótus magni per loca, pestiléntiæ et fames. Et quibúsdam interpósitis, hoc, quod modo audístis, adjúnxit : Erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressúra Géntium, præ confusióne sónitus maris, et flúctuum. Ex quibus profécto ómnibus ália jam facta cérnimus, ália in próximo ventúra formidámus.

℟. Egrediétur Dóminus de Samaría ad portam, quæ réspicit ad Oriéntem, et véniet in Béthlehem, ámbulans super aquas redemptiónis Judæ. *Tunc salvus erit omnis homo, quia ecce véniet.

℣. Et præparábitur in misericórdia sólium ejus : et sedébit super illud in veritáte. Tunc.

Lectio ix.

Nam Gentem contra Gentem exsúrgere, earúmque pressúram terris insístere, plus jam in nostris tempóribus cérnimus, quam in codícibus légimus. Quod terræmótus urbes innúmeras óbruat, ex áliis mundi pártibus scitis quam frequénter audívimus. Pestiléntias sine cessatióne pátimur. Signa vero in sole, et luna, et stellis adhuc apérte mínime vídimus. Sed quia et hæc non longe sint, ex ipsa jam áeris immutatióne collígimus.

℟. Rex noster advéniet Christus, * Quem Joánnes prædicávit Agnum esse ventúrum.

℣. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi. Quem Joánnes.

Glória Patri. Quem.

℟. Rex noster.

Sacerdotalis ℣. Emítte Agnum Dómine Dominatórem terræ. ℟. De Petra desérti ad montem fíliæ Sion.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

Ecce in núbibus cœli Dóminus véniet cum potestáte magna, allelúia.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Urbs fortitúdinis nostræ Sion, Salvátor ponétur in ea murus, et antemurále : aperíte portas : quia nobíscum Deus, allelúia.

Aña. Ecce apparébit Dóminus, et non mentiétur : si moram fécerit, exspécta eum, quia véniet, et non tardábit, allelúia.

Aña. Montes et colles

cantábunt coram Deo laudem : et ómnia ligna silvárum plaudent mánibus, quóniam véniet Dominátor Dóminus in regnum ætérnum, allelúia, allelúia.

Aña. Ecce Dóminus noster cum virtúte véniet, et illuminábit óculos servórum suórum, allelúia.

Capit. Ecce dies. 205.

Hymnus. Vox clara.

℣. Vox clamántis.

Ad Bened. Aña. Super sólium David, et super regnum ejus sedébit in ætérnum, allelúia.

Oratio.

Excita, Dómine, corda nostra ad præparándas Unigéniti tui vias : ut per ejus advéntum, purificátis tibi méntibus servíre mereámur. Qui tecum vivit.

Ad Horas, Capit. ℟℟. et ℣℣. ut in Psalt. pro tempore Adventus. Oratio. Excita Dómine, ut supra ad Laudes.

AD VESPERAS.

Aña. Ecce in núbibus. Ps. Dixit Dóminus, et reliqui de Dom. 159. cum hac sola.

Capit. Ecce dies. 199.

Hymnus. Cónditor.

℣. Roráte cœli.

Ad Magnif. Aña. Beáta es María, quæ credidísti : perficiéntur in te, quæ dicta sunt tibi a Dómino, allelúia.

FERIA SECUNDA.
De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 14.

Quómodo cecidísti de cœlo lúcifer, qui mane oriebáris? corruísti in terram, qui vulnerábas Gentes? qui dicébas in corde tuo : In cœlum conscéndam, super astra Dei exaltábo sólium meum, sedébo in monte testaménti, in latéribus Aquilónis. Ascéndam super altitúdinem núbium, símilis ero Altíssimo. Verúmtamen ad inférnum detrahéris in profúndum laci. Hæc dicit Dóminus.

℟. Jerúsalem, cito, de j. Noct. Dom. præced.

Lectio ij.

Jurávit Dóminus exercítuum, dicens : Si non, ut putávi, ita erit : et quómodo mente tractávi, sic evéniet : ut cónteram Assyrium in terra mea, et in móntibus meis concúlcem eum : et auferétur ab eis jugum ejus, et onus illíus ab húmero eórum tollétur. Hoc consílium,

quod cogitávi super omnem terram, et hæc est manus exténta super univérsas Gentes. Dóminus enim exercítuum decrévit : et quis póterit infirmáre? et manus ejus exténta : et quis avértet eam? Hæc dicit Dóminus.

Lectio iij.

NE lætéris Philisthæa omnis tu, quóniam comminúta est virga percussóris tui : de radíce enim cólubri egrediétur régulus, et semen ejus absórbens vólucrem. Et pascéntur primogéniti páuperum, et páuperes fiduciáliter requiéscent : et interíre fáciam in fame radícem tuam : et relíquias tuas interfíciam. Ulula porta, clama cívitas : prostráta est Philisthæa omnis : ab Aquilóne enim fumus véniet, et non est qui effúgiet agmen ejus. Et quid respondébitur núntiis Gentis? Quia Dóminus fundávit Sion, et in ipso sperábunt páuperes pópuli ejus. Hæc dicit Dóminus.

Ad Benedictus, Aña. De cœlo véniet Dóminus, et in manu ejus honor et impérium.

Ad Magnif. Aña. Ecce Rex véniet Dóminus terræ : et ipse áuferet jugum captivitátis nostræ.

FERIA TERTIA.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 16.



EMítte Agnum Dómine Dominatórem terræ, de Petra deférti ad montem fíliæ Sion. Et erit : Sicut avis fúgiens, et pulli de nido avolántes, sic erunt fíliæ Moab in transcénsu Arnon. Ini consílium, coge concílium : pone quasi noctem umbram tuam in merídie : abscónde fugiéntes, et vagos ne prodas. Habitábunt apud te prófugi mei : Moab esto latíbulum eórum a fácie vastatóris. Hæc dicit Dóminus.

℟. Docébit, de ij. Noct. Dom. præc.

Lectio ij.

FInítus est enim pulvis, consummátus est miser, defécit qui conculcábat terram. Et præparábitur in misericórdia sólium, et sedébit super illud in veritáte in tabernáculo David, júdicans, et quærens judícium, et velóciter reddens quod justum est. Audívimus supérbiam Moab, supérbus est valde : supérbia ejus,

et arrogántia ejus, et indignátio ejus plusquam fortitúdo ejus. Hæc dicit Dóminus.

Lectio iij.

Idcírco ululábit Moab ad Moab, univérsus ululábit : his qui lætántur super muros cocti láteris, loquímini plagas suas. Quóniam suburbána Hésebon desérta sunt, et víneam Sábama dómini Géntium excidérunt : flagélla ejus usque ad Jazer pervenérunt : erravérunt in desérto, propágines ejus relíctæ sunt, transiérunt mare. Hæc dicit Dóminus.

Ad Bened. Aña. Super te Jerúsalem oriétur Dóminus, et glória ejus in te vidébitur.

Ad Magnif. Aña. Vox clamántis in desérto : Paráte viam Dómini, rectas fácite sémitas Dei nostri.

FERIA QUARTA.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 19.



Onus Ægypti. Ecce Dóminus ascéndet super nubem levem, et ingrediétur Ægyptum, et commovebúntur simulácra Ægypti a fácie ejus, et cor Ægypti tabéscet in médio ejus. Et concúrrere fáciam Ægyptios advérsus Ægyptios : et pugnábit vir contra fratrem suum, et vir contra amícum suum, cívitas advérsus civitátem, regnum advérsus regnum. Hæc dicit Dóminus.

℟. Jerúsalem, plantábis, de iij. Noct. Dom. præc.

Lectio ij.

Et dirumpétur spíritus Ægypti in viscéribus ejus, et consílium ejus præcipitábo : et interrogábunt simulácra sua, et divínos suos, et pythónes, et aríolos. Et tradam Ægyptum in manu dominórum crudélium, et rex fortis dominábitur eórum, ait Dóminus Deus exercítuum. Et aréscet aqua de mari, et flúvius desolábitur, atque siccábitur. Et defícient flúmina : attenuabúntur, et siccabúntur rivi ággerum. Hæc dicit Dóminus.

Lectio iij.

Calamus, et juncus marcéscet : nudábitur álveus rivi a fonte suo, et omnis seméntis irrígua siccábitur, aréscet, et non erit. Et mœrébunt piscatóres, et lugébunt omnes mitténtes in flumen hamum, et expandéntes rete

super fáciem aquárum emarcéscent. Confundéntur qui operabántur linum, pecténtes, et texéntes subtília. Et erunt irrígua ejus flaccéntia; omnes, qui faciébant lacúnas ad capiéndos pisces. Hæc dicit Dóminus.

Ad Bened. Aña. Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparábit viam meam ante fáciem tuam.

Ad Magn. Aña. Sion renováberis, et vidébis justum tuum, qui ventúrus est in te.

FERIA QUINTA.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 19.

STulti príncipes Táneos, sapiéntes consiliárii Pharaónis dedérunt consílium insípiens : quómodo dicétis Pharaóni : Fílius sapiéntium ego, fílius regum antiquórum? Ubi nunc sunt sapiéntes tui? Annúntient tibi, et índicent, quid cogitáverit Dóminus exercítuum super Ægyptum. Stulti facti sunt príncipes Táneos, emarcuérunt príncipes Mémpheos, decepérunt Ægyptum, ángulum populórum ejus. Hæc dicit Dóminus.

℞. Jerúsalem, cito, de j. Noct. Dom. præc.

Lectio ij.

ET erit terra Juda Ægypto in pavórem : omnis, qui illíus fúerit recordátus, pavébit a fácie consílii Dómini exercítuum, quod ipse cogitávit super eam. In die illa erunt quinque civitátes in terra Ægypti loquéntes lingua Chánaan, et jurántes per Dóminum exercítuum : Cívitas solis vocábitur una. In die illa erit altáre Dómini in médio terræ Ægypti, et títulus Dómini juxta términum ejus erit in signum, et in testimónium Dómino exercítuum in terra Ægypti. Hæc dicit Dóminus.

Lectio iij.

CLamábunt enim ad Dóminum a fácie tribulántis, et mittet eis salvatórem, et propugnatórem, qui líberet eos. Et cognoscétur Dóminus ab Ægypto, et cognóscent Ægyptii Dóminum in die illa, et colent eum in hóstiis, et in munéribus : et vota vovébunt Dómino, et solvent. Et percútiet Dóminus Ægyptum plaga, et sanábit eam, et reverténtur ad Dóminum, et placábitur eis, et sanábit eos. Hæc dicit Dóminus.

Ad Benedictus, Aña. Tu es qui ventúrus es Dómine, quem exspectámus, ut salvum fácias pópulum tuum.

Ad Magnif. Aña. Qui post me véniet, ante me factus est : cujus non sum dignus calceaménta sólvere.

FERIA SEXTA.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 24.


ECce Dóminus dissipábit terram, et nudábit eam, et afflíget fáciem ejus, et dispérget habitatóres ejus. Et erit sicut pópulus, sic sacérdos : et sicut servus, sic dóminus ejus : sicut ancílla, sic dómina ejus : sicut emens, sic ille, qui vendit : sicut fœnerátor, sic is qui mútuum áccipit : sicut qui répetit, sic qui debet. Dissipatióne dissipábitur terra, et direptióne prædábitur. Hæc dicit Dóminus.

℟. Docébit, de ij. Noct. Dom. præc.

Lectio ij.

LUxit, et deflúxit terra, et infirmáta est : deflúxit orbis, infirmáta est altitúdo pópuli terræ. Et terra inféċta est ab habitatóribus suis : quia transgréssi sunt leges, mutavérunt jus, dissipavérunt fœdus sempitérnum. Propter hoc maledíctio vorábit terram, et peccábunt habitatóres ejus : ideóque insánient cultóres ejus, et relinquéntur hómines pauci. Hæc dicit Dóminus.

Lectio iij.

LUxit vindémia, infirmáta est vitis, ingemuérunt omnes qui lætabántur corde. Cessávit gáudium tympanórum, quiévit sónitus lætántium, contícuit dulcédo cítharæ. Cum cántico non bibent vinum : amára erit pótio bibéntibus illam. Attríta est cívitas vanitátis, clausa est omnis domus nullo introeúnte. Clamor erit super vino in platéis : desérta est omnis lætítia : translátum est gáudium terræ. Relícta est in urbe solitúdo, et calámitas ópprimet portas. Quia hæc erunt in médio terræ in médio populórum : quómodo si paucæ olívæ, quæ remansérunt, excutiántur ex óleа, et racémi, cum fúerit finíta vindémia. Hi levábunt vocem suam, atque laudábunt : cum glorificátus fúerit Dóminus, hínnient de mari. Propter hoc in doctrínis glorificáte Dóminum : in ínsulis maris nomen Dómini Dei

Israel. A fínibus terræ laudes audívimus, glóriam justi. Hæc dicit Dóminus.

Ad Bened. Aña. Dícite : pusillánimes, confortámini, ecce Deus véniet.

Ad Magnif. Aña. Cantáte Dómino cánticum novum : laus ejus ab extrémis terræ.

SABBATO.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 25.

DOmine, Deus meus es tu, exaltábo te, et confitébor nómini tuo : quóniam fecísti mirabília, cogitatiónes antíquas, fidéles, amen. Quia posuísti civitátem in túmulum, urbem fortem in ruínam, domum alienórum : ut non sit cívitas, et in sempitérnum non ædificétur. Super hoc laudábit te pópulus fortis, cívitas Géntium robustárum timébit te. Quia factus es fortitúdo páuperi, fortitúdo egéno in tribulatióne sua : spes a túrbine, umbráculum ab æstu. Hæc dicit Dóminus.

℟. Jerúsalem, de iij. Noct. Dom. præc.

Lectio ij.

SPíritus enim robustórum quasi turbo impéllens paríetem. Sicut æstus in siti, tumúltum alienórum humiliábis : et quasi calóre sub nube torrénte propáginem fórtium marcéscere fácies. Et fáciet Dóminus exercítuum ómnibus pópulis in monte hoc convívium pínguium, convívium vindémiæ, pínguium medullatórum, vindémiæ defæcátæ. Et præcipitábit in monte isto fáciem vínculi colligáti super omnes pópulos, et telam quam ordítus est super omnes natiónes. Hæc dicit Dóminus.

Lectio iij.

PRæcipitábit mortem in sempitérnum : et áuferet Dóminus Deus lácrymam ab omni fácie, et oppróbrium pópuli sui áuferet de univérsa terra : quia Dóminus locútus est. Et dicet in die illa : Ecce Deus noster iste, exspectávimus eum, et salvábit nos : iste Dóminus, sustinúimus eum, exsultábimus, et lætábimur in salutári ejus. Quia requiéscet manus Dómini in monte isto : et triturábitur Moab sub eo, sícuti terúntur páleæ in plaustro. Et exténdet manus suas sub eo, sícuti exténdit natans ad natándum : et humiliábit glóriam ejus

cum allisióne mánuum ejus. Et muniménta sublímium murórum tuórum cóncident, et humiliabúntur, et detrahéntur in terram usque ad púlverem. Hæc dicit Dóminus.

Ad Bened. Aña. Levábit Dóminus signum in natiónibus, et congregábit dispérsos Israel.

AD VESPERAS.

Añæ et Ps. de Officio præcedenti.

Capitulum. Jerem. 23.



ECce dies véniunt, dicit Dóminus : et suscitábo David germen justum : et regnábit Rex, et sápiens erit : et fáciet judícium, et justítiam in terra.

℟. Ecce radix Jesse ascéndet in salútem populórum, ipsum Gentes deprecabúntur : * Et erit nomen ejus gloriósum in sæcula.

℣. Dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus : et regnábit in domo Jacob in ætérnum. Et erit.

Glória Patri. Et erit.

Hymnus. Cónditor. 199.

℣. Roráte.

Ad Magnif. Aña. Ante me non est formátus Deus, et post me non erit : quia mihi curvábitur omne genu, et confitébitur omnis lingua.

Oratio. Aurem tuam, ut infra ad Laudes Dom. iij.

DOMINICA III.
ADVENTUS.
AD MATUTINUM.

Invitat. Súrgite, vigilémus, veníte, adorémus : * Quia nescítis horam quando véniet Dóminus.

Ps. Veníte. 2.

Hymnus. Verbum supérnum. 200.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Consúrge.

Ps. Beátus vir. 4.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 26.



IN die illa cantábitur cánticum istud in terra Juda : Urbs fortitúdinis nostræ Sion Salvátor, ponétur in ea murus et antemurále. Aperíte portas, et ingrediátur Gens justa, custódiens veritátem. Vetus error ábiit : servábis pacem : pacem, quia in te sperávimus. Sperástis in Dómino in sæculis ætérnis, in Dómino Deo forti in perpétuum. Quia incurvábit habitántes in excélso, civitátem sublímem humiliábit. Humiliábit eam usque ad terram, détrahet eam usque ad púl-

verem. Conculcábit eam pes, pedes páuperis, gressus egenórum. Hæc dicit Dóminus.

℟. Ecce apparébit Dóminus super nubem cándidam, et cum eo sanctórum míllia : habens in vestiménto, et in fémore suo scriptum : * Rex regum, et Dóminus dominántium.

℣. Apparébit in finem, et non mentiétur : si moram fécerit, exspécta eum, quia véniens véniet. Rex regum.

Lectio ij.

SEmita justi recta est, rectus callis justi ad ambulándum. Et in sémita judiciórum tuórum Dómine sustinúimus te : nomen tuum et memoriále tuum in desidério ánimæ. Anima mea desiderávit te in nocte : sed et spíritu meo in præcórdiis meis de mane vigilábo ad te. Cum féceris judícia tua in terra, justítiam discent habitatóres orbis. Misereámur ímpio, et non discet justítiam : in terra sanctórum iníqua gessit, et non vidébit glóriam Dómini. Hæc dicit Dóminus.

℟. Béthlehem cívitas Dei summi, ex te éxiet Dominátor Israel : et egréssus ejus sicut a princípio diérum æternitátis, et magnificábitur in médio univérsæ terræ : * Et pax erit in terra nostra, dum vénerit.

℣. Loquétur pacem in Géntibus, et potéstas ejus a mari usque ad mare. Et pax.

Lectio iij.

DOmine exaltétur manus tua, et non vídeant : vídeant, et confundántur zelántes pópuli : et ignis hostes tuos dévoret. Dómine dabis pacem nobis : ómnia enim ópera nostra operátus es nobis. Dómine Deus noster, possedérunt nos dómini absque te, tantum in te recordémur nóminis tui. Moriéntes non vivant, gigántes non resúrgant : proptérea visitásti, et contrivísti eos, et perdidísti omnem memóriam eórum. Hæc dicit Dóminus.

℟. Qui ventúrus est, véniet, et non tardábit : jam non erit timor in fínibus nostris : * Quóniam ipse est Salvátor noster.

℣. Depónet omnes iniquitátes nostras : et projíciet in profúndum maris ómnia peccáta nostra. Quóniam.

Glória Patri. Quóniam.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Leva Jerúsalem.

Ps. Consérva. 12.

Sermo sancti Leónis Papæ.

Serm. 2. de jejunio x. Mensis, et de collect. ejusd.

Lectio iv.

Quod témporis rátio, et devotiónis nostræ ádmonet consuetúdo, pastoráli vobis, dilectíssimi, sollicitúdine prædicámus, décimi mensis celebrándum esse jejúnium, quo pro consummáta perceptióne ómnium frúctuum, digníssime largitóri eórum Deo, continéntiæ libámen offértur. Quid enim potest efficácius esse jejúnio? cujus observántia, appropinquámus Deo, et resisténtes diábolo, vítia blanda superámus.

℟. Súscipe verbum Virgo María, quod tibi a Dómino per Angelum transmíssum est : concípies, et páries Deum páriter et hóminem : * Ut benedícta dicáris inter omnes mulíeres.

℣. Páries quidem fílium, et virginitátis non patiéris detriméntum; efficiéris grávida, et eris mater semper intácta. Ut benedícta.

Lectio v.

Semper enim virtúti cibus jejúnium fuit. De abstinéntia dénique pródeunt castæ cogitatiónes, rationábiles voluntátes, salubrióra consília : et per voluntárias afflictiónes caro concupiscéntiis móritur, virtútibus spíritus innovátur. Sed quia non solo jejúnio animárum nostrárum salus acquíritur; jejúnium nostrum misericórdiis páuperum suppleámus. Impendámus virtúti quod subtráhimus voluptáti. Fiat reféctio páuperis, abstinéntia jejunántis.

℟. Ægypte noli flere : quia Dominátor tuus véniet tibi, ante cujus conspéctum movebúntur abyssi, * Liberáre pópulum suum de manu poténtium.

℣. Ecce véniet Dóminus exercítuum, Deus tuus in potestáte magna. Liberáre.

Lectio vj.

Studeámus viduárum defensióni, pupillórum utilitáti, lugéntium consolatióni, dissidéntium paci. Suscipiátur peregrínus, adjuvétur oppréssus, vestiátur nudus, foveátur ægrótus : ut quicúmque

nostrum de justis labóribus auctóri bonórum ómnium Deo sacrifícium hujus pietátis obtúlerit, ab eódem regni cœléstis præmium percípere mereátur. Quarta ígitur, et sexta Féria jejunémus : Sábbato autem apud beátum Petrum Apóstolum páriter vigilémus, cujus suffragántibus méritis, quæ póscimus, impetráre possímus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre, et sancto Spíritu vivit, et regnat in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Prope est, ut véniat tempus ejus, et dies ejus non elongabúntur : * Miserébitur enim Dóminus Jacob, et Israel salvábitur.

℣. Qui ventúrus est, véniet, et non tardábit : jam non erit timor in fínibus nostris. Miserébitur.

Glória Patri. Miserébitur.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Consolámini.

Ps. Cœli enárrant. 17.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo témpore : Cum audísset Joánnes in vínculis ópera Christi, mittens duos de discípulis suis, ait illi : Tu es qui ventúrus es, an álium exspectámus? Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homilia 6. in Evang.

HIsis tot signis, tantísque virtútibus, non scandalizári quisque pótuit, sed admirári. Sed infidélium mens grave in illo scándalum pértulit, cum eum post tot mirácula moriéntem vidit. Unde et Paulus dicit : Nos autem prædicámus Christum crucifíxum, Judæis quidem scándalum, Géntibus autem stultítiam. Stultum quippe homínibus visum est; ut pro homínibus auctor vitæ morerétur : et inde contra eum homo scándalum sumpsit, unde ei ámplius débitor fíeri débuit. Nam tanto Deus ab homínibus dígnius honorándus est, quanto pro homínibus et indígna suscépit.

℟. Descéndet Dóminus sicut plúvia in vellus : * Oriétur in diébus ejus justítia, et abundántia pacis.

℣. Et adorábunt eum omnes reges, omnes Gentes sérvient ei. Oriétur.

Lectio viij.

QUid est ergo dícere, Beátus qui non fúerit scandalizátus in me?

nisi apérta voce abjectiónem mortis suæ, humilitatémque signáre? ac si paténter dicat : Mira quidem fácio, sed abjécta pérpeti non dedígnor : quia ergo moriéndo te súbsequor, cavéndum valde est homínibus, ne in me mortem despíciant, qui signa venerántur.

℟. Veni Dómine, et noli tardáre : reláxa facínora plebi tuæ, * Et révoca dispérsos in terram suam.

℣. Excita Dómine poténtiam tuam, et veni, ut salvos fácias nos. Et révoca.

Lectio ix.

SEd dimíssis Joánnis discípulis, quid de eódem Joánne turbis dicat, audiámus : Quid exístis in desértum vidére? Arúndinem vento agitátam? Quod vidélicet non asseréndo, sed negándo íntulit. Arúndinem quippe mox ut aura contígerit, in partem álteram infléctit. Et quid per arúndinem, nisi carnális ánimus designátur, qui mox ut favóre vel detractióne tángitur, statim in partem quámlibet inclinátur?

℟. Ecce radix Jesse adscéndet in salútem populórum : ipsum Gentes deprecabúntur : * Et erit nomen ejus gloriósum in sæcula.

℣. Dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus, et regnábit in domo Jacob in ætérnum. Et.

Glória Patri. Et.

℟. Ecce radix.

Sacerdotalis ℣. Emítte Agnum Dómine Dominatórem terræ. ℟. De Petra desérti ad montem fíliæ Sion.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

VEniet Dóminus, et non tardábit, et illuminábit abscóndita tenebrárum, et manifestábit se ad omnes Gentes, allelúia.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Jerúsalem gaude gáudio magno, quia véniet tibi Salvátor, allelúia.

Aña. Dabo in Sion salútem, et in Jerúsalem glóriam meam, allelúia.

Aña. Montes, et omnes colles humiliabúntur : et erunt prava in dirécta, et áspera in vias planas : veni Dómine, et noli tardáre, allelúia.

Aña. Juste, et pie vivámus exspectántes beátam spem, et advéntum Dómini.

Capit. **Ecce dies. 205.**
Hymnus. **Vox clara.**
℣. **Vox clamántis.**
Ad Benedictus, Aña. **Joánnes autem cum audísset in vínculis ópera Christi, mittens duos de discípulis suis, ait illi : Tu es, qui ventúrus es, an álium exspectámus?**

Oratio.

Aurem tuam, quæsumus Dómine, précibus nostris accómmoda : et mentis nostræ ténebras grátia tuæ visitatiónis illústra. Qui vivis et regnas.

Ad Horas Capitul. ℟℟. et ℣℣. ut in Psalterio pro tempore Adventus.

AD VESPERAS.

Aña. **Véniet Dóminus.**
Ps. **Dixit Dóminus,** et reliqui de Dominica, **159.** cum hac sola.
Capit. **Ecce dies. 199.**
Hymnus. **Cónditor.**
℣. **Roráte.**
Ad Magnificat, Aña. **Ite, dícite Joánni : Cæci vident, surdi áudiunt, claudi ámbulant, leprósi mundántur.**

Nisi dicenda sit Aña. **O Sapiéntia.**

SEQUENTES

Antiphonæ ad Laudes et per Horas dicuntur in sex Feriis ante Vigiliam Nativit. quando fit de Feria incipiendo die xvij. Decembris ab Antiphonis, quæ Feriæ illius diei assignantur : scilicet si dies, in quo fuerint inchoandæ, sit Feria sexta, dicantur quæ in Feria vj. ponuntur : si Feria quinta, dicantur quæ in Feria v. notatæ sunt, et sic de aliis. Quod si dies decimaseptima fuerit Dominica, inchoentur sequenti Feria ij. Quæ autem dicendæ essent in die, in quo occurrit Festum S. Thomæ, illo anno omittantur.

FERIA SECUNDA

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

Ecce véniet Dóminus, princeps regum terræ : beáti, qui paráti sunt occúrrere illi.

Ps. **Miserére mei Deus. 42.**
Aña. **Cum vénerit Fílius hóminis, putas invéniet fidem super terram?**
Ps. **Verba mea. 43.**
Aña. **Ecce jam venit plenitúdo témporis, in quo misit Deus Fílium suum in terras.**
Ps. **Deus Deus meus. 22.**
Aña. **Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris.**
Cant. **Confitébor. 44.**

Aña. Egrediétur Dóminus de loco sancto suo : véniet, ut salvet pópulum suum.

Ps. Laudáte Dóminum. 24.

FERIA TERTIA
AD LAUDES
et per Horas, Aña.

Roráte cœli désuper, et nubes pluant justum : aperiátur terra, et gérminet Salvatórem.

Ps. Miserére mei. 42.

Aña. Emítte Agnum Dómine Dominatórem terræ, de Petra desérti ad montem fíliæ Sion.

Ps. Júdica me. 58.

Aña. Ut cognoscámus Dómine in terra viam tuam, in ómnibus Géntibus salutáre tuum.

Ps. Deus Deus meus. 22.

Aña. Da mercédem Dómine sustinéntibus te, ut Prophétæ tui fidéles inveniántur.

Cant. Ego dixi. 59.

Aña. Lex per Móysen data est : grátia et véritas per Jesum Christum facta est.

Ps. Laudáte. 24.

FERIA QUARTA
AD LAUDES
et per Horas, Aña.

Prophétæ prædicavérunt nasci Salvatórem de Vírgine María.

Ps. Miserére. 42.

Aña. Spíritus Dómini super me, evangelizáre paupéribus misit me.

Ps. Te decet. 71.

Aña. Propter Sion non tacébo, donec egrediátur ut splendor justus ejus.

Ps. Deus Deus meus. 22.

Aña. Ecce véniet Dóminus, ut sédeat cum princípibus, et sólium glóriæ téneat.

Cant. Exsultávit cor. 72.

Aña. Annuntiáte pópulis, et dícite : Ecce Deus Salvátor noster véniet.

Ps. Laudáte. 24.

FERIA QUINTA
AD LAUDES
et per Horas, Aña.

De Sion véniet Dóminus omnípotens, ut salvum fáciat pópulum suum.

Ps. Miserére. 42.

Aña. Convértere Dómine aliquántulum, et ne tardes veníre ad servos tuos.

Ps. Dómine refúgium. 89.

Aña. De Sion véniet, qui regnatúrus est Dóminus, Emmánuel magnum nomen ejus.

Ps. Deus Deus meus. 22.

Aña. Ecce Deus meus, et honorábo eum : Deus patris mei, et exaltábo eum.

Cant. Cantémus Dómino. 90.

Aña. Dóminus légifer noster, Dóminus Rex noster, ipse véniet, et salvábit nos.

Ps. Laudáte. 24.

FERIA SEXTA
AD LAUDES
et per Horas, Aña.

Constántes estóte, vidébitis auxílium Dómini super vos.

Ps. Miserére. 42.

Aña. Ad te Dómine levávi ánimam meam : veni, et éripe me, Dómine ad te confúgi.

Ps. Dómine exáudi. 103.

Aña. Veni Dómine, et noli tardáre : reláxa facínora plebi tuæ Israel.

Ps. Deus Deus meus. 22.

Aña. Deus a Líbano véniet, et splendor ejus sicut lumen erit.

Cant. Dómine audívi. 104.

Aña. Ego autem ad Dóminum adspíciam, et exspectábo Deum Salvatórem meum.

Ps. Laudáte. 24.

SABBATO
AD LAUDES
et per Horas, Aña.

Intuémini quantus sit gloriósus iste, qui ingréditur ad salvándos pópulos.

Ps. Miserére mei. 42.

Aña. Vigiláte ánimo : in próximo est Dóminus Deus noster.

Ps. Bonum est. 108.

Aña. Parátus esto Israel in occúrsum Dómini : quóniam venit.

Ps. Deus Deus meus. 22.

Aña. Exspectétur sicut plúvia elóquium Dómini, et descéndet sicut ros super nos Deus noster.

Cant. Audíte cœli. 123.

Aña. Ecce ancílla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum.

Ps. Laudáte. 24.

SEQUENTES

Antiphonæ principales ad Magnificat inchoantur die xvij. Decembris, et dicuntur per ordinem usque ad diem ante Vigiliam Nativitatis Domini. Quo tempore in Vesperis non fiunt genuflexiones, nec Preces, nec commem. communes dicuntur. Si vero Festum fuerit, dicuntur pro commemor. Adventus.

Hæc autem Aña. O Sapiéntia. bis integra dicitur, scilicet ante Magnificat, et post, sive Dominica fuerit, sive non.

Aña. Dec. 17.

O Sapiéntia, quæ ex ore Altíssimi prodiísti, attíngens a fine usque ad finem fórtiter, suavitérque

dispónens ómnia : veni ad docéndum nos viam prudéntiæ. 18.

Aña. O Adónai, et Dux domus Israel, qui Móysi in igne flammæ rubi apparuísti, et ei in Sina legem dedísti : veni ad rediméndum nos in bráchio exténto. 19.

Aña. O Radix Jesse, qui stas in signum populórum, super quem continébunt reges os suum, quem Gentes deprecabúntur : veni ad liberándum nos, jam noli tardáre. 20.

Aña. O Clavis David, et sceptrum domus Israel, qui áperis, et nemo claudit; claudis, et nemo áperit : veni, et educ vinctum de domo cárceris, sedéntem in ténebris, et umbra mortis. 21.

Aña. O Oriens splendor lucis ætérnæ, et Sol justítiæ : veni, et illúmina sedéntes in ténebris, et umbra mortis. 22.

Aña. O Rex Géntium, et desiderátus eárum, lapísque anguláris, qui facis útraque unum : veni, et salva hóminem, quem de limo formásti. 23.

Aña. O Emmánuel, Rex et légifer noster, exspectátio Géntium, et Salvátor eárum : veni ad salvándum nos, Dómine Deus noster.

FERIA SECUNDA.
De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 28.


Æ corónæ supérbiæ ébriis Ephraim, et flori decidénti, glóriæ exsultatiónis ejus, qui erant in vértice vallis pinguíssimæ, erræntes a vino. Ecce válidus et fortis Dóminus sicut ímpetus grándinis : turbo confríngens, sicut ímpetus aquárum multárum inundántium, et emissárum super terram spatiósam. Pédibus conculcábitur coróna supérbiæ ebriórum Ephraim. Hæc dicit Dóminus.

℟. Ecce apparébit, de j. Noct. Dom. præc.

Lectio ij.

Et erit flos décidens glóriæ exsultatiónis ejus, qui est super vérticem vallis pínguium, quasi temporáneum ante maturitátem autúmni : quod cum adspéxerit videns, statim ut manu tenúerit, devorábit illud. In die illa erit Dóminus exercítuum coróna glóriæ, et sertum exsultatiónis resíduo pópuli sui : et spíritus judí-

cii sedénti super judícium, et fortitúdo reverténtibus de bello ad portam. Verum hi quoque præ vino nesciérunt, et præ ebrietáte erravérunt : sacérdos, et prophéta nesciérunt præ ebrietáte, absórpti sunt a vino. Hæc dicit Dóminus.

Lectio iij.

IDcírco hæc dicit Dóminus Deus : Ecce ego mittam in fundaméntis Sion lápidem, lápidem probátum, angulárem, pretiósum, in fundaménto fundátum. Qui credíderit, non festínet. Et ponam in póndere judícium, et justítiam in mensúra : et subvértet grando spem mendácii : et protectiónem aquæ inundábunt. Et delébitur fœdus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inférno non stabit : flagéllum inúndans cum transíerit, éritis ei in conculcatiónem. Hæc dicit Dóminus.

Ad Benedictus, Aña. Egrediétur virga de radíce Jesse, et replébitur omnis terra glória Dómini : et vidébit omnis caro salutáre Dei.

Ad Magnificat, Aña. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus.

Nisi dicenda sit Aña O.

FERIA TERTIA.
De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 30.

EXspéctat Dóminus, ut misereátur vestri : et ídeo exaltábitur parcens vobis : quia Deus judícii Dóminus : beáti omnes qui exspéctant eum. Pópulus enim Sion habitábit in Jerúsalem : plorans nequáquam plorábis, míserans miserébitur tui : ad vocem clamóris tui statim ut audíerit, respondébit tibi. Et dabit vobis Dóminus panem arctum, et aquam brevem : et non fáciet avoláre a te ultra doctórem tuum : et erunt óculi tui vidéntes præceptórem tuum. Hæc dicit Dóminus. ℟. Súscipe, de ij. Noct. Dom. præc.

Lectio ij.

EGrédere, dices ei : Et dábitur plúvia sémini tuo, ubicúmque semináveris in terra : et panis frugum terræ erit ubérrimus et pinguis. Pascétur in possessióne tua in die illo agnus spatióse : et tauri tui, et pulli asinórum, qui operántur ter-

ram, commístum migma cómedent sicut in área ventilátum est. Et erunt super omnem montem excélsum, et super omnem collem elevátum, rivi curréntium aquárum in die interfectiónis multórum, cum cecíderint turres. Hæc dicit Dóminus.

Lectio iij.

ET erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis erit septemplíciter sicut lux septem diérum, in die qua alligáverit Dóminus vulnus pópuli sui, et percussúram plagæ ejus sanáverit. Ecce nomen Dómini venit de longínquo, ardens furor ejus, et gravis ad portándum : lábia ejus repléta sunt indignatióne, et lingua ejus quasi ignis dévorans. Spíritus ejus velut torrens inúndans usque ad médium colli, ad perdéndas Gentes in níhilum, et frænum erróris, quod erat in maxíllis populórum. Hæc dicit Dóminus.

Ad Benedictus, Aña. Tu Béthlehem terra Juda, nequáquam mínima es in princípibus Juda : ex te enim éxiet Dux, qui regat pópulum meum Israel.

Ad Magnif. Aña. Elevare, elevare, consúrge Jerúsalem : solve víncula colli tui, captíva fília Sion. Nisi dicenda sit Aña. O.

FERIA QUARTA
Quatuor Temporum.

Hac die ad Matut. et Horas non dicitur Officium parvum B. Virginis. Item in Laudibus genuflexiones, Preces, et commemorationes communes omittuntur : in aliis autem Horis genuflexiones fiunt, et Preces dicuntur.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Prope est jam Dóminus, * Veníte, adorémus. Hoc Invitatorium dicatur diebus Ferialibus usque ad Vigiliam Nativitatis Domini.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio j. Cap. 1.

IN illo témpore : Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 2. in Luc. initio.

Atent quidem divína mystéria : nec fácile, juxta prophéticum dictum, quis-

quam hóminum scire potest consílium Dei : sed tamen ex céteris factis, atque præcéptis Dómini Salvatóris póssumus intellígere et hoc propensióris fuísse consílii, quod ea potíssimum elécta est, ut Dóminum páreret, quæ erat desponsáta viro. Cur autem non ántequam desponsarétur, impléta est? Fortásse ne dicerétur, quod concéperat ex adultério.

℞. Clama in fortitúdine, qui annúntias pacem in Jerúsalem : * Dic civitátibus Judæ, et habitatóribus Sion : Ecce Deus noster, quem exspectabámus, advéniet.

℣. Super montem excélsum ascénde tu, qui evangelízas Sion : exálta in fortitúdine vocem tuam. Dic.

Lectio ij.

ET ingréssus ad eam Angelus. Disce vírginem móribus, disce vírginem verecúndia, disce oráculo, disce mystério. Trepidáre vírginum est, et ad omnes viri ingréssus pavére, omnes viri affátus veréri. Discant mulíeres propósitum pudóris imitári. Sola in penetrálibus, quam nemo virórum víderit, solus Angelus repérerit : sola sine cómite, sola sine teste, ne quo degénere depravarétur affátu, ab Angelo salutátur.

℞. Oriétur stella ex Jacob, et exsúrget homo de Israel, et confrínget omnes duces alienigenárum : * Et erit omnis terra posséssio ejus.

℣. Et adorábunt eum omnes reges terræ : omnes Gentes sérvient ei. Et.

Lectio iij.

TAnti namque mandáti mystérium non hóminis fuit, sed Angeli ore proméndum. Hódie primum audítur : Spíritus sanctus supervéniet in te. Et audítur, et créditur. Dénique : Ecce, inquit, ancílla Dómini, contíngat mihi secúndum verbum tuum. Vide humilitátem, vide devotiónem. Ancíllam se dicit Dómini, quæ Mater elígitur, nec repentíno exaltáta promísso est.

℞. Modo véniet Dominátor Dóminus, * Et nomen ejus Emmánuel vocábitur.

℣. Oriétur in diébus ejus justítia, et abundántia pacis. Et nomen.

Glória Patri. Et nomen.

℞. Modo véniet.

Sacerdotalis ℣. Emítte Agnum.

Ad Benedictus, Aña. Missus est Angelus Gábriel ad Maríam Vírginem desponsátam Joseph.

Oratio.

Hestína, quæsumus Dómine, ne tardáveris; et auxílium nobis supérnæ virtútis impénde : ut advéntus tui consolatiónibus sublevéntur, qui in tua pietáte confídunt. Qui vivis et regnas.

Ad Horas, Oratio Dominicalis.

Ad Magnificat, Aña. Ecce ancílla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum.

Nisi dicenda sit Aña. O. Oratio Dominicalis.

FERIA QUINTA.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 33.

Væ qui prædáris, nonne et ipse prædáberis? et qui spernis, nonne et ipse spernéris? Cum consummáveris deprædatiónem, deprædáberis, cum fatigátus desíeris contémnere, contemnéris. Dómine miserére nostri : te enim exspectávimus : esto bráchium nostrum in mane, et salus nostra in témpore tribulatiónis. Hæc dicit Dóminus.

℟. Ecce apparébit, de j. Noct. Dom. præced.

Lectio ij.

A voce Angeli fugérunt pópuli, et ab exaltatióne tua dispérsæ sunt Gentes. Et congregabúntur spólia vestra, sicut collígitur bruchus, velut cum fossæ plenæ fúerint de eo. Magnificátus est Dóminus, quóniam habitávit in excélso : implévit Sion judício, et justítia. Et erit fides in tempóribus tuis : divítiæ salútis, sapiéntia, et sciéntia : timor Dómini ipse est thesáurus ejus. Hæc dicit Dóminus.

Lectio iij.

Contérriti sunt in Sion peccatóres, possédit tremor hypócritas. Quis póterit habitáre de vobis cum igne devoránte? Quis habitábit ex vobis cum ardóribus sempitérnis? Qui ámbulat in justítiis, et lóquitur veritátem, qui prójicit avarítiam ex calúmnia, et éxcutit manus suas ab omni múnere, qui obtúrat aures suas, ne áudiat sánguinem, et claudit óculos suos, ne vídeat malum; iste in excélsis habitábit, muniménta saxórum sublímitas ejus : panis ei datus est, aquæ ejus fidéles sunt. Regem in decóre suo vidébunt óculi ejus,

cernent terram de longe. Hæc dicit Dóminus.

Ad Benedictus, Aña. Béthlehem non es mínima in princípibus Juda : ex te enim éxiet Dux, qui regat pópulum meum Israël : ipse enim salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum.

Ad Magnificat, Aña. Lætámini cum Jerúsalem, et exsultáte in ea omnes qui dilígitis eam, in ætérnum. Nisi dicenda fuerit Aña. O.

FERIA SEXTA

Quatuor Temporum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio j. Cap. 1.

In illo tempore : Exsúrgens María ábiit in montána cum festinatióne, in civitátem Juda. Et intrávit in domum Zacharíæ, et salutávit Elísabeth. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 2. in Lucam, cap. 1.

Moràle est ómnibus, ut qui fidem éxigunt, fidem ádstruant. Et ídeo Angelus, cum abscóndita nuntiáret, ut fidem adstrúeret exémplo, senióris féminæ sterilísque concéptum Vírgini Maríæ nuntiávit : ut possíbile Deo omne, quod ei placúerit, asséreret. Ubi audívit hoc María, non quasi incrédula de oráculo, nec quasi incérta de núntio, nec quasi dúbitans de exémplo, sed quasi læta pro voto, religiósa pro offício, et festína pro gáudio in montána perréxit. Quo enim jam Deo plena, nisi ad superióra cum festinatióne conténderet? Nescit tarda molímina Spíritus sancti grátia.

℟. Egrediétur Dóminus, et præliábitur contra Gentes : * Et stabunt pedes ejus super montem Olivárum ad Oriéntem.

℣. Elevábitur super omnes colles, et fluent ad eum omnes Gentes. Et stabunt.

Lectio ij.

Díscite et vos sanctæ mulíeres sedulitátem, quam prægnántibus debeátis exhibére cognátis. Maríam, quæ ante sola in íntimis penetrálibus versabátur, non a público virginitátis pudor, non ab stúdio aspéritas móntium, non ab offício prolíxitas itíneris retardávit. In montána Virgo

cum festinatióne, Virgo offícii memor, injúriæ ímmemor, afféctu urgénte, non sexu, relícta perréxit domo. Díscite vírgines, non circumcursáre per aliénas ædes, non demorári in platéis, non áliquos in público miscére sermónes. María in domo sera, festína in público, mansit apud cognátam suam tribus ménsibus.

℟. Præcúrsor pro nobis ingréditur Agnus sine mácula, secúndum órdinem Melchísedech : * Póntifex factus est in ætérnum, et in sæculum sæculi.

℣. Ipse est Rex justítiæ, cujus generátio non habet finem. Póntifex.

Lectio iij.

Didicístis vírgines pudórem Maríæ, díscite humilitátem. Venit propínqua ad próximam, júnior ad seniórem : nec solum venit, sed étiam prior salutávit. Decet enim, ut quanto cástior virgo, tanto humílior sit. Nóverit deférre senióribus : sit magístra humilitátis, in qua est proféssio castitátis. Est et causa pietátis, est étiam norma doctrínæ. Contuéndum est enim, quia supérior venit ad inferiórem, ut inférior adjuvétur: María ad Elísabeth, Christus ad Joánnem.

℟. Vidébunt Gentes justum tuum, et cuncti reges ínclytum tuum : * Et vocábitur tibi nomen novum, quod os Dómini nominávit.

℣. Et eris coróna glóriæ in manu Dómini, et diadéma regni in manu Dei tui. Et vocábitur.

Glória Patri. Et.

℟. Vidébunt.

Sacerdotalis ℣. **Emítte Agnum.**

Ad Benedíctus, Aña. **Ex quo facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, exsultávit in gáudio infans in útero meo, allelúia.**

Oratio.

Excita, quæsumus Dómine, poténtiam tuam, et veni : ut hi, qui in tua pietáte confídunt, ab omni cítius adversitáte liberéntur. Qui vivis.

Ad Horas, Oratio Dominicalis.

Ad Magnif. Aña. **Hoc est testimónium, quod perhíbuit Joánnes : Qui post me venit, ante me factus est.**

Nisi dicenda sit Antiphona. O.

Oratio Dominicalis.

SABBATO

Quatuor Temporum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio j. Cap. 3.

ANno quintodécimo impérii Tibérii Cæsaris, procuránte Póntio Piláto Judæam. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homilia 20. in Evangelia.

REdemptóris nostri Præcúrsor quo témpore prædicatiónis offícium accéperit, memoráto Románæ reipúblicæ príncipe, et Judææ régibus, designátur. Quia enim illum prædicáre veniébat, qui et ex Judæa quosdam, et multos ex Géntibus redemptúrus erat : per regem Géntium, et príncipes Judæórum, prædicatiónis ejus témpora designántur. Quia autem Gentílitas colligénda erat, et Judæa pro culpa perfídiæ dispergénda, ipsa quoque descríptio terréni principátus osténdit : quóniam et in Romána república unus præfuísse descríbitur, et in Judææ regno per quartam partem plúrimi principabántur.

℟. Emítte Agnum Dómine Dominatórem terræ, * De Petra desérti ad montem fíliæ Sion.

℣. Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam, et salutáre tuum da nobis. De Petra.

Lectio ij.

VOce étenim Redemptóris nostri dícitur : Omne regnum in seípsum divísum desolábitur. Liquet ergo, quod ad finem regni Judæa pervénerat, quæ tot régibus divísa subjacébat. Apte quoque non solum quibus régibus, sed quibus étiam sacerdótibus actum sit, demonstrátur : et quia illum Joánnes Baptísta prædicáret, qui simul Rex et Sacérdos exsísteret, Lucas Evangelísta prædicatiónis ejus témpora, per regnum, et sacerdótium designávit.

℟. Germinavérunt campi erémi germen odóris Israel : quia ecce Deus noster cum virtúte véniet : * Et splendor ejus cum eo.

℣. Ecce Dominátor Dóminus cum virtúte véniet. Et splendor.

Lectio iij.

ET venit in omnem regiónem Jordánis, prædicans baptísmum pœ-

niténtiæ, in remissiónem peccatórum. Cunctis legéntibus liquet, quia Joánnes non solum baptísmum pœniténtiæ prædicávit, verum étiam quibúsdam dedit; sed tamen baptísmum suum in remissiónem peccatórum dare non pótuit. Remíssio étenim peccatórum in solo nobis baptísmo Christi tribúitur. Notándum ítaque quod dícitur : Prædicans baptísmum pœniténtiæ in remissiónem peccatórum; quóniam baptísmum, quod peccáta sólveret, quia dare non póterat, prædicábat, ut sicut incarnátum Verbum Patris præcurrébat verbo prædicatiónis, ita baptísmum pœniténtiæ, quo peccáta solvúntur, præcúrreret suo baptísmate, quo peccáta solvi non possunt.

℟. Radix Jesse, qui exsúrget judicáre Gentes, in eum Gentes sperábunt : * Et erit nomen ejus gloriósum.

℣. Ex Sion spécies decóris ejus : Deus noster maniféste véniet. Et erit.

Glória Patri. Et erit.

℟. Radix Jesse.

Sacerdotalis ℣. Emítte.

Ad Bened. Aña. Omnis vallis implébitur, et omnis mons et collis humiliábitur : et vidébit omnis caro salutáre Dei.

Oratio.

Deus, qui cónspicis, quia ex nostra pravitáte affligimur : concéde propítius; ut ex tua visitatióne consolémur. Qui vivis et regnas.

Ad Horas, Oratio Dominicalis.

AD VESPERAS.

Añæ et Psalmi de Offic. præced.

Capitulum. Jerem. 23.

Ecce dies véniunt, dicit Dóminus : et suscitábo David germen justum : et regnábit Rex, et sápiens erit : et fáciet judícium, et justítiam in terra.

℟. Nascétur nobis párvulus, et vocábitur Deus, Fortis. Ipse sedébit super thronum David patris sui, et imperábit : * Cujus potéstas super húmerum ejus.

℣. Multiplicábitur ejus impérium, et pacis non erit finis. Cujus.

Glória Patri. Cujus.

Hymnus. Cónditor. 199.

℣. Roráte.

Ad Magnif. Aña. O.

Oratio. Excita, ut infra ad Laudes Dom. iv.

DOMINICA IV.
ADVENTUS.
AD MATUTINUM.

Invitat. nisi fuerit Vigilia Nativ. Ecce jam venit plenitúdo témporis, in quo misit Deus Fílium suum, natum de Vírgine, factum sub lege : * Veníte, adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus. 2.

Hymnus. Verbum supérnum. 200.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Consúrge.

Ps. Beátus vir, cum reliquis. 4.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 35.

LÆtábitur desérta et ínvia, et exsultábit solitúdo, et florébit quasi lílium. Gérminans germinábit, et exsultábit lætabúnda, et laudans; glória Líbani data est ei : decor Carméli et Saron, ipsi vidébunt glóriam Dómini, et decórem Dei nostri. Confortáte manus dissolútas, et génua debília roboráte. Dícite pusillánimis : Confortámini, et nolíte timére : ecce Deus vester ultiónem addúcet retributiónis : Deus ipse véniet, et salvábit vos. Tunc aperiéntur óculi cæcórum, et aures surdórum patébunt. Tunc sáliet sicut cervus claudus, et apérta erit lingua mutórum : quia scissæ sunt in desérto aquæ, et torréntes in solitúdine. Et quæ erat árida, erit in stagnum, et sítiens in fontes aquárum. Hæc dicit Dóminus.

℞. Cánite tuba in Sion, vocáte Gentes, annuntiáte pópulis, et dícite : * Ecce Deus Salvátor noster advéniet.

℣. Annuntiáte in fínibus terræ : et ínsulis, quæ procul sunt, dícite. Ecce Deus.

Lectio ij.

IN cubílibus, in quibus prius dracónes habitábant, oriétur viror cálami et junci. Et erit ibi sémita et via, et via sancta vocábitur : non transíbit per eam pollútus, et hæc erit vobis dirécta via, ita ut stulti non errent per eam. Non erit ibi leo, et mala béstia non ascéndet per eam, nec inveniétur ibi : et ambulábunt, qui liberáti fúerint. Et redémpti a Dómino converténtur, et vénient in Sion cum laude : et lætítia sempitérna super caput eórum : gáudium et lætítiam obtinébunt, et fúgiet dolor et gémitus. Hæc dicit Dóminus.

℟. Octáva décima die décimi mensis jejunábitis, dicit Dóminus : et mittam vobis Salvatórem, et propugnatórem pro vobis, qui vos præcédat : * Et introdúcam in terram, quam jurávi pátribus vestris.

℣. Ego sum Dóminus Deus vester, qui edúxi vos de terra Ægypti. Et introdúcam.

Lectio iii. Cap. 41

TAceant ad me ínsulæ, et Gentes mutent fortitúdinem; accédant, et tunc loquántur, simul ad judícium propinquémus. Quis suscitávit ab Oriénte justum, vocávit eum ut sequerétur se? Dabit in conspéctu ejus Gentes, et reges obtinébit : dabit quasi púlverem gládio ejus, sicut stípulam vento raptam árcui ejus. Persequétur eos, transíbit in pace, sémita in pédibus ejus non apparébit. Quis hæc operátus est, et fecit, vocans generatiónes ab exórdio? Hæc dicit Dóminus.

℟. Non auferétur sceptrum de Juda, et dux de fémore ejus, donec véniat, qui mitténdus est : * Et ipse erit exspectátio Géntium.

℣. Pulchrióres sunt óculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidiórès. Et ipse. Glória Patri. Et ipse.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Ant. Leva Jerúsalem.

Ps. Consérva. 12.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Sermo de Tempore.

Lectio iv.

APpropinquánte jam sacratíssima solemnitáte, qua Salvátor noster inter hómines nasci misericórditer vóluit, fratres caríssimi, atténtius consideráte, quáliter opórteat nos in advéntu tantæ poténtiæ præparári : ut Regem, et Dóminum nostrum, læti atque gaudéntes, cum glória, et láudibus mereámur suscípere, et in conspéctu ejus inter cœtus felíces Sanctórum gratulándo exsultáre magis, quam ab eo propter fœditátem nostram repúlsi, inter peccatóres ætérnam confusiónem meréri.

℟. Me opórtet mínui, illum autem créscere : * Qui post me venit, ante me factus est : cujus non sum dignus corrígiam calceaménti sólvere.

℣. Hoc est testimónium, quod perhíbuit Joánnes, dicens. Qui post.

Lectio v.

Ut licet nos omni témpore bonis opéribus ornátos ac spléndidos esse convéniat, præcípue tamen in die Natális Dómini, sicut in Evangélio ipse dixit, lucére debent homínibus ópera vestra. Consideráte quæso, fratres, quando áliquis homo potens, aut nóbilis natálem aut suum, aut fílii sui celebráre desíderat, quanto stúdio ante plures dies quidquid in domo sua sórdidum invénerit, órdinat emundári : quidquid inéptum, et incóngruum prójici, quidquid útile, et necessárium præcipit exhibéri. Domus étiam si obscúra fúerit, dealbátur : paviménta scopis mundántur, et divérsis respérsa flóribus adornántur. Quidquid étiam ad lætítiam ánimi, et córporis delícias pértinet, omni sollicitúdine providétur.

℟. Ecce jam venit plenitúdo témporis, in quo misit Deus Fílium suum in terris, natum de Vírgine, factum sub lege : * Ut eos, qui sub lege erant, redímeret.

℣. Propter nímiam caritátem suam, qua diléxit nos Deus, Fílium suum misit in similitúdinem carnis peccáti. Ut.

Lectio vi.

Ut quid ista, fratres caríssimi, nisi ut dies natalítius cum gáudio celebrétur hóminis moritúri? Si ergo tanta præparas in natalítio tuo, aut fílii tui, quanta et quália præparáre debes susceptúrus natálem Dómini tui? Si tália præparas moritúro, quália præparáre debes ætérno? Quidquid ergo non vis inveníri in domo tua, quantum potes labóra, ut non invéniat Deus in ánima tua.

℟. Virgo Israel revértere ad civitátes tuas, úsquequo dolens avertéris? * Generábis Dóminum Salvatórem, oblatiónem novam in terra : ambulábunt hómines in salvatiónem.

℣. In caritáte perpétua diléxi te : ídeo attráxi te, míserans tui. Generábis. Glória Patri. Generábis.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Consolámini.

Ps. Cœli enárrant. 17.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. Cap. I.

In illo témpore : Misérunt Judæi ab Jerosólymis Sacerdótes et Leví-

tas ad Joánnem, ut interrogárent eum : Tu quis es? Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homilia 7. in Evangelia.

X hujus nobis lectiónis verbis, fratres caríssimi, Joánnis humílitas commendátur : qui cum tantæ virtútis esset, ut Christus credi potuísset, elégit sólide subsístere in se, ne humána opinióne raperétur inániter super se. Nam conféssus est, et non negávit : et conféssus est, quia non sum ego Christus. Sed qui dixit : Non sum, negávit plane quod non erat : sed non negávit quod erat : ut veritátem loquens, ejus membrum fíeret, cujus sibi nomen falláciter non usurpáret. Cum ergo non vult appétere nomen Christi, factus est membrum Christi : quia dum infirmitátem suam stúduit humíliter agnóscere, illíus celsitúdinem méruit veráciter obtinére.

℟. Jurávi, dicit Dóminus, ut ultra jam non iráscar super terram : montes enim et colles suscípient justítiam meam : * Et testaméntum pacis erit in Jerúsalem.

℣. Juxta est salus mea, ut véniat : et justítia mea, ut revelétur. Et testaméntum.

Lectio viij.

SEd cum ex lectióne ália, Redemptóris nostri senténtia ad mentem redúcitur, ex hujus lectiónis verbis nobis quæstio valde impléxa generátur. Alio quippe in loco inquisítus a discípulis Dóminus de Elíæ advéntu respóndit : Elías jam venit, et non cognovérunt eum, sed fecérunt in eum quæcúmque voluérunt : et, si vultis scire, Joánnes ipse est Elías. Requisítus autem Joánnes dicit : Non sum Elías. Quid est hoc, fratres caríssimi, quia quod Véritas affírmat, hoc Prophéta veritátis negat? Valde namque inter se divérsa sunt, Ipse est; et Non sum. Quómodo ergo Prophéta veritátis est, si ejúsdem Veritátis sermónibus concors non est?

℟. Non discédimus a te, vivificábis nos Dómine : et nomen tuum invocábimus : * Osténde nobis fáciem tuam, et salvi érimus.

℣. Dómine virtútum convérte nos. Osténde nobis.

Lectio ix.

SEd si subtíliter véritas ipsa requirátur, hoc quod inter se contrárium sonat, quómodo contrárium non sit, invenítur. Ad Zacharíam namque de Joánne Angelus dicit : Ipse præcédet ante illum in spíritu, et virtúte Elíæ. Qui idcírco ventúrus in spíritu, et virtúte Elíæ dícitur; quia sicut Elías secúndum Dómini advéntum prævéniet, ita Joánnes prævénit primum : Sicut ille præcúrsor ventúrus est Júdicis, ita iste factus est præcúrsor Redemptóris. Joánnes ígitur in spíritu Elías erat, in persóna Elías non erat. Quod ergo Dóminus fatétur de spíritu, hoc Joánnes dénegat de persóna.

℟. Nascétur nobis párvulus, et vocábitur Deus, Fortis. Ipse sedébit super thronum David patris sui, et imperábit : * Cujus potéstas super húmerum ejus.

℣. Multiplicábitur ejus impérium, et pacis non erit finis. Cujus.

Glória Patri. Cujus.

℟. Nascétur.

Sacerdotalis ℣. Emítte Agnum Dómine Dominatórem terræ.

℟. De Petra desérti ad montem fíliæ Sion.

AD LAUDES

et per Horas. Aña.

CAnite tuba in Sion, quia prope est dies Dómini : ecce véniet ad salvándum nos, allelúia, allelúia.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Ecce véniet desiderátus cunctis Géntibus, et replébitur glória domus Dómini, allelúia.

Aña. Erunt prava in di-récta, et áspera in vias planas : veni Dómine, et noli tardáre, allelúia.

Aña. Dóminus véniet, occúrrite illi dicéntes : Magnum princípium, et regni ejus non erit finis : Deus, Fortis, Dominátor, Princeps pacis, allelúia, allelúia.

Aña. Omnípotens sermo tuus Dómine, a regálibus sédibus véniet, allelúia.

Capit. Ecce dies. 205.

Hymnus. Vox clara.

℣. Vox clamántis.

Ad Bened. Aña. Quómodo fiet istud, Angele Dei, quia virum in concipiéndo non pértuli? Audi María Virgo : Spíritus sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi.

Quando Dominica iv. Adventus celebratur die 21. Decembris, prædicta Aña. **Quómodo fiet istud,** omittitur, et loco ejus dicitur Aña. **Nolíte timére; quinta enim die véniet ad vos Dóminus Deus noster.**

Oratio.

Excita, quæsumus Dómine, poténtiam tuam, et veni; et magna nobis virtúte succúrre : ut per auxílium grátiæ tuæ, quod nostra peccáta præpédiunt, indulgéntia tuæ propitiatiónis accéleret. Qui vivis.

Ad Horas Capit. ℞℞. et ℣℣. ut in Psalterio pro tempore Adventus.

AD VESPERAS.

Aña. **Cánite tuba.**

Ps. **Dixit Dóminus,** et reliqui de Dominica. **159.** cum hac sola.

Capit. **Ecce dies. 199.**

Hymnus. **Cónditor.**

℣. **Roráte cœli.**

Ad Magnif. Aña. **O.**

FERIA SECUNDA.
De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 41.



T tu Israel serve meus, Jacob quem elégi, semen Abraham amíci mei : in quo apprehéndi te ab extrémis terræ, et a longínquis ejus vocávi te, et dixi tibi : Servus meus es tu, elégi te, et non abjéci te. Ne tímeas, quia ego tecum sum : ne declínes, quia ego Deus tuus : confortávi te, et auxiliátus sum tibi, et suscépit te déxtera justi mei. Hæc dicit Dóminus.

℟. **Cánite,** de j. Noct. Dominicæ præcedentis.

Lectio ij.

Ecce confundéntur, et erubéscent omnes, qui pugnant advérsum te : erunt quasi non sint, et períbunt viri, qui contradícunt tibi. Quæres eos, et non invénies, viros rebélles tuos : erunt quasi non sint, et véluti consúmptio hómines belllántes advérsum te. Quia ego Dóminus Deus tuus apprehéndens manum tuam, dicénsque tibi : Ne tímeas, ego adjúvi te. Hæc dicit Dóminus.

Lectio iij.

Noli timére vermis Jacob, qui mórtui estis ex Israel : ego auxiliátus sum tibi, dicit Dóminus, et redémptor tuus Sanctus Israel. Ego pósui te quasi plaustrum tritúrans novum, habens rostra serrántia : triturábis montes, et commínues : et colles quasi púlverem pones. Ventilábis eos, et ventus

tollet, et turbo dispérget eos : et tu exsultábis in Dómino, in Sancto Israel lætáberis. Hæc dicit Dóminus.

Ad Benedictus, Aña. Dicit Dóminus : Pœniténtiam ágite : appropinquávit enim regnum cœlórum, allelúia.

Ad Magnificat, Aña. O.

FERIA TERTIA.
De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 42.


Cce servus meus, suscípiam eum : eléctus meus, complácuit sibi in illo ánima mea : dedi spíritum meum super eum, judícium Géntibus próferet. Non clamábit, neque accípiet persónam, nec audiétur vox ejus foris. Cálamum quassátum non cónteret, et linum fúmigans non exstínguet : in veritáte edúcet judícium. Non erit tristis, neque turbuléntus, donec ponat in terra judícium : et legem ejus ínsulæ exspectábunt. Hæc dicit Dóminus. ℟. Me opórtet, de ij. Noct. Dom. præc.

Lectio ij.

HÆc dicit Dóminus Deus creans cœlos, et exténdens eos : firmans terram, et quæ gérminant ex ea : dans flatum pópulo, qui est super eam, et spíritum calcántibus eam. Ego Dóminus vocávi te in justítia, et apprehéndi manum tuam, et servávi te. Et dedi te in fœdus pópuli, in lucem Géntium : ut aperíres óculos cæcórum, et edúceres de conclusióne vinctum, de domo cárceris sedéntes in ténebris. Hæc dicit Dóminus.

Lectio iij.

CAntáte Dómino cánticum novum, laus ejus ab extrémis terræ : qui descénditis in mare, et plenitúdo ejus ; ínsulæ, et habitatóres eárum. Sublevétur desértum, et civitátes ejus : in dómibus habitábit Cedar : laudáte habitatóres Petræ, de vértice móntium clamábunt. Ponent Dómino glóriam, et laudem ejus in ínsulis nuntiábunt. Dóminus sicut fortis egrediétur, sicut vir præliátor suscitábit zelum : vociferábitur, et clamábit : super inimícos suos confortábitur. Hæc dicit Dóminus.

Ad Benedictus, Aña. Consúrge, consúrge : indúere fortitúdinem bráchium Dómini.

Ad Magnificat, Aña. O.

FERIA QUARTA.
De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 51.

AUdíte me, qui sequímini quod justum est, et quæritis Dóminum : atténdite ad petram unde excísi estis, et ad cavérnam laci, de qua præcísi estis. Atténdite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram quæ péperit vos : quia unum vocávi eum, et benedíxi ei, et multiplicávi eum. Consolábitur ergo Dóminus Sion, et consolábitur omnes ruínas ejus : et ponet desértum ejus quasi delícias, et solitúdinem ejus quasi hortum Dómini. Gáudium et lætítia inveniétur in ea, gratiárum áctio, et vox laudis. Hæc dicit Dóminus.

℟. Jurávi, de iij. Noct. Dominicæ præcedentis.

Lectio ij.

ATténdite ad me pópule meus, et tribus mea me audíte, quia lex a me éxiet, et judícium meum in lucem populórum requiéscet. Prope est justus meus, egréssus est Salvátor meus, et bráchia mea pópulos judicábunt : me ínsulæ exspectábunt, et bráchium meum sustinébunt. Leváte in cœlum óculos vestros, et vidéte sub terra deórsum : quia cœli sicut fumus liquéscent, et terra sicut vestiméntum atterétur, et habitatóres ejus sicut hæc interíbunt : salus autem mea in sempitérnum erit, et justítia mea non defíciet. Hæc dicit Dóminus.

Lectio iij.

AUdíte me qui scitis justum, pópulus meus, lex mea in corde eórum : nolíte timére oppróbrium hóminum, et blasphémias eórum ne metuátis. Sicut enim vestiméntum, sic cómedet eos vermis : et sicut lanam, sic devorábit eos tínea : salus autem mea in sempitérnum erit, et justítia mea in generatiónes generatiónum. Hæc dicit Dóminus.

Ad Benedictus, Aña. Ponam in Sion salútem, et in Jerúsalem glóriam meam, allelúia.

Ad Magnificat, Aña. O.

FERIA QUINTA.
De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 64.

UTinam dirúmperes cœlos, et descénderes : a fácie tua montes deflúerent. Sicut exústio ignis tabé-

scerent, aquæ ardérent igni, ut notum fíeret nomen tuum inimícis tuis : a fácie tua Gentes turbaréntur. Cum féceris mirabília, non sustinébimus : descendísti, et a fácie tua montes defluxérunt. A sæculo non audiérunt, neque áuribus percepérunt : óculus non vidit, Deus absque te, quæ præparásti exspectántibus te. Hæc dicit Dóminus. ℟. Cánite tuba, de j. Noct. Dom. præc.

Lectio ij.

Occurrísti lætánti, et faciénti justítiam : in viis tuis recordabúntur tui : ecce tu irátus es, et peccávimus : in ipsis fúimus semper, et salvábimur. Et facti sumus ut immúndus omnes nos, et quasi pannus menstruátæ univérsæ justítiæ nostræ : et cecídimus quasi fólium univérsi, et iniquitátes nostræ quasi ventus abstulérunt nos. Non est qui ínvocet nomen tuum : qui consúrgat, et téneat te : abscondísti fáciem tuam a nobis, et allisísti nos in manu iniquitátis nostræ. Hæc dicit Dóminus.

Lectio iij.

Et nunc Dómine, Pater noster es tu, nos vero lutum : et fictor noster tu, et ópera mánuum tuárum omnes nos. Ne irascáris Dómine satis, et nè ultra memíneris iniquitátis nostræ : ecce réspice, pópulus tuus omnes nos. Cívitas Sancti tui facta est desérta, Sion desérta facta est, Jerúsalem desoláta est. Domus sanctificatiónis nostræ, et glóriæ nostræ, ubi laudavérunt te patres nostri, facta est in exustiónem ignis, et ómnia desiderabília nostra versa sunt in ruínas. Hæc dicit Dóminus.

Ad Bened. Aña. Consolámini, consolámini pópule meus, dicit Deus vester.

Ad Magnificat, Aña. O.

FERIA SEXTA.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 66.

Audíte verbum Dómini, qui trémitis ad verbum ejus : dixérunt fratres vestri odiéntes vos, et abjiciéntes propter nomen meum : glorificétur Dóminus, et vidébimus in lætítia vestra : ipsi autem confundéntur. Vox pópuli de civitáte, vox de templo, vox Dómini reddéntis retributiónem inimícis suis. Antequam parturíret, péperit : ántequam veníret

partus ejus, péperit másculum. Quis audívit umquam tale? et quis vidit huic símile? Numquid partúriet terra in die una? aut pariétur gens simul, quia parturívit, et péperit Sion fílios suos? Hæc dicit Dóminus. ℟. Me opórtet, de ij. Noct. Dom. præc.

Lectio ij.

Numquid ego, qui álios párere fácio, ipse non páriam, dicit Dóminus? Si ego, qui generatiónem céteris tríbuo, stérilis ero, ait Dóminus Deus tuus? Lætámini cum Jerúsalem, et exsultáte in ea omnes, qui dilígitis eam; gaudéte cum ea gáudio univérsi, qui lugétis super eam, ut sugátis, et repleámini ab úbere consolatiónis ejus : ut mulgeátis, et delíciis affluátis ab omnímoda glória ejus. Quia hæc dicit Dóminus : Ecce ego declinábo super eam, quasi flúvium pacis, et quasi torréntem inundántem glóriam Géntium, quam sugétis : ad úbera portabímini, et super génua blandiéntur vobis. Hæc dicit Dóminus.

Lectio iij.

Quómodo si cui mater blandiátur, ita ego consolábor vos, et in Jerúsalem consolabímini. Vidébitis, et gaudébit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinábunt, et cognoscétur manus Dómini servis ejus, et indignábitur inimícis suis. Quia ecce Dóminus in igne véniet, et quasi turbo quadrígæ ejus : réddere in indignatióne furórem suum, et increpatiónem suam in flamma ignis : quia in igne Dóminus dijudicábit, et in gládio suo ad omnem carnem, et multiplicabúntur interfécti a Dómino. Hæc dicit Dóminus.

Ad Benedictus, Aña. Dies Dómini sicut fur ita in nocte véniet : et vos estóte paráti, quia qua hora non putátis, Fílius hóminis véniet.

Ad Magnificat, Aña. O Emmánuel.

DIE XXIV. DECEMB.

In Vigilia Nativitatis Domini, quando extra Dominicam venerit, hoc modo fiat.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Hódie sciétis, quia véniet Dóminus; * Et mane vidébitis glóriam ejus.

Ps. Veníte. 2.

Hymnus. D. Gregorii.

Verbum supérnum pródiens,
A Patre olim éxiens,
Qui natus orbi súbvenis
Cursu declívi témporis.

Illúmina nunc péctora,
Tuóque amóre cóncrema :
Audíto ut præcónio
Sint pulsa tandem lúbrica.

Judéxque cum post ádveris,
Rimári facta péctoris,
Reddens vicem pro ábditis,
Justísque regnum pro bonis.

Non demum arctémur malis
Pro qualitáte críminis,
Sed cum beátis cómpotes,
Simus perénnes cœlibes.

Laus, honor, virtus, glória
Deo Patri, et Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sæculórum sæcula.
Amen.

Añæ et Ps. de Feria occurrente.

℣. Hódie sciétis, quia véniet Dóminus. ℟. Et mane vidébitis glóriam ejus.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio i. Cap. 1.

Cum esset desponsáta Mater Jesu María Joseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu sancto. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 1. Comment. in c. 1. Matth.

Quare non de símplici vírgine, sed de desponsáta concípitur? Primum, ut per generatiónem Joseph orígo Maríæ monstrarétur : secúndo, ne lapidarétur a Judæis ut adúltera : tértio, ut in Ægyptum fúgiens habéret solátium. Martyr Ignátius étiam quartam áddidit causam, cur a desponsáta concéptus sit : Ut partus, ínquiens, ejus celarétur diábolo, dum eum putat non de vírgine, sed de uxóre generátum.

℟. Sanctificámini hódie, et estóte paráti, quia die crástina vidébitis, * Majestátem Dei in vobis.

℣. Hódie sciétis, quia véniet Dóminus, et mane vidébitis. Majestátem.

Lectio ij.

Antequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu sancto. Non ab álio invénta est, nisi a Joseph, qui pene licéntia maritáli futúræ uxóris ómnia nó-

verat. Quod autem dícitur : Antequam convenírent, non séquitur, ut póstea convénerint : sed Scriptúra, quod factum non sit, osténdit.

℟. Constántes estóte, vidébitis auxílium Dómini super vos : Judæa et Jerúsalem nolíte timére : * Cras egrediémini, et Dóminus erit vobíscum.

℣. Vos qui in púlvere estis, expergiscímini, et laudáte : ecce Dóminus véniet cum salúte. Cras egrediémini.

Lectio iij.

Joseph autem vir ejus, cum esset justus, et nollet eam tradúcere, vóluit occúlte dimíttere eam. Si quis fornicáriæ conjúngitur, unum corpus effícitur : et in lege præcéptum est, non solum reos, sed et cónscios críminum obnóxios esse peccáti. Quómodo Joseph, cum crimen celáret uxóris, justus scríbitur? Sed hoc testimónium Maríæ est, quod Joseph sciens illíus castitátem, et admírans quod evénerat, celat siléntio, cujus mystérium nesciébat.

℟. Sanctificámini fílii Israel, dicit Dóminus : die enim crástina descéndet Dóminus, * Et áuferet a vobis omnem languórem.

℣. Crástina die delébitur iníquitas terræ, et regnábit super nos Salvátor mundi. Et áuferet.

Glória Patri. Et áuferet.

℟. Sanctificámini.

Deinceps usque ad Nonam inclusive fit Officium sicut in Festo Duplici minori.

Sacerdotalis ℣. **Crástina die erit vobis salus.** ℟. **Dicit Dóminus exercítuum, allelúia.**

Ab hac die usque ad Oct. Epiph. Responsoria Horarum et Responsiones omnium Versiculorum, tam de Officio, quam de commemorationibus dicuntur cum **Allelúia** : idque de quocumque fiat Officium.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

Judæa, et Jerúsalem nolíte timére : cras egrediémini, et Dóminus erit vobíscum, allelúia.

Ps. **Dóminus regnávit,** cum reliquis. **21.**

Aña. **Hódie sciétis, quia véniet Dóminus : et mane vidébitis glóriam ejus.**

Aña. **Crástina die delébitur iníquitas terræ : et**

regnábit super nos Salvátor mundi.

Aña. Crástina die erit vobis salus : dicit Dóminus exercítuum.

Aña. Leváte cápita vestra : ecce appropínquat redémptio vestra.

Capitulum. Isaiæ 40.

SUper montem excélsum ascénde tu, qui evangelízas Sion : exálta in fortitúdine vocem tuam, qui evangelízas Jerúsalem.

Hymnus. D. Ambrosii.

VOx clara ecce íntonat,
Obscúra quæque íncrepat :
Pellántur éminus sómnia :
Ab æthere Christus prómicat.

Mens jam resúrgat tórpida,
Quæ sorde exstat sáucia :
Sidus refúlget jam novum,
Ut tollat omne nóxium.

E sursum Agnus míttitur
Laxáre gratis débitum :
Omnes pro indulgéntia
Vocem demus cum lácrymis :

Secúndo ut cum fúlserit,
Mundúmque horror cínxerit,
Non pro reátu púniat,
Sed nos pius tunc prótegat.

Laus, honor, virtus, glória
Deo Patri, et Fílio,
Sancto simul Paráclito
In sæculórum sæcula.
Amen.

℣. Crástina die delébitur iníquitas terræ. ℟. Et regnábit super nos Salvátor mundi, allelúia.

Ad Benedictus. Aña. Cum esset desponsáta mater Jesu María Joseph, ántequam convenírent, invénta est habens in útero : quod in ea natum est, de Spíritu sancto est.

Oratio.

DEus, qui nos redemptiónis nostræ ánnua exspectatióne lætíficas : præsta, ut Unigénitum tuum, quem Redemptórem læti suscípimus, veniéntem quoque júdicem secúri videámus, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum vivit.

Hæc Oratio dicitur ad Horas.

AD PRIMAM.

℟. Jesu Christe Fili Dei vivi, miserére nobis, * Allelúia, allelúia.

℣. Qui ventúrus es in mundum. Allelúia, allelúia.

AD TERTIAM.

Capitulum. Isaiæ 40.

SUper montem excélsum ascénde tu, qui evangelízas Sion : exálta in fortitúdine vocem tuam, qui evangelízas Jerúsalem.

℞. Crástina die delébitur iníquitas terræ, * Allelúia, allelúia. Crástina.

℣. Et regnábit super nos Salvátor mundi. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Crástina.

℣. Crástina die erit vobis salus.

℞. Dicit Dóminus exercítuum, allelúia.

AD SEXTAM.

Capitulum. Isaiæ 62.

PRopter Sion non tacébo, et propter Jerúsalem non quiéscam, donec egrediátur ut splendor justus ejus, et Salvátor ejus ut lampas accendátur.

℞. Crástina die erit vobis salus, * Allelúia, allelúia. Crástina.

℣. Dicit Dóminus exercítuum. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Crástina.

℣. Hódie sciétis, quia véniet Dóminus.

℞. Et mane vidébitis glóriam ejus, allelúia.

AD NONAM.

Capitulum. Isaiæ 62.

VIdébunt Gentes justum tuum, et cuncti reges ínclytum tuum : et vocábitur tibi nomen novum, quos os Dómini nominábit.

℞. Hódie sciétis, quia véniet Dóminus, * Allelúia, allelúia. Hódie.

℣. Et mane vidébitis glóriam ejus. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Hódie.

℣. Constántes estóte.

℞. Vidébitis auxílium Dómini super vos, allelúia.

Si Vigilia Nativitatis Domini venerit in Dominica, Officium fit hoc modo.

In primis Vesperis, si præcedat Officium duplex, fiat comm. Dominicæ; si vero Officium præcedens fuerit Semiduplex, vel de Feria, a Capitulo fit de Dominica.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Hódie sciétis, de Vigil. ut supra.

Ps. Veníte, exsultémus. 2.

Hymn. Verbum supérnum.

In primo et secundo Nocturno, Añæ, Psalmi, Versiculi, Lectiones et Responsoria, ut in primo et

secundo Nocturno Dominicæ iv. Adventus.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. **Consolámini.**

Ps. **Cœli enárrant,** cum reliquis. **17.**

℣. **Hódie sciétis.**

Lectio vii. et viii. de Homilia Vigil. cum Responsor. ejusdem.


Nona Lectio de Homilia Dominicæ iv. Adventus cum ℟. **Sanctificámini,** ut supra in Vigilia.

In Laudibus, et deinceps fit Officium dupl. minus ut in Vigilia, cum comm. Dominicæ iv. per Añam. **Quómodo fiet istud.**

AD PRIMAM.

Psalmi consueti, videlicet : **Deus in nómine tuo. Beáti immaculáti,** et **Retríbue servo.** Non dicitur Symbolum **Quicúmque vult.**

Ad Horas omnia ut in Vigilia.





Die xxv. Decembris.

In Nativitate Domini.

Duplex majus I. Cl.



AD VESPERAS.

Antiphona.

REx pacíficus magnificátus est, cujus vultum desíderat univérsa terra.

Psalm. Laudáte púeri Dóminum. 160.

Aña. Magnificátus est Rex pacíficus super omnes reges univérsæ terræ.

Psalm. Laudáte Dóminum omnes. 164.

Aña. Scitóte quia prope est regnum Dei : amen dico vobis, quia non tardábit.

Ps. Lauda ánima. 181.

Aña. Leváte cápita vestra : ecce appropínquat redémptio vestra.

Ps. Laudáte Dóminum quóniam. 182.

Aña. Ecce compléta sunt ómnia, quæ dicta sunt per Angelum de Vírgine María.

Ps. Lauda Jerúsalem. 183.

Capitulum. Isaiæ 9.

POpulus Géntium, qui ambulábat in ténebris, vidit lucem magnam : habitántibus in regióne umbræ mortis, lux orta est eis.

℟. In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in princípio apud Deum. * Omnia per ipsum facta sunt : et sine ipso factum est nihil.

℣. Quod factum est, in ipso vita erat, et vita erat lux hóminum. Omnia.
Glória Patri. Omnia.
Hymnus. D. Ambrosii.
VEni Redémptor Géntium,
Osténde partum Vírginis :
Mirétur omne sæculum :
Talis decet partus Deum.
Non ex viríli sémine,
Sed mystico spirámine,
Verbum Dei factum caro,
Fructúsque ventris flóruit.
Alvus tuméscit Vírginis,
Claustra pudóris pérmanent,
Vexílla virtútum micant,
Versátur in templo Deus.
Procédens de thálamo suo,
Pudóris aula régia,
Géminæ gigas substántiæ,
Alácris, ut currat viam.
Egréssus ejus a Patre,
Regréssus ejus ad Patrem,
Excúrsus usque ad ínferos,
Recúrsus ad sedem Dei.
Æquális ætérno Patri,
Carnis trophæo accíngere,
Infírma nostri córporis
Virtúte firmans pérpeti.
Præsépe jam fulget tuum,
Luménque nox spirat novum,
Quod nulla nox intérpolet,
Fidéque jugi lúceat.
Glória tibi Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.
Sic terminantur omnes Hymni ejusdem metri usque ad Epiphaniam.
℣. Tamquam sponsus.
℟. Dóminus procédens de thálamo suo, allelúia.
Ad Magnificat, Aña. Cum ortus fúerit sol de cœlo, vidébitis Regem regum procedéntem a Patre, tamquam sponsum de thálamo suo.
Oratio. Deus, qui nos, ut supra ad Laudes Vigiliæ.
Ad Nunc dimittis, Aña. Impléti sunt dies.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Christus natus est nobis : * Veníte, adorémus.
Ps. Veníte, exsultémus. 2.
Hymnus. D. Ambrosii.
CHriste Redémptor ómnium,
Ex Patre Patris Unice,
Solus ante princípium,
Natus ineffabíliter.
Tu lumen, tu splendor Patris,
Tu spes perénnis ómnium,

Inténde, quas fundunt preces
Tui per orbem fámuli.
Meménto, salútis Auctor,
Quod nostri quondam córporis,
Ex illibáta Vírgine
Nascéndo, formam súmpseris.
Sic præsens testátur dies,
Currens per anni círculum,
Quod solus a sede Patris
Mundi salus advéneris.
Hunc cœlum, terra, hunc mare,
Hunc omne, quod in eis est,
Auctórem advéntus tui
Laudans exsúltat cántico.
Nos quoque, qui sancto tuo
Redémpti sánguine sumus,
Ob diem natális tui
Hymnum novum concínimus.
Glória tibi Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Dóminus dixit ad me : Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Ps. Quare fremuérunt. 4.

Aña. Tamquam sponsus Dóminus procédens de thálamo suo.

Ps. Cœli enárrant. 17.

Aña. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ps. Eructávit. 52.

℣. Tamquam sponsus.
℟. Dóminus procédens de thálamo suo, allelúia.

Tres sequentes Lectiones Isaiæ leguntur sine titulo : dicitur tamen Jube donne, et Benedictiones dantur.

Lectio j. Cap. 9.


Rimo témpore alleviáta est terra Zábulon, et terra Néphthali : et novíssimo aggraváta est via maris trans Jordánem Galilææ Géntium. Pópulus, qui ambulábat in ténebris, vidit lucem magnam; habitántibus in regióne umbræ mortis, lux orta est eis. Multiplicásti Gentem, non magnificásti lætítiam. Lætabúntur coram te, sicut qui lætántur in messe, sicut exsúltant victóres capta præda, quando dívidunt spólia. Jugum enim óneris ejus, et virgam húmeri ejus, et sceptrum exactóris ejus superásti sicut in die Má-

dian. Quia omnis violénta prædátio cum tumúltu, et vestiméntum mistum sánguine, erit in combustiónem, et cibus ignis. Párvulus enim natus est nobis, et fílius datus est nobis, et factus est principátus super húmerum ejus : et vocábitur nomen ejus, Admirábilis, Consiliárius, Deus, Fortis, Pater futúri sæculi, Princeps pacis. Hæc dicit Dóminus.

℞. Hódie nobis cœlórum Rex de Vírgine násci dignátus est, ut hóminem pérditum ad cœléstia regna revocáret : * Gaudet exércitus Angelórum : quia salus ætérna humáno géneri appáruit.

℣. Glória in excélsis Deo, et in terra pax homínibus bonæ voluntátis. Gaudet exércitus.

Lectio ij. Cap. 40.

Consolámini, consolámini pópule meus, dicit Deus vester. Loquímini ad cor Jerúsalem, et advocáte eam : quóniam compléta est malítia ejus, dimíssa est iníquitas illíus : suscépit de manu Dómini duplícia pro ómnibus peccátis suis. Vox clamántis in desérto, Paráte viam Dómini, rectas fácite in solitúdine sémitas Dei nostri. Omnis vallis exaltábitur, et omnis mons et collis humiliábitur : et erunt prava in dirécta, et áspera in vias planas. Et revelábitur glória Dómini : et vidébit omnis caro páriter quod os Dómini locútum est. Vox dicéntis : Clama. Et dixi : Quid clamábo? Omnis caro fœnum, et omnis glória ejus quasi flos agri. Exsiccátum est fœnum, et cécidit flos, quia spíritus Dómini sufflávit in eo. Vere fœnum est pópulus; exsiccátum est fœnum, et cécidit flos. Verbum autem Dómini nostri manet in ætérnum. Hæc dicit Dóminus.

℞. Hódie nobis de cœlo pax vera descéndit : * Hódie per totum mundum mellíflui facti sunt cœli.

℣. Hódie illúxit nobis dies redemptiónis novæ, reparatiónis antíquæ, felicitátis ætérnæ. Hódie.

Lectio iij. Cap. 52.

Consúrge, consúrge, indúere fortitúdine tua Sion, indúere vestiméntis glóriæ tuæ Jerúsalem cívitas sancti : quia non adjíciet ultra, ut pertránseat per te incircum-

císus, et immúndus. Excútere de púlvere, consúrge, sede Jerúsalem : solve víncula colli tui captíva fília Sion. Quia hæc dicit Dóminus : Gratis venúmdati estis, et sine argénto redimémini. Quia hæc dicit Dóminus Deus : In Ægyptum descéndit pópulus meus in princípio, ut colónus esset ibi : et Assur absque ulla causa calumniátus est eum. Et nunc quid mihi est hic, dicit Dóminus, quóniam ablátus est pópulus meus gratis? Dominatóres ejus ínique agunt, dicit Dóminus, et júgiter tota die nomen meum blasphemátur. Propter hoc sciet pópulus meus nomen meum in die illa : quia ego ipse, qui loquébar, ecce adsum. Hæc dicit Dóminus.

℟. Descéndit de cœlis Deus verus a Patre génitus, et introívit in úterum Vírginis, nobis ut apparéret visíbilis, indútus carne humána protoparénte édita, et exívit per clausam portam, Deus et homo : * Lux et vita, cónditor mundi.

℣. Tamquam sponsus Dóminus procédens de thálamo suo. Lux.

Glória Patri. Lux.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Suscépimus Deus misericórdiam tuam in médio templi tui.

Ps. Magnus Dóminus. 54.

Aña. Oriétur in diébus Dómini abundántia pacis, et dominábitur.

Ps. Deus judícium. 77.

Aña. Véritas de terra orta est, et justítia de cœlo prospéxit.

Ps. Benedixísti Dómine terram. 95.

℣. Notum fecit Dóminus. ℟. Salutáre suum, allelúia.

Sermo sancti Leónis Papæ.

Serm. 1. de Nat. Christi.

Lectio iv.

Alvátor noster, dilectíssimi, hódie natus est : gaudeámus. Neque enim fas est locum esse tristítiæ, ubi natális est vitæ : quæ consúmpto mortalitátis timóre, nobis íngerit de promíssa æternitáte lætítiam. Nemo ab hujus alacritátis participatióne secérnitur. Una cunctis lætítiæ commúnis est rátio : quia Dóminus noster peccáti, mortísque destrúctor, sicut nullum a reátu líberum réperit, ita liberándis ómnibus venit. Exsúltet

sanctus, quia appropínquat ad palmam : gáudeat peccátor, quia invitátur ad véniam : animétur gentílis, quia vocátur ad vitam. Dei namque Fílius secúndum plenitúdinem témporis, quam divíni consílii inscrutábilis altitúdo dispósuit, reconciliándam auctóri suo natúram géneris assúmpsit humáni : ut invéntor mortis diábolus, per ipsam, quam vícerat, vincerétur.

℟. Quem vidístis pastóres? dícite, annuntiáte nobis, in terris quis appáruit? * Natum vídimus, et choros Angelórum collaudántes Dóminum.

℣. Dícite, quidnam vidístis? et annuntiáte Christi Nativitátem. Natum.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. I. de Nat. Dom.

Lectio v.

NAtívitas Dómini nostri Jesu Christi, totum mundum nova advéntus sui hódie luce perfúdit. Hódie de cœlo Deus descéndit ad hóminem, ut in cœlis hómini præparáret ascénsum. Hódie accépimus natum Dei, Vírginis Fílium, ómnium credéntium Salvatórem. Deus de Patre, homo de matre; Deus occúltus, homo maniféstus. Et quóniam diábolus per serpéntem Hevæ locútus, per Hevæ aures mundo íntulit mortem, Deus per Angelum ad Maríam prótulit verbum, et cunctis sæculis vitam effúdit. Angelus sermónem ejécit, et Christum Virgo concépit. O conjúnctio sine sórdibus facta : ubi marítus sermo est, uxor aurícula! Hoc splendóre concípitur Dei Fílius, hac mundítia generátur. Nulla fíeri pótuit gravédo concipiénti, nulla tristítia parturiénti. Qui enim vénerat triste lætificáre sæculum, ventris non contristávit hospítium. De cœlis médicus tránsiens per Vírginem, post tránsitum suum illæsam fecit Vírginem permanére.

℟. O magnum mystérium, et admirábile sacraméntum, ut animália vidérent Dóminum natum, * Jacéntem in præsépio. Beáta Virgo, cujus víscera meruérunt portáre Dóminum Jesum Christum.

℣. Dómine, audívi audítum tuum, et tímui : considerávi ópera tua, et expávi in médio duórum animálium. Jacéntem.

Sermo sancti Gregórii Nazianzéni.

Orat. in Nativitate Christi.

Lectio vj.

CHristus gígnitur, glorificáte. Christus e cœlis, óbviam prodíte. Christus in terra, subvehímini. Christus in carne, tremóre et gáudio exsultáte; tremóre propter peccátum, gáudio propter spem. Christus ex Vírgine, mulíeres virginitátem cólite, ut Christi matres sitis. Quis eum, qui a princípio est, non adóret? Quis eum, qui postrémus est, non laudet ac célebret? Rursus ténebræ depellúntur. Rursus lux creátur. Rursus Ægyptus ténebris vexátur : rursus Israel colúmna illustrátur. Pópulus, qui sedébat in ignorántiæ ténebris, magnam cognitiónis et sciéntiæ lucem inspíciat. Vétera transiérunt. Ecce facta sunt ómnia nova. Omnes Gentes pláudite mánibus : Quóniam párvulus natus est nobis, Fílius datus est nobis, cujus principátus super húmerum ejus.

℟. Sancta et immaculáta virgínitas, quibus te láudibus ésseram, néscio : * Quia quem cœli cápere non póterant, tuo grémio contulísti.

℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. Quia.

Glória Patri. Quia.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Ipse invocábit me, allelúia : Pater meus es tu, allelúia.

Ps. Misericórdias. 98.

Aña. Lætántur cœli, et exsúltet terra ante fáciem Dómini, quóniam venit.

Ps. Cantáte Dómino. 101.

Aña. Notum fecit Dóminus, allelúia, salutáre suum, allelúia.

Ps. Cantáte Dómino. 107.

℣. Ipse invocábit me.

℟. Pater meus es tu, allelúia.

Bened. Sancti Evangélii léctio sit nobis salus et protéctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 2.

IN illo témpore : Exiit edíctum a Cæsare Augústo, ut describerétur univérsus orbis. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Hom. 8. in Evang.

QUia, largiénte Dómino, Missárum solémnia ter hódie celebratúri sumus, loqui

diu de Evangélica lectióne non póssumus : sed nos áliquid vel bréviter dícere, Redemptóris nostri natívitas ipsa compéllit. Quid est enim, quod nascitúro Dómino mundus descríbitur, nisi hoc, quod apérte monstrátur : quia ille apparébat in carne, qui eléctos suos adscríberet in æternitáte? Quo contra de réprobis per Prophétam dícitur : Deleántur de libro vivéntium, et cum justis non scribántur. Qui bene étiam in Béthlehem náscitur, Béthlehem quippe domus panis interpretátur. Ipse namque est, qui ait : Ego sum panis vivus, qui de cœlo descéndi. Locus ergo, in quo Dóminus náscitur, domus panis ántea vocátus est : quia futúrum profécto erat, ut ille ibi per matériam carnis apparéret, qui electórum mentes intérna satietáte refíceret. Qui non in paréntum domo, sed in via náscitur : ut profécto osténderet, quia per humanitátem suam, quam assúmpserat, quasi in aliéno nascebátur.

℟. Beáta Dei Génitrix María, cujus víscera intácta pérmanent : * Hódie génuit Salvatórem sæculi.

℣. Beáta est, quæ crédidit : quóniam perfécta sunt ómnia, quæ dicta sunt ei a Dómino. Hódie.

Benedictio. Fons Evangélii rápleat nos dógmate cœli.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio viij. Cap. 2.

In illo témpore : Pastóres loquebántur ad ínvicem : Transeámus usque Béthlehem, et videámus hoc verbum, quod factum est, quod Dóminus osténdit nobis. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 2. in cap. 2. Lucæ.

Vidéte Ecclésiæ surgéntis exórdium. Christus náscitur, et pastóres vigiláre cœpérunt, qui Géntium greges, pécudum modo ante vivéntes, in caulam Dómini congregárent : ne quos spiritálium bestiárum per offúsas nóctium ténebras pateréntur incúrsus. Et bene pastóres vígilant, quos bonus pastor infórmat. Grex ígitur pópulus, nox sæculum, pastóres sunt Sacerdótes. Aut fortásse étiam ille sit pastor,

cui dícitur : Esto vígilans, et confírma : quia non solum Epíscopos ad tuéndum gregem Dóminus ordinávit, sed étiam Angelos destinávit.

℟. Beáta víscera Maríæ Vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium : et beáta úbera, quæ lactavérunt Christum Dóminum : * Quia hódie pro salúte mundi de Vírgine nasci dignátus est.

℣. Dies sanctificátus illúxit nobis : veníte Gentes, et adoráte Dóminum. Quia hódie.

Bened. Per Evangélica dicta deleántur nostra delícta.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio ix. Cap. 1.

IN princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Et réliqua.

Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri.

In Natali Domini.

QUia temporálem mediatóris Dei et hóminum, hóminis Jesu Christi nativitátem, quæ hodiérna die facta est, sanctórum verbis Evangelistárum, Matthæi vidélicet et Lucæ, manifestátam cognóvimus : libet étiam de Verbi, idest divinitátis ejus æternitáte, in qua Patri manet semper æquális, beáti Joánnis Evangelístæ dicta scrutári; qui singulári privilégio méruit castitátis, ut céteris áltius divinitátis ipsíus cáperet, simul et patefáceret arcánum. Alii vero Evangelístæ Christum ex témpore natum descríbunt : Joánnes eúmdem in princípio fuísse testátur, dicens : In princípio erat Verbum. Alii inter hómines eum súbito apparuísse commémorant : ille ipsum apud Deum semper fuísse declárat, dicens : Et Verbum erat apud Deum. Alii eum verum hóminem : ille verum confírmat esse Deum, dicens : Et Deus erat Verbum.

℟. In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in princípio apud Deum : * Omnia per ipsum facta sunt : et sine ipso factum est nihil.

℣. Quod factum est, in ipso vita erat, et vita erat lux hóminum. Omnia.

Glória Patri. Omnia.

Interim Diaconus (si indutus, alias non) accipiat

benedictionem ab eo qui facit Officium, sicut fit ad Evangelium in Missa.

℣. Jube domne benedícere.

Bened. Dóminus sit in corde tuo, et in lábiis tuis : ut digne et competénter annúnties sanctum Evangélium suum : In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus sancti. Amen.

Deinde dicatur ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Inítium sancti Evangélii secúndum Matthæum. ℟. Glória tibi Dómine. Cap. 1.

Iber generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Jacob autem génuit Judam, et fratres ejus. Judas autem génuit Phares, et Zaram de Thamar. Phares autem génuit Esron. Esron autem génuit Aram. Aram autem génuit Amínadab. Amínadab autem génuit Naásson. Naásson autem génuit Salmon. Salmon autem génuit Booz de Rahab. Booz autem génuit Obed ex Ruth. Obed autem génuit Jesse. Jesse autem génuit David regem. David autem rex génuit Salomónem ex ea, quæ fuit Uríæ. Sálomon autem génuit Róboam. Róboam autem génuit Abíam. Abías autem génuit Asa. Asa autem génuit Jósaphat. Jósaphat autem génuit Joram. Joram autem génuit Ozíam. Ozías autem génuit Jóatham. Jóatham autem génuit Achaz. Achaz autem génuit Ezechíam. Ezechías autem génuit Manássen. Manásses autem génuit Amon. Amon autem génuit Josíam. Josías autem génuit Jechoníam, et fratres ejus in transmigratióne Babylónis. Et post transmigratiónem Babylónis, Jechonías génuit Saláthiel. Saláthiel autem génuit Zoróbabel. Zoróbabel autem génuit Abiud. Abiud autem génuit Elíacim. Elíacim autem génuit Azor. Azor autem génuit Sadoc. Sadoc autem génuit Achim. Achim autem génuit Eliud. Eliud autem génuit Eleázar. Eleázar autem génuit Mathan. Mathan autem génuit Jacob. Jacob autem génuit Joseph virum Maríæ, de qua natus est Jesus, qui vocátur Christus.

Sequitur Te Deum laudámus. 20.

Finito **Te Deum**, si Missa non sequatur, dicitur Sacerd. ℣. **Verbum caro factum est.** ℟. **Et habitávit in nobis, allelúia. Deus in adjutórium.** Et dicuntur Laudes modo solito, sicut inferius notantur.

Quando vero Missa fuerit celebranda, inchoetur statim post **Te Deum,** Sacerdotali ℣. omisso. Et dicta Communione, absque ℣. Sacerdotali, et absque **Deus in adjutórium,** immediate sequuntur Laudes, non tamen dicitur Capit. nec Hymnus, nec ℣. sed cum Aña ad Benedictus, et **Ite Missa est,** Missa et Laudes terminantur ut in Missali.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

Quem vidístis pastóres? dícite, annuntiáte nobis, in terris quis appáruit? Natum vídimus, et choros Angelórum collaudántes Dóminum, allelúia, allelúia.

Ps. **Dóminus regnávit,** cum reliquis. **21.**

Aña. **Génuit puérpera Regem, cui nomen ætérnum, et gáudia matris habens cum virginitátis honóre : nec primam símilem visa est, nec habére sequéntem, allelúia.**

Aña. **Angelus ad pastóres ait : Annúntio vobis gáudium magnum; quia natus est vobis hódie Salvátor mundi, allelúia.**

Aña. **Facta est cum Angelo multitúdo cœléstis exércitus laudántium, et dicéntium : Glória in excélsis Deo, et in terra pax homínibus bonæ voluntátis, allelúia.**

Aña. **Párvulus Fílius hódie natus est nobis, et vocábitur Deus, Fortis, allelúia, allelúia.**

Capitulum. Hebr. c. 1.



Ultifáriam, multísque modis, olim Deus loquens pátribus in Prophétis : novíssime diébus istis locútus est nobis in Fílio, quem constítuit herédem universórum, per quem fecit et sæcula.

Hymnus. Sedulii.

A solis ortus cárdine,
Ad usque terræ límitem,
Christum canámus Príncipem,
Natum María Vírgine.

Beátus Auctor sæculi,
Servíle corpus índuit :
Ut carne carnem líberans,
Ne pérderet, quos cóndidit.

Castæ paréntis víscera
Cœléstis intrat grátia :

Venter puéllæ bájulat
Secréta, quæ non nóverat.
Domus pudíci péctoris
Templum repénte fit Dei :
Intácta nésciens virum,
Verbo concépit Fílium.
Eníxa est puérpera,
Quem Gábriel prædíxerat,
Quem matris alvo géstiens
Clausus Joánnes sénserat.
Fœno jacére pértulit,
Præsépe non abhórruit,
Parvóque lacte pastus est,
Per quem nec ales ésurit.
Gaudet chorus cœléstium,
Et Angeli canunt Deo :
Palámque fit Pastóribus
Pastor, Creátor ómnium.
Glória tibi Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Benedíctus, qui venit in nómine Dómini. ℟. Deus Dóminus, et illúxit nobis, allelúia.

Ad Benedictus, Aña. Glória in excélsis Deo, et in terra pax homínibus bonæ voluntátis, allelúia, allelúia.

Oratio.

Concéde quæsumus omnípotens Deus; ut nos Unigéniti tui nova per carnem natívitas líberet, quos sub peccáti jugo vetústa sérvitus tenet. Per eúmdem Dóminum.

Hæc Oratio dicitur ad Horas et Vesperas.

AD PRIMAM.

℣. Qui de Vírgine dignátus es nasci.

AD TERTIAM.

Capit. Multifáriam. 267.

℟. Puer natus est nobis, * Allelúia, allelúia. Puer. ℣. Et Fílius datus est nobis. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Puer natus.

℣. Ipse invocábit.

AD SEXTAM.

Capitulum. Tit. 2.

Appáruit grátia Dei Salvatóris nostri ómnibus homínibus, erúdiens nos, ut abnegántes impietátem, et sæculária desidéria : sóbrie, et juste, et pie vivámus in hoc sæculo.

℟. Ipse invocábit me, * Allelúia, allelúia. Ipse. ℣. Pater meus es tu. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Ipse.

℣. Notum fecit.

AD NONAM.

Capitulum. Tit. 3.

Appáruit benígnitas et humánitas Salvatóris nostri Dei, non ex opéribus justítiæ, quæ fécimus nos, sed secúndum suam misericórdiam salvos nos fecit.

℟. Notum fecit Dóminus, * Allelúia, allelúia. Notum fecit.
℣. Salutáre suum. Allelúia, allelúia.
Glória Patri. Notum.
℣. Benedíctus, qui venit in nómine Dómini. ℟. Deus Dóminus, et illúxit nobis, allelúia.

AD II. VESPERAS.

Antiphona.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus Sanctórum: ex útero ante lucíferum génui te.

Ps. Dixit Dóminus. 159.

Aña. Redemptiónem misit Dóminus pópulo suo: mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Ps. Confitébor. 159.

Aña. Exórtum est in ténebris lumen rectis corde: miséricors, et miserátor, et justus Dóminus.

Ps. Beátus vir. 160.

Aña. Apud Dóminum misericórdia, et copiósa apud eum redémptio.

Ps. De profúndis. 169.

Aña. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Ps. Meménto Dómine. 170.

Prædictæ Añæ dicuntur quotidie usque ad Epiphaniam, præterquam ad secundas Vesperas in die Circumcisionis. Psalmi vero dicuntur usque ad Octavam Epiphaniæ.

Capitulum. Hebr. c. 1.

Multifáriam, multísque modis, olim Deus loquens pátribus in Prophétis: novíssime diébus istis locútus est nobis in Fílio, quem constítuit herédem universórum, per quem fecit et sæcula.

Hymn. Veni Redémptor.

℣. Tamquam sponsus, ut in primis Vésperis. 258.

Ad Magnificat, Aña. Hódie Christus natus est: hódie Salvátor appáruit: hódie in terra canunt Angeli, lætántur Archángeli: hódie exsúltant justi, dicéntes: Glória in excélsis Deo, allelúia.

Et fit comm. S. Stephani.

Aña. Ave Diaconórum sénior Stéphane. Ave martyr paradóxe, qui inter ágmina plebis Judáicæ, firmus in Christi fide, velut lampas ardentíssima, apparuísti Dómino: nunc sidus inter sídera cœléstis aulæ, succúrre huic famíliæ gratíssima tua interventióne.

℣. Sepeliérunt Stéphanum viri timoráti. ℟. Et fecérunt planctum magnum super eum, allelúia.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Dómine, imitári quod cólimus, ut discámus et inimícos dilígere : quia ejus natalítia celebrámus, qui novit étiam pro persecutóribus exoráre Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum vivit.

Ad Nunc dimittis, Aña. Allelúia, Verbum caro.

DIE XXVI. DECEMBR.

In die **S. Stephani** Protomartyris. Duplex majus. P. C.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Christum natum, qui beátum hódie coronávit Stéphanum, * Veníte, adorémus.

Ps. Veníte. 2.

Hymnus.

SAncte Dei pretióse,
Protomártyr Stéphane :
Qui virtúte caritátis
Circumfúltus úndique,
Dóminum pro inimíco
Exorásti pópulo.

Funde preces pro devóto
Tibi nunc collégio,
Ut tuo propitiátus
Interventu Dóminus,
Nos purgátos a peccátis
Jungat cœli cívibus.

Glória et honor Deo,
Usquequáque altíssimo,
Una Patri, Filióque,
Inclyto Paráclito,
Cui laus est, et potéstas
Per ætérna sæcula.
Amen.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Beátus Stéphanus jugi legis Dei meditatióne roborátus, tamquam lignum fructíferum secus decúrsus salutárium aquárum plantátum, fructum martyrii in témpore suo dedit primus.

Ps. Beátus vir, cum reliquis de Communi unius Mart. [29]

Aña. Constitútus a Deo prædicátor præceptórum ejus, in timóre sancto illi servíre stúduit : officióque fidéliter peracto, in montem sanctum ejus ascéndere dignus fuit.

Ps. Quare fremuérunt.

Aña. In tribulatióne lápidum se preméntium pósitus, míllia pópuli se circumdántis non tímuit : quia susceptórem Jesum, ut eum salvum fáceret, exsúrgere in cœlum vidit.

Ps. Dómine quid.

℣. Glória, de Comm. [31]

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 6.

IN diébus illis, crescénte número discipulórum, factum est murmur Græcórum advérsus Hebræos,

eo quod despiceréntur in ministério quotidiáno víduæ eórum. Convocántes autem duódecim multitúdinem discipulórum, dixérunt : Non est æquum nos derelínquere verbum Dei, et ministráre mensis. Consideráte ergo, fratres, viros ex vobis boni testimónii septem, plenos Spíritu sancto, et sapiéntia, quos constituámus super hoc opus. Nos vero oratióni, et ministério verbi instántes érimus.

℟. Stéphanus autem plenus grátia et fortitúdine, * Faciébat prodígia et signa magna in pópulo.

℣. Surrexérunt autem quidam de synagóga disputántes cum Stéphano : et non póterant resístere sapiéntiæ, et spirítui, qui loquebátur. Faciébat.

Lectio ij.

Et plácuit sermo coram omni multitúdine. Et elegérunt Stéphanum virum plenum fide et Spíritu sancto, et Philíppum et Próchorum, et Nicánorem, et Timónem, et Pármenam, et Nicoláum ádvenam Antiochénum. Hos statuérunt ante conspéctum Apostolórum : et orántes imposuérunt eis manus. Et verbum Dómini crescébat, et multiplicabátur númerus discipulórum in Jerúsalem valde : multa étiam turba sacerdótum obediébat fídei. Stéphanus autem plenus grátia et fortitúdine, faciébat prodígia et signa magna in pópulo.

℟. Vidébant omnes Stéphanum, qui erant in concílio :* Et intuebántur vultum ejus tamquam vultum Angeli stantis inter illos.

℣. Stéphanus autem plenus grátia et fortitúdine, faciébat prodígia et signa magna in pópulo. Et.

Lectio iij.

Surrexérunt autem quidam de Synagóga, quæ appellátur Libertinórum, et Cyrenénsium, et Alexandrinórum, et eórum, qui erant a Cilícia, et Asia, disputántes cum Stéphano : et non póterant resístere sapiéntiæ, et spirítui, qui loquebátur. Tunc summisérunt viros, qui dícerent se audivísse eum dicéntem verba blasphémiæ in Móysen, et in Deum. Commovérunt ítaque plebem, et senióres, et scribas : et concurréntes rapuérunt eum, et adduxérunt in concílium, et statuérunt falsos testes, qui dícerent : Homo iste

non cessat loqui verba advérsus locum sanctum et legem.

℟. Inténdens in cœlum beátus Stéphanus vidit glóriam Dei, et ait: * Ecce vídeo cœlos apértos, et Fílium hóminis stantem a dextris Dei.

℣. Cum autem esset Stéphanus plenus Spíritu sancto, inténdens in cœlum, vidit glóriam Dei, et ait. Ecce.

Glória Patri. Ecce.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Lúmine vultus tui Dómine insignítus protomártyr Stéphanus, sacrifícium justítiæ seípsum tibi sacrificávit : ideóque in lætítia cordis, in pace obdórmiens requiéscit.

Ps. Cum invocárem. [33]

Aña. Benedictiónis tuæ Dómine múnere justificátus, et scuto tuæ protectiónis in passióne munítus, nóminis sui corónam Stéphanus a te percípere méruit. Ps. Verba mea.

Aña. O quam admirábile est nomen tuum Dómine Deus noster : pro quo beátus Stéphanus passus, glória et honóre a te est coronátus, et super cœlos dono tuæ magnificéntiæ exaltátus. Ps. Dómine.

℣. Posuísti Dómine. [34]

Sermo sancti Fulgéntii Epíscopi.

Serm. de S. Steph. et convers. S. Pauli.

Lectio iv.

Eri celebrávimus temporálem sempitérni Regis nostri natálem : hódie celebrámus triumphálem mílitis passiónem. Heri enim Rex noster trábea carnis indútus, de aula úteri virginális egrédiens, visitáre dignátus est mundum : hódie miles de tabernáculo córporis éxiens, triumphátor migrávit ad cœlum. Ille sempitérnæ Deitátis majestáte serváta, servíle cinctórium carnis assúmens, in hujus sæculi campum pugnatúrus intrávit : iste, depósitis corruptibílibus córporis induméntis, ad cœli palátium perénniter regnatúrus ascéndit. Ille descéndit carne velátus : iste ascéndit sánguine laureátus.

℟. Lapidavérunt Stéphanum invocántem, et dicéntem. * Dómine Jesu súscipe spíritum meum, et ne státuas illis hoc peccátum.

℣. Pósitis autem génibus, beátus Stéphanus orábat, dicens. Dómine.

Lectio v.

Ascéndit iste lapidántibus Judæis, quia ille descéndit lætántibus Angelis. Glória in excélsis Deo, heri sancti Angeli exsultántes cantavérunt : hódie Stéphanum lætántes in suum consórtium suscepérunt. Heri Dóminus exívit de útero Vírginis : hódie miles egréssus est de ergástulo carnis. Heri Christus pro nobis pannis est involútus : hódie Stéphanus stola est ab eo immortalitátis indútus. Heri præsépis angústia Christum portávit infántem : hódie imménsitas cœli suscépit Stéphanum triumphántem. Solus Dóminus descéndit, ut multos eleváret : humiliávit se Rex noster, ut suos mílites exaltáret.

℟. Stéphanus servus Dei, quem lapidábant Judæi, vidit cœlos apértos, vidit, et introívit. * Beátus homo, cui cœli patébant.

℣. Stéphanus vidit cœlos apértos : vidit, et introívit. Beátus homo.

Lectio vj.

Necessárium tamen nobis est, fratres, agnóscere, quibus armis præcínctus Stéphanus sævitiam Judæórum pótuit superáre, ut ita meruísset felíciter triumpháre. Stéphanus ergo, ut nóminis sui corónam meruísset accípere, caritátem pro armis habébat, et per ipsam ubíque vincébat. Per caritátem Dei sæviéntibus Judæis non cessit : per caritátem próximi pro lapidántibus intercéssit. Per caritátem arguébat errántes, ut corrigeréntur : per caritátem pro lapidántibus orábat, ne puniréntur. Caritátis virtúte subníxus vicit Saulum crudéliter sæviéntem; et quem hábuit in terra persecutórem, in cœlo méruit habére consórtem.

℟. Impetum fecérunt unanímiter in eum, et ejecérunt eum extra civitátem, invocántem, et dicéntem : * Dómine Jesu súscipe spíritum meum.

℣. Pósitis autem génibus beátus Stéphanus orábat, dicens. Dómine.

Glória Patri. Dómine.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. In Dómino Deo suo confísus fortis athléta Stéphanus, lápidum fórtiter sustínuit ictus : et idcírco ad montem virtútum transmigrávit victoriósus.

Ps. In Dómino. [36]

Aña. Sine mácula beátus Stéphanus ingréssus est Dómine in tabernáculum tuum; et quia operátus est justítiam, requiéscit in monte sancto tuo.

Ps. Dómine quis.

Aña. Dómine, virtus et lætítia justórum : quóniam tu prævenísti diléctum tibi Stéphanum dono tuæ gratúitæ benedictiónis, te primum secútus est in morte gloriósæ passiónis, unde cum coróna martyrii, dedísti vitam ei in sæculum sæculi.

Ps. Dómine in virtúte.

℣. Justus ut palma. [38]

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 23.

In illo témpore : Jesus locútus est ad Scribas, et Pharisæos, dicens : Ecce ego mitto ad vos Prophétas, et sapiéntes, et scribas, et ex illis occidétis, et crucifigétis. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 4. Comment. in c. 23. Matth.


Hoc quod ántea dixerámus : Impléte mensúram patrum vestrórum, ad persónam Dómini pertinére, eo quod occidéndus esset ab eis : potest et ad discípulos ejus reférri, de quibus nunc dicit : Ecce ego mitto ad vos Prophétas, et sapiéntes, et scribas. Simúlque obsérva, juxta Apóstolum scribéntem ad Corínthios, vária esse dona discipulórum Christi : álios Prophétas, qui ventúra prædícent : álios sapiéntes, qui novérunt, quando débeant proférre sermónem : álios scribas in lege doctíssimos, ex quibus lapidátus est Stéphanus, Paulus occísus, crucifíxus Petrus, flageláti in Actibus Apostolórum discípuli.

℟. Impii super justum jactúram fecérunt, ut eum tráderent morti : * At ille gaudens suscépit lápides, ut mererétur accípere corónam glóriæ.

℣. Continuérunt aures suas, et ímpetum fecérunt unanímiter in eum. At ille gaudens.

Lectio viij. Paulo post.

Quærimus, quis sit iste Zacharías fílius Barachíæ : quia multos légimus Zacharías. Et ne líbera nobis tribuerétur erróris facúltas, ádditum est : Quem occidístis inter templum et altáre. In divérsis divérsa legi : et dé-

beo singulórum opiniónes pónere. Alii Zacharíam fílium Barachíæ dicunt, qui in duódecim Prophétis undécimus est; patrísque in eo nomen conséntit : sed ubi occísus sit inter templum et altáre, Scriptúra non lóquitur : máxime cum tempóribus ejus vix ruínæ templi fúerint. Alii Zacharíam patrem Joánnis intélligi volunt, ex quibúsdam apocryphórum sómniis approbántes, quod proptérea occísus sit, quia Salvatóris prædicáverit advéntum.

℟. Patefáctæ sunt jánuæ cœli Christi mártyri beáto Stéphano, qui in número Mártyrum invéntus est primus : * Et ídeo triúmphat in cœlis coronátus.

℣. Mortem enim, quam Salvátor noster dignátus est pro ómnibus pati, hanc ille primus réddidit Salvatóri. Et ídeo.

Lectio ix.

Alii istum esse volunt Zacharíam, qui occísus est a Joas rege Judæ inter templum et altáre, sicut Regum narrat história. Sed observándum, quod ille Zacharías non sit fílius Barachíæ, sed fílius Joíadæ sacerdótis : unde et Scriptúra refert : Non fuit recordátus Joas patris ejus Joíadæ, quia sibi fecísset bona. Cum ergo et Zacharíam teneámus, et occisiónis conséntiat locus : quærimus, quare Barachíæ dicátur fílius, et non Joíadæ? Barachías lingua nostra Benedíctus Dómini dícitur, et Sacerdótis Joíadæ justítia Hebræo nómine demonstrátur. In Evangélio, quo utúntur Nazaréni, pro fílio Barachíæ fílium Joíadæ reperímus scriptum.

℟. Ecce jam coram te, Protomártyr Stéphane, supplíciter assisténtes, te devóte deprecámur. * Ut qui pro te lapidántibus Christum deprecátus es, pro nobis apud ipsum intercédere dignéris.

℣. Caritátis grátia replétus, pro persecutóribus orans, Fílium hóminis ad déxteram Patris stantem vidére meruísti : ideóque precámur. Ut.

Glória Patri. Ut.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerdotalis ℣. Ora pro nobis beáte Stéphane.

℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúia.

AD LAUDES
et per Horas. Aña.

LApidavérunt Stéphanum, et ipse invocábat Dóminum, dicens : Ne státuas illis hoc peccátum.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Lápides torréntis illi dulces fuérunt; ipsum sequúntur omnes ánimæ justæ.

Aña. Adhæsit ánima mea post te, quia caro mea lapidáta est pro te, Deus meus.

Aña. Stéphanus vidit cœlos apértos, vidit, et introívit : beátus homo, cui cœli patébant.

Aña. Ecce vídeo cœlos apértos, et Fílium hóminis stantem a dextris Dei.

Capitulum. Act. 6

STéphanus autem plenus grátia et fortitúdine, faciébat prodígia et signa magna in pópulo.

Hymnus.

MArtyr Dei, qui únicum
Patris sequéndo Fílium,
Victis triúmphas hóstibus,
Victor fruens cœléstibus.

Tui precátus múnere,
Nostrum reátum dílue,
Arcens mali contágium,
Vitæ rémovens tædium.

Solúta sunt jam víncula
Tui sacráti córporis :
Nos solve vinclis sæculi
Amóre Fílii Dei.

Glória tibi, Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Stéphanus vidit cœlos apértos. ℟. Vidit, et introívit : beátus homo, cui cœli patébant, allelúia.

Ad Benedictus, Aña. Inténdens in cœlum beátus Stéphanus vidit glóriam Dei, et ait : Ecce vídeo cœlos apértos, et Fílium hóminis stantem a dextris Dei.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Dómine, imitári quod cólimus, ut discámus et inimícos dilígere : quia ejus natalítia celebrámus, qui novit étiam pro persecutóribus exoráre Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum vivit.

Et fit commemoratio Nativitatis, Aña. Gaudeámus, ut infra in Laudibus SS. Innocentium. 291.

AD TERTIAM.

Capit. Stéphanus autem, ut supra ad Laudes.

℟. Glória et honóre, de Comm. unius Mart. [41]

AD SEXTAM.

Capitulum. Act. 7.

CUm esset Stéphanus plenus Spíritu sancto, inténdens in cœlum, vidit glóriam Dei, et Jesum stantem a dextris Dei.

℟. Posuísti Dómine. [41]

AD NONAM.

Capitulum. Act. 7.

LApidábant Stéphanum invocántem, et dicéntem : Dómine Jesu súscipe spíritum meum, et ne státuas illis hoc peccátum.

℟. Justus ut palma.

℣. Magna est. [41]

AD VESPERAS.

Aña. Tecum princípium, cum reliquis Añis et Ps. ut ad ij. Vesp. Nativ. 269.

Capit. Stéphanus autem, ut supra ad Laudes.

Hymnus. Sancte Dei, ut supra. 270.

℣. Sepeliérunt Stéphanum viri timoráti. ℟. Et fecérunt planctum magnum super eum, allelúia.

Ad Magnificat, Aña. Patefáctæ sunt jánuæ cœli Christi mártyri beáto Stéphano, qui in número Mártyrum invéntus est primus : et ídeo triúmphat in cœlis coronátus, allelúia.

Comm. S. Joannis, Aña. Ecce ego Joánnes vidi óstium apértum in cœlo : et ecce sedes pósita erat in eo, et in médio sedis et in circúitu ejus quátuor animália plena óculis ante et retro, et dabant glóriam, et honórem, et benedictiónem sedénti super thronum, vivénti in sæcula sæculórum.

℣. Valde honorándus est beátus Joánnes. ℟. Qui supra pectus Dómini in cœna recúbuit, allelúia.

Oratio.

ECclésiam tuam, Dómine, benígnus illústra : ut beáti Joánnis Apóstoli tui et Evangelístæ illumináta doctrínis, ad dona pervéniat sempitérna. Per Christum.

Deinde com. Oct. Nativ. Aña. Hódie intácta, ut infra in ij. Vesp. SS. Innocentium. 293.

DIE XXVII. DECEMBRIS.
In Festo S. Joannis Apostoli et Evang.
DUPLEX MAJUS P. C.

AD MATUTINUM.

Invitat. Adorémus Regem Apostolórum : * Qui privilégio amóris Joánnem diléxit Apóstolum.

Ps. Veníte, exsultémus. 2.

Hymnus.

D. Petri Damiani.

Vírginis virgo veneránde custos,
Magnus ætérni logothéta Verbi,
Dele servórum fácinus tuórum
Sancte Joánnes.

Tu patrem carnis súbito relínquis :
Sicque cœléstem séqueris Paréntem :
Píscibus spretis, hóminum jubéris
Cláudere turbam.

Fonte prorúmpens flúvius perénni,
Curris aréntis satiátor orbis :
Hausit ex pleno (modo quod propínat)
Péctore pectus.

Tu decus mundi, jubar atque cœli,
Impetra nostris véniam ruínis :
Da sacraméntum penetráre summum,
Quod docuísti.

Patris arcánum speculándo Verbum,
Tollis errórem fídei per orbem :
Apud ætérnam spéciem fruéndam
Dux bone transfer.

Laus, honor Patri, paríque Proli,
Una majéstas, éadem potéstas,
Cum quibus sanctus simul implet omnem
Spíritus orbem.
Amen.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Joánnes Apóstolus, et Evangelísta virgo est eléctus a Dómino, atque inter céteros magis diléctus.

Ps. Cœli enárrant, cum reliq. de Comm. Apost. [4]

Aña. Supra pectus Dómini Jesu Christi recúmbens, Evangélii fluénta de ipso sacro Domínici péctoris fonte potávit.

Ps. Benedícam.

Aña. Quasi unus de paradísi flumínibus Evangelísta Joánnes verbi Dei grátiam in toto terrárum orbe diffúdit.

Ps. Eructávit.

℣. In omnem terram, de Communi Apost. [7]

Incipit Epístola prima beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio j. Cap. 1.

Quod fuit ab inítio, quod audívimus, quod vídimus óculis nostris, quod perspéximus, et manus nostræ contrectavérunt de verbo vitæ : et vita manifestáta est, et vídimus, et testámur, et annuntiámus vobis vitam ætérnam, quæ erat apud Patrem, et appáruit nobis; quod vídimus, et audívimus, annuntiámus vobis, ut et vos societátem habeátis nobíscum, et socíetas nostra sit cum Patre, et cum Fílio ejus Jesu Christo. Et hæc scríbimus vobis, ut gaudeátis, et gáudium vestrum sit plenum. Et hæc est annuntiátio, quam audívimus ab eo, et annuntiámus vobis: Quóniam Deus lux est, et ténebræ in eo non sunt ullæ.

℟. Valde honorándus est beátus Joánnes, qui supra pectus Dómini in cœna recúbuit : * Cui Christus in cruce matrem Vírginem vírgini commendávit.

℣. Virgo est eléctus a Dómino, atque inter céteros magis diléctus. Cui.

Lectio ij.

Si dixérimus, quóniam societátem habémus cum eo, et in ténebris ambulámus, mentímur, et veritátem non fácimus. Si autem in luce ambulámus, sicut et ipse est in luce, societátem habémus ad ínvicem, et sanguis Jesu Christi Fílii ejus emúndat nos ab omni peccáto. Si dixérimus quóniam peccátum non habémus : ipsi nos sedúcimus, et véritas in nobis non est. Si confiteámur peccáta nostra : fidélis est et justus, ut remíttat nobis peccáta nostra, et emúndet nos ab omni iniquitáte. Si dixérimus, quóniam non peccávimus : mendácem fácimus eum, et verbum ejus non est in nobis.

℟. In illa die suscípiam te servum meum : et ponam te sicut signáculum in conspéctu meo : * Quóniam ego elégi te, dicit Dóminus.

℣. Esto fidélis usque ad mortem, et dabo tibi corónam vitæ. Quóniam.

Lectio iij. Cap. 2.

Filíoli mei, hæc scribo vobis, ut non peccétis. Sed et si quis peccáverit, advocátum habémus apud Patrem, Jesum Chri-

stum justum : et ipse est propitiátio pro peccátis nostris : non pro nostris autem tantum, sed étiam pro totíus mundi. Et in hoc scimus, quóniam cognóvimus eum, si mandáta ejus observémus. Qui dicit se nosse eum, et mandáta ejus non custódit, mendax est, et in hoc véritas non est. Qui autem servat verbum ejus, vere in hoc cáritas Dei perfécta est.

℟. Qui vícerit, fáciam illum colúmnam in templo meo, dicit Dóminus : * Et scribam super eum nomen meum, et nomen civitátis novæ Jerúsalem.

℣. Vincénti dabo édere de ligno vitæ, quod est in Paradíso Dei mei. Et.

Glória Patri. Et.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. In fervéntis ólei dólium missus Joánnes Apóstolus, divína se protegénte grátia illæsus exívit. Ps. Omnes Gentes. [8]

Aña. Propter insuperábilem evangelizándi constántiam exsílio relegátus, divínæ visiónis et allocutiónis méruit crebra consolatióne relevári.

Ps. Exáudi Deus.

Aña. Occúrrit beáto Joánni ab exsílio reverténti omnis pópulus virórum ac mulíerum clamántium et dicéntium : Benedíctus qui venit in nómine Dómini. Ps. Exáudi Deus.

℣. Constítues eos. [10]

Ex libro sancti Hierónymi Presbyteri de Scriptóribus Ecclesiásticis.

Lectio iv. Tom. 1.

JOánnes Apóstolus, quem Jesus amávit plúrimum, fílius Zebedæi, frater Jacóbi Apóstoli, quem Heródes post passiónem Dómini decollávit, novíssimus ómnium scripsit Evangélium, rogátus ab Asiæ Epíscopis, advérsus Cerínthum, aliósque hæréticos, et máxime tunc Ebionitárum dogma consúrgens, qui ásserunt, Christum ante Maríam non fuísse : unde et compúlsus est divínam ejus nativitátem edícere.

℟. Hic est beatíssimus Evangelísta Joánnes Apóstolus, * Qui privilégio amóris præcípui, céteris áltius a Dómino méruit honorári.

℣. Hic est discípulus ille, quem diligébat Jesus, qui supra pectus Dómini in cœna recúbuit. Qui.

Lectio v.

QUartodécimo ígitur anno, secúndam post Nerónem persecutiónem

movénte Domitiáno, in Patmos ínsulam relegátus, scripsit Apocalypsim, quam interpretátur Justínus martyr, et Irenæus. Interfécto autem Domitiáno, et actis ejus ob nímiam crudelitátem a Senátu rescíssis, sub Nerva príncipe rédiit Ephesum : ibíque usque ad Trajánum príncipem persevérans, totas Asiæ fundávit rexítque Ecclésias : et conféctus sénio, sexagésimo octávo post passiónem Dómini anno mórtuus, juxta eámdem urbem sepúltus est.

℟. Hic est discípulus ille, qui testimónium pérhibet de his : * Et scripsit hæc; et scimus quia verum est testimónium ejus.

℣. Fluénta Evangélii de ipso sacro Domínici péctoris fonte potávit. Et scripsit.

Ex Commentáriis ejúsdem in Epístolam ad Gálatas.

Lectio vj. Lib. 3. c. 6.

BEátus Joánnes Evangelísta, cum Ephesi morarétur usque ad últimam senectútem, et vix inter discipulórum manus ad Ecclésiam deferrétur, nec posset in plura vocem verba contéxere : nihil áliud per síngulas solébat proférre colléctas, nisi hoc : Filíoli dilígite altérutrum. Tandem discípuli, et fratres, qui áderant, tædio afflécti, quod éadem semper audírent, dixérunt : Magíster, quare semper hoc lóqueris? Qui respóndit dignam Joánne senténtiam : Quia præcéptum Dómini est : et si solum fiat, súfficit.

℟. Diligébat autem eum Jesus, quóniam speciális prærogatíva castitátis amplióri dilectióne fécerat dignum : * Quia virgo eléctus ab ipso, virgo in ævum permánsit.

℣. In cruce dénique moritúrus, huic matrem Vírginem vírgini commendávit. Quia.

Glória Patri. Quia.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Appáruit caro suo Joánni Dóminus Jesus Christus cum discípulis, et ait illi : Veni dilécte mi ad me : quia tempus est, ut epuléris in convívio meo cum frátribus tuis.

Ps. Confitébimur. [10]

Aña. Expándens manus suas ad Dóminum, dixit : Invitátus ad convívium tuum vénio, grátias agens, quia me dignátus es, Dómine Jesu Christe, ad tuas épulas invitáre,

sciens, quod ex toto corde meo desiderábam te.

Ps. Dóminus regnávit.

Aña. Dómine súscipe me, ut cum frátribus meis sim, cum quibus véniens invitásti me : áperi mihi jánuam vitæ, et perduc me ad convívium epulárum tuárum : tu es enim Christus Fílius Dei vivi, qui præcépto Patris mundum salvásti : tibi grátias reférimus per infiníta sæcula sæculórum.

Ps. Dóminus regnávit.

℣. Nimis honoráti. [12]

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. Cap. 21.

IN illo témpore : Dixit Jesus Petro : Séquere me. Convérsus Petrus vidit illum discípulum, quem diligébat Jesus, sequéntem. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 124. in Joann.


DUas vitas sibi divínitus prædicátas et commendátas novit Ecclésia; quarum una est in fide, áltera in spécie : una in témpore peregrinatiónis, áltera in æternitáte mansiónis : una in labóre, áltera in réquie : una in via, áltera in pátria : una in ópere actiónis, áltera in mercéde contemplatiónis. Una declínat a malo, et facit bonum; áltera nullum habet, a quo declínet, malum; et magnum habet, quo fruátur, bonum. Una cum hoste pugnat, áltera sine hoste regnat.

℞. Sic eum volo manére donec véniam, * Quid ad te? tu me séquere.

℣. Hunc ergo cum vidísset Petrus, dixit ad Jesum : Dómine, hic autem quid? Quid.

Lectio viij.

UNa súbvenit indigénti : áltera ibi est, ubi nullum ínvenit indigéntem. Una aliéna peccáta, ut sua sibi ignoscántur, ignóscit : áltera nec pátitur, quod ignóscat; nec facit, quod sibi poscat ignósci. Una flagellátur malis, ne extollátur in bonis : áltera tanta plenitúdine grátiæ caret omni malo, ut sine ulla tentatióne supérbiæ cohæreat summo bono.

℞. Iste est Joánnes, qui supra pectus Dómini in cœna recúbuit : * Beátus Apóstolus, cui reveláta sunt secréta cœléstia.

℣. Iste est Joánnes, cui Christus in cruce matrem Vírginem vírgini commendávit. Beátus.

Lectio ix.

ERgo una bona est, sed adhuc mísera : áltera mélior, et beáta. Ista significáta est per Apóstolum Petrum, illa per Joánnem. Tota hic ágitur ista usque in hujus sæculi finem, et illic ínvenit finem; differtur illa compléenda post hujus sæculi finem, sed in futúro sæculo non habet finem. Ideo dícitur huic : Séquere me. De illo autem : Sic eum volo manére, donec véniam : quid ad te? Tu me séquere. Quid enim est hoc? Quantum sápio, quantum cápio, quid est hoc? nisi, Tu me séquere per imitatiónem, perferéndo temporália mala : ille máneat, donec sempitérna vénio redditúrus bona.

℟. In médio Ecclésiæ apéruit os ejus : * Et adimplévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus.

℣. Jucunditátem, et exsultatiónem thesaurizávit super eum. Et.

Glória Patri. Et.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerdotalis ℣. Valde honorándus est beátus Joánnes. ℟. Qui supra pectus Dómini in cœna recúbuit, allelúia.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

HIc est discípulus ille, qui testimónium perhíbuit : et scimus, quia verum est testimónium ejus.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Hic est discípulus meus : sic eum volo manére, donec véniam.

Aña. Ecce puer meus eléctus, quem elégi, pósui super eum spíritum meum.

Aña. Sunt de hic stántibus, qui non gustábunt mortem, donec vídeant Fílium hóminis veniéntem in regno suo.

Aña. Sic eum volo manére, donec véniam : tu me séquere.

Capitulum. Eccli. 15.

QUi timet Deum, fáciet bona : et qui cóntinens est justítiæ, apprehéndet illam, et obviábit illi, quasi mater honorificáta.

Hymnus. Ætérna Christi múnera, [13] ut in Comm. Apost. cujus ultimus ℣. non mutatur.

℣. Virgo est eléctus a Dómino. ℟. Atque inter céteros magis diléctus, allelúia.

Ad Bened. Aña. In médio Ecclésiæ apéruit os ejus, et adimplévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ, et intelléctus, et stola glóriæ índuit eum, allelúia, allelúia, allelúia.

Oratio.

Ecclésiam tuam, Dómine, benígnus illústra : ut beáti Joánnis Apóstoli tui et Evangelístæ illumináta doctrínis, ad dona pervéniat sempitérna. Per Dóminum.

Deinde fit comm. Oct. Nativ. et S. Stephani, ut infra ad Laudes SS. Innocentium. 291.

AD TERTIAM.

Capit. Qui timet Deum, ut supra.

℟. In omnem terram, de Communi Apost. [13]

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccli. 15.

Firmábitur in illo, et non flectétur : et continébit illum, et non confundétur : et exaltábit illum apud próximos suos.

℟. Constítues eos. [13]

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. 15.

Jucunditátem et exsultatiónem thesaurizábit super illum, et nómine ætérno hereditábit illum Dóminus Deus noster.

℟. Nimis honoráti. [14]

℣. Annuntiavérunt.

AD VESPERAS.

Aña. Tecum princípium, cum reliq. Añis et Psalmis, ut ad ij. Vesperas Nativitatis. 269.

Capit. Qui timet Deum, ut supra ad Laud.

Hymn. Exsúltet cœlum, de Communi Apostol. [3]

℣. Valde honorándus est beátus Joánnes. ℟. Qui supra pectus Dómini in cœna recúbuit, allelúia.

Ad Magnif. Aña. Iste est Joánnes, qui supra pectus Dómini in cœna recúbuit : beátus Apóstolus, cui reveláta sunt secréta cœléstia.

Fit comm. SS. Innocentium. Aña. Innocéntes pro Christo infántes occísi sunt, ab iníquo rege lacténtes interfécti sunt; ipsum sequúntur Agnum sine mácula : et dicunt semper, Glória tibi Dómine.

℣. Hi sunt, qui cum muliéribus non sunt coinquináti. ℟. Vírgines enim sunt : et sequúntur Agnum quocúmque íerit, allelúia.

Oratio.

Deus, cujus hodiérna die præcónium Innocéntes mártyres, non loquéndo, sed moriéndo conféssi sunt : ómnia in

nobis vitiórum mala mortífica; ut fidem tuam, quam lingua nostra lóquitur, étiam móribus vita fateátur. Qui vivis.

Deinde commem. Oct. Nativ. et S. Stephani, ut in ij. Vesp. SS. Innocentium. 293.

DIE XXVIII. DECEMB.

In Festo

SS. Innocentium.

Duplex minus P. C.

AD MATUTINUM.

Invit. Veníte, adorémus Dóminum : * Qui in sanctis gloriósus est.

Ps. Veníte. 2.

Hymnus.

SAlvéte flores Mártyrum,
Quos lucis ipso in límine,
Christi insecútor sústulit,
Ceu turbo nascéntes rosas.
Vos prima Christi víctima,
Grex immolatórum tener,
Aram ante ipsam, símplices
Palma et corónis lúditis.
Glória tibi Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Heródes videns, quóniam illúsus esset a Magis : misit in Béthlehem, et occídit omnes púeros, qui erant in ea, et in ómnibus fínibus ejus.

Ps. Beátus vir, cum reliq. ut in Communi plurimor. Martyr. [58]

Aña. Christus infans non despéxit suos coætáneos mílites, sed provéxit : quibus dedit ante triumpháre, quam loqui.

Ps. Quare fremuérunt.

Aña. Arridébat párvulus occisóri, gládio adjocabátur infántulus, nutrícis loco attendébat lactens percussóris errórem.

Ps. Dómine quid.

℣. Lætámini in Dómino, de Communi. [60]

De Jeremía Prophéta.

Lectio i. Cap. 31.



HÆc dicit Dóminus : Vox in excélso audíta est lamentatiónis, luctus et fletus Rachel plorántis fílios suos, et noléntis consolári super eis, quia non sunt. Hæc dicit Dóminus : Quiéscat vox tua a plorátu, et óculi tui a lácrymis; quia est merces óperi tuo, ait Dóminus : et reverténtur de terra inimíci. Et est spes novíssimis tuis, ait Dóminus; et reverténtur fílii ad términos suos. Hæc dicit Dóminus.

℟. Sub altáre Dei audívi voces occisórum dicéntium : * Quare non deféndis sánguinem nostrum? Et accepérunt divínum respónsum : Adhuc sustinéte módicum tempus, donec impleátur númerus fratrum vestrórum.

℣. Vidi sub altáre Dei ánimas interfectórum propter verbum Dei, et propter testimónium, quod habébant : et clamábant voce magna dicéntes. Quare.

Lectio ij.

Audiens audívi Ephraim transmigrántem. Castigásti me, et erudítus sum, quasi juvénculus indómitus : convérte me, et convértar : quia tu Dóminus Deus meus. Postquam enim convertísti me, egi pœniténtiam : et postquam ostendísti mihi, percússi femur meum. Confúsus sum, et erúbui, quóniam sustínui oppróbrium adolescéntiæ meæ. Si fílius honorábilis mihi Ephraim, si puer delicátus : quia ex quo locútus sum de eo, adhuc recordábor ejus. Hæc dicit Dóminus.

℟. Effudérunt sánguinem sanctórum velut aquam * In circúitu Jerúsalem : et non erat qui sepelíret.

℣. Víndica Dómine sánguinem sanctórum tuórum, qui effúsus est. In circúitu.

Lectio iij.

Státue tibi spéculam, pone tibi amaritúdines : dírige cor tuum in viam rectam, in qua ambulásti : revértere virgo Israel, revértere ad civitátes tuas istas. Usquequo delíciis dissolvéris fília vaga? Quia creávit Dóminus novum super terram : Fémina circúmdabit virum. Hæc dicit Dóminus exercítuum, Deus Israel : Adhuc dicent verbum istud in terra Juda, et in úrbibus ejus, cum convértero captivitátem eórum : Benedícat tibi Dóminus pulchritúdo justítiæ, mons sanctus. Hæc dicit Dóminus.

℟. Sub throno Dei omnes sancti clamant : * Víndica sánguinem nostrum Deus noster.

℣. Sub altáre Dei audívi voces occisórum clamántium, et dicéntium. Víndica.

Glória Patri. Víndica.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Norunt infántes laudáre Dóminum, qui loqui non nóverant : fiunt

períti laude, qui fúerant impedíti sermóne.

Ps. Dómine, quis. [61]

Aña. Erígitur ítaque infántium ætas in laudem, quæ delictórum non nóverat crimen. Ps. Consérva.

Aña. Dignus a dignis laudátur : et ínnocens innocéntium testimónio comprobátur.

Ps. Dómini est terra.

℣. Exsúltent, de Communi. [63]

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 10. de Sanctis.

Lectio iv.


Odie, fratres caríssimi, natálem illórum infántium cólimus, quos ab Heróde crudelíssimo rege interféctos esse, Evangélii textus elóquitur. Et ídeo cum summa exsultatióne gáudeat terra, cœléstium mílitum, et tantárum parens fecúnda virtútum. Ecce profánus hostis nunquam beátis párvulis tantum prodésse potuísset obséquio, quantum prófuit ódio. Nam, sicut sacratíssimum præséntis diéi festum maniféstat, quantum in beátos párvulos iníquitas abundávit, tantum in eis grátia benedictiónis refúdit.

℟. Adoravérunt vivéntem in sæcula sæculórum, * Mitténtes corónas suas ante thronum Dómini Dei sui.

℣. Et cecidérunt in conspéctu throni in fácies suas, et benedixérunt vivéntem in sæcula. Mitténtes corónas.

Lectio v.

BEáta es, o Béthlehem terra Juda, quæ Heródis regis immanitátem in puerórum exstinctióne perpéssa es, quæ sub uno témpore candidátam plebem imbéllis infántiæ Deo offérre meruísti. Digne tamen natálem illórum cólimus, quos beátius ætérnæ vitæ mundus édidit, quam quos maternórum víscerum partus effúdit : síquidem ante vitæ perpétuæ adépti sunt dignitátem, quam usúram præséntis accéperint.

℟. Isti sunt sancti, qui passi sunt propter te, Dómine, víndica eos : * Quia clamant ad te quotídie.

℣. Víndica Dómine sánguinem sanctórum tuórum, qui effúsus est. Quia clamant.

Lectio vj.

ALiórum quidem pretiósa mors Mártyrum laudem in confessió-

ne proméruit, horum in consummatióne complácuit. Quia incipiéntis vitæ primórdiis, ipse eis occásus inítium glóriæ dedit, qui præséntis términum impósuit : quos Heródis impíetas lactántes matrum ubéribus abstráxit. Qui jure dicúntur Mártyrum flores, quos in médio frígore infidelitátis exórtos, velut primas erumpéntes Ecclésiæ gemmas, quædam persecutiónis pruína decóxit.

℟. Cantábant sancti cánticum novum ante sedem Dei et Agni : * Et resonábat terra in voces eórum.

℣. Sub throno Dei omnes sancti clamant : Víndica sánguinem nostrum Deus noster. Et.

Glória Patri. Et.

IN TERTIO NOCTURNO.

Ana. Dicunt infántes Dómino laudes, trucidáti ab Heróde : occísi prædicant, quod vivi non póterant.

Ps. Beáti, quorum. [64]

Ana. Lícuit sánguine loqui, quibus non lícuit lingua : miscent cum Dómino collóquia, quibus humána negáta sunt verba.

Ps. Exsultáte justi.

Ana. Clamant, clamant, clamant ad Dóminum Innocéntes : résonat luctus multis mátribus in excélsis : gaudet Ecclésia super mártyres, allelúia.

Ps. Deus venérunt.

℣. Justi autem, de Communi, [67]

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 2.

IN illo témpore : Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens : Surge, et áccipe púerum, et matrem ejus, et fuge in Ægyptum : et esto ibi usque dum dicam tibi. Et réliqua.

Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri.

In natali SS. Innocent.



DE morte pretiósa mártyrum Christi Innocéntium, sacra nobis est, fratres caríssimi, Evangélii léctio recitáta : in qua tamen ómnium Christi mártyrum pretiósa mors est designáta. Quod enim párvuli occísi sunt; signíficat per humilitátis méritum ad martyrii perveniéndum glóriam, et quia nisi convérsus quis fúerit, et efféctus ut párvulus, non possit ánimam dare pro Christo. Quod in Béthlehem, et in ómnibus fínibus ejus

occísi sunt; osténdit non solum in Judæa, unde Ecclésiæ cœpit orígo, sed et in ómnibus ejúsdem Ecclésiæ fínibus, quacúmque per orbem diffúsa est, persecutiónem sævitúram perfidórum, et piórum patiéntiam esse coronándam. Qui a bimátu occísi sunt, doctrína et operatióne perféctos índicant : qui vero infra, símplices, vel idiótas, fídei tamen non fictæ constántia fortes æque denúntiant.

℟. Isti sunt qui non coinquinavérunt vestiménta sua : * Ambulábunt mecum in albis, quia digni sunt.

℣. Hi sunt qui cum muliéribus non sunt coinquináti, vírgines enim sunt. Ambulábunt.

Lectio viij.

Quod illi quidem occísi sunt, sed Christus, qui quærebátur, vivens evásit : insínuat córpora quidem ab ímpiis posse périmi : sed Christum, pro quo persecútio tota sævit, nullátenus eis, vel vivéntibus, vel occísis posse auférri : sed eos veráciter contestári, quia sive vívimus, Dómino vívimus : sive mórimur, Dómino mórimur. Sive enim vívimus, sive mórimur, Dómini sumus. Quod juxta vaticínium Jeremíæ, Vox in Rama, idest, in excélso audíta est, plorátus et ululátus; maniféste denúntiat luctum sanctæ Ecclésiæ, quæ de injústa membrórum suórum nece gemit, non ut hostes gárriunt, in vácuum cédere, sed usque ad sólium ascéndere supérni júdicis. Et sicut protomártyris Abel, ita étiam sánguinem ceterórum Mártyrum de terra clamáre ad Dóminum : juxta illud viri sapiéntis : Non despícies preces pupílli, nec víduam, si effúndat loquélam gémitus.

℟. Ambulábunt mecum in albis, quia digni sunt : * Et non delébo nómina eórum de libro vitæ.

℣. Isti sunt sancti, qui non coinquinavérunt vestiménta sua : ambulábunt mecum in albis. Et non delébo.

Lectio ix.

Quod Rachel plorásse dícitur fílios suos, nec voluísse consolári, quia non sunt : signíficat Ecclésiam ploráre quidem sanctórum de hoc sæculo ablatiónem, sed non ita velle consolári, ut qui sæ-

culum morte vicérunt, rursus ad sæculi certámina secum toleránda rédeant : quia nimírum non sunt ultra revocándi in mundum, de cujus ærúmnis semel evasérunt coronándi ad Christum. Rachel namque, quæ ovis, aut videns Deum, dícitur, Ecclésiam figuráte demónstrat : cujus tota inténtio, ut vidére Deum mereátur, invígilat. Et ipsa est ovis centésima, quam Pastor bonus, relíctis in cœlo nonagintanóvem óvibus Angelicárum virtútum, ábiit quærere in terra, inventámque suis húmeris impósuit, et sic reportávit ad gregem.

℟. Centum quadragínta quátuor míllia, qui empti sunt de terra, hi sunt, qui cum muliéribus non sunt coinquináti; vírgines enim permansérunt : * Ideo regnant cum Deo, et Agnus Dei cum illis.

℣. Hi empti sunt ex homínibus primítiæ Deo et Agno, et in ore eórum non est invéntum mendácium. Ideo regnant.

Glória Patri. Ideo.

Non dicitur Te Deum laudámus, nisi Dominica fuerit, sed repetitur ℟. Centum quadragínta.

Sacerdotalis ℣. Hi sunt qui cum muliéribus non sunt coinquináti. ℟. Vírgines enim sunt, et sequúntur Agnum quocúmque íerit, allelúia.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

HEródes irátus occídit multos púeros, in Béthlehem Judæ civitáte David.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. A bimátu et infra, occídit multos púeros Heródes propter Dóminum.

Aña. Vox in Rama audíta est, plorátus et ululátus, Rachel plorans fílios suos.

Aña. Sub throno Dei omnes sancti clamant : Víndica sánguinem nostrum Deus noster.

Aña. Cantábant sancti cánticum novum ante sedem Dei, et Agni, et resonábat terra in voces eórum.

Capitulum. Apoc. 14.

VIdi supra montem Sion Agnum stantem, et cum eo centum quadragínta quátuor míllia, habéntes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in fróntibus suis.

Hymnus.

Prud. in Hymn. Epiph.

Audit tyránnus ánxius
Adésse regum Príncipem,
Qui nomen Israel regat,
Teneátque David régiam.
Exclámat amens núntio :
Succéssor instat péllimur :
Satélles i, ferrum rape,
Perfúnde cunas sánguine.
Quid próficit tantum nefas?
Quid crimen Heródem juvat?
Unus tot inter fúnera
Impúne Christus tóllitur.
Glória tibi Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Ex ore infántium, et lacténtium. ℟. Perfecísti laudem Dómine Deus noster, allelúia.

Ad Benedictus, Aña. Hi sunt, qui cum muliéribus non sunt coinquináti : vírgines enim sunt, et sequúntur Agnum quocúmque íerit.

Oratio.

Deus, cujus hodiérna die præcónium Innocéntes mártyres non loquéndo, sed moriéndo conféssi sunt : ómnia in nobis vitiórum mala mortífica; ut fidem tuam, quam lingua nostra lóquitur, étiam móribus vita fateátur. Qui vivis.

Deinde pro comm. Oct. Nativ. dicitur, etiam si Dominica fuerit, sequens Aña. Gaudeámus omnes fidéles : Salvátor noster natus est in mundum : hódie procéssit proles magnífici gérminis, et persevérat pudor virginitátis.

℣. Benedíctus, qui venit in nómine Dómini. ℟. Deus Dóminus et illúxit nobis, allelúia.

Oratio.

Concéde, quæsumus omnípotens Deus : ut nos Unigéniti tui nova per carnem natívitas líberet, quos sub peccáti jugo vetústa sérvitus tenet. Per eúmdem Christum.

Quando alia non sequitur comm. terminatur : Per eúmdem Dóminum.

Comm. S. Stephani, Aña. Lapidavérunt Stéphanum, et ipse invocábat Dóminum, dicens : Ne státuas illis hoc peccátum.

℣. Stéphanus vidit cœlos apértos. ℟. Vidit, et introívit : beátus homo, cui cœli patébant, allelúia.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Dómine, imitári quod cólimus, ut discámus et inimícos dilígere : quia ejus natalítia celebrámus, qui novit étiam pro persecutóribus exoráre Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Quando alia non sequitur comm. terminatur : exoráre Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum vivit et regnat.

Comm. S. Joannis, Aña. Hic est discípulus ille, qui testimónium perhíbuit : et scimus, quia verum est testimónium ejus.

℣. Virgo est eléctus a Dómino. ℟. Atque inter céteros magis diléctus, allelúia.

Oratio.

ECclésiam tuam, Dómine, benígnus illústra : ut beáti Joánnis Apóstoli tui et Evangelístæ illumináta doctrínis, ad dona pervéniat sempitérna. Per Christum.

Quando non sequitur alia comm. terminatur : Per Dóminum nostrum.

Infra Octav. pro comm. SS. Innocentium, Aña. Heródes irátus occídit multos púeros in Béthlehem Judæ civitáte David.

℣. Ex ore infántium et lacténtium. ℟. Perfecísti laudem, Dómine Deus noster, allelúia.

Oratio. Deus, cujus hodiérna, ut supra.

AD TERTIAM.

Capit. Vidi supra montem, ut supra.

℟. Lætámini in Dómino, de Communi. [70]

AD SEXTAM.

Capitulum. Apoc. 14.

HI sunt, qui cum muliéribus non sunt coinquináti : vírgines enim sunt. Hi sequúntur Agnum quocúmque íerit.

℟. Exsúltent. [70]

AD NONAM.

Capitulum. Apoc. 14.

HI empti sunt ex homínibus primítiæ Deo et Agno, et in ore eórum non est invéntum mendácium : sine mácula enim sunt ante thronum Dei.

℟. Justi autem. [70]

℣. Mirábilis Deus.

AD VESPERAS.

Aña. Tecum princípium, cum reliq. Añis et Ps. ut in ij. Vesp. Nativit. 269.

Capit. Vidi, ut supra.

Hymnus. Salvéte. 285.

℣. Hi sunt qui cum mulíeribus non sunt coinquináti. ℟. Vírgines enim sunt, et sequúntur Agnum quocúmque íerit, allelúia.

Ad Magnificat, Aña. Ambulábunt mecum in albis, quia digni sunt : et non delébo nómina eórum de libro vitæ.

Pro commem. S. Thomæ, Aña. Iste sanctus. ℣. Glória et honóre, ut in Communi unius Martyris. [29]

Oratio.

Deus, pro cujus Ecclésia gloriósus Póntifex Thomas gládiis impiórum occúbuit : præsta quæsumus : ut omnes, qui ejus implórant auxílium, petitiónis suæ salutárem consequántur efféctum. Per Christum.

Deinde pro comm. Oct. Nativit. etiamsi Dominica fuerit, Aña. Hódie intácta Virgo Deum nobis génuit téneris indútum membris, quem lactáre méruit : omnes ipsum adorémus, qui venit salváre nos.

℣. Tamquam sponsus. ℟. Dóminus procédens de thálamo suo, allelúia.

Oratio. Concéde, ut supra ad Laudes.

Comm. S. Stephani, Aña. Stéphanus vidit cœlos apértos, vidit et introívit : beátus homo, cui cœli patébant.

℣. Sepeliérunt Stéphanum viri timoráti. ℟. Et fecérunt planctum magnum super eum, allelúia.

Oratio. Da nobis.

Comm. S. Joannis, Aña. Ecce puer meus eléctus, quem elégi : pósui super eum Spíritum meum.

℣. Valde honorándus est beátus Joánnes. ℟. Qui supra pectus Dómini in cœna recúbuit, allelúia.

Oratio. Ecclésiam tuam.

Infra Oct. pro comm. SS. Innocentium, Aña. A bimátu et infra occídit multos púeros Heródes propter Dóminum.

℣. Hi sunt qui cum mulíeribus non sunt coinquináti. ℟. Vírgines enim sunt, et sequúntur Agnum quocúmque íerit, allelúia.

Oratio. Deus, cujus.

Si Festum S. Thomæ venerit in Dominica, in ij. Vesp. SS. Innoc. post com. S. Thomæ fit comm. Dominicæ infra Octav. ut inferius habetur : et pro comm. Oct. Nativ. dicitur Aña. Lux orta. 297.

℣. Notum fecit.

Oratio. Concéde, ut ibidem.

Deinde fiunt commem. aliarum Octavarum, ut supra.

DIE XXIX. DECEMB.

In festo **S. Thomæ** Episcopi et Martyris. Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Martyris, [28] exceptis hic signatis.

IN PRIMO NOCTURNO.

Lect. de Actibus Apostolorum. A Miléto, de Communi. [44]

IN SECUNDO NOCTURNO.

Ex Martyrol. quod scripsit Joann. Carnot. Episc. et alii.

Lectio iv.



THomas, Londíni in Anglia natus, Theobáldo succéssit Cantuariénsi Epíscopo, et qui ántea in administrándo Cancellaríæ múnere præcláre se gésserat, in Episcopáli offício fortis et invíctus fuit. Cum enim Henrícus secúndus Angliæ rex convocátis ad se Epíscopis et procéribus regni, leges ferret utilitáti ac dignitáti Ecclesiásticæ repugnántes; ádeo constánter óbstitit régiæ cupiditáti, ut neque pollicitatiónibus, neque terróribus de senténtia decédens, próxime conjiciéndus in cárcerem, clam recésserit. Inde propínqui ejus omnis ætátis ejécti, amíci, fautóres omnes, iis, quibus per ætátem licéret, jurejurándo adstríctis, univérsos Thomam aditúros, si fortásse miserábili suórum calamitátis adspéctu moverétur, qui a sancto propósito privátis incómmodis deterréri mínime potuísset. Non respéxit carnem, aut sánguinem, neque ullus in eo humanitátis sensus, pastorális offícii constántiam labefactávit.

℞. Desidérium. [35]

Lectio v.

COntulit ígitur se ad Alexándrum Tértium Pontíficem, a quo benígne accéptus est : et inde proféctus, mónachis Pontiniacénsis monastérii, Cisterciénsis Ordinis, ab eódem commendátus. Quod ut cognóvit Henrícus, missis ad convéntum fratrum Cisterciénsium minácibus lítteris, Thomam e Pontiníaco monastério exturbáre conátur. Quare vir sanctus véritus, ne sua causa mali áliquid Cisterciénsis família paterétur, sponte discéssit, et Ludovícum Gálliæ regem ejus invitátu convénit :

ubi támdiu fuit, quoad Pontífice Máximo, et ipso rege agéntibus, ab exsílio summa totíus regni gratulatióne revocátur. Qui dum boni pastóris offícium secúrus exséquitur, ecce calumniatóres ad regem déferunt, eum multa contra regnum et públicam quiétem molíri; ut proptérea sæpius conquererétur rex, se in suo regno cum uno sacerdóte pacem habére non posse.

℟. Dómine prævenísti.

Lectio vj.

Ex qua regis voce nefárii satéllites sperántes gratum se regi factúros, si Thomam e médio tóllerent, clam conveniéntes Cantuáriam, Epíscopum in templo vespertínis Horis óperam dantem aggrediúntur. Qui cléricis templi áditus præclúdere conántibus accúrrens, óstium apéruit, illis usus verbis ad suos: Non est Dei Ecclésia custodiénda more castrórum: et ego pro Ecclésia Dei libénter mortem subíbo. Tum ad mílites: Vos Dei jussu cavéte, ne cuípiam meórum noceátis. Deínde flexis génibus, Deo, beátæ Maríæ, sancto Dionysio, et réliquis Sanctis ejus Ecclésiæ patrónis, Ecclésiam et seípsum comméndans, sacrum caput eádem constántia, qua iniquíssimi regis légibus restíterat, ímpio ferro præcidéndum óbtulit, quarto Kaléndas Januárii, anno Dómini millésimo centésimo septuagésimo primo: cujus cérebro respérsum est totíus templi paviméntum. Quem multis póstea illústrem miráculis idem Alexánder Póntifex rétulit in Sanctórum númerum.

℟. Stola jucunditátis.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. Cap. 10.

In illo témpore: Dixit Jesus Pharisæis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homil. 14. in Evang.

Audístis, fratres caríssimi, ex lectióne Evangélica eruditiónem vestram: audístis et perículum nostrum. Ecce enim is, qui non ex accidénti dono, sed essentiáliter bonus est, dicit: Ego sum pastor bonus.

Atque ejúsdem bonitátis formam, quam nos imitémur, adjúngit, dicens : Bonus pastor ánimam suam ponit pro óvibus suis. Fecit quod mónuit : osténdit quod jussit. Bonus pastor pro óvibus suis ánimam suam pósuit, ut in sacraménto nostro corpus suum et sánguinem vérteret, et oves quas redémerat, carnis suæ aliménto satiáret.

℟. Coróna áurea. [38]

Lectio viii.

Osténsa nobis est de contémptu mortis via, quam sequámur : appósita est forma, cui imprimámur. Primum nobis est, exterióra nostra misericórditer óvibus ejus impéndere : postrémum vero, si necésse sit, étiam mortem nostram pro eísdem óvibus ministráre. A primo autem hoc mínimo pervenítur ad postrémum majus. Sed cum incomparabíliter longe sit mélior ánima, qua vívimus, quam terréna substántia, quam extérius possidémus : qui non dat pro óvibus substántiam suam, quando pro his datúrus est ánimam suam?

℟. Glória et honóre.

Si Dominica fuerit, Lectio ix. dicatur de Hom. Dom. ut infra. 300.

Lectio ix.

At sunt nonnúlli, qui dum plus terrénam substántiam, quam oves díligunt, mérito nomen pastóris perdunt : de quibus prótinus súbditur : Mercenárius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, et dimíttit oves, et fugit. Non pastor, sed mercenárius vocátur, qui non pro amóre íntimo oves domínicas, sed ad temporáles mercédes pascit. Mercenárius quippe est, qui locum quidem pastóris tenet, sed lucra animárum non quærit, terrénis cómmodis ínhiat; honóre prælatiónis gaudet, temporálibus lucris páscitur, impénsa sibi ab homínibus reveréntia lætátur.

℟. Miles Christi.

In Laud. fiant commem. Octavarum, ut supra. **291.** sed si Dom. fuerit, fiat primo commem. Domin. Aña. **Dum médium.** ℣. **Benedíctus.** Orat. **Omnípotens**; deinde comm. Oct. Nativ. per Añam **Natus est.** ℣. **Puer natus.** Oratio. **Concéde,** ut in-

fra, 301. ac reliquarum Octavarum.

AD VESPERAS.

Aña. Tecum princípium, cum reliquis Añis et Ps. ut in ij. Vesp. Nativ. et, si in crastino fuerit Dominica, a cap. fit de Dom. ut infra: alias Vesperæ integræ erunt de S. Thoma, et fit comm. Dom. infra Oct. deinde comm. Oct. Nativ. per Añam Hódie intácta. ℣. Notum fecit, ac aliarum Octavarum.

Si autem hodie fuerit Dominica, comm. Dom. fit per Añam Erant Joseph. ℣. Tamquam sponsus, et comm. Oct. Nativ. per Añam Virgo hódie. ℣. Notum fecit, ut infra in ij. Vesp. Dom. 303.

Si vero in crastino fuerit Sabbatum, non fit comm. Dom. sed solum com. Oct. Nativ. aliarumque Octav. ut supra in ij. Vesperis SS. Innocent. 293.

DIE XXX. DECEMB.

Si fuerit

DOMINICA

infra Octavam Nativitat.

Duplex minus.

AD VESPERAS.

Capitulum. Gal. 4.

Quanto témpore heres párvulus est, nihil differt a servo, cum sit dóminus ómnium: sed sub tutóribus, et actóribus est usque ad præfinítum tempus a Patre.

℟. In princípio. 257.

Hymn. Veni Redémptor.

℣. Tamquam sponsus, ut in j. Vesp. Nativit. 258.

Ad Magnif. Aña. Propter nímiam caritátem suam, qua diléxit nos Deus, Fílium suum misit in similitúdinem carnis peccáti, allelúia.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, dírige actus nostros in beneplácito tuo: ut in nómine dilécti Fílii tui, mereámur bonis opéribus abundáre. Per eúmdem Dóminum.

Et fit commem. S. Thomæ, Aña. Hic est vere martyr. ℣. Glória et honóre. Oratio. Deus, pro cujus. 293.

Deinde fit comm. Nativ. Aña. Lux orta est super nos, quia hódie natus est Salvátor, allelúia.

℣. Notum fecit Dóminus. ℟. Salutáre suum, allelúia.

Oratio. Concéde quæsumus, ut infra. 302.

Denique fiunt commemorationes aliarum Octavarum ut in ij. Vesperis SS. Innocentium. 293.

AD MATUTINUM.

Omnia ut in die Nativitatis, 258. exceptis hic signatis.

IN PRIMO NOCTURNO.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus servus Jesu Christi, vocátus Apóstolus, segregátus in Evangélium Dei, quod ante promíserat per Prophétas suos in Scriptúris sanctis de Fílio suo, qui factus est ei ex sémine David secúndum carnem, qui prædestinátus est Fílius Dei in virtúte secúndum Spíritum sanctificatiónis, ex resurrectióne mortuórum Jesu Christi Dómini nostri : per quem accépimus grátiam, et Apostolátum ad obediéndum fídei in ómnibus Géntibus pro nómine ejus, in quibus estis et vos vocáti Jesu Christi : ómnibus qui sunt Romæ, diléctis Dei, vocátis sanctis. Grátia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Dómino Jesu Christo.

℟. Hódie nobis. 260.

Lectio ij.

PRimum quidem grátias ago Deo meo per Jesum Christum pro ómnibus vobis : quia fides vestra annuntiátur in univérso mundo. Testis enim mihi est Deus, cui sérvio in spíritu meo in Evangélio Fílii ejus, quod sine intermissióne memóriam vestri fácio semper in oratiónibus meis : óbsecrans, si quo modo tandem aliquándo prósperum iter hábeam in voluntáte Dei veniéndi ad vos. Desídero enim vidére vos, ut áliquid impértiar vobis grátiæ spirituális ad confirmándos vos, id est, simul consolári in vobis per eam, quæ ínvicem est, fidem vestram, atque meam.

℟. Hódie nobis.

Lectio iij.

NOlo autem vos ignoráre, fratres, quia sæpe propósui veníre ad vos, (et prohíbitus sum usque adhuc) ut áliquem fructum hábeam et in vobis, sicut et in céteris Géntibus. Græcis ac Bárbaris, sapiéntibus et insipiéntibus débitor sum : ita (quod in me) promptum est et vobis, qui Romæ estis, evangelizáre. Non enim erubésco Evangélium : Virtus enim Dei est in salútem omni credénti, Judæo primum et Græco.

Justítia enim Dei in eo revelátur ex fide in fidem : sicut scriptum est : Justus autem ex fide vivit. Revelátur enim ira Dei de cœlo super omnem impietátem, et injustítiam hóminum eórum, qui veritátem Dei in injustítia détinent : quia quod notum est Dei, maniféstum est in illis. Deus enim illis manifestávit.

℟. Descéndit.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Sermo sancti Leónis Papæ.

Hom. 9. de Nat. Domini.

Lectio iv.

EXcédit quidem, dilectíssimi, multúmque superéminet humáni elóquii facultátem divíni óperis magnitúdo : et inde óritur difficúltas fandi, unde adest rátio non tacéndi. Quia in Christo Jesu Fílio Dei, non solum ad divínam esséntiam, sed étiam ad humánam spectat natúram, quod dictum est per Prophétam : Generatiónem ejus quis enarrábit? Utrámque enim substántiam in unam convenísse persónam, nisi fides credat, sermo non éxplicat. Et ídeo nunquam matéria déficit laudis, quia nunquam súfficit cópia laudatóris.

℟. Quem vidístis. 262.

Lectio v.

GAudeámus ígitur, quod ad eloquéndum tantæ misericórdiæ sacraméntum ímpares sumus : et cum salútis nostræ altitúdinem prómere non valeámus, sentiámus nobis bonum esse, quod vincimur. Nemo enim ad cognitiónem veritátis magis propínquat, quam qui intélligit in rebus divínis étiam si multum profíciat, semper sibi superésse quod quærat. Nam qui se ad id, in quod tendit, pervenísse præsúmit, non quæsíta réperit, sed in inquisitióne déficit.

℟. O magnum.

Lectio vj.

NE autem infirmitátis nostræ perturbémur angústiis, Evangélicæ nos, et prophéticæ ádjuvant voces : quibus ita accéndimur et docémur, ut nos Nativitátem Dómini, qua Verbum caro factum est, non tam prætéritam recólere, quam præséntem videámur inspícere. Quod enim pastóribus pro gregum suórum custódia vi-

gilántibus nuntiávit Angelus, étiam nostrum implévit audítum : et ídeo Domínicis óvibus præsumus, quia verba divínitus édita cordis aure servámus : tamquam et in hodiérna festivitáte dicátur : Evangelízo vobis gáudium magnum, quod erit omni pópulo, quia natus est vobis hódie Salvátor, qui est Christus Dóminus, in civitáte David.

℟. Sancta.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 2.

IN illo témpore : Erat pater Jesu, et mater mirántes super his, quæ dicebántur de illo. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 2. in Lucam.

VIdes úberem in omnes grátiam Dómini generatióne diffúsam, et prophetíam incrédulis negátam esse, non justis. Ecce et Símeon prophétat, in ruínam et resurrectiónem plurimórum venísse Dóminum Jesum Christum : ut justórum iniquorúmque mérita discérnat : et pro nostrórum qualitáte factórum, judex verus et justus aut supplícia decérnat, aut præmia.

℟. Beáta Dei. 264.

Lectio viij.

ET tuam, inquit, ipsíus ánimam pertransíbit gládius. Nec líttera, nec história docet, ex hac vita Maríam corporális necis passióne migrásse. Non enim ánima, sed corpus materiáli gládio transverberátur. Et ídeo prudéntiam Maríæ haud ignáram mystérii cœléstis osténdit. Vivum enim verbum Dei, et válidum, et acútius omni gládio acutíssimo, pénetrans usque ad divisiónem ánimæ et spíritus, ártuum quoque et medullárum, cogitatiónes cordis, et secréta scrutátur animórum : quia nuda et apérta sunt ómnia Dei Fílio, quem consciéntiæ secréta non fallunt.

℟. Beáta víscera.

Lectio ix.

PRophetávit ítaque Símeon, prophetáverat Virgo, prophetáverat copuláta conjúgio; prophetáre débuit étiam vídua, ne qua aut proféssio deésset, aut sexus. Et ídeo Anna et stipéndiis vidui-

tátis, et móribus talis indúcitur, ut digna plane fuísse credátur, quæ Redemptórem ómnium venísse nuntiáret. Cujus mérita cum álibi descripsérimus, cum víduas hortarémur, hoc loco, quóniam ad ália properámus, non putámus iteránda.

℟. In princípio.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerdotalis ℣. Verbum caro factum est. ℟. Et habitávit in nobis, allelúia.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

Quem vidístis pastóres? dícite, annuntiáte nobis, in terris quis appáruit? Natum vídimus, et choros Angelórum collaudántes Dóminum, allelúia, allelúia.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Génuit puérpera Regem, cui nomen ætérnum, et gáudia matris habens cum virginitátis honóre : nec primam símilem visa est, nec habére sequéntem, allelúia.

Aña. Angelus ad pastóres ait : Annúntio vobis gáudium magnum : quia natus est vobis hódie Salvátor mundi, allelúia.

Aña. Facta est cum Angelo multitúdo cœléstis exércitus laudántium, et dicéntium : Glória in excélsis Deo, et in terra pax homínibus bonæ voluntátis, allelúia.

Aña. Párvulus Fílius hódie natus est nobis, et vocábitur Deus, Fortis, allelúia, allelúia.

Capitulum. Gal. 4.

Quanto témpore heres párvulus est, nihil differt a servo, cum sit dóminus ómnium : sed sub tutóribus, et actóribus est usque ad præfinítum tempus a Patre.

Hymnus. A solis. 267.

℣. Benedíctus, qui venit.

Ad Bened. Aña. Dum médium siléntium tenérent ómnia, et nox in suo cursu médium iter perágeret, omnípotens sermo tuus Dómine a regálibus sédibus venit, allelúia.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, dírige actus nostros in beneplácito tuo : ut in nómine dilécti Fílii tui mereámur bonis opéribus abundáre. Per eúmdem Dóminum.

Deinde fit comm. Nativ. Aña. Natus est nobis hódie Salvátor, qui est Christus Dóminus, in civitáte David, allelúia.

℣. Puer natus est nobis.
℟. Et fílius datus est nobis, allelúia.

Oratio.

Concéde, quæsumus omnípotens Deus: ut nos Unigéniti tui nova per carnem natívitas líberet, quos sub peccáti jugo vetústa sérvitus tenet. Per eúmdem Christum.

Denique fiunt commem. aliarum Octavarum ut in Laudibus SS. Innocentium. 291.

AD TERTIAM.

Capit. Quanto témpore, ut supra ad Laudes.

℟. Puer natus est nobis, * Allelúia, allelúia. Puer.
℣. Et fílius datus est nobis. Allelúia, allelúia.
Glória Patri. Puer.
℣. Ipse invocábit.

AD SEXTAM.

Capitulum. Galat. 4.

At ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum factum ex mulíere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus.

℟. Ipse invocábit me, * Allelúia, allelúia. Ipse.
℣. Pater meus es tu. Allelúia, allelúia.
Glória Patri. Ipse.
℣. Notum fecit.

AD NONAM.

Capitulum. Galat. 4.

Itaque jam non est servus, sed fílius: quod si fílius, et heres per Deum.

℟. Notum fecit Dóminus, * Allelúia, allelúia. Notum.
℣. Salutáre suum. Allelúia, allelúia.
Glória Patri. Notum.
℣. Benedíctus, qui venit in nómine Dómini.
℟. Deus Dóminus, et illúxit nobis, allelúia.

AD VESPERAS.

Aña. Tecum princípium, cum reliquis Añis et Psalmis ut in ij. Vesperis Nativitatis. 269.

A Capitulo fit de S. Silvestro, ut in Commun. unius Confess. Pontif. [75]

Ad Magnificat, Aña. Dum esset summus Póntifex.

Oratio. Da quæsumus, de Communi.

Deinde fit comm. Dom. infra Oct. Aña. Erant Joseph et María mater Jesu, mirántes super his, quæ dicebántur de illo.

℣. Tamquam sponsus.
℟. Dóminus procédens de thálamo suo, allelúia.
Oratio. Omnípotens.

Postea fiat comm. Nativ. Aña. Virgo hódie fidélis,

etsi Verbum génuit incarnátum, Virgo mansit et post partum; quam laudántes omnes dícimus : Benedícta tu in muliéribus, allelúia.

℣. Notum fecit Dóminus. ℟. Salutáre suum, allelúia.

Oratio. Concéde quæsumus.

Postremo fiunt comm. aliarum Octav. ut supra in ij. Vesp. SS. Innocent.

DIE XXX. DECEMB.

Si fuerit

Sabbat. vel Fer. II.

Semiduplex.

AD MATUTINUM.

Invitator. et Hymnus, ut in die Nativ. 258.

Aña. Dóminus dixit. 259.

Ps. Quare fremuérunt, et reliqui de Nativ. cum hac sola.

℣. Notum fecit Dóminus.
℟. Salutáre suum, allelúia.

Lectiones duæ de initio Epist. ad Romanos. Prima. Paulus servus Jesu Christi. Secunda. Primum quidem, cum tribus Responsoriis ut infra. 304.

Sermo sancti Leónis Papæ.

Hom. 9. de Nat. Domini.

Lectio iij.

Excédit quidem, dilectíssimi, multúmque superéminet humáni elóquii facultátem divíni óperis magnitúdo : et inde óritur difficúltas fandi, unde adest rátio non tacéndi : Quia in Christo Jesu Fílio Dei, non solum ad divínam esséntiam, sed étiam ad humánam spectat natúram, quod dictum est per Prophétam : Generatiónem ejus quis enarrábit? Utrámque enim substántiam in unam convenísse persónam, nisi fides credat, sermo non éxplicat. Et ídeo nunquam matéria déficit laudis, quia nunquam súfficit cópia laudatóris.

℟. In princípio.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerd. ℣. Verbum caro.

AD LAUDES.

Aña. Quem vidístis.

Ps. consueti cum hac sola.

Capit. Hymnus, et ℣. ut in die Nativitatis. 267.

Ad Benedictus, Aña. Gaudeámus omnes fidéles : Salvátor noster natus est in mundum : hódie procéssit proles magnífici gérminis, et persevérat pudor virginitátis.

Oratio. Concéde, ut sup.

Postea fiunt comm. reliquarum Octav. sine comm. Dom. infra Octav.

Ad Horas, omnia ut in die Nativitatis.

AD VESPERAS.

Aña. **Tecum princípium,** cum reliq. ut in ij. Vesp. Nativ. **269.**

A capitulo fiat de S. Silvestro; deinde, si fuerit Sabbatum, fiat commem. Dom. infra Oct. Aña. **Propter nímiam,** ut in j. Vesp. Dom. infra Octav. **297.**

℣. **Tamquam sponsus.**

Oratio. **Omnípotens sempitérne.**

Postea pro comm. Nativ. Aña. **Lux orta,** ut in dictis primis Vesp.

℣. **Notum fecit Dóminus.**

Oratio. **Concéde quæsumus.**

Postea fiunt commem. aliarum Octavarum, ut supra in ij. Vesp. SS. Innocentium. **293.**

Si vero fuerit Feria ij. fiant comm. omnium Oct. ut in ij. Vesp. SS. Innoc.

DIE XXX. DECEMB.

Si fuerit

Fer. III. IV. V. vel VI.

Semiduplex.

AD MATUTINUM

Invitatorium, et Hymnus, ut in die Nativ. **258.**

Aña. **Dóminus dixit. 259.**

Ps. **Quare fremuérunt,** et reliqui de Nativ. cum hac sola.

℣. **Notum fecit Dóminus.** ℟. **Salutáre suum, allelúia.**

Lectiones tres de Homil. Evang. **Erat Pater,** ut supra in Dominica infra Octav. **300.** cum sequentibus Responsoriis.

℟. j. **Beáta Dei Génitrix María, cujus víscera intácta pérmanent : * Hódie génuit Salvatórem sæculi.**

℣. **Beáta est, quæ crédidit : quóniam perfécta sunt ómnia, quæ dicta sunt ei a Dómino. Hódie génuit.**

℟. ij. **Beáta víscera Maríæ Vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium : et beáta úbera, quæ lactavérunt Christum Dóminum : * Quia hódie pro salúte mundi de Vírgine nasci dignátus est.**

℣. **Dies sanctificátus illúxit nobis : veníte gentes, et adoráte Dóminum. Quia.**

℟. iij. **In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in princípio apud Deum. * Omnia per ipsum facta sunt : et sine ipso factum est nihil.**

℣. **Quod factum est, in ipso vita erat, et vita erat lux hóminum. Omnia.**

Glória Patri. **Omnia.**

Te Deum laudámus. 20.

Sacerdotalis ℣. **Verbum caro. 301.**

AD LAUDES.

Aña. Quem vidístis. Ps. consueti cum hac sola.

Capit. Quanto témpore.

Hymn. et ℣. ut in Laud. Nativitatis. 267.

Ad Benedictus, Aña. Dum médium siléntium tenérent ómnia, et nox in suo cursu médium iter perágeret, omnípotens sermo tuus Dómine a regálibus sédibus venit, allelúia.

Oratio. Omnípotens sempitérne. 301.

Deinde pro commem. Nativitatis.

Aña. Gaudeámus omnes fidéles : Salvátor noster natus est in mundum : hódie procéssit proles magnífici gérminis, et persevérat pudor virginitátis.

℣. Puer natus est nobis. ℟. Et fílius datus est nobis, allelúia.

Postea aliæ commemorationes ut in Laudibus SS. Innocentium. 291.

Ad Horas, et ad ij. Vesperas omnia ut in Dominicis infra Octavam sed pro commem. Nativitatis dicitur

Aña. Hódie intácta Virgo Deum nobis génuit téneris indútum membris, quem lactáre méruit : omnes ipsum adorémus, qui venit salváre nos.

℣. Notum fecit Dóminus. ℟. Salutáre suum, allelúia.

Deinde fiunt comm. ut supra in ij. Vesp. SS. Innocentium. 293.

DIE XXXI. DECEMB.

In Festo S. Silvestri

Papæ et Confessoris.

Duplex minus.

A capit. omnia de Communi unius Conf. Pont. [75] præter hic signata.

Ad Magnificat, Aña. Dum esset.

Oratio. Da quæsumus, de Communi. [76]

Deinde fiant comm. ut supra respective dictum fuit.

AD MATUTINUM.

IN PRIMO NOCTURNO.

Si Lectiones de initio Epistolæ beati Pauli ad Romanos non fuerint lectæ in præcedenti die vacante, legantur in j. Noct. hujus Festi una cum lectionibus sequentibus. Sed si lectæ fuerint, legantur tantum sequentes Lectiones. Vide Rub. 31. § 37.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 2.

Ropter quod inexcusábilis es, o homo omnis, qui júdicas. In quo enim júdi-

cas álterum, teípsum condémnas : éadem enim agis quæ júdicas. Scimus enim quóniam judícium Dei est secúndum veritátem in eos, qui tália agunt. Exístimas autem hoc, o homo, qui júdicas eos, qui tália agunt, et facis ea, quia tu effúgies judícium Dei? An divítias bonitátis ejus, et patiéntiæ, et longanimitátis contémnis? Ignóras quóniam benígnitas Dei ad pœniténtiam te addúcit.

℟. Euge serve. [78]

Lectio ij.

SEcúndum autem durítiam tuam, et impœnitens cor, thesaurízas tibi iram in die iræ, et revelatiónis justi judícii Dei, qui reddet unicuíque secúndum ópera ejus, iis quidem, qui secúndum patiéntiam boni óperis, glóriam, et honórem, et incorruptiónem quærunt, vitam ætérnam : iis autem, qui sunt ex contentióne, et qui non acquiéscunt veritáti, credunt autem iniquitáti, ira et indignátio.

℟. Ecce sacérdos.

Lectio iij.

TRibulátio, et angústia in omnem ánimam hóminis operántis malum, Judæi primum, et Græci, glória autem, et honor, et pax omni operánti bonum, Judæo primum, et Græco: non enim est accéptio personárum apud Deum. Quicúmque enim sine lege peccavérunt, sine lege períbunt : et quicúmque in lege peccavérunt, per legem judicabúntur. Non enim auditóres legis justi sunt apud Deum, sed factóres legis justificabúntur.

℟. Jurávit Dóminus.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv.

SIlvéster Románus, patre Rufíno, a prima ætáte óperam dedit Cyríno Presbytero, cujus doctrínam et mores egrégie imitátus est. Hic, sæviénte persecutióne, in Soráete monte latitáverat, et trigésimum annum agens présbyter sanctæ Románæ Ecclésiæ a Marcellíno Pontífice creátur. Quo in múnere cum omni laude cléricis áliis antecélleret, in Melchíadis póstea locum succéssit, imperatóre Constantíno, qui ántea pacem Ecclésiæ Christi lege pública déderat. Vix Ecclésiæ gubernácula tractánda suscéperat, Constantí-

num, jam Crucis signo cœlitus illustrátum, et de hoste Maxéntio victórem, ad tuéndam propagandámque christiánam religiónem impénse fovit. Quem étiam, uti vetus Ecclésiæ Románæ refert tradítio, Apostolórum imágines recognóscere fecit, sacro baptísmate tinxit, et ab infidelitátis lepra mundávit.

℟. Pósui adjutórium. 82.

Lectio v.

Itaque, auctóre Silvéstro, pius imperátor quam christifidélibus públice templa exstruéndi tribúerat facultátem, eam exémplo suo confirmávit; multas enim eréxit Basílicas, scílicet Lateranénsem Christo Servatóri, Vaticánam sancto Petro, Ostiénsem sancto Paulo, sancto Lauréntio in Agro Veráno, sanctæ Cruci in Atrio Sessoriáno, sancto Petro et Marcellíno ac sanctæ Agnéti in viis Lavicána et Nomentána, et álias, quas sacris imagínibus spléndide exornávit, et, munéribus prædiísque attribútis, magnificentíssime locupletávit. Hoc Pontífice hábitum est Concílium Nicænum primum, ubi præsidéntibus ejus Legátis, præsénteque Constantíno, et trecéntis decem et octo epíscopis, sancta et cathólica fides explicáta est, Arío ejúsque sectatóribus condemnátis; quod étiam Concílium, peténtibus Pátribus, confirmávit in synodo Romæ hábita, ubi íterum Aríus condemnátus est. Multa item decréta fecit Ecclésiæ Dei utília, quæ sub ejus nómine recenséntur; idest, ut a solo Epíscopo chrisma conficerétur; ut Présbyter chrísmate baptizáti summum liníret vérticem; ut Diáconi dalmáticis in Ecclésia, et palla linóstima ad lævam uteréntur : ut in líneo tantum velo sacrifícium altáris conficerétur.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

Idem præscripsísse tráditur tempus ómnibus, qui ordínibus initiáti essent, exercéndi síngulos órdines in Ecclésia, ántequam quisque ad altiórem gradum ascénderet; ut láicus clérico non inférret crimen; ne cléricus apud profánum júdicem causam díceret. Sábbati et Domínici diéi nómine retento, réliquos hebdó-

madæ dies feriárum nómine distínctos, ut jam ante in Ecclésia vocári cœperant, appellári vóluit, quo significarétur, quotídie cléricos, abjécta ceterárum rerum cura, uni Deo prorsus vacáre debére. Huic cœlésti prudéntiæ, qua Ecclésiam administrábat, insígnis vitæ sánctitas, et benígnitas in páuperes perpétuo respóndit. Quo in génere provídit, ut cléricis copiósis egéntes conjúngeret, et sacris virgínibus, quæ ad victum necessária essent, suppeditaréntur. Vixit in Pontificátu annos vigínti unum, menses decem, diem unum. Sepúltus est in cœmetério Priscíllæ via Salária. Fecit ordinatiónes septem mense Decémbri quibus creávit Presbyteros quadragínta duos, Diáconos vigínti quinque, Epíscopos per divérsa loca sexagínta quinque.


℟. Ecce vir prudens.

In tertio Nocturno. Homilia in Evang. **Homo quidam péregre,** ut in Communi. [85]

Si Dominica fuerit. ix. Lectio de Homilia Dominicæ. ut supra. 300.

Ad Laudes fiant comm. Octavarum, ut in Laudibus SS. Innocent. 291.

Si Dominica fuerit. primum fiat comm. Dom. infra Oct. deinde Nativ. et aliarum Octavarum, ut habetur in Laudibus ejusdem Dom. infra Oct. 301.



Die i. Januarii.

In Circumcisione Domini.

DUPLEX MAJUS P. C.

AD VESPERAS.

Aña. Tecum princípium, cum reliquis Aññs et Psalmis, ut in ij. Vesp. Nativ.

Capitulum. Hebr. 1.



Ultifáriam multísque modis olim Deus loquens pátribus in Prophétis : novíssime diébus istis locútus est nobis in Fílio, quem constítuit herédem universórum, per quem fecit et sæcula.

℟. Verbum caro factum est, et habitávit in nobis : * Cujus glóriam vídimus quasi unigéniti a Patre, plenum grátiæ et veritátis.

℣. In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Cujus glóriam.

Glória Patri. Cujus glóriam.

Hymnus. Veni Redémptor Géntium. 258.

℣. Tamquam sponsus.

Ad Magníficat, Aña. Qui de terra est, de terra lóquitur : qui de cœlo venit, super omnes est : et quod vidit, et audívit, hoc testátur, et testimónium ejus nemo áccipit : qui autem accépit ejus testimónium, signávit, quia Deus verax est.

Oratio. Deus, qui nobis, ut infra ad Laudes.

Hic nulla fiat comm.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Christus natus est nobis : * Veníte adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus. 2.

Hymn Christe Redémptor. 258.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Dóminus dixit ad me : Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Ps. Quare fremuérunt. 4.

Aña. In sole pósuit tabernáculum suum : et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo.

Ps. Cœli enárrant. 17.

Aña. Elevámini portæ æternáles, et introíbit Rex glóriæ.

Ps. Dómini est terra. 128.

℣. Tamquam sponsus. ℟. Dóminus procédens de thálamo suo, allelúia.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 3.

Quid ergo ámplius Judæo est? aut quæ utílitas circumcisiónis? Multum per omnem modum. Primum quidem quia crédita sunt illis elóquia Dei. Quid enim si quidam illórum non credidérunt? Numquid incredúlitas illórum fidem Dei evacuábit? Absit. Est autem Deus verax : omnis autem homo mendax, sicut scriptum est : Ut justificéris in sermónibus tuis : et vincas cum judicáris. Si autem iníquitas nostra justítiam Dei comméndat, quid dicémus? Numquid iníquus est Deus, qui infert iram? (secúndum hóminem dico). Absit. Alióquin quómodo judicábit Deus hunc mundum?

℟. Benedíctus, qui venit in nómine Dómini,* Deus Dóminus, et illúxit nobis, allelúia, allelúia.

℣. Lápidem, quem reprobavérunt ædificántes, hic factus est in caput ánguli. Deus.

Lectio ij.

An Judæórum Deus tantum? nonne et Géntium? Imo et Géntium: quóniam quidem unus est Deus, qui justíficat circumcisiónem ex fide, et præpútium per fidem. Legem ergo destrúimus per fidem? Absit : sed legem statúimus. Quid ergo dicémus invenísse Abraham patrem nostrum secúndum carnem? Si enim Abraham ex opéribus justificátus est, habet glóriam, sed non apud Deum. Quid enim dicit Scriptúra? Crédidit Abraham Deo, et reputátum est illi ad justítiam. Ei autem, qui operátur, merces non imputátur secúndum grátiam, sed secúndum débitum. Ei vero, qui non operátur, credénti autem in eum, qui justíficat ímpium, reputátur fides ejus ad justítiam secúndum propósitum grátiæ Dei. Sicut et David dicit beatitúdinem hóminis, cui Deus accépto fert justítiam sine opéribus : Beáti, quorum remíssæ sunt iniquitátes, et quorum tecta sunt peccáta.

℟. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi : ecce de quo di-

cébam vobis : * Qui post me venit, ante me factus est : cujus non sum dignus corrígiam calceaménti sólvere.

℣. Hoc est testimónium quod perhíbuit Joánnes, dicens. Qui post.

Lectio iij.

BEatitúdo ergo hæc in circumcisióne tantum manet; an étiam in præpútio? Dícimus enim quia reputáta est Abrahæ fides ad justítiam. Quómodo ergo reputáta est, in circumcisióne, an in præpútio? Non in circumcisióne, sed in præpútio. Et signum accépit circumcisiónis, signáculum justítiæ fídei, quæ est in præpútio; ut sit pater ómnium credéntium per præpútium, ut reputétur et illis ad justítiam : et sit pater circumcisiónis, non iis tantum, qui sunt ex circumcisióne, sed et iis, qui sectántur vestígia fídei, quæ est in præpútio patris nostri Abrahæ.

℟. Confirmátum est cor Vírginis, in quo divína mystéria, Angelo nuntiánte, concépit; tunc speciósum forma præ fíliis hóminum castis concépit viscéribus. * Et benedícta in ætérnum Deum nobis prótulit, et hóminem.

℣. Domus pudíci péctoris templum repénte fit Dei, intácta, nésciens virum, verbo concépit fílium. Et benedícta.

Glória Patri. Et.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Speciósus forma præ fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis.

Ps. Eructávit cor. 52.

Aña. Homo natus est in ea, et ipse fundávit eam Altíssimus.

Ps. Fundaménta ejus. 96.

Aña. Exsultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quóniam venit.

Ps. Cantáte Dómino. 101.

℣. Ipse invocábit me.

℟. Pater meus es tu, allelúia.

Sermo sancti Leónis Papæ.

Serm. 7. de Nativ. Dom.

Lectio iv.



FEstivitátis hodiérnæ, dilectíssimi, verus venerátor est, et pius cultor, qui nec de Incarnatióne Dómini áliquid falsum, nec de Deitáte áliquid sentit indígnum. Paris enim perículi malum est, si illi aut natúræ nostræ véritas, aut patérnæ glóriæ negátur æquálitas. Cum ergo ad

intelligéndum sacraméntum Nativitátis Christi, qua de matre Vírgine est ortus, accédimus; abigátur procul terrenárum calígo ratiónum, et ab illuminátæ fídei óculo, mundánæ sapiéntiæ fumus abscédat.

℟. O Regem cœli, cui tália famulántur obséquia: stábulo pónitur, qui cóntinet mundum : * Jacet in præsépio, et in núbibus tonat.

℣. Dómine, audívi audítum tuum, et tímui : considerávi ópera tua, et expávi in médio duórum animálium. Jacet.

Lectio v.

Divína est enim auctóritas, cui crédimus : divína est doctrína, quam séquimur. Quóniam sive Legis testificatióni, sive oráculis Prophetárum sive Evangélicæ tubæ interiórem admoveámus audítum; verum est, quod Joánnes plenus Spíritu sancto intónuit : In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in princípio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt : et sine ipso factum est nihil. Et simíliter verum est quod idem prædicátor adjécit : Verbum caro factum est, et habitávit in nobis : et vídimus glóriam ejus, glóriam quasi Unigéniti a Patre.

℟. Congratulámini mihi omnes, qui dilígitis Dóminum : * Quia cum essem párvula, plácui Altíssimo : et de meis viscéribus génui Deum et hóminem.

℣. Beátam me dicent omnes generatiónes : quia ancíllam húmilem respéxit Deus. Quia cum.

Lectio vj.

In utráque ergo natúra idem est Dei Fílius, nostra suscípiens, et própria non amíttens : in hómine hóminem rénovans, in se incommutábilis persevérans. Déitas enim, quæ illi cum Patre commúnis est, nullum detriméntum omnipoténtiæ súbiit : nec Dei formam servi forma violávit : quia summa et sempitérna esséntia, quæ se ad humáni géneris inclinávit salútem, nos quidem in suam glóriam tránstulit, sed quod erat, esse non déstitit. Unde cum Unigénitus Dei minórem se Patre confitétur, cui se dicit æquálem, veritátem in se formæ utriúsque demónstrat, ut

et humánam probet imparílitas, et divínam declárет æquálitas.

℟. Cóntinet in grémio cœlum terrámque regéntem, * Virgo Dei Génitrix, próceres comitántur heríles, per quos orbis ovans Christo sub Príncipe pollet.

℣. Virgo Dei Génitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit víscera factus homo. Virgo. Glória Patri. Virgo.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. In princípio, et ante sæcula Deus erat Verbum, et ipse natus est hódie Salvátor mundi.

Psalm. Dóminus regnávit, exsúltet. 102.

Aña. Ante lucíferum génitus, et ante sæcula, Dóminus Salvátor noster hódie nasci dignátus est.

Ps. Cantáte Dómino. 107.

Aña. Nato Dómino Angelórum chorus canébat, dicens : Salus Deo nostro, sedénti super thronum, et Agno. Ps. Dóminus regnávit. 107.

℣. Notum fecit Dóminus.
℟. Salutáre suum, allelúia.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 2.

IN illo témpore : Postquam consummáti sunt dies octo, ut circumciderétur puer : vocátum est nomen ejus Jesus. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. 1. hujus diei.



AUdívimus paucis, expréssum magnum pietátis sacraméntum. Audívimus cóngruam lectiónem verbo abbreviáto, quod fecit Dóminus super terram. Abbreviátum enim in carne, ámplius abbreviátur suscépta étiam carnis circumcisióne. Minorátus paulo minus ab Angelis Dei Fílius humánam natúram índuit, sed jam nec ipsum réspuens remédium humánæ corruptiónis, plane multo minorátus ab eis. Habes ígitur hic magnum fídei documéntum, habes et maniféstum humilitátis exémplum. Ad quid enim tibi circumcísio necessária, qui peccátum non commisísti, nec contraxísti? Quod ipse non féceris, ætas maniféstat : quod non contráxeris, multo cértius probat Patris divínitas, intégritas matris. Summus Sacérdos es, quem nec super Patre, nec super matre contaminándum, prophetátum est in lege, potiúsquam man-

dátum. Est enim tibi Pater ab ætérno, sed Deùs est, in quem peccátum non cadit. Est et mater ex témpore, sed Virgo, nec párere pótuit incorrúptio corruptélam. Super hæc ómnia circumcíditur puer, Agnus sine mácula. Etsi non éguit, tamen vóluit circumcídi. Nec vestígium quidem ullum vúlneris habens, alligatúram non réfugit vúlneris.

℟. Násciens mater Virgo virum, péperit sine dolóre Salvatórem sæculórum : * Ipsum Regem Angelórum sola Virgo lactábat úbere de cœlo pleno.

℣. Beáta víscera Maríæ Vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium. Ipsum Regem.

Aliquanto post.

Lectio viij.

MAgnum et mirábile sacraméntum. Circumcíditur puer et vocátur Jesus. Quid sibi vult ista connéxio? Circumcísio nempe magis salvándi, quam Salvatóris esse vidétur : et Salvatórem circumcídere pótius decet, quam circumcídi. Sed agnósce mediatórem Dei, et hóminum, qui ab ipso nativitátis suæ exórdio divínis humána sóciat, ima summis. Náscitur ex mulíere, sed cui fecunditátis fructus sic accédat, ut non décidat flos virginitátis. Pannis invólvitur, sed panni ipsi Angélicis láudibus honorántur. Abscónditur in præsépio, sed próditur radiánte stella de cœlo. Sic et circumcísio veritátem suscéptæ probat humanitátis : et nomen, quod est super omne nomen, glóriam índicat majestátis. Circumcíditur tamquam verus Abrahæ fílius : Jesus vocátur tamquam verus Fílius Dei.

℟. Beáta Dei Génitrix María, cujus víscera intácta pérmanent : * Hódie génuit Salvatórem sæculi.

℣. Beáta, quæ credidísti, quóniam perfécta sunt ómnia quæ dicta sunt tibi a Dómino. Hódie génuit.

Lectio ix.

NEque enim adínstar priórum meus iste Jesus, nomen vácuum aut inâne portat. Non est in eo magni nóminis umbra, sed véritas. Cœlitus síquidem índitum nomen Evangelísta testátur. Quod vocátum est ab Angelo priúsquam in útero conciperétur. Et atténde verbi profunditátem. Post-

quam natus est Jesus : Jesus vocátur ab homínibus, qui vocátus est ab Angelo priúsquam in útero conciperétur. Idem quippe et Angeli Salvátor et hóminis : sed hóminis ab incarnatióne, Angeli ab inítio creatúræ. Vocátum est, ait, nomen ejus Jesus, quod vocátum est ab Angelo. In ore ergo duórum vel trium téstium stat omne verbum, et ipsum, quod in Prophéta abbreviátum, maniféstius in Evangélio légitur caro factum.

℟. Verbum caro factum est, et habitávit in nobis : * Cujus glóriam vídimus quasi Unigéniti a Patre, plenum grátiæ et veritátis.

℣. In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Cujus.

Glória Patri. Cujus.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerdotalis ℣. Verbum caro factum est. ℟. Et habitávit in nobis, allelúia.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

O Admirábile commércium! Creátor géneris humáni, animátum corpus sumens, de Vírgine nasci dignátus est : et procédens homo sine sémine, largítus est nobis suam Deitátem.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Quando natus es ineffabíliter ex Vírgine, tunc implétæ sunt Scriptúræ : sicut plúvia in vellus descendísti, ut salvum fáceres genus humánum : te laudámus Deus noster.

Aña. Rubum, quem víderat Móyses incombústum, conservátam agnóvimus tuam laudábilem virginitátem : Dei Génitrix intercéde pro nobis.

Aña. Germinávit radix Jesse : orta est stella ex Jacob : Virgo péperit Salvatórem : te laudámus Deus noster.

Aña. Ecce María génuit nobis Salvatórem, quem Joánnes videns exclamávit, dicens : Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi, allelúia.

Capitulum, Hebr. c. 1.



Ultifáriam, multísque modis, olim Deus loquens pátribus in Prophétis : novíssime diébus istis locútus est nobis in Fílio, quem constítuit herédem universórum, per quem fecit et sæcula.

Hymnus. Sedulii.

A solis ortus cárdine,
Ad usque terræ límitem,
Christum canámus Príncipem,
Natum María Vírgine.

Beátus Auctor sæculi,
Servíle corpus índuit :
Ut carne carnem líberans,
Ne pérderet, quos cóndidit.

Castæ paréntis víscera
Cœléstis intrat grátia :
Venter puéllæ bájulat
Secréta, quæ non nóverat.

Domus pudíci péctoris
Templum repénte fit Dei :
Intácta nésciens virum,
Verbo concépit Fílium.

Eníxa est puérpera,
Quem Gábriel prædíxerat,
Quem matris alvo géstiens
Clausus Joánnes sénserat.

Fœno jacére pértulit,
Præsépe non abhórruit,
Parvóque lacte pastus est,
Per quem nec ales ésurit.

Gaudet chorus cœléstium,
Et Angeli canunt Deo :
Palámque fit Pastóribus
Pastor, Creátor ómnium.

Glória tibi Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Benedíctus, qui venit in nómine Dómini. ℟. Deus Dóminus, et illúxit nobis, allelúia.

Ad Bened. Aña. Mirábile mystérium declarátur hódie : innovántur natúræ, Deus homo factus est : id quod fuit, permánsit, et quod non erat, assúmpsit : non commixtiónem passus, nec divisiónem.

Oratio.

Deus, qui nobis nati Salvatóris diem celebráre concédis octávum : fac nos, quæsumus, ejus perpétua divinitáte muníri, cujus sumus carnáli commércio reparáti. Qui tecum vivit.

Hic nulla fiat commem.

AD TERTIAM.

Capit. Multifáriam, ut supra ad Laudes.

℟. Puer natus est nobis, * Allelúia, allelúia. Puer.
℣. Et Fílius datus est nobis. Allelúia, allelúia.
Glória Patri. Puer natus.
℣. Ipse invocábit.

AD SEXTAM.

Capitulum. Tit. 2.

Appáruit grátia Dei Salvatóris nostri ómnibus homínibus, erúdiens nos, ut abnegántes impietátem, et sæculária desidéria : sóbrie, et juste, et pie vivámus in hoc sæculo.

℟. Ipse invocábit me, * Allelúia, allelúia. Ipse.
℣. Pater meus es tu. Allelúia, allelúia.
Glória Patri. Ipse.
℣. Notum fecit.

AD NONAM.

Capitulum. Tit. 3.

Appáruit benígnitas et humánitas Salvatóris nostri Dei, non ex opéribus justítiæ, quæ fécimus nos, sed secúndum suam misericórdiam salvos nos fecit.
℟. Notum fecit Dóminus, * Allelúia, allelúia. Notum fecit.
℣. Salutáre suum. Allelúia, allelúia.
Glória Patri. Notum.
℣. Benedíctus, qui venit in nómine Dómini. ℟. Deus Dóminus, et illúxit nobis, allelúia.

AD VESPERAS.

Añæ Laud. Ps. **Dixit Dóminus,** cum reliquis ut supra in ij. Vesperis Nativit. 269.
Capit. **Multifáriam. 315.**
Hymnus. **Veni Redémptor. 258.**
℣. Tamquam sponsus.
Ad Magnif. Aña. Magnum hereditátis mystérium : templum Dei factus est úterus nésciens virum : non est pollútus ex ea carnem assúmens; omnes Gentes vénient dicéntes : Glória tibi Dómine.
Commem. S. Stephani, Aña. **Ave Diaconórum,** ut supra. 269.
℣. Sepeliérunt Stéphanum viri timoráti. ℟. Et fecérunt planctum magnum super eum, allelúia.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui primítias Mártyrum in beáti Levítæ Stéphani sánguine dedicásti : tríbue, quæsumus, ut pro nobis intercéssor exsístat, qui pro suis étiam persecutóribus exorávit Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum vivit.

De aliis Octavis in his Vesp. nihil fiat.

DIE II. JANUARII.

In Octava sancti Stephani.

Duplex minus.

Omnia fiant sicut in die Festi. 270. præter hic signata.

IN PRIMO NOCTURNO.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 7.


Dura cervíce, et incircumcísis córdibus et áuribus, vos semper Spirítui sancto resístitis, sicut patres vestri, ita et vos. Quem Prophetárum non sunt

persecúti patres vestri? et occidérunt eos, qui prænuntiábant de advéntu Justi, cujus vos nunc proditóres, et homicídæ fuístis : qui accepístis legem in dispositióne Angelórum, et non custodístis. Audiéntes autem hæc dissecabántur córdibus suis, et stridébant déntibus in eum.

℟. Stéphanus autem.

Lectio ij.

Cum autem esset plenus Spíritu sancto, inténdens in cœlum, vidit glóriam Dei, et Jesum stantem a dextris Dei, et ait : Ecce vídeo cœlos apértos, et Fílium hóminis stantem a dextris Dei. Exclamántes autem voce magna continuérunt aures suas, et ímpetum fecérunt unanímiter in eum. Et ejiciéntes eum extra civitátem lapidábant : et testes deposuérunt vestiménta sua secus pedes adolescéntis, qui vocabátur Saulus. Et lapidábant Stéphanum invocántem, et dicéntem : Dómine Jesu, súscipe spíritum meum.

℟. Vidébant.

Lectio iij. Cap. 7. et 8.

Positis autem génibus, clamávit voce magna dicens : Dómine ne státuas illis hoc peccátum. Et cum hoc dixísset, obdormívit in Dómino. Saulus autem erat consséntiens neci ejus. Facta est autem in illa die persecútio magna in Ecclésia, quæ erat Jerosólymis, et omnes dispérsi sunt per regiónes Judææ et Samaríæ præter Apóstolos. Curavérunt autem Stéphanum viri timoráti, et fecérunt planctum magnum super eum.

℟. Inténdens.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 2. de S. Steph.

Lectio iv.



Ost hestérnum festivíssimum diem, quo Salvatóris nostri Christi nobis Natívitas illúxit, étiam hodiérnus dies beáti mártyris Stéphani coróna illustrátur. Mártyris illíus mérita nulla pars orbis ignórat : passus enim est in ipso princípio Ecclésiæ, id est, in ipsa urbe Jerosólyma. Ibi enim Diáconus ministrávit, et in ipso juventútis flore decórem ætátis suæ sánguine purpurávit. Pássio ejus insígnis est, multúmque mirábilis : hanc modo de libro

Actuum Apostolórum, cum legerétur, non solum audívimus, sed étiam óculis spectávimus.

℟. Lapidavérunt.

Lectio v.

CHristus ergo caput Mártyrum prior passus est pro nobis, relínquens vobis exémplum, ut sequámini vestígia ejus. Cujus passiónis vestígia prior secútus beátus Stéphanus, confiténdo Christum lapidátus a Judæis, corónam méruit, tamquam suo sibi nómine pósitam. Stéphanus enim Græce, Latíne coróna appellátur. Jam coróna nomen habébat, et ídeo palmam martyrii suo nómine præferébat.

℟. Stéphanus servus.

Lectio vj.

QUi cum lapidarétur, non solum non exspectábat de persecutóribus reportáre vindíctam, sed eis pótius a Deo véniam postulábat. Memínerat enim dixísse Dóminum : Mihi vindíctam, ego retríbuam, dicit Dóminus. Et íterum : Ne díxeris, Ulcíscar me de inimícis meis : sed exspécta Dóminum, ut tibi auxílio sit. Exspectáre nos jubet Dóminus Deus, ut in die futúræ retributiónis cum sanctis Martyribus vindicémur. ℟. Impetum.

IN TERTIO NOCTURNO.

Lect. ut in die. 274.

AD LAUDES.

Omnia ut in die, cum Oratione. Omnípotens, ut supra. 317.

Deinde fiunt commem. S. Joannis. et SS. Innoc. ut supra in Laud. SS. Innocentium. 292.

Ad Horas, ut in die, cum Orat. Omnípotens.

AD VESPERAS.

Aña. Tecum princípium, et cetera omnia ut in ij. Vesp. Festi, cum Oratione Omnípotens.

Deinde pro commem. S. Joannis, Aña. Ecce ego Joánnes.

℣. Valde honorándus.

Oratio. Ecclésiam, ut in die. 277.

Pro SS. Innoc. Aña. A bimátu. 293.

℣. Hi sunt.

Orat. Deus, cujus hodiérna, ut supra in die.

DIE III. JANUARII.

In Octava S. Joannis Evangelistæ.

Duplex minus.

Omnia ut in die, 278. exceptis hic signatis.

IN PRIMO NOCTURNO.

De libro Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio j. Cap. 4.

POst hæc vidi : et ecce óstium apértum in cœlo : et vox prima, quam audívi, tamquam tubæ loquéntis mecum, dicens : Ascénde huc, et osténdam tibi, quæ opórtet fíeri post hæc. Et statim fui in spíritu : et ecce sedes pósita erat in cœlo, et supra sedem sedens. Et qui sedébat, símilis erat adspéctui lápidis jáspidis, et sárdinis : et iris erat in circúitu sedis, símilis visióni smarágdinæ. Et in circúitu sedis sedília vigintiquátuor, et super thronos vigintiquátuor senióres sedéntes, circumamícti vestiméntis albis, et in capítibus eórum corónæ áureæ.

℟. Valde honorándus.

Lectio ij.

ET de throno procedébant fúlgura, et voces, et tonítrua : et septem lámpades ardéntes ante thronum, qui sunt septem Spíritus Dei. Et in conspéctu sedis tamquam mare vítreum símile crystállo : et in médio sedis, et in circúitu sedis quátuor animália plena óculis ante et retro. Et ánimal primum símile leóni, et secúndum ánimal símile vítulo, et tértium ánimal habens fáciem quasi hóminis, et quartum ánimal símile áquilæ volánti. Et quátuor animália, síngula eórum habébant alas senas : et in circúitu, et intus plena sunt óculis.

℟. In illa die.

Lectio iij.

ET réquiem non habébant die ac nocte, dicéntia : Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus omnípotens, qui erat, et qui est, et qui ventúrus est. Et cum darent illa animália glóriam, et honórem, et benedictiónem sedénti super thronum, vivénti in sæcula sæculórum, procidébant vigintiquátuor senióres ante sedéntem in throno, et adorábant vivéntem in sæcula sæculórum, et mittébant corónas suas ante thronum, dicéntes : Dignus es Dómine Deus noster accípere glóriam, et honórem, et virtútem : quia tu creásti ómnia, et propter voluntátem tuam erant, et creáta sunt.

℟. Qui vícerit.

IN SECUNDO NOCTURNO.
Ex Tractátu sancti Augustíni Epíscopi in Joánnem.

Lectio iv. Tract. 36.

IN quátuor Evangéliis, vel pótius quátuor libris uníus Evangélii, sanctus Joánnes Apóstolus non imménito secúndum intelligéntiam spiritálem áquilæ comparátus, áltius multóque sublímius áliis tribus eréxit prædicatiónem suam; et in ejus erectióne étiam corda nostra érigi vóluit. Nam céteri tres Evangelístæ, tamquam cum hómine Dómino in terra ambulántes, de divinitáte ejus pauca dixérunt : istum autem quasi piguérit in terra ambuláre, sicut ipso exórdio sui sermónis intónuit, eréxit se non solum super terram, et super omnem ámbitum áeris, et cœli, sed super omnem étiam exércitum Angelórum, omnémque constitutiónem invisibílium potestátum; et pervénit ad eum, per quem facta sunt ómnia, dicéndo : In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.

℟. Hic est. 280.

Lectio v.

HUic tantæ sublimitáti princípii étiam cétera cóngrua prædicávit : et de Dómini divinitáte, quómodo nullus álius, est locútus : hoc eructábat, quod bíberat. Non enim sine causa de illo in isto ipso Evangélio narrátur, quia et in convívio super pectus Dómini discumbébat. De illo ergo péctore in secréto bíberat : sed quod in secréto bibit, in manifésto eructávit : ut pervéniat ad omnes Gentes non solum incarnátio Fílii Dei, pássio, et resurréctio : sed étiam quod erat ante incarnatiónem, únicus Patri, Verbum Patris, coætérnus generánti, æquális ei, a quo missus est.

℟. Hic est discípulus.

Lectio vj.

AQuila ipse est Joánnes, sublímium prædicátor, et lucis intérnæ atque ætérnæ fixis óculis contemplátor. Dicúntur enim et pulli aquilárum a paréntibus sic probári : patris scílicet ungue suspéndi, et rádiis solis oppóni : qui firme contemplátus fúerit, fílius agnóscitur : si ácie palpitáverit, tamquam adulterínus

ab ungue dimíttitur. Jam ergo vidéte, quam sublímia loqui débuit, qui est áquilæ comparátus : et tamen étiam nos humi repéntes, infírmi, et vix ullíus moménti inter hómines, audémus tractáre ista, et ista expónere, et putámus nos aut cápere posse, cum cogitámus, aut capi, dum dícimus.

℟. Diligébat.

IN TERTIO NOCTURNO.

Lect. ut in die. 282.

AD LAUDES.

Omnia ut in die. 283. sed fiat commem. SS. Innocentium, Aña. Heródes irátus. ℣. Ex ore infántium. Oratio. Deus cujus hodiérna, ut supra, 292.

AD VESPERAS.

Aña. Tecum princípium, et cetera omnia ut in die. 284.

Pro comm. SS. Innocentium. Aña. Innocéntes pro Christo. ℣. Hi sunt. Oratio. Deus, cujus hodiérna.

DIE IV. JANUARII.
In Octava
SS. Innocentium.
Duplex minus.

Omnia ut in Festo, 285. præter hic signata.

IN PRIMO NOCTURNO.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 5.

JUstificáti ergo ex fide, pacem habeámus ad Deum per Dóminum nostrum Jesum Christum : per quem et habémus accéssum per fidem in grátiam istam, in qua stamus, et gloriámur in spe glóriæ filiórum Dei. Non solum autem, sed et gloriámur in tribulatiónibus : sciéntes quod tribulátio patiéntiam operátur : patiéntia autem probatiónem, probátio vero spem, spes autem non confúndit : quia cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris per Spíritum sanctum, qui datus est nobis.

℟. Sub altáre. 286.

Lectio ij.

UT quid enim Christus, cum adhuc infírmi essémus, secúndum tempus pro ímpiis mórtuus est? Vix enim pro justo quis móritur : nam pro bono fórsitan quis áudeat mori? Comméndat autem caritátem suam Deus in nobis : quóniam cum adhuc peccatóres essémus, secúndum tempus Christus pro nobis mór-

tuus est : multo ígitur magis nunc justificáti in sánguine ipsíus, salvi érimus ab ira per ipsum.

℟. Effudérunt.

Lectio iij.

Si enim cum inimíci essémus, reconciliáti sumus Deo per mortem Fílii ejus : multo magis reconciliáti, salvi érimus in vita ipsíus. Non solum autem, sed et gloriámur in Deo per Dóminum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliatiónem accépimus. Proptérea sicut per unum hóminem peccátum in hunc mundum intrávit, et per peccátum mors, et ita in omnes hómines mors pertránsiit, in quo omnes peccavérunt.

℟. Sub throno.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 1. de Innocent. qui est 8. de SS.

Lectio iv.

Ascénte Dómino, luctus cœpit, non cœlo, sed mundo : indícitur mátribus lamentátio, Angelis exsultátio, infántibus transmigrátio. Deus est, qui natus est : innocéntes illi debéntur víctima, qui venit damnáre mundi malítiam. Agnélli debent immolári, quia Agnus futúrus est crucifígi, qui tollit peccáta mundi. Sed oves úlulant matres, quia agnos perdunt sine voce balántes. Grande martyrium, crudéle spectáculum! Exímitur machæra, et nulla intervénit causa : sola stridet invídia, cum qui natus est, nulli fáciat violéntiam : sed oves cérnimus matres, quæ super agnos lugent. Vox in Rama audíta est : plorátus et ululátus magnus : pígnora sunt, non crédita, sed creáta; non depósita, sed expósita.

℟. Adoravérunt. 287.

Lectio v.

Testis est ipsa natúra, quæ pugnábat in mártyres, cum tyránnus jactáret infántes. Mater crines cápitis dissipábat, quæ ornaméntum cápitis amittébat. Quantis modis infántem volébat abscóndere, et ipse se infántulus publicábat! Nesciébat tacére, quia necdum didícerat formidáre. Pugnábat mater, et cárnifex : ille trahébat, illa tenébat. Ad carníficem mater clamábat : Quid séparas a me, quem génui ex me? Uterus génuit, non mansit ille,

cum vixit, úbera mea frustra lacte contórquens; caute portávi, quem a te vídeo manu crudéli jactári. Modo eum effudérunt víscera mea, et tu elídis ad terram.

℟. Isti sunt.

Lectio vj.

Alia acclamábat mater, cum exáctor latro non compélleret simul occídi cum párvulo matrem : Ut quid me dimíttis inánem? Si culpa est, mea est : si non est crimen, junge mortem, et líbera matrem. Alia dicébat : Quid quæritis? unum quæritis, et multos occíditis : et ad unum, qui unus est, attíngere non potéstis. Alia contra clamábat : Veni jam, veni Salvátor mundi, quámdiu quæréris? nullum times, vídeat te miles, et nostros non occídat infántes. Miscebátur lamentátio matrum, et ad cœlum transíbat oblátio parvulórum.

℟. Cantábant.

IN TERTIO NOCTURNO.

Lect. ut in die. 288.

Et dicitur Te Deum laudámus. 20.

Ad Laudes, Horas, et ij. Vesp. omnia ut in die, sine comm. Octavarum.

DIE V. JANUARII.

In Vigilia Epiphaniæ.

Semiduplex.

Si Dominica fuerit, hoc modo faciendum est.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Christus natus. Hymnus. Christe Redémptor. 258.

Añæ, Ps. ℣. et reliqua ut in die Circumcisionis. 309.

IN PRIMO NOCTURNO.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 7.



An ignorátis fratres (sciéntibus enim legem loquor) quia lex in hómine dominátur quanto témpore vivit? Nam quæ sub viro est múlier, vivénte viro, alligáta est legi : si autem mórtuus fúerit vir ejus, solúta est a lege viri. Igitur vivénte viro, vocábitur adúltera, si fúerit cum álio viro : si autem mórtuus fúerit vir ejus, liberáta est a lege viri, ut non sit adúltera, si fúerit cum álio viro.

℟. Benedíctus. 310.

Lectio ij.

Itaque, fratres mei, et vos mortificáti estis legi per corpus Christi, ut sitis altérius, qui ex mórtuis resurréxit, ut fructifi-

cémus Deo. Cum enim essémus in carne, passiónes peccatórum, quæ per legem erant, operabántur in membris nostris, ut fructificárent morti. Nunc autem solúti sumus a lege mortis, in qua detinebámur, ita ut serviámus in novitáte spíritus, et non in vetustáte lítteræ.

℟. Ecce Agnus.

Lectio iij.

Quid ergo dicémus? Lex peccátum est? Absit. Sed peccátum non cognóvi, nisi per legem : Nam concupiscéntiam nesciébam, nisi lex díceret : Non concupísces. Occasióne autem accépta, peccátum per mandátum operátum est in me omnem concupiscéntiam. Sine lege enim peccátum mórtuum erat. Ego autem vivébam sine lege aliquándo. Sed cum venísset mandátum, peccátum revíxit. ℟. Confirmátum.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 9. de Nativit. qui est 13. de Tempore.

Lectio iv.


Dominus noster Jesus Christus, fratres caríssimi, qui in ætérnum est cunctórum Creátor, hódie de matre nascéndo factus est nobis Salvátor. Natus est nobis hódie in témpore per voluntátem, ut nos perdúcat ad Patris æternitátem. Factus est Deus homo, ut homo fíeret Deus : ut panem Angelórum manducáret homo, Dóminus Angelórum hódie factus est homo.

℟. O regem. 311.

Lectio v.

Hodie impléta est prophetía illa, quæ dicit : Roráte cœli désuper, et nubes pluant justum : aperiátur terra, et gérminet Salvatórem. Factus est ígitur, qui fécerat, ut invenirétur qui períerat. Sic enim in Psalmis homo confitétur : Priúsquam humiliárer, ego peccávi.

℟. Congratulámini.

Lectio vj.

O Mirácula, o prodígia, fratres mei! Natúræ jura mutántur in hómine : Deus náscitur : virgo sine viro gravidátur : viri nésciam sermo Dei marítat : simul facta est mater, et virgo; mater facta, sed incorrúpta : virgo habens Fílium, nésciens virum, semper clausa, sed non infecúnda. Solus enim sine peccáto

est natus, quem sine virîli compléxu, non concupiscéntia carnis, sed obediéntia génuit mentis.

℟. Cóntinet.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 2.

IN illo témpore : Defúncto Heróde, ecce Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph in Ægypto. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 1. Comment. in cap. 2. Matth.

EX hoc loco intellígimus, non solum Heródem, sed et sacerdótes, et Scribas eódem témpore necem Dómini fuísse meditátos. Qui surgens accépit púerum, et matrem ejus. Non dixit : Accépit fílium suum, et uxórem suam : sed púerum, et matrem ejus; quasi nutrítius, non marítus.

℟. Nésciens. 313.

Lectio viij.

AUdiens autem quod Archeláus regnáret in Judæa pro Heróde patre suo, tímuit illo ire. Multi labúntur erróre propter ignorántiam históriæ, putántes eúmdem esse Heródem, a quo in passióne sua Dóminus irridétur, et qui nunc mórtuus esse referátur. Ergo Heródes ille, qui cum Piláto póstea amicítias fecit, hujus Heródis fílius est, frater Archelái.

℟. Beáta Dei Génitrix.

Lectio ix.

QUóniam Nazaræus vocábitur. Si fixum de Scriptúris posuísset exémplum, nunquam díceret : Quod dictum est per Prophétas; sed simplíciter, Quod dictum est per Prophétam. Nunc autem pluráliter Prophétas vocans, osténdit se non verba de Scriptúris sumpsísse, sed sensum. Nazaræus sanctus interpretátur. Sanctum autem Dóminum futúrum omnis Scriptúra commémorat.

℟. Verbum caro.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerdotalis ℣. Verbum caro. 315.

AD LAUDES.

Añæ. Capit. Hymnus, et ℣. ut in die Circumcisiónis. 315.

Ad Benedictus, Aña. Revértere in terram Juda : mórtui sunt enim qui quærébant ánimam púeri.

Oratio.

Corda nostra, quæsumus Dómine, ventúræ festivitátis splendor illústret : quo mundi hujus ténebris carére valeámus, et perveniámus ad pátriam claritátis ætérnæ. Per Dóminum nostrum.

Ad Horas, Añæ, Capit. ℟. et ℣. ut in Circumcisione. 316. cum Oratione Corda nostra, ut supra.

Si non fuerit Dominica, hoc modo faciendum est.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Christus natus. Hymnus. Christe Redémptor. 258.

Aña. Dóminus dixit. 309.

Psalmi de Circumcisione cum hac sola. ℣. de Circumcisione secundum quod Feria dictaverit. Lect. tres de Evangel. Defúncto Heróde, ut supra, cum tribus sequentibus Responsoriis.

℟. j. Benedíctus, qui venit in nómine Dómini, * Deus Dóminus, et illúxit nobis, allelúia, allelúia.

℣. Lápidem, quem reprobavérunt ædificántes, hic factus est in caput ánguli. Deus.

℟. ij. O Regem cœli, cui tália famulántur obséquia : stábulo pónitur qui cóntinet mundum : * Jacet in præsépio, et in núbibus tonat.

℣. Dómine, audívi audítum tuum, et tímui : considerávi ópera tua, et expávi in médio duórum animálium. Jacet.

℟. iij. Congratulámini mihi omnes, qui dilígitis Dóminum : * Quia cum essem párvula, plácui Altíssimo ; et de meis viscéribus génui Deum, et hóminem.

℣. Beátam me dicent omnes generatiónes : quia ancíllam húmilem respéxit Deus. Quia.

Glória Patri. Quia.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerdotalis ℣. Verbum caro factum est. ℟. Et habitávit in nobis, allelúia.

AD LAUDES.

Aña. O admirábile commércium 315. quæ sola dicatur cum Psalmis consuetis. 21.

Capit. Hymnus et ℣. ut in Laud. Circumcis. 315.

Ad Benedictus, Aña. Revértere. Oratio. Corda nostra, ut supra.

Ad Horas, Añæ, Capit. ℟. et ℣. ut in die Circumcisionis. 3 6.

Oratio. Corda nostra, ut supra. 326.



Hodie stella magos duxit ad praesepium.

In Epiphania Domini.

DUPLEX MAJUS P. C.

AD VESPERAS.

Aña. Tecum princípium.

Ps. Dixit Dóminus, cum reliquis Añis et Ps. ut in ij. Vesp. Nativ. Dom. 269.

Capitulum. Isaiæ 60.



Urge, illumináre Jerúsalem, quia venit lumen tuum, et glória Dómini super te orta est.

℟. In colúmbæ spécie Spíritus sanctus visus est, Patérna vox audíta est : * Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui.

℣. Cœli apérti sunt super eum, et vox Patris audíta est. Hic.

Glória Patri. Hic.

Hymnus.

Sedul. de vita Christi.

Hostis Heródes ímpie,
Christum veníre quid times?
Non éripit mortália,
Qui regna dat cœléstia.

Ibant Magi, quam víderant,
Stellam sequéntes præviam;
Lumen requírunt lúmine :
Deum faténtur múnere.

Lavácra puri gúrgitis
Cœléstis Agnus áttigit :
Peccáta, quæ non détulit,
Nos abluéndo sústulit.

Novum genus poténtiæ,
Aquæ rubéscunt hydriæ,
Vinúmque jussa fúndere,
Mutávit unda oríginem.

Glória tibi Dómine,
Qui apparuísti hódie :
Cum Patre, et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

Prædictus ℣. dicatur in die, et per Octavam ad omnes Hymnos ejusdem metri.

℣. Reges Tharsis, et ínsulæ múnera ófferent.

℟. Reges Arabum, et Saba dona addúcent, allelúia.

Ad Magnificat, Aña. Venit lumen tuum Jerúsalem, et glória Dómini super te orta est : et ambulábunt Gentes in lúmine tuo, allelúia.

Oratio. Corda nostra, ut supra ad Laudes Vigiliæ.

Ad Nunc dimittis, Aña. Allelúia. Omnes de Saba vénient. 189.

AD MATUTINUM.

Dicto Pater noster. Ave María. Credo. Dómine lábia mea, et Deus in adjutórium, sine Invitat. et Hymn. incipitur ab Aña. Afférte.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Afférte Dómino fílii Dei, adoráte Dóminum in aula sancta ejus.

Ps. Afférte Dómino. 30.

Aña. Flúminis ímpetus lætíficat, allelúia : civitátem Dei, allelúia.

Ps. Deus noster refúgium. 53.

Aña. Psállite Deo nostro, psállite : psállite Regi nostro, psállite sapiénter.

Ps. Omnes Gentes. 53.

℣. Reges Tharsis, et ínsulæ múnera ófferent.

℟. Reges Arabum et Saba dona addúcent, allelúia.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Isa. 55.

Mnes sitiéntes veníte ad aquas : et qui non habétis argéntum, properáte, émite, et comédite : veníte, émite absque argénto, et absque ulla commutatióne vinum, et lac. Quare appénditis argéntum non in pánibus, et labórem vestrum non in saturitáte? Audíte audiéntes me, et comédite bonum, et delectábitur in crassitúdine ánima vestra. Inclináte aurem vestram, et veníte ad me : audíte, et vivet ánima vestra, et fériam vobíscum pactum sempitérnum : misericórdias David fidéles. Ecce testem pópulis dedi eum, ducem ac præceptórem Géntibus. Hæc dicit Dóminus.

℟. Hódie in Jordáne, baptizáto Dómino, apérti sunt cœli, et sicut colúmba super eum Spíritus mansit, et vox Patris intónuit : * Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui.

℣. Cœli apérti sunt super eum, et vox Patris audíta est. Hic est Fílius.

Lectio ij. Isa. 60.

SUrge, illumináre Jerúsalem, quia venit lumen tuum, et glória Dómini super te orta est. Quia ecce ténebræ opérient terram, et calígo pópulos : super te autem oriétur Dóminus, et glória ejus in te vidébitur. Et ambulábunt Gentes in lúmine tuo, et reges in splendóre ortus tui. Leva in circúitu óculos tuos, et vide : omnes isti congregáti sunt, venérunt tibi : fílii tui de longe vénient, et fíliæ tuæ de látere surgent. Tunc vidébis, et áfflues, et mirábitur, et dilatábitur cor tuum, quando convérsa fúerit ad te multitúdo maris, fortitúdo Géntium vénerit tibi. Inundátio camelórum opériet te, dromedárii Mádian, et Epha : omnes de Saba vénient, aurum, et thus deferéntes, et laudem Dómino annuntiántes. Hæc dicit Dóminus.

℟. Omnes de Saba vénient, aurum et thus deferéntes, et laudem Dómino annuntiántes : * Allelúia, allelúia, allelúia.

℣. Reges Tharsis, et ínsulæ múnera ófferent : reges Arabum, et Saba dona addúcent. Allelúia.

Lectio iij. Cap. 61. et 62.

GAudens gaudébo in Dómino, et exsultábit ánima mea in Deo meo : quia índuit me vestiméntis salútis, et induménto justítiæ circúmdedit me, quasi sponsum decorátum coróna, et quasi sponsam ornátam monílibus suis. Sicut enim terra profert germen suum, et sicut hortus semen suum gérminat, sic Dóminus Deus germinábit justítiam, et laudem coram univérsis Géntibus. Propter Sion non tacébo, et propter Jerúsalem non quiéscam, donec egrediátur ut splendor justus ejus, et salvátor ejus ut lampas accendátur. Hæc dicit Dóminus.

℟. Stella, quam víderant in Oriénte Magi, antecedébat eos, donec venírent ad locum, ubi puer erat. Vidéntes autem eam, * Gavísi sunt gáudio magno.

℣. Et intrántes domum, invenérunt púerum cum María matre ejus, et procidéntes adoravérunt eum. Gavísi.

Glória Patri. Gavísi.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Omnis terra adóret te, et psallat tibi : psal-

mum dicat nómini tuo, Dómine.

Ps. Jubiláte Deo. 67.

Aña. Reges Tharsis, et ínsulæ múnera ófferent Regi Dómino.

Ps. Deus judícium. 77.

Aña. Omnes Gentes quascúmque fecísti, vénient, et adorábunt coram te Dómine.

Ps. Inclína Dómine. 95.

℣. Omnes de Saba vévient. ℟. Aurum, et thus deferéntes, et laudem Dómino annuntiántes, allelúia.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 6. de Epiphania.

Lectio iv.



Uper celebrávimus diem, quo ex Judæis Dóminus natus est : hódie celebrámus, quo a Géntibus adorátus est : quóniam salus ex Judæis est; sed hæc salus usque ad fines terræ. Nam et illo die pastóres adoravérunt : hódie Magi. Illis Angeli, istis autem stella nuntiávit. Utríque de cœlo didicérunt, cum Regem cœli in terra vidérunt : ut esset glória in excélsis Deo, et in terra pax homínibus bonæ voluntátis. Ipse est enim pax nostra, qui fecit útraque unum. Jam hic infans natus atque annuntiátus osténditur, lapis ille anguláris jam in ipso primórdio Nativitátis appáruit. Duos ex divérso paríetes in se copuláre jam cœpit, pastóres a Judæa, Magos ab Oriénte perdúcens : ut duos cónderet in se unum hóminem novum, fáciens pacem : pacem his qui longe, et pacem his, qui prope. Ideóque, illi ipso die de próximo veniéntes, isti hódie de longínquo pervéniéntes, duos dies celebrándos pósteris signavérunt : unam tamen lucem mundi utríque vidérunt. Sed hódie de istis loquéndum est, quos de remótis terris fides duxit ad Christum.

℟. Interrogábat Magos Heródes : Quod signum vidístis super natum Regem? Stellam magnam fulgéntem, cujus splendor illúminat mundum : * Et nos cognóvimus, et vénimus adoráre Dóminum.

℟. Vídimus enim stellam ejus in Oriénte. Et.

Lectio v.

VEnérunt enim, et quæsiérunt eum dicéntes : Ubi est, qui natus est Rex Judæórum? Vídimus

enim stellam ejus in Oriénte, et vénimus adoráre eum. Annúntiant, et intérrogant, credunt, et quærunt, tamquam significántes eos, qui ámbulant per fidem, et desíderant spéciem. Nonne álii reges Judæórum jam tóties in Judæa nati erant? Quid est, quod iste ab alienígenis in cœlo agnóscitur, in terra quæritur, in alto fulget, in húmili latet? In Oriénte Magi vidérunt stellam, et in Judæa natum intellexérunt Regem. Quis est iste Rex tam parvus, tam magnus; nondum in terris loquens, jam in cœlo edícta propónens? Verúmtamen propter nos, quibus de Scriptúris suis sanctis innotéscere vóluit, ipsos étiam Magos, quibus tam clarum signum in cœlo déderat, et quorum córdibus se natum esse reveláverat, Prophétis tamen suis de se crédere vóluit. Quæréndo enim civitátem, in qua natus erat, quem vidére, et adoráre cupiébant; necésse habuérunt percontári príncipes Judæórum, ut illi de sancta Scriptúra, quam in ore, non in corde gestábant, infidéles fidélibus de grátia Dei respondérent: mendáces a se, veráces contra se.

℟. Illumináre, illumináre Jerúsalem, quia venit lumen tuum, * Et glória Dómini super te orta est.
℣. Et ambulábunt Gentes in lúmine tuo, et reges in splendóre ortus tui. Et glória.

Lectio vj.

Quantum enim erat, ut illis quæréntibus Christum, cómites fíerent, cum ab eis audíssent, quod visa stella ejus vénerint, eum adoráre cupiéntes: ipsi eos ad Béthlehem Judæ, quam de libris divínis indicáverant, dúcerent: páriter vidérent, páriter intellígerent, páriter adorárent? Nunc vero áliis demonstráto vitæ fonte, ipsi sunt mórtui siccitáte: factíque sunt eis tamquam lápides a milliário, qui viatóribus ambulántibus áliquid ostendérunt, sed ipsi sólidi atque immóbiles remansérunt. Magi quærébant, ut invenírent: Heródes quærébat, ut pérderet. Judæi civitátem nascéntis legébant, tempus veniéntis non intelligébant. Inter Magórum pium amórem, et Heródis crudélem timórem, illi evanuérunt Béth-

lehem demonstrántes : Christum autem, qui ibi natus est, non nunc quæsítum, sed visum póstea negatúri : nec nunc infántem, sed loquéntem póstea necatúri.

℟. Reges Tharsis, et ínsulæ múnera ófferent : * Reges Arabum, et Saba dona Dómino Deo addúcent.

℣. Et adorábunt eum omnes reges terræ : omnes Gentes sérvient ei. Reges.

Glória Patri. Reges.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Veníte, adorémus Dóminum : quia ipse est Dóminus Deus noster.

Psalmus xciv.


Eníte, exsultémus Dómino : * jubilémus Deo salutári nostro.

Præoccupémus fáciem ejus in confessióne * et in psalmis jubilémus ei.

Quóniam Deus magnus Dóminus : * et Rex magnus super omnes deos.

Quia in manu ejus sunt omnes fines terræ : * et altitúdines móntium ipsíus sunt.

Quóniam ipsíus est mare, et ipse fecit illud : * et siccam manus ejus formavérunt.

Veníte, adorémus, et procidámus : * et plorémus ante Dóminum, qui fecit nos.

Quia ipse est Dóminus Deus noster : * et nos pópulus páscuæ ejus, et oves manus ejus.

Hódie si vocem ejus audiéritis, * nolíte obduráre corda vestra;

Sicut in irritatióne secúndum diem tentatiónis in desérto; * ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt me, et vidérunt ópera mea.

Quadragínta annis offénsus fui generatióni illi, * et dixi : Semper hi errant corde :

Et isti non cognovérunt vias meas : * ut jurávi in ira mea : Si introíbunt in réquiem meam.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Veníte, adorémus Dóminum : quia ipse est Dóminus Deus noster.

Aña. Adoráte Dóminum, allelúia : in aula sancta ejus, allelúia.

Ps. Cantáte Dómino. 101.

Aña. Adoráte Dóminum, allelúia : omnes Angeli ejus, allelúia.

Psalm. Dóminus regnávit, exsúltet. 102.

℣. Omnes Gentes quascúmque fecísti. ℟. Vé-

nient, et adorábunt coram te Dómine, allelúia.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 2.

CUm natus esset Jesus in Béthlehem Juda in diébus Heródis regis, ecce Magi ab Oriénte venérunt Jerosólymam, dicéntes : Ubi est, qui natus est Rex Judæórum? Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homilia 10. in Matth.

SIcut in lectióne Evangélica, fratres caríssimi, audístis, cœli Rege nato, rex terræ turbátus est : quia nimírum terréna altitúdo confúnditur, cum celsitúdo cœléstis aperítur. Sed quæréndum nobis est, quidnam sit, quod Redemptóre nato, pastóribus in Judæa Angelus appáruit, atque ad adorándum hunc ab Oriénte Magos non Angelus, sed stella perdúxit? Quia vidélicet Judæis tamquam ratióne uténtibus, rationále ánimal, id est, Angelus prædicáre débuit : Gentíles vero, quia uti ratióne nesciébant, ad cognoscéndum Dóminum, non per vocem, sed per signa perducúntur. Unde étiam per Paulum dícitur : Linguæ in signum sunt non fidélibus, sed infidélibus : prophetíæ autem non infidélibus, sed fidélibus. Quia et illis prophetíæ tamquam fidélibus, non infidélibus : et istis signa tamquam infidélibus, non fidélibus data sunt.

℟. Magi véniunt ab Oriénte Jerosólymam, quæréntes, et dicéntes : * Ubi est, qui natus est, cujus stellam vídimus? et vénimus adoráre Dóminum.

℣. Cum natus esset Jesus in Béthlehem Judæ in diébus Heródis regis, ecce Magi ab Oriénte venérunt, Jerosólymam dicéntes. Ubi est.

Lectio viij.

ET notándum, quod Redemptórem nostrum, cum jam perféctæ esset ætátis, eísdem Gentílibus Apóstoli prædicant : eúmque párvulum, et necdum per humáni córporis offícium loquéntem, stella Géntibus denúntiat : quia nimírum ratiónis ordo poscébat, ut et loquéntem jam Dóminum, loquéntes nobis prædicatóres innotéscerent : et necdum loquéntem eleménta muta prædicárent.

Sed in ómnibus signis, quæ vel nascénte Dómino, vel moriénte eo monstráta sunt, considerándum nobis est, quanta fúerit in quorúmdam Judæórum corde durítia, qui hunc nec per prophetíæ donum, nec per mirácula agnovérunt.

℞. Tria sunt múnera pretiósa, quæ obtulérunt Magi Dómino in die ista, et habent in se divína mystéria : * In auro, ut ostendátur Regis poténtia : in thure Sacerdótem magnum consídera : et in myrrha Domínicam sepultúram.

℣. Salútis nostræ Auctórem Magi veneráti sunt in cunábulis : et de thesáuris suis mysticas ei múnerum spécies obtulérunt. In auro.

Lectio ix.

OMnia quippe eleménta Auctórem suum venísse testáta sunt. Ut enim de eis quiddam usu humáno loquar, Deum hunc cœli esse cognovérunt, quia prótinus stellam misérunt. Mare cognóvit, quia sub plantis ejus se calcábile præbuit. Terra cognóvit, quia eo moriénte contrémuit. Sol cognóvit, quia lucis suæ rádios abscóndit. Saxa et paríetes cognovérunt, quia témpore mortis ejus scissa sunt. Inférnus agnóvit, quia hos, quos tenébat mórtuos, réddidit. Et tamen hunc, quem Dóminum ómnia insensibília eleménta sensérunt, adhuc infidélium Judæórum corda Deum esse mínime cognóscunt, et duriόra saxis, scindi ad pœniténdum nolunt.

℞. In colúmbæ spécie Spíritus sanctus visus est, Patérna vox audíta est; * Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui.

℣. Cœli apérti sunt super eum, et vox Patris audíta est. Hic est.

Glória Patri. Hic est.

Interim Diaconus (si indutus, alias non) accipiat benedictionem ab eo, qui facit Officium, sicut fit ad Evangelium in Missa.

℣. Jube domne benedícere.

Benedictio. Dóminus sit in corde tuo, et in lábiis tuis : ut digne et competénter annúnties sanctum Evangélium suum : In nómine Patris et Fílii, ✠ et Spíritus sancti. Amen.

Deinde dicat ℣. Dóminus vobíscum. ℞. Et cum spíritu tuo.

℣. Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. ℟. Glória tibi Dómine.

Cap. 3.

Actum est autem cum baptizarétur omnis pópulus, et Jesu baptizáto, et oránte, apértum est cœlum : et descéndit Spíritus sanctus corporáli spécie, sicut colúmba in ipsum : et vox de cœlo facta est : Tu es Fílius meus diléctus, in te complácui mihi. Et ipse Jesus erat incípiens quasi annórum trigínta, ut putabátur, fílius Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui fuit Janne, qui fuit Joseph, qui fuit Mathathíæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Hesli, qui fuit Nagge, qui fuit Mahath, qui fuit Mathathíæ, qui fuit Sémei, qui fuit Joseph, qui fuit Juda, qui fuit Joánna, qui fuit Resa, qui fuit Zoróbabel, qui fuit Saláthiel, qui fuit Neri, qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosam, qui fuit Elmádan, qui fuit Her, qui fuit Jesu, qui fuit Eliézer, qui fuit Jorim, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, qui fuit Símeon, qui fuit Juda, qui fuit Joseph, qui fuit Jona, qui fuit Elíakim, qui fuit Mélea, qui fuit Menna, qui fuit Máthatha, qui fuit Nathan, qui fuit David, qui fuit Jesse, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naásson, qui fuit Amínadab, qui fuit Aram, qui fuit Esron, qui fuit Phares, qui fuit Judæ, qui fuit Jacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Thare, qui fuit Nachor, qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale, qui fuit Cáinan, qui fuit Arpháxad, qui fuit Sem, qui fuit Noe, qui fuit Lamech, qui fuit Mathúsale, qui fuit Henoch, qui fuit Jared, qui fuit Maláleel, qui fuit Cáinan, qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei. Jesus autem plenus Spíritu sancto regréssus est a Jordáne.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerd. ℣. Vídimus stellam ejus in Oriénte. ℟. Et vénimus cum munéribus adoráre Dóminum, allel.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

ANte lucíferum génitus, et ante sæcula, Dóminus Salvátor noster hódie mundo appáruit.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Tria sunt múnera, quæ obtulérunt Magi Dómino, aurum, thus et myrrham Fílio Dei, Regi magno, allelúia.

Aña. Apértis thesáuris suis, obtulérunt Magi Dómino, aurum, thus et myrrham, allelúia, allelúia.

Aña. Mária, et flúmina benedícite Dómino : hymnum dícite fontes Dómino, allelúia.

Aña. Vidéntes stellam Magi gavísi sunt gáudio magno valde : et intrántes domum obtulérunt Dómino aurum, thus et myrrham.

Capitulum. Isa. 60.

SUrge, illumináre Jerúsalem, quia venit lumen tuum, et glória Dómini super te orta est.

Hymnus.

A Patre Unigénitus
Ad nos venit per Vírginem,
Baptísma cruce cónsecrans,
Cunctos fidéles génerans.

De cœlo celsus pródiit;
Excépit formam hóminis,
Factúram morte rédimens,
Gáudia vitæ lárgiens.

Hoc te, Redémptor quæsumus,
Illábere propítius,
Clarúmque nostris sénsibus
Lumen præbe fidélibus.

Mane nobíscum Dómine,
Noctem obscúram rémove,
Omne delíctum áblue,
Piam medélam tríbue.

Quem jam venísse nóvimus,
Redíre item crédimus,
Sub sceptro tuo ínclyto
Tuum defénde pópulum.

Glória tibi Dómine,
Qui apparuísti hódie,
Cum Patre, et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Adoráte Dóminum.
℟. In aula sancta ejus, allelúia.

Ad Benedictus, Aña. Hódie cœlésti sponso juncta est Ecclésia, quóniam in Jordáne lavit Christus ejus crímina : currunt cum munéribus Magi ad regáles núptias : et ex aqua facto vino lætántur convívæ, allelúia.

Oratio.

DEus, qui hodiérna die Unigénitum tuum Géntibus stella duce revelásti : concéde propítius; ut qui jam te ex fide

cognóvimus, usque ad contemplándam spéciem tuæ celsitúdinis perducámur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Hæc Oratio dicitur ad Horas, et Vesp. et per totam Octavam, exceptis Dominica infra Octavam, et die Octava.

AD PRIMAM.

℣. Qui hódie mundo apparuísti.

AD TERTIAM.

Capitul. Surge, ut supra.

℟. Reges Tharsis, et ínsulæ múnera ófferent, * Allelúia, allelúia. Reges.

℣. Reges Arabum, et Saba dona addúcent. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Reges.

℣. Omnes de Saba.

AD SEXTAM.

Capitulum. Isa. 60.

LEva in circúitu óculos tuos, et vide : omnes isti congregáti sunt, venérunt tibi : fílii tui de longe vénient, et fíliæ tuæ de látere surgent.

℟. Omnes de Saba vénient, * Allelúia, allelúia. Omnes.

℣. Aurum et thus deferéntes, et laudem Dómino annuntiántes. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Omnes.

℣. Omnes Gentes.

AD NONAM.

Capitulum. Isa. 60.

OMnes de Saba vénient, aurum et thus deferéntes, et laudem Dómino annuntiántes.

℟. Omnes Gentes quascúmque fecísti, * Allelúia, allelúia. Omnes.

℣. Vénient, et adorábunt coram te Dómine. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Omnes.

℣. Adoráte Dóminum.

℟. In aula sancta ejus, allelúia.

AD VESPERAS.

Aña Laudum. Ps. Dixit Dóminus. 159. Confitébor. 159. Beátus vir. 160. De profúndis. 169. et Meménto Dómine David. 170.

Capit. Hymn. et ℣. ut in j. Vesperis.

Ad Magnificat, Aña. Ab Oriénte venérunt Magi in Béthlehem adoráre Dóminum : et apértis thesáuris suis pretiósa múnera obtulérunt : aurum, sicut Regi magno : thus, sicut Deo vero : myrrham, sepultúræ ejus, allelúia.

Quando Epiph. venerit in Sabbato, tunc in his Vesp. pro comm. Dom. Aña. Remánsit. ℣. Tria sunt múnera. Oratio. Vota, quæsumus Dómine, ut infra. 347.

INFRA OCTAVAM Epiph. sic ordinandum est Officium.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. **Christus appáruit nobis : * Veníte, adorémus.**

Ps. **Veníte. 2.**

Hymnus. **Hostis Heródes. 329.**

Aña. **Afférte Dómino fílii Dei : adoráte Dóminum in aula sancta ejus.** Hæc sola dicitur super Psalmos ut in die, excepto quod dicantur pro tribus ultimis Psal. **Cantáte, Dóminus regnávit, Cantáte,** ut in tertio Noct. de Communi unius Virg. [125] ℣. et tria Respons. de Festo secundum ordinem dierum et Nocturn. Lect. prout inferius signantur.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerdotalis ℣. **Vídimus stellam. 337.**

Responsiones omnium versiculorum dicuntur cum **Allelúia.**

AD LAUDES.

Aña. **Ante lucíferum,** quæ sola dicitur cum Ps. consuetis. **21.** Capit. Hymnus et ℣. de Festo.338.

Ad Benedictus, Aña. **Magi vidéntes stellam, dixérunt ad ínvicem : Hoc signum magni Regis est : eámus, et inquirámus eum, et offerámus ei múnera, aurum, thus, et myrrham.**

Ad Horas, omnia ut in die.

AD VESPERAS.

Aña. **Ante lucíferum,** quæ sola dicitur cum Ps. de ij. Vesp. Festi, ut supra. 339.

Capit. Hymnus et ℣. ut in primis Vesp. Festi.

Ad Magnificat, Aña. **Descéndit Spíritus sanctus corporáli spécie sicut colúmba in ipsum, et vox de cœlo facta est : Hic est Fílius meus diléctus, allelúia.**

DIE VII. JANUARII.

Prima die infra Octavam Epiphaniæ. Semiduplex.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 9.



Eritátem dico in Christo, non méntior : testimónium mihi perhibénte consciéntia mea in Spíritu sancto : quóniam tristítia mihi magna est, et contínuus dolor cordi meo. Optábam enim ego ipse anáthema esse a Christo pro frátribus meis, qui sunt cognáti mei secúndum carnem, qui sunt Israelítæ, quorum adóptio est filiórum, et

glória, et testaméntum, et legislátio, et obséquium, et promíssa : quorum patres, et ex quibus est Christus secúndum carnem, qui est super ómnia Deus benedíctus in sæcula. Amen.

Lectio ij.

NOn autem quod excíderit verbum Dei. Non enim omnes, qui ex Israel sunt, ii sunt Israelítæ : neque, qui semen sunt Abrahæ, omnes fílii : sed in Isaac vocábitur tibi semen : id est, non qui fílii carnis, hi fílii Dei : sed qui fílii sunt promissiónis, æstimántur in sémine. Promissiónis enim verbum hoc est : Secúndum hoc tempus véniam : et erit Saræ fílius. Non solum autem illa, sed et Rebécca ex uno concúbitu habens Isaac patris nostri.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Sermo 2. de Epiph. qui est 30. de Tempore.

Lectio iij.

AD partum Vírginis adorándum Magi ab Oriénte venérunt. Magnum sacraméntum! In præsépio jacébat, et Magos ab Oriénte ducébat. Abscondebátur in stábulo, et agnoscebátur in cœlo : ut ágnitus in cœlo, manifestarétur in stábulo; ut, qui in apérto cœlo signis sidéreis monstrabátur magnus, in angústo diversório quæsítus invenirétur inválidus; infantílibus in membris natus, infantilibúsque pannis involútus, adorarétur a Magis, timerétur a malis. Tímuit enim eum rex Heródes, eísdem sibi Magis nuntiántibus, cum adhuc quærerent párvulum, quem cognóverant cœlo teste jam natum.

DIE VIII. JANUARII.
Secunda die infra Octav.
Semiduplex.

Si fuerit post Dominicam infra Octavam, duæ primæ Lect. sint de Epistola prima ad Corinthios ut inferius; alias seq.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 12.


OBsecro ítaque vos fratres per misericórdiam Dei, ut exhibeátis córpora vestra hóstiam vivéntem, sanctam, Deo placéntem, rationábile obséquium vestrum. Et nolíte conformári huic sæculo, sed reformámini in novitáte sen-

sus vestri; ut probétis, quæ sit volúntas Dei bona, et benéplacens, et perfécta. Dico enim per grátiam, quæ data est mihi, ómnibus, qui sunt inter vos : Non plus sápere, quam opórtet sápere, sed sápere ad sobrietátem : et unicuíque sicut Deus divísit mensúram fídei.

Lectio ij.

SIcut enim in uno córpore multa membra habémus, ómnia autem membra non eúmdem actum habent : ita multi unum corpus sumus in Christo, sínguli autem alter altérius membra. Habéntes autem donatiónes secúndum grátiam, quæ data est nobis, differéntes, sive prophetíam secúndum ratiónem fídei, sive ministérium in ministrándo, sive qui docet in doctrína, qui exhortátur in exhortándo, qui tríbuit in simplicitáte, qui præest in sollicitúdine, qui miserétur in hilaritáte.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Ex Serm. 2. de Epiph.

Lectio iij.

HÆc Magórum illuminátio magnum testimónium cæcitátis éxstitit Judæórum. In terra eórum isti requirébant, quem illi in sua non agnoscébant. Apud eos isti infántem invenérunt, quem illi apud se negavérunt. In his terris de longínquo isti et peregríni púerum Christum nondum verba proméntem adoravérunt, ubi cives illi júvenem mirácula faciéntem crucifixérunt. Isti in membris parvis Deum adoravérunt, illi in magnis factis nec tamquam hómini pepercérunt : quasi plus fúerit vidére novam stellam in ejus nativitáte fulgéntem, quam solem ejus in morte lugéntem.

DIE IX. JANUARII.

Tertia die infra Octavam.

Semiduplex.

Si fuerit post Dominicam infra Octavam, duæ primæ Lect. sint de Epistola prima ad Corinthios ut inferius.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 13.


OMnis ánima potestátibus sublimióribus súbdita sit. Non est enim potéstas, nisi a Deo : quæ autem sunt, a Deo ordinátæ sunt. Itaque, qui resístit potestáti, Dei ordinatióni

resístit. Qui autem resístunt, ipsi sibi damnatiónem acquírunt : nam príncipes non sunt timóri boni óperis, sed mali. Vis autem non timére potestátem? Bonum fac, et habébis laudem ex illa : Dei enim miníster est tibi in bonum.

Lectio ij.

SI autem malum féceris, time : non enim sine causa gládium portat : Dei enim miníster est, vindex in iram ei, qui malum agit. Ideo necessitáte súbditi estóte, non solum propter iram, sed étiam propter consciéntiam. Ideo enim et tribúta præstátis : minístri enim Dei sunt in hoc ipsum serviéntes. Réddite ergo ómnibus débita : cui tribútum, tribútum : cui vectígal, vectígal : cui timórem, timórem : cui honórem, honórem.

Sermo sancti Leónis Papæ.

Serm. 1. de Epiphania.

Lectio iij.

CElebráto próximo die, quo intemeráta virgínitas humáni géneris édidit Salvatórem, Epiphaníæ nobis, dilectíssimi, veneránda festívitas dat perseverántiam gaudiórum : ut inter cognatárum solemnitátum vicína sacraménta, exsultatiónis vigor et fervor fídei non tepéscat. Ad ómnium enim hóminum spectat salútem, quod infántia mediatóris Dei et hóminum jam univérso declarabátur mundo, cum adhuc exíguo detinerétur oppídulo.

DIE X. JANUARII.

Quarta die infra Octavam.

Semiduplex.

Si fuerit post Dominicam infra Octavam, duæ primæ Lectiones sint de Epistola prima ad Corinthios ut inferius.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 14.



Nfírmum autem in fide assúmite, non in disceptatiónibus cogitatiónum. Alius enim credit se manducáre ómnia : qui autem infírmus est, olus mandúcet. Is, qui mandúcat, non manducántem non spernat : et qui non mandúcat, manducántem non júdicet : Deus enim illum assúmpsit. Tu quis es, qui júdicas aliénum servum? Dómino suo stat, aut cadit : stabit autem : potens est enim Deus statúere illum.

Lectio ij.

NAm álius júdicat diem inter diem : álius autem júdicat omnem diem : unusquísque in suo sensu abúndet. Qui sapit diem, Dómino sapit. Et, qui mandúcat : Dómino mandúcat : grátias enim agit Deo. Et, qui non mandúcat, Dómino non mandúcat, et grátias agit Deo. Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo sibi móritur. Sive enim vívimus, Dómino vívimus : sive mórimur, Dómino mórimur. Sive ergo vívimus, sive mórimur, Dómini sumus.

Sermo sancti Máximi Epíscopi.

Homil. 1. de Epiphania.

Lectio iij.

IN hac, dilectíssimi, celebritáte, sicut relátu patérnæ traditiónis instrúimur, multíplici nobis est festivitáte lætándum. Ferunt enim hódie Christum Dóminum nostrum, vel stella duce a Géntibus adorátum ; vel invitátum ad núptias aquas in vina vertísse ; vel suscépto a Joánne baptísmate consecrásse fluénta Jordánis, suúmque simul purificásse Baptístam.

In ij. Vesp. commem. S. Hygini Papæ et Mart. Aña. Iste sanctus. ℣. Glória et honóre. Oratio. Infirmitátem, ut in Communi unius Martyris. [29]

DIE XI. JANUARII.

Quinta die infra Octavam.

Semiduplex.

Si fuerit post Dominicam infra Octavam, duæ primæ Lectiones sint de Epistola prima ad Corinthios ut inferius.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 15.

DEbémus autem nos firmióres imbecillitátes infirmórum sustinére, et non nobis placére. Unusquísque vestrum próximo suo pláceat in bonum, ad ædificatiónem. Etenim Christus non sibi plácuit, sed sicut scriptum est : Impropéria improperántium tibi cecidérunt super me. Quæcúmque enim scripta sunt, ad nostram doctrínam scripta sunt : ut per patiéntiam, et consolatiónem Scripturárum spem habeámus.

Lectio ij.

DEus autem patiéntiæ, et solátii det vobis idípsum sápere in altérutrum secúndum Jesum Christum : ut unánimes,

uno ore honorificétis Deum, et Patrem Dómini nostri Jesu Christi. Propter quod suscípite ínvicem, sicut et Christus suscépit vos in honórem Dei. Dico enim Christum Jesum minístrum fuísse circumcisiónis propter veritátem Dei, ad confirmándas promissiónes patrum : Gentes autem super misericórdia honoráre Deum, sicut scriptum est : Proptérea confitébor tibi in Géntibus Dómine, et nómini tuo cantábo. Et íterum dicit : Lætámini Gentes cum plebe ejus. Et íterum : Laudáte omnes Gentes Dóminum : et magnificáte eum omnes pópuli.

Sermo sancti Fulgéntii Epíscopi.

Serm. 5. de Epiph.

Lectio iij.

Ipse Deus, qui sibi in véteri Testaménto primítias offérri mandávit, homo natus, Géntium primítias suo cúltui dedicávit. Pastóres fuérunt primítiæ Judæórum : Magi facti sunt primítiæ Géntium. Illi de próximo addúcti, isti de longínquo redúcti. Ubi est, ínquiunt, qui natus est Rex Judæórum? De Heróde rege Judæórum fílii jam fúerant nati. Archeláus natus est in palátio, Christus in diversório. Archeláus natus est in lecto argénteo pósitus; Christus autem natus, in præsépio est brevíssimo collocátus : et tamen ille natus in palátio contémnitur, iste natus in diversório quæritur : ille a Magis nullátenus nominátur, iste invéntus supplíciter adorátur.

In Laud. commemoratio S. Hygini Papæ et Martyris.

Aña. Nisi granum. ℣. Magna est. Oratio. Infirmitátem, de Communi. [40]

DIE XII. JANUARII.

Sexta die infra Octavam.

Semiduplex.

Si fuerit post Dominicam infra Octavam, duæ primæ Lectiones sint de Epistola prima ad Corinthios, ut inferius.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 16.

Commméndo autem vobis Phoeben sorórem nostram, quæ est in ministério Ecclésiæ, quæ est in Cenchris : ut eam suscipiátis in Dómino digne Sanctis : et assistátis ei in quocúmque

negótio vestri indigúerit : étenim ipsa quoque ádstitit multis, et mihi ipsi. Salutáte Priscam et Aquilam, adjutóres meos in Christo Jesu : (qui pro ánima mea suas cervíces supposuérunt : quibus non solus ego grátias ago, sed et cunctæ ecclésiæ Géntium) et domésticãm ecclésiam eórum.

Lectio ij.

Rogo autem vos, fratres, ut observétis eos, qui dissensiónes et offendícula præter doctrínam, quam vos didicístis, fáciunt, et declináte ab illis. Hujuscémodi enim Christo Dómino nostro non sérviunt, sed suo ventri; et per dulces sermónes, et benedictiónes sedúcunt corda innocéntium. Vestra enim obediéntia in omnem locum divulgáta est. Gáudeo ígitur in vobis. Sed volo vos sapiéntes esse in bono, et símplices in malo.

Sermo sancti Fulgéntii Epíscopi.

Ex Ser. 5. de Epiph.

Lectio iij.

Quis est iste Rex Judæórum? pauper et dives, húmilis et sublímis. Quis est iste Rex Judæórum, qui portátur ut párvulus, adorátur ut Deus? parvus in præsépio, imménsus in cœlo : vilis in pannis, pretiósus in stellis, Quid est quod sic turbáris Heródes? Rex iste qui natus est, non venit reges pugnándo superáre, sed moriéndo mirabíliter subjugáre. Nec ídeo natus est, ut tibi succédat, sed ut in eum mundus fidéliter credat. Venit ergo, non ut pugnet vivus, sed ut triúmphet occísus. Puer iste, qui nunc a Magis dícitur Rex Judæórum, idem Creátor est, et Dóminus Angelórum. Quaprópter cujus times infántiam nascéntis, magis timére debes omnipoténtiam judicántis. Noli eum timére regni tui successórem, sed time infidelitátis tuæ justíssimum damnatórem. Ite, inquit, et renuntiáte mihi, ut et ego véniens adórem eum. O callíditas ficta, o incredúlitas ímpia, o nequítia fraudulénta! Sanguis innocéntium, quem crudéliter effudísti, attestátur quid de hoc púero voluísti.

DOM. INFRA OCTAV. Epiphaniæ. Duplex minus.

AD VESPERAS.

Aña. Ante lucíferum.

Ps. ut in ij. Vesp. Festi. cum hac sola.

Capitulum. Rom. 12.

Obsecro vos fratres per misericórdiam Dei, ut exhibeátis córpora vestra hóstiam vivéntem, sanctam, Deo placéntem, rationábile obséquium vestrum.

℟. Hymnus, et ℣. ut in j. Vesp. Epiph. 329.

Ad Magnif. Aña **Remánsit puer Jesus in Jerúsalem, et non cognovérunt paréntes ejus, existimántes illum esse in comitátu, et requirébant eum inter cognátos et notos.**

Oratio. **Vota, quæsumus,** ut infra ad Laudes.

Pro comm. Oct. Aña. **Vídimus stellam ejus in Oriénte : et vénimus cum munéribus adoráre Dóminum.**

℣. Tria sunt múnera, quæ obtulérunt Magi Dómino. ℟. Aurum, thus et myrrham, allelúia.

Orat. **Deus, qui hodiérna,** ut infra ad Laudes.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. **Christus appáruit nobis : * Veníte, adorémus.**

Ps. **Veníte. 2.**

Hymnus. **Hostis Heródes. 329.**

Añæ, et cetera omnia ut in die, præter ea, quæ inferius adnotantur.

In primo Nocturno, Lectiones de initio Epistolæ primæ ad Corinth. **Paulus vocátus Apóstolus Jesu,** quæ habentur infra post diem Octavum, in Dominica prima post Epiph. quæ est infra Oct. 356. et legitur de ea sequentibus diebus. Lectiones vero, quæ aliquando supersunt de Epistola ad Romanos, eo anno prætermittuntur.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Sermo sancti Leónis Papæ.

Sermone 4. de Epiphania.

Lectio iv.



Justum et rationábile, dilectíssimi, veræ pietátis obséquium est, in diébus, qui divínæ ópera misericórdiæ protestántur, toto corde gaudére : et honorífice ea, quæ ad salútem nostram gesta sunt, celebráre, vocánte nos ad hanc devotiónem ipsa recurréntium témporum lege, quæ nobis post diem, in quo coætérnus Patri Fílius Dei natus ex Vírgine est, brevi intervállo Epiphaníæ íntulit festum, ex apparitióne Dómini consecrátum.

℟. Interrogábat. 332.

Lectio v.

IN quo fídei nostræ magnum præsídium providéntia divína constítuit : ut dum solémni veneratióne recólitur adoráta in exórdiis suis Salvatóris infántia, per ipsa originália documénta probarétur veri hóminis in Christo orta natúra. Hoc enim est, quod justíficat ímpios : hoc est, quod ex peccatóribus facit sanctos : si in uno eodémque Dómino nostro Jesu Christo et vera Déitas, et vera credátur humánitas : Déitas, qua ante ómnia sæcula in forma Dei æquális est Patri : humánitas, qua novíssimis diébus in forma servi unítus est hómini.

℟. Illumináre.

Lectio vj.

AD roborándum ergo hanc fidem, quæ contra omnes pronuntiabátur erróres, ex magna gestum est divíni pietáte consílii, ut Gens in longínqua Orientális plagæ regióne consístens, quæ spectandórum síderum arte pollébat, signum nati púeri, qui supra omnem Israel esset regnatúrus, accíperet. Nova étenim cláritas apud Magos stellæ illustrióris appáruit, et intuéntium ánimos ita admiratióne sui splendóris implévit, ut nequáquam sibi créderent negligéndum : quod tanto nuntiabátur indício.

℟. Reges Tharsis.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Adoráte Dóminum, allelúia : in aula sancta ejus, allelúia.

Ps. Cantáte. 101.

Aña. Adoráte Dóminum, allelúia : omnes Angeli ejus, allelúia.

Ps. Dóminus regnávit, exsúltet. 102.

Aña. Notum fecit Dóminus, allelúia : salutáre suum, allelúia.

Ps. Cantáte. 107.

℣. Omnes Gentes quascúmque fecísti. ℟. Vénient, et adorábunt coram te Dómine, allelúia.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 2.

CUm factus esset Jesus annórum duódecim, ascendéntibus illis Jerosólymam secúndum consuetúdinem diéi festi, consummatísque diébus, cum redírent, remánsit puer Jesus in Jerúsalem. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 2. in Lucam.


Duodécimo anno, ut légimus, Domínicæ súmitur disputatiónis exórdium. Hic enim prædicándæ fídei evangelizántium númerus debebátur. Nec otióse ímmemor suórum secúndum carnem paréntum, qui secúndum carnem útique sapiéntia Dei implebátur et grátia, post tríduum reperítur in templo: ut esset indício, quia post tríduum triumphális illíus passiónis, in sede cœlésti, et honóre divíno, fídei nostræ se suscitátus offérret, qui mórtuus credebátur.

℟. Magi véniunt. 335.

Lectio viij.

Quid est, quod me quærebátis? Duæ sunt in Christo generatiónes: una est patérna, matérna áltera. Patérna illa divínior: matérna vero, quæ in nostrum labórem usúmque descéndit. Et ídeo quæ supra natúram, supra ætátem, supra consuetúdinem fiunt, non humánis assignánda virtútibus, sed divínis referénda sunt potestátibus. Alibi eum ad ministérium mater impéllit, hic mater argúitur, quia adhuc quæ humána sunt, éxigat. Sed cum hic duódecim describátur annórum: illic discípulos habére dicátur: vides matrem didicísse a fílio, ne exígeret a validióre ministérium, quæ stupébat in junióre miráculum.

℟. Tria sunt.

Lectio ix.

Et venit Názareth, et erat súbditus illis. Quid enim magíster virtútis, nisi offícium pietátis impléret? Et mirámur, si Patri defert qui súbditur matri? Non útique infirmitátis, sed pietátis ista subjéctio est. Attóllat licet sævis emíssus látebris cóluber perfídiæ caput, et serpentínis évomat venéna pectóribus: cum dicit se Fílius missum, majórem hæréticus appéllet Patrem; ut imperféctum Fílium dicat, qui potest habére majórem; ut aliénis auxíliis ásserat eum, qui míttitur, indigére.

℟. In colúmbæ.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerd. ℣. Vídimus stellam ejus in Oriénte. ℟. Et vénimus cum munéribus adoráre Dóminum, allelúia.

AD LAUDES
et per Horas, Aña.

ANte lucíferum génitus, et ante sæcula Dóminus Salvátor noster hódie mundo appáruit.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Tria sunt múnera, quæ obtulérunt Magi Dómino, aurum, thus, et myrrham, Fílio Dei, Regi magno, allelúia.

Aña. Apértis thesáuris suis obtulérunt Magi Dómino aurum, thus, et myrrham, allelúia, allelúia.

Aña. Mária et flúmina benedícite Dómino : hymnum dícite fontes Dómino, allelúia.

Aña. Vidéntes stellam Magi gavísi sunt gáudio magno valde : et intrántes domum obtulérunt Dómino aurum, thus, et myrrham.

Capitulum. Rom. 12.


OBsecro vos fratres per misericórdiam Dei, ut exhibeátis córpora vestra hóstiam combivéntem, sanctam, Deo placéntem, rationábile obséquium vestrum.

Hymnus. A Patre Unigénitus. 338.

℣. Adoráte Dóminum.

Ad Benedictus, Aña. Fili, quid fecísti nobis sic? ego et pater tuus doléntes quærebámus te. Et quid est, quod me quærebátis? nesciebátis quia in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse?

Oratio.

VOta, quæsumus Dómine, supplicántis pópuli cœlésti pietáte proséquere : ut et quæ agénda sunt, vídeant; et ad impléнda, quæ víderint, convaléscant. Per Dóminum.

Pro comm. Octav. Aña. Stella ista sicut flamma corúscat, et Regem regum Deum demónstrat. Magi eam vidérunt, et Christo Regi múnera obtulérunt.

℣. Ab Oriénte venérunt Magi. ℟. In Béthlehem adoráre Dóminum, allelúia.

Oratio.

DEus, qui hodiérna die Unigénitum tuum Géntibus stella duce revelásti : concéde propítius; ut qui jam te ex fide cognóvimus, usque ad contemplándam spéciem tuæ celsitúdinis perducámur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

AD TERTIAM.

Capit. Obsecro vos, ut supra.

℟. Reges Tharsis, et ínsulæ múnera ófferent, * Allelúia, allelúia. Reges.
℣. Reges Arabum, et Saba dona addúcent. Allelúia, allelúia.
Glória Patri. Reges.
℣. Omnes de Saba.

AD SEXTAM.

Capitulum. Rom. 12.

Dico enim per grátiam, quæ data est mihi, ómnibus, qui sunt inter vos : non plus sápere, quam opórtet sápere, sed sápere ad sobrietátem.
℟. Omnes de Saba vénient, * Allelúia, allelúia. Omnes.
℣. Aurum et thus deferéntes, et laudem Dómino annuntiántes. Allelúia, allelúia.
Glória Patri. Omnes.
℣. Omnes Gentes.

AD NONAM.

Capitulum. Rom. 12.

Sicut enim in uno córpore multa membra habémus, ómnia autem membra, non eúmdem actum habent : ita multi unum corpus sumus in Christo, sínguli autem alter altérius membra.
℟. Omnes Gentes, quascúmque fecísti, * Allelúia, allelúia. Omnes.
℣. Vénient, et adorábunt coram te Dómine. Allelúia, allelúia.
Glória Patri. Omnes.
℣. Adoráte Dóminum.
℟. In aula sancta ejus, allelúia.

AD VESPERAS.

Aña. Ante lucíferum, cum reliq. de Laud. Ps. ut in ij. Vesp. Festi.
Capit. Obsecro, ut supra.
Hymn. Hostis Heródes.
℣. Reges, ut in die. 329.
Ad Magnificat, Aña. Puer autem Jesus proficiébat ætáte, et sapiéntia coram Deo, et homínibus.
Pro comm. Octav. Aña. Lux de luce apparuísti Christe : cui Magi múnera ófferunt, allelúia.
℣. Tria sunt múnera, quæ obtulérunt Magi Dómino. ℟. Aurum, thus, et myrrham, allelúia.
Oratio. Deus, qui hodiérna, ut supra.
Si in Feria secunda fuerit dies Octavus, tunc in his secundis Vesp. Dominicæ a Capit. fiat de eo, cum comm. Domin. Aña. Puer autem.
℣. Tria sunt.
Oratio. Vota, quæsumus.

QUANDO DIES OCTAV. Epiphaniæ Dominica fuerit, in j. Vesperis, omnia ut infra notantur in die Oct. et fit commem. Do-

minicæ per Aña. **Remánsit puer Jesus in Jerúsalem, et non cognovérunt paréntes ejus, existimántes illum esse in comitátu, et requirébant eum inter cognátos et notos.**

℣. **Tria sunt múnera, quæ obtulérunt Magi Dómino.** ℟. **Aurum, thus, et myrrham, allelúia.**

Oratio.

Vota, quæsumus Dómine, supplicántis pópuli cœlésti pietáte proséquere : ut et quæ agénda sunt, vídeant; et ad impléndа, quæ víderint, convaléscant. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Omnia ut signantur infra pro die octava. Sed in primo Nocturno ponantur tres Lectiones de initio Epistolæ primæ ad Corinthios. **Paulus vocátus Apóstolus,** quæ habentur post Octavam **356.** signatæ in Dominica prima post Epiph. quæ est infra Octavam.

In ij. et iij. Noct. legantur Lect. de die octavo, omissis illo anno Lectionibus secundi Nocturni Dominicæ infra Octavam.

Et pro ix. Lectione legatur Homilia Evangelii, **Cum factus esset. 348.** ut supra in Dom. infra Oct.

In Laud. pro comm. Dom. Aña. **Fili, quid fecísti nobis sic? ego et pater tuus doléntes quærebámus te. Et quid est, quod me quærebátis? nesciebátis quia in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse?**

℣. **Ab Oriénte venérunt Magi.** ℟. **In Béthlehem adoráre Dóminum, allelúia.**

In ij. Vesp. pro comm. Domin. Aña. **Puer autem Jesus proficiébat ætáte, et sapiéntia coram Deo, et homínibus.**

℣. **Tria sunt múnera, quæ obtulérunt Magi Dómino.** ℟. **Aurum, thus, et myrrham, allelúia.**

DIE XIII. JANUARII.

In Oct. Epiphaniæ.

Duplex minus.

AD VESPERAS.

Aña. **Ante lucíferum.**

Ps. ut in ij. Vesp. Festi. cum hac sola. Capit. ℟. Hymnus et ℣. ut in j. Vesperis Epiph. 329.

Ad Magnificat, Aña. **Baptízat miles Regem, servus Dóminum suum, Joánnes Salvatórem : aqua Jordánis stúpuit, colúmba protestátur : Patérna vox audíta est : Hic est Fílius meus diléctus.**

Oratio. **Deus cujus,** ut infra ad Laudes.

AD MATUTINUM.

Invitatorium Christus appáruit nobis : * Veníte, adorémus.

Ps. Veníte. 2.

Hymn. Hostis Heródes.

Añæ, et cetera omnia ut in die, præter ea, quæ inferius adnotantur.

In j. Noct. Lect. de Epist. j. ad Corinth. quæ occurrunt secundum superiorem Rubricam.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Sermo sancti Gregórii Nazianzéni.

Orat. in S. Lumina.

Lectio iv.



NOn possum cohibére lætítiæ voluptátem, sed mente extóllor, et affícior : et própriæ pusillitátis oblítus, offícium magni Joánnis, imo pótius famulátum subíre conténdo, ac géstio : et licet non sim præcúrsor, de erémo tamen vénio. Christus ergo illuminátur, imo pótius fulgóre suo nos illúminat. Christus baptizátur : simul et nos descendámus, ut cum ipso páriter ascendámus.

℞. Interrogábat. 332.

Lectio v.

JOánnes baptízat, et accédit Jesus, sanctíficans quidem et ipsum qui baptízat, præcípue tamen ut et véterem Adam sepéliat in aquis, et ante ómnia ut per hæc sanctificéntur aquæ Jordánis : ut, sicut erat spíritus et caro, ita et his, qui baptizándi erant, in spíritu et aqua sanctificatiónis succéssio traderétur. Non súscipit Baptísta, conténdit Jesus. Ego, inquit, opus hábeo a te baptizári. Lucérna dicit ad Solem, et Vox lóquitur ad Verbum.

℞. Illumináre.

Lectio vj.

AScéndit Jesus de aqua, secum quodámmodo demérsum edúcens, et élevans mundum : et vidit non dívidi cœlum, sed aperíri; quod sibi, ac nobis post se aliquándo Adam ille conclúserat ; sicut et ígneo gládio paradísus fúerat conclúsus. Spíritus sanctus testimónium pérhibet. Simília namque sibi ipsa concúrrunt. De cœlo testimónium defértur : inde enim erat ille, cui testimónium perhibétur.

℞. Reges Tharsis.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Adoráte Dóminum, allelúia : in aula sancta ejus, allelúia.

Ps. Cantáte. 101.

Aña. Adoráte Dóminum, allelúia : omnes Angeli ejus, allelúia.

Psalm. Dóminus regnávit. 102.

Aña. Notum fecit Dóminus, allelúia : salutáre suum, allelúia.

Ps. Cantáte. 107.

℣. Omnes Gentes quascúmque fecísti. ℟. Vénient, et adorábunt coram te Dómine, allelúia.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 3.

IN illo témpore : Venit Jesus a Galilæa in Jordánem ad Joánnem, ut baptizarétur ab eo. Et réliqua.

Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri.

Hom. 13. in Matth. c. 3.



CUm fámulis Dóminus, cum reis judex baptizándus venit. Verum nihil tibi hinc conturbatiónis oriátur. In his quippe humílibus illíus sublíme respléndet. Qui enim dignátus est tanto témpore gestári útero virgináli; cumque nostra in diem procederétur natúra, cædi atque crucifígi, cúnctaque pérpeti, quæ passus est : quid miráris étiam si baptizári suscípiat, cumque áliis ad servum veníre non réspuat?

℟. Magi véniunt. 335.

Lectio viij.

ILlud est quippe admiratiónis omni modo plenum, quod scílicet ille, qui erat Deus, homo fíeri vóluit. Jam vero ália juxta ratiónis órdinem consequúntur. Proptérea enim et Joánnes præoccupátus dicit : Quóniam non sit dignus sólvere corrígiam calceaménti ejus : cúnctaque ália, ex quibus illud est, quod sit ómnium judex, et secúndum méritum uniuscujúsque retríbuat, quodque sanctum Spíritum ómnibus liberáliter largiátur : ut cum eum víderis ad baptísma veniéntem, nihil prorsus húmile suspicéris.

℟. Tria sunt múnera.

Lectio ix.

IDcírco enim Joánnes præséntem quoque illum próhibet, dicens : Ego a te débeo baptizári, et tu venis ad me? Quia enim illud erat baptísma pœniténtiæ, et in accusatiónem peccatórum inducébat : ne quis putáret, quóniam et ipse tali propósito ad Jordánem veníret, præmunívit hoc,

Agnum certe illum, ac Redemptórem vocándo, ab omni immúnem, quod in toto erat orbe, peccáto. Qui enim cuncta humáni géneris póterat peccáta delére, multo magis absque omni erat ipse delícto.

℟. In colúmbæ.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerdotalis ℣. Vídimus stellam. 337.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

VEterem hóminem rénovans Salvátor venit ad baptísmum : ut natúram, quæ corrúpta erat, per aquam recuperáret, incorruptíbili veste circumamíctans nos.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Te, qui in Spíritu et igne puríficas humána contágia, Deum, ac Redemptórem omnes glorificámus.

Aña. Baptísta contremíscit, et non audet tángere sanctum Dei vérticem : sed clamat cum tremóre : Sanctífica me Salvátor.

Aña. Caput dracónis Salvátor contrívit in Jordánis flúmine, et ab ejus potestáte omnes erípuit.

Aña. Magnum mystérium declarátur hódie : quia Creátor ómnium in Jordáne expúrgat nostra facínora.

Capit. Hymnus et ℣. ut in die. 338.

Ad Bened. Aña. Præcúrsor Joánnes exsúltat, cum in Jordáne baptizáto Dómino facta est orbis terrárum exsultátio : facta est peccatórum nostrórum remíssio, sanctificándo aquas : ipsi omnes clamémus : Miserére nobis.

Oratio.

DEus, cujus Unigénitus in substántia nostræ carnis appáruit : præsta quæsumus; ut per eum, quem símilem nobis foris agnóvimus, intus reformári mereámur. Qui tecum vivit.

Ad Horas, Añæ Laud. Capit. ℟. et ℣. de Epiphania. 339.

AD VESPERAS.

Añæ Laud. Psalmi ut in ij. Vesp. Festi. 339.

Capit. Hymn. et ℣. ut in j. Vesp. Epiph. 329.

Ad Magnif. Aña. Fontes aquárum sanctificáti sunt, Christo apparénte in glória orbis terrárum : hauríte aquas de fóntibus Salvatóris : sanctificávit enim nunc omnem creatúram Christus Deus noster.

Fit comm. sequentis, et sancti Felicis Mart. Vide XIV. Januarii.

DOMINICA PRIMA
post Epiphaniam, quæ est infra Octavam.

IN PRIMO NOCTURNO.

Incipit Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus vocátus Apóstolus Jesu Christi per voluntátem Dei, et Sósthenes frater, Ecclésiæ Dei, quæ est Corínthi, sanctificátis in Christo Jesu, vocátis sanctis, cum ómnibus qui ínvocant nomen Dómini nostri Jesu Christi, in omni loco ipsórum, et nostro. Grátia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Dómino Jesu Christo.

℟. Hódie in Jordáne.

Lectio ij.

GRátias ago Deo meo semper pro vobis in grátia Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu, quod in ómnibus dívites facti estis in illo, in omni verbo, et in omni sciéntia, sicut testimónium Christi confirmátum est in vobis: ita ut nihil vobis desit in ulla grátia, exspectántibus revelatiónem Dómini nostri Jesu Christi, qui et confirmábit vos usque in finem sine crímine, in die advéntus Dómini nostri Jesu Christi. Fidélis Deus, per quem vocáti estis in societátem Fílii ejus Jesu Christi Dómini nostri.

℟. Omnes de Saba.

Lectio iij.

OBsecro autem vos fratres per nomen Dómini nostri Jesu Christi, ut idípsum dicátis omnes, et non sint in vobis schísmata: sitis autem perfécti in eódem sensu, et in eádem senténtia. Significátum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab iis, qui sunt Chloes, quia contentiónes sunt inter vos. Hoc autem dico, quod unusquísque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli: ego autem Apóllo: ego vero Cephæ: ego autem Christi. Divísus est Christus? Numquid Paulus crucifíxus est pro vobis? aut in nómine Pauli baptizáti estis?

℟. Stella, quam.

In secundo et tertio Nocturno, Lectiones ut in Dominica infra Octav. (nisi sit dies Octavus) cum Responsoriis ut in die Epiphaniæ.

Postquam autem in Dominica infra Octavam posita fuerit Epistola prima ad Corinthios, in reliquis diebus usque ad primam Dominicam post Octavam legitur de eadem Epistola hoc modo : Si fuerit infra Octavam, in quolibet die omittuntur duæ primæ Lectiones ad Romanos, et loco earum ponantur sequentes, hoc ordine ; ut quæ sunt signatæ pro secunda Feria, in ipsa legantur : et quæ pro tertia, in tertia : et sic de reliquis. Lectiones vero tertiæ de Sermone non omittuntur, sed leguntur unaquæque in suo die.

FERIA SECUNDA.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 4.

SIc nos exístimet homo ut minístros Christi, et dispensatóres mysteriórum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatóres, ut fidélis quis inveniátur. Mihi autem pro mínimo est, ut a vobis júdicer, aut ab humáno die : sed neque meípsum júdico. Nihil enim mihi cónscius sum : sed non in hoc justificátus sum : qui autem júdicat me, Dóminus est.

Lectio ij.

ITaque nolíte ante tempus judicáre, quoadúsque véniat Dóminus, qui et illuminábit abscóndita tenebrárum, et manifestábit consília córdium : et tunc laus erit unicuíque a Deo. Hæc autem, fratres, transfigurávi in me, et Apóllo propter vos : ut in nobis discátis, ne supra quam scriptum est, unus advérsus álterum inflétur pro álio. Quis enim te discérnit? Quid autem habes, quod non accepísti? Si autem accepísti, quid gloriáris, quasi non accéperis? Jam saturáti estis, jam dívites facti estis : sine nobis regnátis : et útinam regnétis, ut et nos vobíscum regnémus.

Lectio iij.

PUto enim quod Deus nos Apóstolos novíssimos osténdit, tamquam morti destinátos : quia spectáculum facti sumus mundo, et Angelis, et homínibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudéntes in Christo : nos infírmi, vos autem fortes : vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam et esurímus, et sití-

mus, et nudi sumus, et cólaphis cædimur, et instábiles sumus, et laborámus operántes mánibus nostris : maledícimur, et benedícimus : persecutiónem pátimur, et sustinémus.

FERIA TERTIA.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 5.

OMníno audítur inter vos fornicátio, et talis fornicátio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxórem patris sui áliquis hábeat. Et vos infláti estis : et non magis luctum habuístis, ut tollátur de médio vestrum, qui hoc opus fecit. Ego quidem absens córpore, præsens autem spíritu, jam judicávi, ut præsens, eum qui sic operátus est, in nómine Dómini nostri Jesu Christi, congregátis vobis et meo spíritu, cum virtúte Dómini nostri Jesu, trádere hujúsmodi sátanæ in intéritum carnis, ut spíritus salvus sit in die Dómini nostri Jesu Christi.

Lectio ij.

NOn est bona gloriátio vestra. Nescítis quia módicum ferméntum totam massam corrúmpit? Expurgáte vetus ferméntum, ut sitis nova conspérsio, sicut estis ázymi. Etenim Pascha nostrum immolátus est Christus. Itaque epulémur, non in ferménto véteri, neque in ferménto malítiæ, et nequítiæ : sed in ázymis sinceritátis, et veritátis.

Lectio iij.

SCripsi vobis in Epístola : Ne commisceámini fornicáriis. Non útique fornicáriis hujus mundi, aut aváris, aut rapácibus, aut idólis serviéntibus : alióquin debuerátis de hoc mundo exiísse. Nunc autem scripsi vobis non commiscéri : si is, qui frater nominátur, est fornicátor, aut avárus, aut idólis sérviens, aut maledicus, aut ebriósus, aut rapax : cum hujúsmodi nec cibum súmere.

FERIA QUARTA.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 6.

AUdet áliquis vestrum habens negótium advérsus álterum, judicári apud iníquos, et non apud sanctos? An nescítis quóniam sancti de hoc mundo judi-

cábunt? Et si in vobis judicábitur mundus, indígni estis, qui de mínimis judicétis? Nescítis quóniam ángelos judicábimus? quanto magis sæculária? Sæculária ígitur judícia si habuéritis; contemptíbiles, qui sunt in Ecclésia, illos constitúite ad judicándum. Ad verecúndiam vestram dico. Sic non est inter vos sápiens quisquam, qui possit judicáre inter fratrem suum, sed frater cum fratre judício conténdit : et hoc apud infidéles?

Lectio ij.

JAm quidem omníno delíctum est in vobis, quod judícia habétis inter vos. Quare non magis injúriam accípitis? Quare non magis fraudem patímini? Sed vos injúriam fácitis, et fraudátis : et hoc frátribus. An nescítis, quia iníqui regnum Dei non possidébunt? Nolíte erráre : Neque fornicárii, neque idólis serviéntes, neque adúlteri, neque molles, neque masculórum concubitóres, neque fures, neque avári, neque ebriósi, neque malédici, neque rapáces regnum Dei possidébunt. Et hæc quidam fuístis : sed ablúti estis, sed sanctificáti estis, sed justificáti estis in nómine Dómini nostri Jesu Christi, et in Spíritu Dei nostri.

Lectio iij.

OMnia mihi licent, sed non ómnia expédiunt. Omnia mihi licent, sed ego sub nullíus rédigar potestáte. Esca ventri, et venter escis. Deus autem et hunc et has déstruet : corpus autem non fornicatióni, sed Dómino : et Dóminus córpori. Deus vero et Dóminum suscitávit, et nos suscitábit per virtútem suam. Nescítis quóniam córpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, fáciam membra meretrícis? Absit. An nescítis, quóniam qui adhæret meretríci, unum corpus effícitur? Erunt enim (inquit) duo in carne una. Qui autem adhæret Dómino, unus spíritus est. Fúgite fornicatiónem.

FERIA QUINTA.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 7.



DE quibus autem scripsístis mihi : Bonum est hómini mulíerem non tángere :

propter fornicatiónem autem unusquísque suam uxórem hábeat, et unaquæque suum virum hábeat. Uxóri vir débitum reddat : simíliter autem et uxor viro. Múlier sui córporis potestátem non habet, sed vir. Simíliter autem et vir sui córporis potestátem non habet, sed múlier.

Lectio ij.

NOlíte fraudáre ínvicem, nisi forte ex consénsu ad tempus, ut vacétis oratióni : et íterum revertímini in idípsum, ne tentet vos sátanas propter incontinéntiam vestram. Hoc autem dico secúndum indulgéntiam, non secúndum impérium. Volo enim omnes vos esse sicut meípsum : sed unusquísque próprium donum habet ex Deo : álius quidem sic, álius vero sic. Dico autem non nuptis, et víduis : bonum est illis si sic permáneant sicut et ego. Quod si non se cóntinent, nubant. Mélius est enim núbere, quam uri.

Lectio iij.

IIs autem, qui matrimónio juncti sunt, præcípio, non ego, sed Dóminus, uxórem a viro non discédere : quod si discésserit, manére innúptam, aut viro suo reconciliári. Et vir uxórem non dimíttat. Nam céteris ego dico, non Dóminus : Si quis frater uxórem habet infidélem, et hæc consén-tit habitáre cum illo, non dimíttat illam. Et si qua múlier fidélis habet virum infidélem, et hic consén-tit habitáre cum illa, non dimíttat virum : sanctificátus est enim vir infidélis per mulíerem fidélem, et sanctificáta est múlier infidélis per virum fidélem : alióquin fílii vestri immúndi essent, nunc autem sancti sunt.

FERIA SEXTA.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 13.



SI linguis hóminum loquar, et Angelórum, caritátem autem non hábeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tínniens. Et si habúero prophetíam, et nóverim mystéria ómnia, et omnem sciéntiam : et si habúero omnem fidem, ita ut montes tránsferam, caritátem autem non habúero, nihil sum. Et si distribúero in cibos páu-

perum omnes facultátes meas, et si tradídero corpus meum, ita ut árdeam; caritátem autem non habúero, nihil mihi prodest.

Lectio ij.

CAritas pátiens est, benígna est. Cáritas non æmulátur, non agit pérperam, non inflátur, non est ambitiósa, non quærit quæ sua sunt, non irritátur, non cógitat malum, non gaudet super iniquitáte, congáudet autem veritáti : ómnia suffert, ómnia credit, ómnia sperat, ómnia sústinet. Cáritas nunquam éxcidit : sive prophetíæ evacuabúntur, sive linguæ cessábunt, sive sciéntia destruétur. Ex parte enim cognóscimus, et ex parte prophetámus. Cum autem vénerit quod perféctum est, evacuábitur quod ex parte est.

Lectio iij.

CUm essem párvulus, loquébar ut párvulus, sapiébam ut párvulus, cogitábam ut párvulus. Quando autem factus sum vir, evacuávi quæ erant párvuli. Vidémus nunc per spéculum in ænígmate : tunc autem fácie ad fáciem. Nunc cognósco ex parte : tunc autem cognóscam, sicut et cógnitus sum. Nunc autem manent, fides, spes, cáritas, tria hæc : major autem horum est cáritas.

SABBATO.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 16.

DE colléctis autem, quæ fiunt in sanctos, sicut ordinávi Ecclésiis Galátiæ, ita et vos fácite. Per unam sábbati unusquísque vestrum apud se sepónat, recóndens quod ei bene placúerit : ut non, cum vénero, tunc colléctæ fiant. Cum autem præsens fúero : quos probavéritis per epístolas, hos mittam perférre grátiam vestram in Jerúsalem. Quod si dignum fúerit, ut et ego eam, mecum ibunt.

Lectio ij.

VEniam autem ad vos, cum Macedóniam pertransíero : nam Macedóniam pertransíbo. Apud vos autem fórsitan manébo, vel étiam hiemábo : ut vos me deducátis quocúmque íero. Nolo enim vos modo in tránsitu vi-

dére : spero enim me aliquántulum témporis manére apud vos, si Dóminus permíserit. Permanébo autem Ephesi usque ad Pentecósten. Ostium enim mihi apértum est magnum et évidens : et adversárii multi.

Lectio iij.

SI autem vénerit Timótheus, vidéte ut sine timóre sit apud vos : opus enim Dómini operátur, sicut et ego. Ne quis ergo illum spernat : dedúcite autem illum in pace, ut véniat ad me : exspécto enim illum cum frátribus. De Apóllo autem fratre vobis notum fácio, quóniam multum rogávi eum, ut veníret ad vos cum frátribus : et útique non fuit volúntas, ut nunc veníret : véniet autem, cum ei vácuum fúerit. Vigiláte, state in fide, viríliter ágite, et confortámini. Omnia vestra in caritáte fiant.

Quia inter Epiphan. et Septuages. aliquando plures, aliquando pauciores occurrunt Dominicæ, ideo notandum est, quod Homiliæ quæ supersunt, cum earum Antiphonis ad Benedictus, et ad Magnificat in ij. Vesperis et Orationibus pronuntiari debent per Hebdomadam ante Septuagesimam in diebus vacantibus : et legantur tres Lectiones de Homilia Dominicæ quæ transfertur, omissis Lectionibus Scripturæ illius Feriæ : et Antiphonæ ad Benedictus, et ad Magnificat de ij. Vesperis dicantur de Dominica translata cum ejus Oratione, quæ etiam dicatur ad Horas. Quod si dies vacantes non suffecerint, fiat de Feria in Festo simplicissimo, et de Festo fiat tantum commemoratio : et si habuerit Lectionem propriam, omittatur. Si vero Festa simplicissima non sufficiant, fiat de Feria in Sabbato non occupato Festo novem Lectionum modo supradicto : sed in secundis Vesperis non fiat commemoratio de Dominica translata. Quod si dies nec sic sufficiant, Homiliæ Dominicarum legantur in Festis novem Lectionum pro nona Lectione, et fiat commemoratio Dominicæ in Laudibus et in ij. Vesperis cum ejusdem Antiphonis et Orationibus de Domi-

nica, et Versu feriali : nisi fuerit Sabbatum, quia tunc in Vesperis non fit commemoratio de Dominica translata. Relinquantur tamen Homiliæ quæ ex his Dominicis resumuntur ante Adventum, secundum exigentiam temporis, hoc ordine.

Quando inter Octavam Epiphaniæ et Septuagesimam nulla Dominica fuerit, tunc Homiliæ de Dominica j. ij. et iij. pronuntientur inter diem octavum Epiphaniæ et ante Septuagesimam. Homiliæ vero de Dominica iv. et v. non pronuntientur ante Septuagesimam, sed remaneant pro Dominica xxv. et xxvj. post Trinitatem.

Quando Septuagesima venerit die 21. vel 22. Januarii, Homiliæ de Dominica ij. et iij. pronuntientur inter Dominicam primam post Octavam Epiphaniæ et ante Septuagesimam, et Homiliæ de Dominica iv. et v. remaneant pro Domin. xxv. et xxvj. post Trinitatem.

Quando Septuagesima venerit 23. 24. 25. 26. vel 27. Januarii, Homiliæ de Dominica ij. et iij. et iv. pronuntientur inter Dominicam j. post Octavam Epiphaniæ et Septuagesimam. Homilia autem de Dominica v. remaneat pro Dominica xxv. post Trinitatem.

Quando Septuagesima venerit 28. vel 29. Januarii, Homiliæ de Dominica iij. et iv. pronuntientur inter Dominicam ij. post Octavam Epiphaniæ et Septuagesimam. Homilia vero de Dominica v. remaneat pro Dominica xxv. post Trinitatem.

Quando Septuagesima venerit die 30. Januarii, et deinceps usque ad 17. Februarii, Homiliæ quæ superfuerint, in ultima Hebdomada ante Septuagesimam pronuntientur.

SABBATO PRIMO
post Octavam Epiphaniæ.

AD VESPERAS

Añæ et Ps. de Officio præcedenti.

Capitulum, Hymnus et ℣. de Sabbato, ut in Psalterio. **183.**

Ad Magnif. Aña. **Peccáta mea Dómine, sicut sagíttæ, infíxa sunt in me : sed ántequam vúlnera génerent in me, sana me Dó-**

mine medicaménto pœniténtiæ Deus.

Oratio ut infra ad Laudes Dominicæ.

Et fiant commem. communes.

DOMINICA PRIMA
post Octavam Epiphaniæ.

AD MATUTINUM.

Invitator. Dóminum qui fecit. Ps. Veníte. 2.

Hymn. Primo diérum. 3.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Servíte.

Ps. Beátus vir, cum reliquis ut in Psalt. 4.

Incipit Epístola secúnda beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 1.



Aulus Apóstolus Jesu Christi per voluntátem Dei, et Timótheus frater, Ecclésiæ Dei, quæ est Corínthi, cum ómnibus sanctis, qui sunt in univérsa Achája. Grátia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Dómino Jesu Christo. Benedíctus Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra : ut possímus et ipsi consolári eos, qui in omni pressúra sunt, per exhortatiónem, qua exhortámur et ipsi a Deo. Quóniam sicut abúndant passiónes Christi in nobis : ita et per Christum abúndat consolátio nostra.

℟. Dómine, ne in furóre tuo árguas me, neque in ira tua corrípias me : * Miserére mei Dómine, quóniam infírmus sum.

℣. Timor et tremor venérunt super me, et contexérunt me ténebræ, et dixi. Miserére.

Lectio ij.

Sive autem tribulámur pro vestra exhortatióne, et salúte, sive consolámur pro vestra consolatióne, sive exhortámur pro vestra exhortatióne et salúte, quæ operátur tolerántiam earúmdem passiónum, quas et nos pátimur : ut spes nostra firma sit pro vobis : sciéntes, quod sicut sócii passiónum estis, sic éritis et consolatiónis.

℟. Deus, qui sedes super thronum, et júdicas æquitátem, esto refúgium páuperum in tribulatióne : * Quia tu solus labórem et dolórem consíderas.

℣. Tibi enim derelíctus est pauper : órphano tu eris adjútor. Quia tu.

Lectio iij.

Non enim vólumus ignoráre vos, fratres, de tribulatióne nostra, quæ facta est in Asia, quóniam supra modum graváti sumus supra virtútem, ita ut tædéret nos étiam vívere. Sed ipsi in nobismetípsis respónsum mortis habúimus, ut non simus fidéntes in nobis, sed in Deo, qui súscitat mórtuos : qui de tantis perículis nos erípuit, et éruit : in quem sperámus, quóniam et adhuc erípiet, adjuvántibus et vobis in oratióne pro nobis : ut ex multórum persónis, ejus, quæ in nobis est donatiónis, per multos grátiæ agántur pro nobis.

℟. A dextris est mihi Dóminus, ne commóvear; * Propter hoc dilatátum est cor meum, et exsultávit lingua mea.

℣. Dóminus pars hereditátis meæ, et cálicis mei. Propter.

Glória Patri. Propter.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Ex Præf. in Epist. B. Pauli.

Lectio iv.

Beáti Pauli Epistolárum lectiónem dum assídue auscúlto : perque hebdómadas síngulas bis sæpe, et ter et quater, quotiescúmque sanctórum Mártyrum memórias celebrámus, gáudio exsúlto, tuba illa spirituáli pérfruens, et éxcitor, ac desidério incalésco, vocem mihi amícam agnóscens, et fere præséntem ipsum intuéri, et disseréntem audíre vídeor. Sed tamen dóleo, et moléste fero, quod virum hunc non omnes, sicut par est, cognóscunt : verum ita illum nonnúlli ignórant, ut ne Epistolárum quidem ejus númerum plane sciant. Hoc vero non imperítia facit, sed quod nolint beáti hujus viri scripta assídue in mánibus habére.

℟. Notas mihi fecísti, Dómine, vias vitæ, adimplébis me lætítia cum vultu tuo : * Delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

℣. Consérva me, Dómine, quóniam sperávi in te : dixi Dómino : Deus meus es tu. Delectatiónes.

Lectio v.

Neque enim nos, quæ scimus, si quid scimus, ab ingénii bonitáte atque acúmine scimus : sed quod erga hunc virum impénse affécti, ab illíus

lectióne nunquam discédimus : síquidem qui amant, ii plus quam céteri omnes eórum facta norunt quos amant, ut qui de iis ipsis sint sollíciti. Id quod beátus hic véluti osténdens, ad Philippénses ait : Sicut est mihi justum, ut hoc de vobis ómnibus séntiam, eo quod hábeam vos in corde, et in vínculis meis, et in defensióne, et confirmatióne Evangélii.

℟. Díligam te Dómine fortitúdo mea : * Dóminus firmaméntum meum, et refúgium meum.

℣. Laudans invocábo Dóminum : et ab inimícis meis salvus ero. Dóminus.

Lectio vj.

QUapróptor, si et vos quoque lectióni diligénter atténdere voluéritis, nihil áliud vobis erit requiréndum. Verax est enim Christi sermo dicéntis : Quærite, et inveniétis ; pulsáte, et aperiétur vobis. Céterum quandóquidem complúres ex iis, qui huc nobíscum convéniunt, et liberórum educatiónem, et uxóris curam, et famíliæ providéntiam suscepére, ob idque totos sese huic labóri dare non sústinent : at certe ipsi vos excitáte ad ea saltem capiénda, quæ álii collégerint : stúdii tantúmdem iis, quæ dicta fúerint, auscultándis, quantum pecúniis colligéndis, impertiéntes. Nam etsi turpe sit, non nisi tantum stúdii a vobis exígere, optábile tamen erit, si tantum saltem tribuátis.

℟. Dómini est terra, et plenitúdo ejus : * Orbis terrárum, et univérsi, qui hábitant in eo.

℣. Ipse super mária fundávit eum, et super flúmina præparávit eum. Orbis terrárum.

Glória Patri. Orbis.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. Cap. 2.

IN illo témpore : Núptiæ factæ sunt in Cana Galilææ : et erat mater Jesu ibi. Vocátus est autem et Jesus, et discípuli ejus ad núptias. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 9. in Joann.


Uod Dóminus invitátus venit ad núptias, étiam excépta mystica significatióne, confirmáre vóluit quod ipse fecit núptias. Futúri enim erant, de qui-

bus dixit Apóstolus, prohibéntes núbere, et dicéntes quod malum essent núptiæ, et quod diábolus eas fecísset : cum idem Dóminus dicat in Evangélio, interrogátus utrum líceat hómini dimíttere uxórem suam ex quálibet causa, Non licére, excépta causa fornicatiónis. In qua responsióne, si meminístis, hoc ait : Quod Deus conjúnxit, homo non séparet.

℟. Ad te Dómine levávi ánimam meam : * Deus meus in te confído, non erubéscam.

℣. Neque irrídeant me inimíci mei : étenim univérsi, qui sústinent te, non confundéntur. Deus.

Lectio viij.

Et qui bene erudíti sunt in fide cathólica, novérunt quod Deus fécerit núptias ; et sicut conjúnctio a Deo, ita divórtium a diábolo sit. Sed proptérea in causa fornicatiónis licet uxórem dimíttere, quia ipsa esse uxor prior nóluit, quæ fidem conjugálem maríto non servávit. Nec illæ, quæ virginitátem Deo vovent, quamquam ampliórem gradum honóris et sanctitátis in Ecclésia téneant, sine núptiis sunt : nam et ipsæ pértinent ad núptias cum tota Ecclésia, in quibus núptiis sponsus est Christus.

℟. Audiam Dómine vocem laudis, * Ut enárrem univérsa mirabília tua.

℣. Dómine diléxi decórem domus tuæ, et locum habitatiónis glóriæ tuæ. Ut.

Lectio ix.

Ac per hoc ergo Dóminus invitátus venit ad núptias, ut conjugális cástitas firmarétur, et ostenderétur sacraméntum nuptiárum, quia et illárum nuptiárum sponsus persónam Dómini figurábat, cui dictum est : Servásti vinum bonum usque adhuc. Bonum enim vinum Christus servávit usque adhuc, id est, Evangélium suum.

℟. Peccáta mea Dómine, sicut sagíttæ, infíxa sunt in me ; sed ántequam vúlnera génerent in me, * Sana me Dómine medicaménto pœniténtiæ Deus.

℣. Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : et peccátum meum contra me est semper : quia tibi soli peccávi. Sana.

Glória Patri. Sana.

Te Deum laudámus. 20.

AD LAUDES.

Omnia ut in Psalter. 21.

Ad Benedictus, Aña. **Núptiæ factæ sunt in Cana Galilææ : et erat ibi Jesus cum María matre sua.**

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui cœléstia simul et terréna moderáris : supplicatiónes pópuli tui cleménter exáudi, et pacem tuam nostris concéde tempóribus. Per Dóminum.

Et fiunt commem. communes.

Ad Horas, et ad ij. Vesp. omnia ut in Psalterio.

Ad Magnificat. Aña. **Deficiénte vino, jussit Jesus impléri hydrias aqua, quæ in vinum convérsa est, allelúia.**

Et fiunt commemorationes communes.

IN FERIIS USQUE AD SEPTUAGESIMAM.

AD MATUTINUM.

Invitatorium, Hymnus, Añæ, Psalmi, et cetera, ut in Psalter. Lectiones, ut inferius in singulis Feriis habentur : nisi pronuntiandum sit aliquod Evangelium, vel Initium. Responsoria de Psalterio. Non dicitur **Te Deum.**

Sacerdotalis ℣. **Fiat misericórdia tua,** de Psalterio.

Ad Laudes, Horas, Vesp. et Complet. omnia ut in Psalter. pro Feriis post Epiph. adnotantur, cum Oratione Dom. præcedentis illam Feriam, de qua fit Officium. Sed si Lectiones ad Matutinum fuerint de Homilia alicujus Dominicæ, dicuntur ad Benedictus, et Magnificat de ij. Vesp. Añæ illius Homiliæ pronuntiatæ : similiter Oratio erit de illa Homilia.

Fiunt comm. communes ad Laud. et ad Vesp. Et dicuntur Preces communes ad Primam, et Completorium.

FERIA SECUNDA.

De Epístola secúnda beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 3.

Incípimus íterum nosmetípsos commendáre? aut numquid egémus (sicut quidam) commendatítiis epístolis ad vos, aut ex vobis? Epístola nostra vos estis, scripta in córdibus nostris, quæ scitur, et légitur ab ómnibus homínibus; manifestáti, quod Epístola estis Christi, ministráta a nobis, et scripta non atraménto, sed spíritu Dei

vivi : non in tábulis lapídeis, sed in tábulis cordis carnálibus.

℟. Quam magna, de Feria ij. ut in Psalt. 41.

Lectio ij.

Fidúciam autem talem habémus per Christum ad Deum : non quod sufficiéntes simus cogitáre áliquid a nobis, quasi ex nobis; sed sufficiéntia nostra ex Deo est : qui et idóneos nos fecit minístros novi testaménti : non líttera, sed Spíritu : líttera enim occídit, Spíritus autem vivíficat. Quod si ministrátio mortis lítteris deformáta in lapídibus, fuit in glória, ita ut non possent inténdere fílii Israel in fáciem Móysi propter glóriam vultus ejus, quæ evacuátur : quómodo non magis ministrátio Spíritus erit in glória?

Lectio iij.

Nam si ministrátio damnatiónis glória est : multo magis abúndat ministérium justítiæ in glória. Nam nec glorificátum est, quod cláruit in hac parte, propter excelléntem glóriam. Si enim quod evacuátur, per glóriam est : multo magis, quod manet, in glória est. Habéntes ígitur talem spem, multa fidúcia útimur : et non sicut Móyses ponébat velámen super fáciem suam, ut non inténderent fílii Israel in fáciem ejus, quod evacuátur, sed obtúsi sunt sensus eórum. Usque in hodiérnum enim diem idípsum velámen in lectióne véteris testaménti manet non revelátum : quóniam in Christo evacuátur.

FERIA TERTIA.

De Epístola secúnda beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 5.



Scimus enim, quóniam si terréstris domus nostra hujus habitatiónis dissolvátur, quod ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufáctam, ætérnam in cœlis. Nam et in hoc ingemíscimus, habitatiónem nostram, quæ de cœlo est, superíndui cupiéntes : si tamen vestíti, non nudi inveniámur. Nam et qui sumus in hoc tabernáculo, ingemíscimus graváti : eo quod nólumus exspoliári, sed supervestíri, ut absorbeátur quod mortále est, a vita.

℟. Auribus pércipe, de Psalt. 58

Lectio ij.

Audéntes ígitur semper, sciéntes quóniam dum sumus in córpore, peregrinámur a Dómino : (per fidem enim ambulámus, et non per spéciem) audémus autem, et bonam voluntátem habémus magis peregrinári a córpore, et præséntes esse ad Dóminum. Et ídeo conténdimus sive abséntes, sive præséntes placére illi. Omnes enim nos manifestári opórtet ante tribúnal Christi, ut réferat unusquísque própria córporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.

Lectio iij.

Sciéntes ergo timórem Dómini homínibus suadémus, Deo autem manifésti sumus. Spero autem et in consciéntiis vestris maniféstos nos esse. Non íterum commendámus nos vobis, sed occasiónem damus vobis gloriándi pro nobis; ut habeátis ad eos, qui in fácie gloriántur, et non in corde. Sive enim mente excédimus, Deo : sive sóbrii sumus, vobis. Cáritas enim Christi urget nos : æstimántes hoc, quóniam si unus pro ómnibus mórtuus est, ergo omnes mórtui sunt : et pro ómnibus mórtuus est Christus : ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mórtuus est, et resurréxit.

FERIA QUARTA.

De Epístola secúnda beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 7.

As ergo habéntes promissiónes, caríssimi, mundémus nos ab omni inquinaménto carnis et spíritus, perficiéntes sanctificatiónem in timóre Dei. Cápite nos. Néminem læsimus, néminem corrúpimus, néminem circumvénimus. Non ad condemnatiónem vestram dico : prædíximus enim, quod in córdibus nostris estis ad commoriéndum, et ad convivéndum.

℟. Ne perdíderis, de Psalt. 70. Lectio ij.

Ulta mihi fidúcia est apud vos, multa mihi gloriátio pro vobis : replétus sum consolatióne, superabúndo gáudio in omni tribulatióne nostra. Nam et cum venissémus in Macedóniam, nullam réquiem hábuit caro nostra, sed omnem tribulatiónem passi sumus :

foris pugnæ, intus timóres. Sed qui consolátur húmiles, consolátus est nos Deus in advéntu Titi. Non solum autem in advéntu ejus, sed étiam in consolatióne, qua consolátus est in vobis, réferens nobis vestrum desidérium, vestrum fletum, vestram æmulatiónem pro me, ita ut magis gaudérem.

Lectio iij.

QUóniam etsi contristávi vos in epístola, non me pœnitet : et si pœnitéret, videns quod epístola illa (etsi ad horam) vos contristávit, nunc gáudeo : non quia contristáti estis, sed quia contristáti estis ad pœniténtiam. Contristáti enim estis secúndum Deum, ut in nullo detriméntum patiámini ex nobis. Quæ enim secúndum Deum tristítia est, pœniténtiam in salútem stábilem operátur : sæculi autem tristítia mortem operátur.

FERIA QUINTA.

De Epístola secúnda beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 10.

IPse autem ego Paulus óbsecro vos per mansuetúdinem, et modéstiam Christi, qui in fácie quidem húmilis sum inter vos, absens autem confído in vobis. Rogo autem vos, ne præsens áudeam per eam confidéntiam, qua exístimor audére in quosdam, qui arbitrántur nos tamquam secúndum carnem ambulémus. In carne enim ambulántes, non secúndum carnem militámus.

℟. Deus in te, de Psalterio. 88.

Lectio ij.

NAm arma milítiæ nostræ non carnália sunt, sed poténtia Deo ad destructiónem munitiónum, consília destruéntes, et omnem altitúdinem extolléntem se advérsus sciéntiam Dei, et in captivitátem redigéntes omnem intelléctum in obséquium Christi, et in promptu habéntes ulcísci omnem inobediéntiam, cum impléta fúerit vestra obediéntia. Quæ secúndum fáciem sunt, vidéte. Si quis confídit sibi Christi se esse, hoc cógitet íterum apud se : quia sicut ipse Christi est, ita et nos.

Lectio iij.

NAm et si ámplius áliquid gloriátus fúero de potestáte nostra, quam dedit nobis Dóminus in

ædificatiónem, et non in destructiónem vestram : non erubéscam. Ut autem non exístimer tamquam terrére vos per epístolas; quóniam quidem epístolæ, ínquiunt, graves sunt, et fortes : præséntia autem córporis infírma, et sermo contemptíbilis : hoc cógitet, qui ejúsmodi est, quia quales sumus verbo per epístolas abséntes, tales et præséntes in facto. Non enim audémus insérere, aut comparáre nos quibúsdam, qui seípsos comméndant : sed ipsi in nobis nosmetípsos metiéntes, et comparántes nosmetípsos nobis.

FERIA SEXTA.

De Epístola secúnda beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 12.



SI gloriári opórtet (non éxpedit quidem :) véniam autem ad visiónes, et revelatiónes Dómini. Scio hóminem in Christo, ante annos quatuórdecim (sive in córpore néscio, sive extra corpus néscio; Deus scit,) raptum hujúsmodi usque ad tértium cœlum. Et scio hujúsmodi hóminem (sive in córpore, sive extra corpus néscio; Deus scit) quóniam raptus est in Paradísum : et audívit arcána verba, quæ non licet hómini loqui.

℟. Confitébor, de Psaltério. 103.

Lectio ij.

PRo hujúsmodi gloriábor : pro me autem nihil gloriábor, nisi in infirmitátibus meis. Nam et si volúero gloriári, non ero insípiens : veritátem enim dicam : parco autem, ne quis me exístimet supra id, quod videt in me, aut áliquid audit ex me. Et ne magnitúdo revelatiónum extóllat me, datus est mihi stímulus carnis meæ ángelus sátanæ, qui me colaphízet. Propter quod ter Dóminum rogávi, ut discéderet a me : et dixit mihi : Súfficit tibi grátia mea : nam virtus in infirmitáte perfícitur.

Lectio iij.

LIbénter ígitur gloriábor in infirmitátibus meis, ut inhábitet in me virtus Christi. Propter quod pláceo mihi in infirmitátibus meis, in contuméliis, in necessitátibus, in persecutiónibus, in angústiis pro Christo. Cum enim infírmor, tunc po-

tens sum. Factus sum insípiens, vos me coegístis. Ego enim a vobis débui commendári : nihil enim minus fui ab iis, qui sunt supra modum Apóstoli : tamétsi nihil sum.

SABBATO.

De Epístola secúnda beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 13.

ECce tértio hoc vénio ad vos. In ore duórum, vel trium téstium stabit omne verbum. Prædíxi, et prædíco, ut præsens, et nunc absens iis, qui ante peccavérunt, et céteris ómnibus, quóniam si vénero íterum, non parcam. An experiméntum quæritis ejus, qui in me lóquitur Christus, qui in vobis non infirmátur, sed potens est in vobis? Nam etsi crucifíxus est ex infirmitáte : sed vivit ex virtúte Dei. Nam et nos infírmi sumus in illo : sed vivémus cum eo ex virtúte Dei in vobis.

℟. Misericórdiam, de Psaltério. 122.

Lectio ij.

VOsmetípsos tentáte, si estis in fide : ipsi vos probáte. An non cognóscitis vosmetípsos, quia Christus Jesus in vobis est? nisi forte réprobi estis. Spero autem, quod cognoscétis, quia nos non sumus réprobi. Orámus autem Deum, ut nihil mali faciátis, non ut nos probáti appareámus, sed ut vos quod bonum est, faciátis : nos autem ut réprobi simus. Non enim póssumus áliquid advérsus veritátem, sed pro veritáte. Gaudémus enim, quóniam nos infírmi sumus, vos autem poténtes estis. Hoc et orámus, vestram consummatiónem.

Lectio iij.

IDeo hæc absens scribo, ut non præsens dúrius agam secúndum potestátem, quam Dóminus dedit mihi in ædificatiónem, et non in destructiónem. De cétero, fratres, gaudéte, perfécti estóte, exhortámini, idem sápite, pacem habéte, et Deus pacis et dilectiónis erit vobíscum. Salutáte ínvicem in ósculo sancto. Salútant vos omnes sancti. Grátia Dómini nostri Jesu Christi, et cáritas Dei, et communicátio sancti Spíritus sit cum ómnibus vobis. Amen.

AD VESPERAS.

Omnia ut in Psalt. 179.

Ad Magnificat, Aña. Fratres exístimo, quod non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis, allelúia.

Oratio ut infra ad Laudes Dominicæ.

DOMINICA II.

post Octavam Epiphaniæ.

AD MATUTINUM.

Omnia ut in Psalt. 2. exceptis hic signatis.

IN PRIMO NOCTURNO.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus Apóstolus non ab homínibus, neque per hóminem, sed per Jesum Christum, et Deum Patrem, qui suscitávit eum a mórtuis : et qui mecum sunt omnes fratres, Ecclésiis Galátiæ. Grátia vobis, et pax a Deo Patre, et Dómino nostro Jesu Christo, qui dedit semetípsum pro peccátis nostris, ut eríperet nos de præsénti sæculo nequam, secúndum voluntátem Dei et Patris nostri, cui est glória in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Dómine, de Domin. præc. 364.

Lectio ij.

MIror, quod sic tam cito transferímini ab eo, qui vos vocávit in grátiam Christi, in áliud Evangélium : quod non est áliud, nisi sunt áliqui, qui vos contúrbant, et volunt convértere Evangélium Christi. Sed licet nos, aut Angelus de cœlo evangelízet vobis prætérquam quod evangelizávimus vobis, anáthema sit. Sicut prædíximus, et nunc íterum dico : Si quis vobis evangelizáverit præter id, quod accepístis, anáthema sit. Modo enim homínibus suádeo, an Deo? An quæro homínibus placére? Si adhuc homínibus placérem, Christi servus non essem.

℟. Deus, qui sedes.

Lectio iij.

NOtum enim vobis fácio, fratres, Evangélium, quod evangelizátum est a me, quia non est secúndum hóminem; neque enim ego ab hómine accépi illud, neque dídici, sed per revelatiónem Jesu Christi. Audístis enim conversatiónem meam aliquándo in Judaísmo : quóniam supra modum persequébar Ecclésiam Dei, et expugnábam illam, et

proficiébam in Judaísmo supra multos coætáneos meos in génere meo, abundántius æmulátor exsístens paternárum meárum traditiónum.

℟. A dextris.

IN SECUNDO NOCTURNO.

De Expositióne sancti Augustíni Epíscopi in Epístolam ad Gálatas.

In præfat. et initio.

Lectio iv.

CAusa, propter quam scribit Apóstolus ad Gálatas, hæc est: ut intélligant grátiam Dei id secum ágere, ut sub lege jam non sint. Cum enim prædicáta eis esset Evangélii grátia, non defuérunt quidam ex circumcisióne, quamvis Christiáni nómine, nondum tamen tenéntes ipsum grátiæ benefícium, et adhuc voléntes esse sub onéribus legis, quæ Dóminus Deus imposúerat non justítiæ serviéntibus, sed peccáto: justam scílicet legem injústis homínibus dando ad demonstránda peccáta eórum, non auferénda. Non enim aufert peccáta, nisi grátia fídei, quæ per dilectiónem operátur.

℟. Notas mihi. 365.

Lectio v.

SUb hac ergo grátia jam Gálatas constitútos, illi volébant constitúere sub onéribus legis, asseverántes nihil eis prodésse Evangélium, nisi circumcideréntur, et céteras carnáles Judáici ritus observatiónes subírent. Et ídeo Paulum Apóstolum suspéctum habére cœperant, a quo illis Evangélium prædicátum erat, tamquam non tenéntem disciplínam ceterórum Apostolórum, qui Gentes cogébant judaizáre.

℟. Díligam te.

Lectio vj.

TAlis quidem quæstio est et in Epístola ad Romános: verúmtamen vidétur áliquid interésse, quod ibi contentiónem ipsam dírimit, litémque compónit, quæ inter eos, qui ex Judæis, et eos qui ex Géntibus credíderant, orta erat; cum illi tamquam ex méritis óperum legis, sibi rédditum Evangélii præmium arbitraréntur; quod præmium incircumcísis tamquam imméritis nolébant dari; illi contra Judæis se præférre gestírent, tamquam interfectóribus Dómini. In hac vero

Epístola ad eos scribit, qui jam commóti erant auctoritáte illórum, qui ex Judæis erant, et ad observatiónes legis cogébant.
℟. Dómini est terra.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 8.

In illo témpore : Cum descendísset Jesus de monte, secútæ sunt eum turbæ multæ. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 1. cap. 8. in Matth.

De monte Dómino descendénte, occúrrunt turbæ, quia ad altióra ascéndere non valuérunt : et primus ei occúrrit leprósus : necdum enim póterat cum lepra tam multíplicem in monte Salvatóris audíre sermónem. Et notándum, quod hic primus speciáliter curátus sit : secúndo puer Centuriónis : tértio socrus Petri fébriens in Caphárnaum : quarto loco, qui obláti sunt ei a dæmónio vexáti, quorum spíritus verbo ejiciébat : quando et omnes male habéntes curávit.
℟. Ad te Dómine. 367.

Lectio viij.

Et ecce leprósus véniens adorábat eum, dicens. Recte post prædicatiónem atque doctrínam, signi offértur occásio : ut per virtútem miráculi, prætéritus apud audiéntes sermo firmétur. Dómine, si vis, potes me mundáre. Qui voluntátem rogat, de virtúte non dúbitat. Et exténdens Jesus manum tétigit eum, dicens : Volo, Mundáre. Extendénte manum Dómino, statim lepra fugit. Simúlque consídera quam húmilis, et sine jactántia respónsio. Ille díxerat : Si vis ; Dóminus respóndit : Volo. Ille præmíserat, Potes me mundáre. Dóminus jungit, et dicit : Mundáre. Non ergo, ut pleríque Latinórum putant, jungéndum est, et legéndum, Volo mundáre : sed separátim, ut primum dicat, Volo : deínde ímperet, Mundáre.
℟. Audiam Dómine.

Lectio ix.

Et ait illi Jesus : Vide, némini díxeris. Et revéra, quid erat necésse ut sermóne jactáret quod córpore præferébat? Sed vade, osténde te sacerdóti. Várias ob causas mittit

eum ad sacerdótem : primum propter humilitátem, ut sacerdótibus deférre honórem videátur : (erat enim lege præcéptum, ut qui mundáti fúerant a lepra, offérrent múnera sacerdótibus) deínde, ut mundátum vidéntes leprósum, aut créderent Salvatóri, aut non créderent : si créderent, salvaréntur : si non créderent, inexcusábiles forent. Et simul ne, quod in eo sæpíssime criminabántur, legem viderétur infríngere.

℟. Peccáta mea.

Ad Benedictus, Aña. Cum descendísset Jesus de monte, ecce leprósus véniens, adorábat eum, dicens : Dómine, si vis, potes me mundáre. Et exténdens manum, tétigit eum, dicens : Volo, Mundáre. Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, infirmitátem nostram propítius réspice : atque ad protegéndum nos, déxteram tuæ majestátis exténde. Per Dóminum.

Ad Magnif. Aña. Dómine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquétur. Amen dico tibi : Ego véniam, et curábo eum.

FERIA SECUNDA.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas.

Lectio j. Cap. 3.



O Insensáti Gálatæ, quis vos fascinávit non obedíre veritáti, ante quorum óculos Jesus Christus præscríptus est, in vobis crucifíxus? Hoc solum a vobis volo díscere : Ex opéribus legis Spíritum accepístis, an ex audítu fídei? Sic stulti estis, ut cum Spíritu cœpéritis, nunc carne consummémini? Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa. Qui ergo tríbuit vobis Spíritum, et operátur virtútes in vobis : ex opéribus legis, an ex audítu fídei? Sicut scriptum est : Abraham crédidit Deo, et reputátum est illi ad justítiam.

℟. Quam magna, de Psalterio. 41.

Lectio ij.

Cognóscite ergo, quia qui ex fide sunt, ii sunt fílii Abrahæ. Próvidens autem Scriptúra, quia ex fide justíficat Gentes Deus, prænuntiávit Abrahæ : Quia benedicéntur in te omnes Gentes. Igitur qui ex fide sunt, benedicéntur cum fidéli Abraham. Quicúmque

enim ex opéribus legis sunt, sub maledícto sunt. Scriptum est enim : Maledíctus omnis, qui non permánserit in ómnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut fáciat ea.

Lectio iij.

QUóniam autem in lege nemo justificátur apud Deum, manifèstum est, quia justus ex fide vivit. Lex autem non est ex fide, sed : Qui fécerit ea, vivet in illis. Christus nos redémit de maledícto legis, factus pro nobis maledíctum : quia scriptum est : Maledíctus omnis, qui pendet in ligno : ut in Géntibus benedíctio Abrahæ fíeret in Christo Jesu, ut pollicitatiónem Spíritus accipiámus per fidem.

FERIA TERTIA.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas.

Lectio j. Cap. 5.



STate, et nolíte íterum jugo servitútis continéri. Ecce ego Paulus dico vobis : quóniam si circumcidámini, Christus vobis nihil próderit. Testíficor autem rursus omni hómini circumcidénti se, quóniam débitor est univérsæ legis faciéndæ. Evacuáti estis a Christo, qui in lege justificámini : a grátia excidístis. Nos enim spíritu ex fide, spem justítiæ exspectámus.

℟. Auribus pércipe, de Psalt. 58.

Lectio ij.

NAm in Christo Jesu neque circumcísio áliquid valet, neque præpútium : sed fides, quæ per caritátem operátur. Currebátis bene, quis vos impedívit veritáti non obedíre? Persuásio hæc non est ex eo, qui vocat vos. Módicum ferméntum totam massam corrúmpit. Ego confído in vobis in Dómino, quod nihil áliud sapiétis : qui autem contúrbat vos, portábit judícium, quicúmque est ille.

Lectio iij.

EGo autem, fratres, si circumcisiónem adhuc prædico, quid adhuc persecutiónem pátior? Ergo evacuátum est scándalum crucis. Utinam et abscindántur qui vos contúrbant. Vos enim in libertátem vocáti estis fratres : tantum ne libertátem in occasiónem detis carnis, sed per caritátem Spíritus servíte ínvicem. Omnis enim lex in uno sermóne implétur : Díli-

ges próximum tuum sicut teípsum. Quod si ínvicem mordétis, et comédítis : vidéte ne ab ínvicem consumámini. Dico autem : Spíritu ambuláte, et desidéria carnis non perficiétis. Caro enim concupíscit advérsus spíritum : spíritus autem advérsus carnem : hæc enim sibi ínvicem adversántur ; ut non, quæcúmque vultis, illa faciátis.

FERIA QUARTA.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

Lectio j. Cap. I.

PAulus Apóstolus Jesu Christi per voluntátem Dei, ómnibus sanctis, qui sunt Ephesi, et fidélibus in Christo Jesu. Grátia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Dómino Jesu Christo. Benedíctus Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictióne spirituáli in cœléstibus in Christo, sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti et immaculáti in conspéctu ejus in caritáte.

℟. Ne perdíderis, de Psalt. 70.

Lectio ij.

QUi prædestinávit nos in adoptiónem filiórum per Jesum Christum in ipsum, secúndum propósitum voluntátis suæ, in laudem glóriæ grátiæ suæ, in qua gratificávit nos in dilécto Fílio suo. In quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum secúndum divítias grátiæ ejus, quæ superabundávit in nobis in omni sapiéntia, et prudéntia, ut notum fáceret nobis sacraméntum voluntátis suæ, secúndum beneplácitum ejus, quod propósuit in eo, in dispensatióne plenitúdinis témporum, instauráre ómnia in Christo, quæ in cœlis, et quæ in terra sunt, in ipso.

Lectio iij.

IN quo étiam et nos sorte vocáti sumus, prædestináti secúndum propósitum ejus, qui operátur ómnia secúndum consílium voluntátis suæ : ut simus in laudem glóriæ ejus nos, qui ante sperávimus in Christo. In quo et vos, cum audissétis verbum veritátis, (Evangélium salútis vestræ) in quo et credéntes signáti estis Spíritu promissiónis

sancto, qui est pignus hereditátis nostræ, in redemptiónem acquisitiónis, in laudem glóriæ ipsíus.

FERIA QUINTA.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

Lectio j. Cap. 4.

Obsecro ítaque vos ego vinctus in Dómino, ut digne ambulétis vocatióne, qua vocáti estis, cum omni humilitáte, et mansuetúdine, cum patiéntia, supportántes ínvicem in caritáte, sollíciti serváre unitátem Spíritus in vínculo pacis. Unum corpus, et unus Spíritus, sicut vocáti estis in una spe vocatiónis vestræ. Unus Dóminus, una fides, unum baptísma. Unus Deus, et Pater ómnium, qui est super omnes, et per ómnia, et in ómnibus nobis.

℟. Deus in te, de Psaltério. 88.

Lectio ij.

Unicuíque autem nostrum data est grátia secúndum mensúram donatiónis Christi. Propter quod dicit : Ascéndens in altum, captívam duxit captivitátem : dedit dona homínibus. Quod autem ascéndit, quid est, nisi quia et descéndit primum in inferióres partes terræ? Qui descéndit, ipse est et qui ascéndit super omnes cœlos, ut impléret ómnia.

Lectio iij.

Et ipse dedit quosdam quidem Apóstolos, quosdam autem Prophétas, álios vero Evangelístas, álios autem pastóres, et doctóres ad consummatiónem sanctórum, in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi : donec occurrámus omnes in unitátem fídei, et agnitiónis Fílii Dei, in virum perféctum, in mensúram ætátis plenitúdinis Christi : ut jam non simus párvuli fluctuántes, et circumferámur omni vento doctrínæ in nequítia hóminum, in astútia ad circumventiónem erróris. Veritátem autem faciéntes in caritáte, crescámus in illo per ómnia, qui est caput Christus.

FERIA SEXTA.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

Lectio j. Cap. 5.

Estóte ergo imitatóres Dei, sicut fílii caríssimi : et ambuláte in dilectióne, sicut

et Christus diléxit nos, et trádidit semetípsum pro nobis oblatiónem, et hóstiam Deo, in odórem suavitátis. Fornicátio autem, et omnis immundítia, aut avarítia nec nominétur in vobis, sicut decet sanctos : aut turpitúdo, aut stultilóquium, aut scurrílitas, quæ ad rem non pértinet, sed magis gratiárum áctio.

℟. Confitébor, de Psaltério. 103.

Lectio ij.

HOc enim scitóte intelligéntes, quod omnis fornicátor, aut immúndus, aut avárus, quod est idolórum sérvitus, non habet hereditátem in regno Christi, et Dei. Nemo vos sedúcat inánibus verbis; propter hæc enim venit ira Dei in fílios diffidéntiæ. Nolíte ergo éffici partícipes eórum. Erátis enim aliquándo ténebræ : nunc autem lux in Dómino.

Lectio iij.

UT fílii lucis ambuláte : fructus enim lucis est in omni bonitáte, et justítia, et veritáte : probántes quid sit beneplácitum Deo : et nolíte communicáre opéribus infructuósis tenebrárum : magis autem redargúite. Quæ enim in occúlto fiunt ab ipsis, turpe est et dícere. Omnia autem quæ arguúntur, a lúmine manifestántur : omne enim quod manifestátur, lumen est. Propter quod dicit : Surge qui dormis, et exsúrge a mórtuis, et illuminábit te Christus.

SABBATO.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

Lectio j. Cap. 6.



FIlii obedíte paréntibus vestris in Dómino : hoc enim justum est. Honóra patrem tuum, et matrem tuam : quod est mandátum primum in promissióne : ut bene sit tibi, et sis longævus super terram. Et vos patres nolíte ad iracúndiam provocáre fílios vestros : sed educáte illos in disciplína, et correptióne Dómini.

℟. Misericórdiam, de Psaltério. 122.

Lectio ij.

SErvi obedíte dóminis carnálibus cum timóre et tremóre, in simplicitáte cordis vestri, sicut Christo : non ad óculum serviéntes, quasi homíni-

bus placéntes, sed ut servi Christi, faciéntes voluntátem Dei ex ánimo, cum bona voluntáte serviéntes sicut Dómino, et non homínibus : sciéntes quóniam unusquísque quodcúmque fécerit bonum, hoc recípiet a Dómino, sive servus, sive liber. Et vos dómini éadem fácite illis, remitténtes minas : sciéntes quia et illórum et vester Dóminus est in cœlis : et personárum accéptio non est apud eum.

Lectio iij.

DE cétero, fratres, confortámini in Dómino, et in poténtia virtútis ejus. Indúite vos armatúram Dei, ut possítis stare advérsus insídias diáboli. Quóniam non est nobis colluctátio advérsus carnem, et sánguinem : sed advérsus príncipes et potestátes, advérsus mundi rectóres tenebrárum harum, contra spirituália nequítiæ, in cœléstibus. Proptérea accípite armatúram Dei, ut possítis resístere in die malo, et in ómnibus perfécti stare.

AD VESPERAS.

Omnia ut in Psalt. 179.

Ad Magnif. Aña. Fratres confortámini in grátia Dei, quæ est in Christo Jesu Dómino nostro, allelúia.

Oratio ut infra ad Laudes Dominicæ.

DOMINICA III.

post Octavam Epiphaniæ.

Omnia ut in Psalterio, 2. exceptis hic signatis.

IN PRIMO NOCTURNO.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Philippénses.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus, et Timótheus servi Jesu Christi, ómnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philíppis, cum Epíscopis, et Diacónibus. Grátia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Dómino Jesu Christo. Grátias ago Deo meo in omni memória vestri, semper in cunctis oratiónibus meis pro ómnibus vobis, cum gáudio deprecatiónem fáciens super communicatióne vestra in Evangélio Christi a prima die usque nunc. Confídens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perfíciet usque in diem Christi Jesu. Sicut est mihi justum hoc sentíre pro ómnibus vobis, eo quod hábeam vos in corde, et in vínculis meis,

et in defensióne, et confirmatióne Evangélii, sócios gáudii mei omnes vos esse.

℟. Dómine, ut in Dom. j. post Oct. Epiph. 364.

Lectio ij.

Testis enim mihi est Deus quómodo cúpiam omnes vos in viscéribus Jesu Christi. Et hoc oro, ut cáritas vestra magis ac magis abúndet in sciéntia, et in omni sensu : ut probétis potióra, ut sitis sincéri, et sine offénsa in diem Christi, repléti fructu justítiæ per Jesum Christum, in glóriam, et laudem Dei. Scire autem vos volo, fratres, quia quæ circa me sunt, magis ad proféctum venérunt Evangélii; ita ut víncula mea manifésta fíerent in Christo in omni prætório, et in céteris ómnibus, et plures e frátribus in Dómino confidéntes vínculis meis, abundántius audérent sine timóre verbum Dei loqui.

℟. Deus qui sedes.

Lectio iij.

Quidam quidem et propter invídiam et contentiónem, quidam autem et propter bonam voluntátem Christum prædicant : quidam ex caritáte, sciéntes quóniam in defensiónem Evangélii pósitus sum. Quidam autem ex contentióne Christum annúntiant non sincére existimántes pressúram se suscitáre vínculis meis. Quid enim? Dum omni modo, sive per occasiónem, sive per veritátem, Christus annuntiétur : et in hoc gáudeo, sed et gaudébo.

℟. A dextris.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papæ. Lib. 4. cap. 30.

Lectio iv.



Eplémus refectiónibus corpus, ne extenuátum defíciat : extenuámus abstinéntia, ne nos replétum premat : vegetámus hoc mótibus, ne situ immobilitátis intéreat : sed cítius hoc collocándo sístimus, ne ipsa sua vegetatióne succúmbat : adjuméntis hoc véstium tégimus, ne frigus intérimat : et quæsíta adjuménta projícimus, ne calor exúrat. Tot ígitur diversitátibus occurréntes, quid ágimus, nisi corruptibilitáti servímus, ut saltem multiplícitas impénsi obséquii corpus sustíneat, quod anxíetas infírmæ mutabilitátis gravat.

℟. Notas mihi. 365.

Lectio v.

UNde bene per Paulum dícitur : Vanitáti enim subjécta est creatúra non volens, sed propter eum, qui subjécit eam in spe : quia et ipsa creatúra liberábitur a servitúte corruptiónis, in libertátem glóriæ filiórum Dei. Vanitáti quippe creatúra non volens súbditur : quia homo, qui ingénitæ constántiæ statum volens deséruit, pressus justæ mortalitátis póndere, nolens mutabilitátis suæ .corruptióni servit. Sed creatúra hæc tunc a servitúte corruptiónis erípitur, cum ad filiórum Dei glóriam incorrúpta resurgéndo sublevátur.

℟. Díligam te.

Lectio vj.

HIc ítaque elécti moléstia vincti sunt, quia adhuc corruptiónis suæ pœna deprimúntur : sed cum corruptíbili carne exúimur, quasi ab his, quibus nunc adstríngimur, moléstiæ vínculis relaxámur. Præsentári namque jam Deo cúpimus, sed adhuc mortális córporis obligatióne præpedímur. Jure ergo vincti dícimur, quia adhuc incéssum nostri desidérii ad Deum líberum non habémus. Unde bene Paulus, ætérna desíderans, sed tamen adhuc corruptiónis suæ sárcinam portans, vinctus clamat : Cúpio dissólvi, et esse cum Christo.

℟. Dómini est terra.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 8.

IN illo témpore : Ascendénte Jesu in navículam, secúti sunt eum discípuli ejus : et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navícula operirétur flúctibus : ipse vero dormiébat. Et réliqua.

Homilía beáti Petri Chrysólogi.

Serm. 20. post initium.



MAre, quod pédibus Christi tuméntia terga submísit, stravit in plano vórtices suos, motus frænávit, adstrínxit fluctus, et per liquéntem viam sáxea soliditáte servívit : modo quid est, quod usque ad perículum sui sævit, furit, conténdit Auctóris? Quid ipse Christus futurórum præscius, præséntium sic videbátur ignárus, ut instántem procéllam, tempestátis horam, tempus perículi non cavé-

ret? sed inter vigilántes omnes tunc solus teneréntur in somno, quando imminébat sibi, suísque tam grande discrímen? Fratres, gubernatóris perítiam non probat tempéries seréna, sed procellósa tempéstas : blandiénte aura navim regit últimus nauta, in confusióne ventórum primi quæritur ars magístri.

℟. Ad te Dómine. 367.

Lectio viij.

Hinc est quod discípuli posteáquam vidérunt sibi indústriam nauticórum deperiísse, in se mária sævíre, se fluctus pétere, advérsum se ventórum túrbines coivísse; ad ipsum gubernatórem rerum, vectórem mundi, elementórum magístrum trépidi confugérunt, peténtes ut sedáret fluctus, perículum summovéret, salútem rédderet desperátis. Dénique ubi sola jussióne représsit mare, recússit ventos, tulit túrbines, dedit quiétem; navigántes ipsum esse ómnium séntiunt, credunt, faténtur Auctórem.

℟. Audiam Dómine.

Lectio ix.

Sed jam quod intus est proferámus. Ubi Christus Ecclésiæ suæ navim mare sæculi transfretatúrus ascéndit, Géntium flabra, Judæórum túrbines, persecutórum procéllæ, vulgi nubes, dæmonum nébulæ sic ruérunt, ut totíus mundi fíeret una tempéstas. Regum spumábant undæ : fervébant potestátum fluctus : sonábat rábies traditórum : populórum gúrgites rotabántur : perfídiæ notabántur scópuli : mugiébant líttora Christiána : lapsórum naufrágia vexabántur : et erat totíus mundi unum discrímen, unúmque naufrágium. Suscitátus ergo a discípulis Christus : mare, hoc est, mundum córripit : tranquíllat orbem : reges mítigat : potestátes placat : sedat fluctus : compónit pópulos : Romános éfficit Christiános : ipsósque exsecutóres verbi Christiánæ fídei réddidit, qui fúerant persecutóres nóminis Christiáni. Hanc tranquillitátem servant príncipes Christiáni, Ecclésia tenet, habet Christiánitas, Gentílitas admirátur.

℟. Peccáta mea.

Ad Bened. Aña. Ascendénte Jesu in navículam, ecce motus magnus factus est in mari : et suscitavé-

runt eum discípuli ejus, dicéntes : Dómine, salva nos, perímus.

Oratio.

DEus, qui nos in tantis perículis constitútos, pro humána scis fragilitáte non posse subsístere : da nobis salútem mentis et córporis : ut ea, quæ pro peccátis nostris pátimur, te adjuvánte vincámus. Per Dóminum.

Ad Magnif. Aña. Dómine, salva nos, perímus; ímpera ventis, et fac tranquillitátem. Porro cum vidíssent hómines, quod fécerat signum, dicébant : Qualis est hic, quia venti, et mare obédiunt ei?

FERIA SECUNDA.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Philippénses.

Lectio j. Cap. 4.



Taque, fratres mei caríssimi et desideratíssimi, gáudium meum, et coróna mea : sic state in Dómino, caríssimi. Evódiam rogo, et Syntichen déprecor idípsum sápere in Dómino. Etiam rogo et te germáne compar, ádjuva illas, quæ mecum laboravérunt in Evangélio cum Cleménte, et céteris adjutóribus meis, quorum nómina sunt in libro vitæ.

℟. Quam magna, de Psalt. 41.

Lectio ij.

GAudéte in Dómino semper : íterum dico, gaudéte. Modéstia vestra nota sit ómnibus homínibus : Dóminus prope est. Nihil sollíciti sitis : sed in omni oratióne, et obsecratióne cum gratiárum actióne petitiónes vestræ innotéscant apud Deum. Et pax Dei, quæ exsúperat omnem sensum, custódiat corda vestra, et intelligéntias vestras in Christo Jesu.

Lectio iij.

DE cétero, fratres, quæcúmque sunt vera, quæcúmque pudíca, quæcúmque justa, quæcúmque sancta, quæcúmque amabília, quæcúmque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplínæ, hæc cogitáte. Quæ et didicístis, et accepístis, et audístis, et vidístis in me, hæc ágite : et Deus pacis erit vobíscum. Gavísus sum autem in Dómino veheménter, quóniam tandem aliquándo refloruístis pro me sentíre, sicut et sentiebátis : occupáti autem erátis.

FERIA TERTIA.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Colossénses.

Lectio j. Cap. 1.



Aulus Apóstolus Jesu Christi per voluntátem Dei, et Timótheus frater : eis, qui sunt Colóssis, sanctis, et fidélibus frátribus in Christo Jesu. Grátia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Dómino Jesu Christo. Grátias ágimus Deo, et Patri Dómini nostri Jesu Christi, semper pro vobis orántes : audiéntes fidem vestram in Christo Jesu, et dilectiónem, quam habétis in sanctos omnes propter spem, quæ repósita est vobis in cœlis : quam audístis in verbo veritátis Evangélii : quod pervénit ad vos, sicut et in univérso mundo est, et fructíficat, et crescit sicut in vobis, ex ea die qua audístis, et cognovístis grátiam Dei in veritáte, sicut didicístis ab Epaphra caríssimo consérvo nostro, qui est fidélis pro vobis minister Christi Jesu, qui étiam manifestávit nobis dilectiónem vestram in spíritu.

℟. Auribus pércipe, de Psalt. 58.

Lectio ij.

IDeo et nos ex qua die audívimus, non cessámus pro vobis orántes, et postulántes, ut impleámini agnitióne voluntátis ejus, in omni sapiéntia, et intelléctu spiritáli : ut ambulétis digne Deo per ómnia placéntes : in omni ópere bono fructificántes, et crescéntes in sciéntia Dei : in omni virtúte confortáti, secúndum poténtiam claritátis ejus, in omni patiéntia, et longanimitáte, cum gáudio grátias agéntes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctórum in lúmine.

Lectio iij.

QUi erípuit nos de potestáte tenebrárum, et tránstulit in regnum Fílii dilectiónis suæ, in quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum : qui est imágo Dei invisíbilis, primogénitus omnis creatúræ : quóniam in ipso cóndita sunt univérsa in cœlis, et in terra, visibília, et invisibília, sive Throni, sive Dominatiónes, sive Principátus, sive Potestátes : ómnia per ipsum, et in ipso creáta sunt : et ipse est ante omnes, et

ómnia in ipso constant. Et ipse est caput córporis Ecclésiæ, qui est princípium, primogénitus ex mórtuis.

FERIA QUARTA.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Colossénses.

Lectio j. Cap. 3.

INdúite vos ergo sicut elécti Dei, sancti, et dilécti, víscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem, modéstiam, patiéntiam : supportántes ínvicem, et donántes vobismetípsis, si quis advérsus áliquem habet querélam; sicut et Dóminus donávit vobis, ita et vos. Super ómnia autem hæc, caritátem habéte, quod est vínculum perfectiónis : et pax Christi exsúltet in córdibus vestris, in qua et vocáti estis in uno córpore : et grati estóte. ℟. Ne perdíderis, de Psalt. 70.

Lectio ij.

VErbum Christi hábitet in vobis abundánter, in omni sapiéntia, docéntes, et commonéntes vosmetípsos, psalmis, hymnis, et cánticis spirituálibus, in grátia cantántes in córdibus vestris Deo. Omne quodcúmque fácitis in verbo, aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Jesu Christi, grátias agéntes Deo, et Patri per ipsum. Mulíeres súbditæ estóte viris, sicut opórtet in Dómino. Viri dilígite uxóres vestras, et nolíte amári esse ad illas. Fílii obedíte paréntibus per ómnia : hoc enim plácitum est in Dómino. Patres nolíte ad indignatiónem provocáre fílios vestros, ut non pusíllo ánimo fiant.

Lectio iij. Cap. 3 et 4.

SErvi obedíte per ómnia dóminis carnálibus, non ad óculum serviéntes, quasi homínibus placéntes, sed in simplicitáte cordis, timéntes Deum. Quodcúmque fácitis, ex ánimo operámini sicut Dómino, et non homínibus : sciéntes quod a Dómino accipiétis retributiónem hereditátis : Dómino Christo servíte. Qui enim injúriam facit, recípiet id quod iníque gessit : et non est personárum accéptio apud Deum. Dómini quod justum est et æquum, servis præstáte : sciéntes quod et vos Dóminum habétis in cœlo. Oratióni instáte, vigilántes in ea in gratiárum actióne.

FERIA QUINTA.

Incipit Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses.

Lectio j. Cap. I.

PAulus, et Silvánus, et Timótheus Ecclésiæ Thessalonicénsium in Deo Patre, et Dómino Jesu Christo. Grátia vobis, et pax. Grátias ágimus Deo semper pro ómnibus vobis, memóriam vestri faciéntes in oratiónibus nostris sine intermissióne, mémores óperis fídei vestræ, et labóris, et caritátis et sustinéntiæ spei Dómini nostri Jesu Christi, ante Deum, et Patrem nostrum : sciéntes fratres, dilécti a Deo, electiónem vestram : quia Evangélium nostrum non fuit ad vos in sermóne tantum, sed et in virtúte, et in Spíritu sancto, et in plenitúdine multa, sicut scitis, quales fuérimus in vobis propter vos.

℟. Deus in te, de Psaltério. 88.

Lectio ij.

ET vos imitatóres nostri facti estis, et Dómini, excipiéntes verbum in tribulatióne multa, cum gáudio Spíritus sancti : ita ut facti sitis forma ómnibus credéntibus in Macedónia, et in Achája. A vobis enim diffamátus est sermo Dómini, non solum in Macedónia, et in Achája, sed et in omni loco fides vestra, quæ est ad Deum, profécta est, ita ut non sit nobis necésse quidquam loqui. Ipsi enim de nobis annúntiant qualem intróitum habuérimus ad vos : et quómodo convérsi estis ad Deum a simulácris, servíre Deo vivo et vero, et exspectáre Fílium ejus de cœlis (quem suscitávit ex mórtuis) Jesum, qui erípuit nos ab ira ventúra.

Lectio iij. Cap. 2.

NAm ipsi scitis, fratres, intróitum nostrum ad vos, quia non inánis fuit : sed ante passi, et contuméliis affécti (sicut scitis) in Philíppis, fidúciam habúimus in Deo nostro loqui ad vos Evangélium Dei in multa sollicitúdine. Exhortátio enim nostra non de erróre, neque de immundítia, neque in dolo : sed sicut probáti sumus a Deo, ut crederétur nobis Evangélium : ita lóquimur, non quasi homínibus placéntes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim aliquándo fúimus in sermóne

adulatiónis, sicut scitis : neque in occasióne avarítiæ; Deus testis est : nec quæréntes ab homínibus glóriam, neque a vobis, neque ab áliis.

FERIA SEXTA.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses.

Lectio j. Cap. 4.

De cétero ergo, fratres, rogámus vos, et obsecrámus in Dómino Jesu, ut quemádmodum accepístis a nobis, quómodo opórteat vos ambuláre, et placére Deo, sic et ambulétis, ut abundétis magis. Scitis enim, quæ præcépta déderim vobis per Dóminum Jesum. Hæc est enim volúntas Dei, sanctificátio vestra : ut abstineátis vos a fornicatióne, ut sciat unusquísque vestrum vas suum possidére in sanctificatióne et honóre : non in passióne desidérii, sicut et Gentes, quæ ignórant Deum. ℟. Confitébor, de Psalterio. 103.

Lectio ij.

Et ne quis supergrediátur, neque circumvéniat in negótio fratrem suum : quóniam vindex est Dóminus de his ómnibus, sicut prædíximus vobis, et testificáti sumus. Non enim vocávit nos Deus in immundítiam, sed in sanctificatiónem. Itaque qui hæc spernit, non hóminem spernit, sed Deum : qui étiam dedit Spíritum suum sanctum in nobis.

Lectio iij.

De caritáte autem fraternitátis non necésse habémus scríbere vobis : ipsi enim vos a Deo didicístis, ut diligátis ínvicem. Etenim illud fácitis in omnes fratres in univérsa Macedónia. Rogámus autem vos fratres, ut abundétis magis, et óperam detis ut quiéti sitis, et ut vestrum negótium agátis, et operémini mánibus vestris, sicut præcépimus vobis : et ut honéste ambulétis ad eos qui foris sunt, et nullíus áliquid desiderétis.

SABBATO.

Incipit Epístola secúnda beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses.

Lectio j. Cap. 1

Paulus, et Silvánus, et Timótheus Ecclésiæ Thessalonicénsium in Deo Patre nostro, et Dómino Jesu

Christo. Grátia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Dómino Jesu Christo. Grátias ágere debémus semper Deo pro vobis, fratres, ita ut dignum est, quóniam supercréscit fides vestra, et abúndat cáritas uniuscujúsque vestrum in ínvicem : ita ut et nos ipsi in vobis gloriémur in Ecclésiis Dei, pro patiéntia vestra et fide, et in ómnibus persecutiónibus vestris, et tribulatiónibus, quas sustinétis, in exémplum justi judícii Dei, ut digni habeámini in regno Dei, pro quo et patímini.

℟. Misericórdiam, de Psaltcrio. 122.

Lectio ij.

Si tamen justum est apud Deum retribúere tribulatiónem iis, qui vos tríbulant : et vobis, qui tribulámini, réquiem nobíscum in revelatióne Dómini Jesu de cœlo cum Angelis virtútis ejus, in flamma ignis dantis vindíctam iis, qui non novérunt Deum, et qui non obédiunt Evangélio Dómini nostri Jesu Christi. Qui pœnas dabunt in intéritu ætérnas a fácie Dómini, et a glória virtútis ejus : cum vénerit glorificári in sanctis suis, et admirábilis fíeri in ómnibus, qui credidérunt, quia créditum est testimónium nostrum super vos in die illo. In quo étiam orámus semper pro vobis : ut dignétur vos vocatióne sua Deus noster, et ímpleat omnem voluntátem bonitátis, et opus fídei in virtúte, ut clarificétur nomen Dómini nostri Jesu Christi in vobis, et vos in illo secúndum grátiam Dei nostri, et Dómini Jesu Christi.

Lectio iij. Cap. 2.

[1] Rogámus autem vos, fratres, per advéntum Dómini nostri Jesu Christi, et nostræ congregatiónis in ipsum : ut non cito moveámini a vestro sensu, neque terreámini, neque per spíritum, neque per sermónem, neque per epístolam tamquam per nos missam, quasi instet dies Dómini. Ne quis vos sedúcat ullo modo : quóniam nisi vénerit discéssio primum, et revelátus fúerit homo peccáti, fílius perditiónis, qui adversátur, et extóllitur supra omne, quod dícitur Deus, aut quod cólitur, ita ut in templo Dei sédeat, osténdens se tamquam sit Deus.

AD VESPERAS.

Omnia ut in Psalt. 179.

Ad Magnif. Aña. Fratres, exístimo quod non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis, allelúia.

Oratio ut infra ad Laudes Domínicæ.

DOMINICA IV.

post Octavam Epiphaniæ.

Omnia ut in Psalterio, 2. exceptis hic signatis.

IN PRIMO NOCTURNO.

Incipit Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 1.



PAulus Apóstolus Jesu Christi secúndum impérium Dei Salvatóris nostri, et Christi Jesu spei nostræ: Timótheo dilécto fílio in fide. Grátia, misericórdia, et pax a Deo Patre et Christo Jesu Dómino nostro. Sicut rogávi te ut remanéres Ephesi cum irem in Macedóniam, ut denuntiáres quibúsdam ne áliter docérent, neque inténderent fábulis, et genealogíis interminátis: quæ quæstiónes præstant magis quam ædificatiónem Dei, quæ est in fide.

℟. Dómine, de Domin. j. post Oct. Epiph. 364.

Lectio ij.

FInis autem præcépti est cáritas de corde puro, et consciéntia bona, et fide non ficta. A quibus quidam aberrántes, convérsi sunt in vanilóquium, voléntes esse legis doctóres, non intelligéntes, neque quæ loquúntur, neque de quibus affírmant. Scimus autem quia bona est lex, si quis ea legítime utátur, sciens hoc, quia lex justo non est pósita, sed injústis, et non súbditis, ímpiis, et peccatóribus, scelerátis, et contaminátis, parricídis, et matricídis, homicídis, fornicáriis, masculórum concubitóribus, plagiáriis, mendácibus, et perjúris, et si quid áliud sanæ doctrínæ adversátur, quæ est secúndum Evangélium glóriæ beáti Dei, quod créditum est mihi.

℟. Deus, qui.

Lectio iij.

GRátias ago ei, qui me confortávit, Christo Jesu Dómino nostro: quia fidélem me existimávit, ponens in ministério: qui prius blasphémus fui, et persecútor, et contumeliósus: sed misericórdiam Dei consecútus sum, quia ignórans feci in increduli-

táte. Superabundávit autem grátia Dómini nostri cum fide et dilectióne, quæ est in Christo Jesu. Fidélis sermo, et omni acceptióne dignus : quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatóres salvos fácere, quorum primus ego sum : sed ídeo misericórdiam consecútus sum : ut in me primo osténderet Christus Jesus omnem patiéntiam ad informatiónem eórum, qui creditúri sunt illi, in vitam ætérnam.

℟. A dextris.

IN SECUNDO NOCTURNO.

De Expositióne sancti Ambrósii Epíscopi in Epístolas beáti Pauli Apóstoli.

In 1. Timoth. 1.

Lectio iv.

HUmánus sermo, et omni acceptióne dignus : quia Christus Jesus venit in hunc mundum peccatóres salvos fácere. Quid tam gratum, tamque jucúndum, quam peccatóribus indulgéntiam prædicáre? Quis enim sine peccáto est, ut hoc munus non cum omni gratiárum actióne suscípiat, Deum auctórem hujus præferens, et colláudans in Christo? Qui ut hóminem peccátis ablúeret, de cœléstibus ad terréna descéndens, similitúdinem carnis peccáti accépit : terrénis se admíscuit, ut eum cœléstem effíceret. Mori se passus est, ut illum morte érutum, paradíso rédderet immortálem.

℟. Notas mihi. 365.

Lectio v.

QUis hæc benefícia non in infinítum extóllat, quæ Deus præstitit hómini, Dóminus servo, Cónditor creatúræ, ut plus esset adhuc in benefíciis humánis, quam cum fecit, quæ non erant, posteáquam fecit? Etenim derelíctus ab his, et contémptus, et contuméliis appetítus, áddidit ad benefícia non requisítus, ut grátior esset, et plus præferéndus dum réparat, quam cum fecit; ut osténderet unum se esse, qui hæc ómnia possit.

℟. Dīligam te.

Lectio vj.

IGitur sic Christus præsídium tulit hómini, ut puritátem suam non violáret, nec amítteret potestátem. Hóminem enim se nasci vóluit, pro certo habens, carnis contáctu mínime se violári. Con-

versatióni humánæ se míscuit, sciens peccátis se corrúmpi non posse. Occídi se passus est, non néscius mortem sibi dominári non posse, sed eam sua opprímere potestáte. Hæc ergo gessit, ut ómnia se posse docéret. Humílitas enim ista non ad diminutiónem ejus próficit, sed ad glóriam : et non solum ejus, verum étiam in ipsum credéntium : dígnitas est enim, servum esse poténtis.

℞. Dómini est terra.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 13.

IN illo témpore : Propósuit Jesus turbis parábolam, dicens : Símile factum est regnum cœlórum hómini, qui seminávit bonum semen in agro suo. Et réliqua.

Homilía beáti Petri Chrysólogi.

Serm. 96. post initium.



SIcut in lápide friget ignis, latet ignis in ferro; ipse tamen ignis ferri ac lápidis collisióne flammátur : sic obscúrum verbum verbi ac sensus collatióne resplendet. Certe si mystica non essent, inter infidélem fidelémque, inter ímpium atque pium discrétio non manéret : et esset devótus, sicut cóntumax; iners, sicut qui labórat; pérvigil, ut ille qui dormit. Nunc vero cum petit ánima, mens pulsat, quærit sensus, sperat píetas, fides éxigit, merétur inténtio, appáret et sudántis fructus, et pœna désidis, et justítia largitóris simul : quia plus accépta sápiunt, quam posséssa : invénta magis, quam subjécta deléctant : hinc est, quod doctrínam suam Christus parábolis velat, tegit figúris, sacraméntis óperit, reddit obscúram mystériis. Propósuit, inquit, illis parábolam. Illis, hoc est, non suis, sed extráneis : inimícis útique, non amícis : spectántibus ad calúmniam, non audiéntibus ad salútem. Quare? Quia qui calumniátur prætérita, vidére præséntia non merétur. Neque dignus est agnóscere grátiam, qui legem, ne cognoscerétur, abscóndit.

℞. Ad te Dómine. 367.

Lectio viij.

ET quid offéndit Christus, si in similitúdinem hóminum factus est, ut pereúnti humáno

géneri subveníret? Scandalízat Dóminus, si, ut manumíttat servos, inveniátur in hábitu servitútis? Quando quidquid est majestátis futúræ, quidquid advéntus et regni, ecce hómini comparátur, qui seminávit bonum semen in agro suo : cum autem dormírent hómines, venit inimícus ejus, et superseminávit zizánia in médio trítici, et ábiit. Audístis quemádmodum sator mundi rerum princípia bona sevit : nec ullum malum ab oríginis procéssit Auctóre. Ab inimíco superseminátum est malum : malum non est a rerum parénte procreátum. Et vidit Deus, inquit, ómnia quæcúmque fecit, et ecce valde bona. Bona, et valde bona : nam quem Deus fáciens vocávit mundum, infíciens réddidit inimícus immúndum : et hóminem, quem Deus in paradíso deliciárum collocávit ad vitam, inimícus in hac labóris vita detráxit ad mortem : et afféctum, quem carni Deus inséruit per natúram, inimícus in parricídium per invídiam commutávit.

℟. Audiam Dómine.

Lectio ix.

Nonne ex uno hómine Deus omnem replévit terram, et sémine ex uno pius sator totum genus hóminum tantam multiplicávit ad messem? Sed inimícus mox hómines in unum redégit omnes : et superseminándo mala; quod bene satum fúerat, delévit dilúvio, non rigávit. Sic legem divínis et verácibus satam præcéptis, humánis et mendácibus fucávit invéntis : ut de sacerdóte fíeret persecútor : de doctóre depravátor exsísteret, de defensóre legis redderétur inimícus. Sic creatúras ad agnitiónem cónditas Creatóris, ut nescirétur Deus, deos esse mentítus est. Hinc sapiéntes sæculi fecit stultos : speculatóres mundi dócuit nihil vidére : professóres sciéntiæ fecit sciéntiam non habére : inquisitóres rerum ómnium dimísit ignáros.

℟. Peccáta mea.

Ad Benedictus, Aña. Dómine, nonne bonum semen seminásti in agro tuo? Unde ergo habet zizánia? Et ait illis : Inimícus homo hoc fecit.

Oratio.

FAmíliam tuam, quæsumus Dómine, contínua pietáte custódi : ut quæ in sola spe grátiæ cœléstis innítitur, tua semper protectióne muniátur. Per Dóminum.

Ad Magnificat, Aña. Collígite primum zizánia, et alligáte ea in fascículos ad comburéndum ; tríticum autem congregáte in hórreum meum.

FERIA SECUNDA.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 3.



FIdélis sermo : Si quis Episcopátum desíderat, bonum opus desíderat. Opórtet ergo Epíscopum irreprehensíbilem esse, unius uxóris virum, sóbrium, prudéntem, ornátum, pudícum, hospitálem, doctórem ; non vinoléntum, non percussórem, sed modéstum : non litigiósum, non cúpidum, sed suæ dómui bene præpósitum, fílios habéntem súbditos cum omni castitáte. Si quis autem dómui suæ præésse nescit, quómodo Ecclésiæ Dei diligéntiam habébit? Non neóphytum : ne in supérbiam elátus, in judícium íncidat diáboli. Oportet autem illum et testimónium habére bonum ab iis, qui foris sunt, ut non in oppróbrium íncidat, et in láqueum diáboli.

℟. Quam magna, de Psalt. 41.

Lectio ij.

DIáconos simíliter pudícos, non bilíngues, non multo vino déditos, non turpe lucrum sectántes : habéntes mystérium fídei in consciéntia pura. Et hi autem probéntur primum, et sic minístrent, nullum crimen habéntes. Mulíeres simíliter pudícas, non detrahéntes, sóbrias, fidéles in ómnibus. Diáconi sint unius uxóris viri, qui fíliis suis bene præsint, et suis dómibus. Qui enim bene ministráverint, gradum bonum sibi acquírent, et multam fidúciam in fide, quæ est in Christo Jesu.

Lectio iij. Cap. 3. et 4

HÆc tibi scribo, sperans me ad te veníre cito. Si autem tardávero, ut scias quómodo opórteat te in domo Dei conversári, quæ est Ecclésia Dei vivi, colúmna et firmaméntum veritátis. Et maniféste magnum est pie-

tátis sacraméntum, quod manifestátum est in carne, justificátum est in spíritu, appáruit Angelis, prædicátum est Géntibus, créditum est in mundo, assúmptum est in glória. Spíritus autem maniféste dicit, quia in novíssimis tempóribus discédent quidam a fide, attendéntes spirítibus erróris, et doctrínis dæmoniórum.

FERIA TERTIA.

Incipit Epístola secúnda beáti Pauli Apostoli ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus Apóstolus Jesu Christi per voluntátem Dei, secúndum promissiónem vitæ, quæ est in Christo Jesu : Timótheo caríssimo fílio, grátia, misericórdia, pax a Deo Patre, et Christo Jesu Dómino nostro. Grátias ago Deo, cui sérvio a progenitóribus in consciéntia pura, quod sine intermissióne hábeam tui memóriam in oratiónibus meis, nocte ac die desíderans te vidére, memor lacrymárum tuárum, ut gáudio ímplear, recordatiónem accípiens ejus fídei, quæ est in te non ficta, quæ et habitávit primum in ávia tua Lóide, et matre tua Euníce; certus sum autem, quod et in te.

℟. Auribus, de Psalt. 58.

Lectio ij.

PRopter quam causam admóneo te, ut resúscites grátiam Dei, quæ est in te per impositiónem mánuum meárum. Non enim dedit nobis Deus spíritum timóris : sed virtútis, et dilectiónis, et sobrietátis. Noli ítaque erubéscere testimónium Dómini nostri, neque me vínctum ejus : sed collabóra Evangélio secúndum virtútem Dei : qui nos liberávit et vocávit vocatióne sua sancta, non secúndum ópera nostra, sed secúndum propósitum suum, et grátiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante témpora sæculária.

Lectio iij.

MAnifestáta est autem nunc per illuminatiónem Salvatóris nostri Jesu Christi, qui destrúxit quidem mortem, illuminávit autem vitam, et incorruptiónem per Evangélium : in quo pósitus sum ego prædicátor, et Apóstolus, et magíster Géntium. Ob quam causam étiam hæc pátior, sed

non confúndor. Scio enim cui crédidi, et certus sum, quia potens est depósitum meum serváre in illum diem. Formam habe sanórum verbórum, quæ a me audísti in fide, et in dilectióne in Christo Jesu.

FERIA QUARTA.

De Epístola secúnda beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 3.

HOc autem scito, quod in novíssimis diébus instábunt témpora periculósa : erunt hómines seípsos amántes, cúpidi, eláti, supérbi, blasphémi, paréntibus non obediéntes, ingráti, scelésti, sine affectióne, sine pace, criminatóres, incontinéntes, immítes, sine benignitáte, proditóres, protérvi, túmidi, et voluptátum amatóres magis, quam Dei : habéntes spéciem quidem pietátis, virtútem autem ejus abnegántes. Et hos devíta. ℟. Ne perdíderis, de Psalt. 70.

Lectio ij.

EX his enim sunt, qui pénetrant domos, et captívas ducunt muliérculas onerátas peccátis, quæ seducúntur váriis desidériis : semper discéntes, et numquam ad sciéntiam veritátis perveniéntes. Quemádmodum autem Jannes et Mambres restitérunt Móysi, ita et hi resístunt veritáti, hómines corrúpti mente, réprobi circa fidem, sed ultra non profícient : insipiéntia enim eórum manifésta erit ómnibus, sicut et illórum fuit.

Lectio iij.

TU autem assecútus es meam doctrínam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes : quália mihi facta sunt Antiochíæ, Icónii, et Lystris : quales persecutiónes sustínui, et ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes, qui pie volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patiéntur. Mali autem hómines et seductóres profícient in pejus : errántes, et in errórem mitténtes.

FERIA QUINTA.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Titum.

Lectio j. Cap. 1.

PAulus servus Dei, Apóstolus autem Jesu Christi, secúndum fidem electórum

Dei, et agnitiónem veritátis, quæ secúndum pietátem est in spem vitæ ætérnæ, quam promísit, qui non mentítur Deus, ante témpora sæculária : manifestávit autem tempóribus suis verbum suum in prædicatióne : quæ crédita est mihi secúndum præcéptum Salvatóris nostri Dei : Tito dilécto fílio secúndum commúnem fidem, grátia et pax a Deo Patre, et Christo Jesu Salvatóre nostro.

℟. Deus in te, de Psalterio. 88.

Lectio ij.

HUjus rei grátia relíqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, córrigas, et constítuas per civitátes presbyteros, sicut et ego dispósui tibi. Si quis sine crímine est, uníus uxóris vir, fílios habens fidéles, non in accusatióne luxúriæ, aut non súbditos. Opórtet enim Epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem, non supérbum, non iracúndum, non vinoléntum, non percussórem, non turpis lucri cúpidum : sed hospitálem, benígnum, sóbrium, justum, sanctum, continéntem, amplecténtem eum, qui secúndum doctrínam est, fidélem sermónem : ut potens sit exhortári in doctrína sana, et eos, qui contradícunt, argúere.

Lectio iij.

SUnt enim multi étiam inobediéntes, vaníloqui, et seductóres : máxime, qui de circumcisióne sunt; quos opórtet redárgui : qui univérsas domos subvértunt, docéntes quæ non opórtet, turpis lucri grátia. Dixit quidam ex illis, próprius ipsórum prophéta : Creténses semper mendáces, malæ béstiæ, ventres pigri. Testimónium hoc verum est. Quam ob causam íncrepa illos dure, ut sani sint in fide, non intendéntes Judáicis fábulis, et mandátis hóminum aversántium se a veritáte. Omnia munda mundis; coinquinátis autem et infidélibus nihil est mundum.

FERIA SEXTA.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Titum.

Lectio j. Cap. 2. et 3.



HÆc lóquere, et exhortáre, et árgue cum omni império. Nemo te contémnat. Admone illos princípibus, et potestátibus súbditos

esse, dicto obedíre, ad omne opus bonum parátos esse : néminem blasphemáre, non litigiósos esse, sed modéstos, omnem ostendéntes mansuetúdinem ad omnes hómines. ℟. Confitébor, de Psalterio. 103.

Lectio ij.

ERámus enim aliquándo et nos insipiéntes, incréduli, errántes, serviéntes desidériis, et voluptátibus váriis, in malítia, et invídia agéntes, odíbiles, odiéntes ínvicem. Cum autem benígnitas et humánitas appáruit Salvatóris nostri Dei : non ex opéribus justítiæ, quæ fécimus nos, sed secúndum suam misericórdiam salvos nos fecit per lavácrum regeneratiónis, et renovatiónis Spíritus sancti, quem effúdit in nos abúnde per Jesum Christum Salvatórem nostrum: ut justificáti grátia ipsíus, herédes simus secúndum spem vitæ ætérnæ.

Lectio iij.

FIdélis sermo est, et de his volo te confirmáre : ut curent bonis opéribus præésse, qui credunt Deo. Hæc sunt bona, et utília homínibus. Stultas autem quæstiónes, et genealogías, et contentiónes, et pugnas legis devíta : sunt enim inútiles, et vanæ. Hæréticum hóminem post unam, et secúndam correptiónem devíta : sciens, quia subvérsus est qui ejúsmodi est, et delínquit, cum sit próprio judício condemnátus.

SABBATO.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Philémonem.

Lectio j. Cap. 1.


Aulus vinctus Christi Jesu, et Timótheus frater : Philémoni dilécto, et adjutóri nostro, et Appiæ soróri caríssimæ, et Archíppo commilitóni nostro, et Ecclésiæ, quæ in domo tua est. Grátia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Dómino Jesu Christo. Grátias ago Deo meo, semper memóriam tui fáciens in oratiónibus meis, áudiens caritátem tuam, et fidem, quam habes in Dómino Jesu, et in omnes sanctos : ut communicátio fídei tuæ évidens fiat in agnitióne omnis óperis boni, quod est in vobis in Christo Jesu.

℟. Misericórdiam, de Psalterio. 122.

Lectio ij.

GAudium enim magnum hábui, et consolatiónem in caritáte tua: quia víscera sanctórum requievérunt per te, frater. Propter quod multam fidúciam habens in Christo Jesu imperándi tibi, quod ad rem pértinet; propter caritátem magis óbsecro, cum sis talis, ut Paulus senex, nunc autem et vinctus Jesu Christi: Obsecro te pro meo fílio, quem génui in vínculis, Onésimo, qui tibi aliquándo inútilis fuit, nunc autem et mihi et tibi útilis, quem remísi tibi.

Lectio iij.

TU autem illum ut mea víscera súscipe: quem ego volúeram mecum detinére, ut pro te mihi ministráret in vínculis Evangélii: sine consílio autem tuo nihil vólui fácere, uti ne velut ex necessitáte bonum tuum esset, sed voluntárium. Fórsitan enim ídeo discéssit ad horam a te, ut ætérnum illum recíperes: jam non ut servum, sed pro servo caríssimum fratrem, máxime mihi: quanto autem magis tibi et in carne, et in Dómino? Si ergo habes me sócium, súscipe illum sicut me. Si autem áliquid nócuit tibi, aut debet: hoc mihi ímputa. Ego Paulus scripsi mea manu.

AD VESPERAS.

Omnia de Psalt. 179.

Ad Magnificat, Aña. Fratres, confortámini in grátia Dei, quæ est in Christo Jesu Dómino nostro, allelúia.

Oratio ut infra ad Laudes Dominicæ.

DOMINICA V.

post Octavam Epiphaniæ.

Omnia ut in Psalterio, 2. exceptis hic signatis.

IN PRIMO NOCTURNO.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. I.



Ultifáriam, multísque modis olim Deus loquens pátribus in Prophétis: novíssime diébus istis locútus est nobis in Fílio, quem constítuit herédem universórum, per quem fecit et sæcula. Qui cum sit splendor glóriæ, et figúra substántiæ ejus, portánsque ómnia verbo virtútis suæ, purgatiónem peccatórum fáciens, sedet ad déxteram majestátis in excélsis; tanto mélior An-

gelis effectus, quanto differéntius præ illis nomen hereditávit.

℟. Dómine,ut in Dom. j. post Oct. Epiph. 364.

Lectio ij.

QUi enim dixit aliquándo Angelórum : Fílius meus es tu, ego hódie génui te? Et rursum : Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in fílium? Et cum íterum introdúcit primogénitum in orbem terræ, dicit : Et adórent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit : Qui facit Angelos suos spíritus, et minístros suos flammam ignis. Ad Fílium autem : Thronus tuus Deus, in sæculum sæculi : virga æquitátis, virga regni tui. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo exsultatiónis præ particípibus tuis.

℟. Deus, qui sedes.

Lectio iij.

ET, Tu in princípio Dómine terram fundásti, et ópera mánuum tuárum sunt cœli. Ipsi períbunt, tu autem permanébis, et omnes ut vestiméntum veteráscent : et velut amíctum, mutábis eos, et mutabúntur : tu autem idem ipse es, et anni tui non defícient. Ad quem autem Angelórum dixit aliquándo : Sede a dextris meis, quoadúsque ponam inimícos tuos scabéllum pedum tuórum? Nonne omnes sunt administratórii spíritus, in ministérium missi propter eos, qui hereditátem cápient salútis?

℟. A dextris est.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Sermo sancti Athanásii Epíscopi.

Orat. 2. c. Arian.

Lectio iv.

SI persónam, rem, tempus Apostólici dicti cognóscerent hærétici; nunquam humána in Deitátem transferéntes, tam ímpie et stulte advérsus Christum sese habuíssent. Id intuéri licébit, si inítium lectiónis dénuo repetítum probe excípias. Dicit enim Apóstolus : Multifáriam, multísque modis olim Deus locútus est pátribus nostris per Prophétas : últimis autem diébus locútus est nobis in Fílio. Atque ita paulo post dicit : Perfécta ab eo nostrórum peccatórum purificatióne, ipsum sedére ad déxteram majestátis in excélsis :

tanto meliórem Angelis factum, quanto præstántius nomen præ illis sortítus est. De eo ígitur témpore, quo nobis per Fílium locútus est, cum peccatórum purgátio fíeret, Apostólicum dictum mentiónem facit. Quando autem nobis locútus est in Fílio, aut quando purgátio peccatórum facta, aut quando natus est homo, nisi post Prophétas, idque in últimis diébus?

℟. Notas mihi. 365.

Lectio v.

DEínde cum narrátio institúta esset de humána Verbi dispensatióne, deque últimis tempóribus, consequénter commemorávit, Deum neque superióribus ætátibus tacuísse, sed locútum esse per Prophétas: et postquam Prophétæ suo offício perfúncti sunt, et lex per Angelos pronuntiáta est, et Fílius étiam ad nos descéndit, et ad ministrándum accéssit; tunc demum necessário subíntulit: Tanto mélior Angelis factus: osténdere volens, quanto Fílius præ servo excéllit, tanto functióne officióque servórum, Fílii administratiónem meliórem fuísse. ℟. Díligam.

Lectio vj. Sub fin.

HUnctiónem ígitur discérnens Apóstolus, tum véterem, tum novam, magna dicéndi libertáte útitur, ad Judæos scribens et loquens. Propter hoc ígitur non in univérsum ex própria comparatiónis ratióne dixit, quod major, aut honorátior esset: ne quis quasi de ejúsdem géneris, et cum eo commúnibus rebus hæc verba intellígeret: sed ídeo meliórem illum dixit, ut discrímen natúræ Fílii ad res creátas indicáret.

℟. Dómini est terra.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 13.

IN illo témpore: Propósuit Jesus turbis parábolam, dicens: Símile est regnum cœlórum grano sinápis, quod accípiens homo seminávit in agro suo. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 2. in cap. 13. Matth.



REgnum cœlórum, prædicátio Evangélii est, et notítia Scripturárum, quæ ducit ad vitam, et de qua dícitur ad Judæos: Auferétur

a vobis regnum Dei, et dábitur Genti faciénti fructus ejus. Símile est ergo hujuscémodi regnum grano sinápis, quod accípiens homo seminávit in agro suo. Homo, qui séminat in agro suo, a plerísque Salvátor intellígitur, quod in ánimis credéntium séminet : ab áliis ipse homo séminans in agro suo, hoc est in semetípso, et in corde suo.

℟. Ad te Dómine. 367.

Lectio viij.

QUis est iste qui séminat, nisi sensus noster et ánimus, qui suscípiens granum prædicatiónis, et fovens seméntem, humóre fídei facit in agro sui péctoris pululláre? Prædicátio Evangélii mínima est ómnibus disciplínis. Ad primam quippe doctrínam, fidem non habet veritátis, hóminem Deum, Christum mórtuum, et scándalum crucis prædicans. Confer hujuscémodi doctrínam dogmátibus philosophórum, et libris eórum, et splendóri eloquéntiæ, et compositióni sermónum, et vidébis quanto minor sit céteris semínibus seméntis Evangélii.

℟. Audiam.

Lectio ix.

SEd illa cum créverint, nihil mordax, nihil vívidum, nihil vitále demónstrant : sed totum fláccidum marcidúmque et mollítum ebúllit in ólera, et in herbas, quæ cito aréscunt, et córruunt. Hæc autem prædicátio, quæ parva videbátur in princípio, cum vel in ánima credéntis, vel in toto mundo sata fúerit, non exsúrgit in ólera, sed crescit in árborem : ita ut vólucres cœli (quas vel ánimas credéntium, vel fortitúdines Dei servítio mancipátas, sentíre debémus) véniant, et hábitent in ramis ejus. Ramos puto Evangélicæ árboris, quæ de grano sinápis créverit, dógmatum esse diversitátes, in quibus supradictárum vólucrum unaquæque requiéscit.

℟. Peccáta mea.

Ad Bened. Aña. Símile est regnum cœlórum grano sinápis, quod mínimum est ómnibus semínibus : cum autem créverit, majus est ómnibus oléribus.

Oratio.

PRæsta, quæsumus omnípotens Deus; ut semper rationabília meditántes, quæ tibi sunt plácita, et dictis exsequámur, et factis. Per Dóminum.

Ad Magnif. Aña. Símile est regnum cœlórum ferménto, quod accéptum múlier abscóndit in farínæ satis tribus, donec fermentátum est totum.

FERIA SECUNDA.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 3.

UNde fratres sancti, vocatiónis cœléstis partícipes, consideráte Apóstolum, et Pontíficem confessiónis nostræ Jesum, qui fidélis est ei, qui fecit illum, sicut et Móyses in omni domo ejus. Amplióris enim glóriæ iste præ Móyse dignus est hábitus, quanto ampliórem honórem habet domus, qui fabricávit illam : Omnis namque domus fabricátur ab áliquo : qui autem ómnia creávit, Deus est. ℟. Quam magna, de Psalt. 41.

Lectio ij.

ET Móyses quidem fidélis erat in tota domo ejus tamquam fámulus, in testimónium eórum quæ dicénda erant. Christus vero tamquam fílius in domo sua : quæ domus sumus nos, si fidúciam et glóriam spei usque ad finem firmam retineámus. Quaprópter sicut dicit Spíritus sanctus: Hódie si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, sicut in exacerbatióne secúndum diem tentatiónis in desérto. Lectio iij.

VIdéte fratres, ne forte sit in áliquo vestrum cor malum incredulitátis, discedéndi a Deo vivo; sed adhortámini vosmetípsos per síngulos dies, donec hódie cognominátur, ut non obdurétur quis ex vobis fallácia peccáti. Partícipes enim Christi effécti sumus, si tamen inítium substántiæ ejus usque ad finem firmum retineámus. Dum dícitur : Hódie si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, quemádmodum in illa exacerbatióne. Quidam enim audiéntes exacerbavérunt; sed non univérsi, qui profécti sunt ex Ægypto per Móysen.

FERIA TERTIA.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 4.

TImeámus ergo ne forte relícta pollicitatióne introeúndi in réquiem ejus existimétur áliquis ex vobis deésse. Etenim et nobis nun-

tiátum est, quemádmodum et illis. Sed non prófuit illis sermo audítus, non admíxtus fídei ex iis, quæ audiérunt. Ingrediémur enim in réquiem, qui credídimus : quemádmodum dixit : Sicut jurávi in ira mea : Si introíbunt in réquiem meam : et quidem opéribus ab institutióne mundi perféctis.

℟. Auribus, de Psalt. 58.

Lectio ij.

DIxit enim in quodam loco de die séptima sic : Et requiévit Deus die séptima ab ómnibus opéribus suis. Et in isto rursum : Si introíbunt in réquiem meam. Quóniam ergo súperest introíre quosdam in illam, et ii, quibus prióribus annuntiátum est, non introiérunt propter incredulitátem : íterum términat diem quemdam, Hódie, in David dicéndo, post tantum témporis, sicut supra dictum est : Hódie si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra.

Lectio iij.

NAm si eis Jesus réquiem præstitísset, nunquam de ália loquerétur posthac die. Itaque relínquitur sabbatísmus pópulo Dei. Qui enim ingréssus est in réquiem ejus, étiam ipse requiévit ab opéribus suis, sicut a suis Deus. Festinémus ergo íngredi in illam réquiem; ut ne in idípsum quis íncidat incredulitátis exémplum. Vivus est enim sermo Dei, et éfficax, et penetrabílior omni gládio ancípiti : et pertíngens usque ad divisiónem ánimæ, ac spíritus, compágum quoque, ac medullárum, et discrétor cogitatiónum, et intentiónum cordis.

FERIA QUARTA.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 6.



Uaprópter intermitténtes inchoatiónis Christi sermónem, ad perfectióra ferámur, non rursum jaciéntes fundaméntum pœniténtiæ ab opéribus mórtuis, et fídei ad Deum, baptísmatum doctrínæ, impositiónis quoque mánuum, ac resurrectiónis mortuórum, et judícii ætérni. Et hoc faciémus, si quidem permíserit Deus.

℟. Ne perdíderis, de Psalt. 70.

Lectio ij.

IMpossíbile est enim eos, qui semel sunt illumináti, gustavérunt

étiam donum cœléste, et partícipes facti sunt Spíritus sancti, gustavérunt nihilóminus bonum Dei verbum, virtutésque sæculi ventúri, et prolápsi sunt; rursus renovári ad pœniténtiam, rursum crucifigéntes sibimetípsis Fílium Dei, et osténtui habéntes.

Lectio iij.

TErra enim sæpe veniéntem super se bibens imbrem, et génerans herbam opportúnam illis, a quibus cólitur, áccipit benedictiónem a Deo. Próferens autem spinas ac tríbulos réproba est, et maledícto próxima : cujus consummátio in combustiónem. Confídimus autem de vobis, dilectíssimi, melióra, et vicinióra salúti : tamétsi ita lóquimur. Non enim injústus Deus, ut obliviscátur óperis vestri, et dilectiónis, quam ostendístis in nómine ipsíus, qui ministrástis sanctis, et ministrátis.

FERIA QUINTA.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 7.

HIc enim Melchísedech, rex Salem, sacérdos Dei summi, qui obviávit Abrahæ regrésso a cæde regum, et benedíxit ei : cui et décimas ómnium divísit Abraham : primum quidem, qui interpretátur rex justítiæ : deínde autem et rex Salem, quod est rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogía, neque inítium diérum, neque finem vitæ habens, assimilátus autem Fílio Dei, manet sacérdos in perpétuum.

℟. Deus in te, de Psaltério. 88.

Lectio ij.

INtuémini autem quantus sit hic, cui et décimas dedit de præcípuis Abraham Patriárcha. Et quidem de filiis Levi sacerdótium accipiéntes, mandátum habent décimas súmere a pópulo secúndum legem, id est, a frátribus suis : quamquam et ipsi exíerint de lumbis Abrahæ. Cujus autem generátio non annumerátur in eis, décimas sumpsit ab Abraham, et hunc, qui habébat repromissiónes, benedíxit.

Lectio iij.

SIne ulla autem contradictióne, quod minus est, a melióre benedícitur. Et hic quidem décimas moriéntes hómines

accípiunt, ibi autem contestátur, quia vivit. Et (ut ita dictum sit) per Abraham et Levi, qui décimas accépit, decimátus est : adhuc enim in lumbis patris erat, quando obviávit ei Melchísedech. Si ergo consummátio per sacerdótium Levíticum erat (pópulus enim sub ipso legem accépit) quid adhuc necessárium fuit secúndum órdinem Melchísedech álium súrgere sacerdótem, et non secúndum órdinem Aáron dici? Transláto enim sacerdótio, nécesse est, ut et legis translátio fiat.

FERIA SEXTA.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 11.


Est autem fides sperandárum substántia rerum, arguméntum non apparéntium. In hac enim testimónium consecúti sunt senes. Fide intellígimus aptáta esse sæcula verbo Dei : ut ex invisibílibus visibília fíerent. Fide plúrimam hóstiam Abel, quam Cain, óbtulit Deo, per quam testimónium consecútus est esse justus, testimónium perhibénte munéribus ejus Deo, et per illam defúnctus adhuc lóquitur.

℟. Confitébor, de Psalterio. 103.

Lectio ij.

Fide Henoch translátus est ne vidéret mòrtem, et non inveniebátur, quia tránstulit illum Deus : ante translatiónem enim testimónium hábuit placuísse Deo. Sine fide autem impossíbile est placére Deo. Crédere enim opórtet accedéntem ad Deum, quia est, et inquiréntibus se remunerátor sit. Fide Noe respónso accépto de iis, quæ adhuc non videbántur, métuens aptávit arcam in salútem domus suæ, per quam damnávit mundum : et justítiæ, quæ per fidem est, heres est institútus.

Lectio iij.

Fide qui vocátur Abraham, obedívit in locum exíre, quem acceptúrus erat in hereditátem : et éxiit, nésciens quo iret. Fide demorátus est in terra repromissiónis, tamquam in aliéna, in cásulis habitándo cum Isaac, et Jacob coherédibus repromissiónis ejúsdem. Exspectábat enim fundaménta habéntem civitátem : cujus ártifex, et cónditor Deus.

SABBATO.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 13

CAritas fraternitátis máneat in vobis. Et hospitalitátem nolíte oblivísci, per hanc enim latuérunt quidam, Angelis hospítio recéptis: Mementóte vinctórum, tamquam simul vincti : et laborántium, tamquam et ipsi in córpore morántes. Honorábile connúbium in ómnibus, et thorus immaculátus. Fornicatóres enim et adúlteros judicábit Deus.

℟. Misericórdiam, de Psalterio. 122.

Lectio ij.

SInt mores sine avarítia, conténti præséntibus; ipse enim dixit : Non te déseram, neque derelínquam. Ita ut confidénter dicámus : Dóminus mihi adjútor : non timébo, quid fáciat mihi homo. Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt Verbum Dei : quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem. Jesus Christus heri et hódie : ipse et in sæcula.

Lectio iij.

DOctrínis váriis et peregrínis nolíte abdúci. Optimum est enim grátia stabilíre cor, non escis, quæ non profuérunt ambulántibus in eis. Habémus altáre, de quo édere non habent potestátem, qui tabernáculo desérviunt. Quorum enim animálium infértur sanguis pro peccáto in Sancta per Pontíficem, horum córpora cremántur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum, extra portam passus est.

SABBATO

Septuagesimæ.

AD VESPERAS.

Omnia de Psalt. 179.

℟. Ubi est Abel frater tuus? dixit Dóminus ad Cain. Néscio Dómine : numquid custos fratris mei sum ego? Et dixit ad eum : Quid fecísti? * Ecce vox sánguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.

℣. Maledíctus eris super terram, quæ apéruit os suum, et suscépit sánguinem fratris tui de manu tua. Ecce.

Glória Patri. Ecce.

Hymnus. O lux beáta.

℣. Vespertína, de Psalterio. 183.

Ad Magnif. Aña. **Plantáverat autem Dóminus Deus Paradísum voluptátis a princípio; in quo pósuit hóminem, quem formáverat.**

Oratio. **Preces pópuli,** ut infra ad Laudes Dom.

℣. **Benedicámus Dómino, allelúia, allelúia.** ℟. **Deo grátias, allelúia, allelúia.**

Quod sic dicitur quamvis Vesperæ non essent de Dominica. Postea commem. communes, si fiat de Dominica. Deinde dicitur

℣. **Benedicámus Dómino, allelúia.** ℟. **Deo grátias, allelúia.**

Ab hinc usque ad Missam Vigiliæ Paschæ non dicatur **Allelúia** : sed in principio Horarum post **Sicut erat,** dicitur **Laus tibi Dómine, Rex ætérnæ glóriæ.**

DOMINICA
in Septuagesima.

AD MATUTINUM.

Invit. **Veníte, exsultémus Dómino : * Jubilémus Deo salutári nostro.**

Ps. **Præoccupémus. 2.**

Hymn. **Primo diérum. 3.**

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. **Servíte,** Ps. **Beátus vir,** cum ceteris Añis. Ps. et ℣. ut in Psalt. **4.**

Incipit liber Génesis.

Lectio j. Cap. I.

IN princípio creávit Deus cœlum et terram. Terra autem erat inánis et vácua, et ténebræ erant super fáciem abyssi : et Spíritus Dei ferebátur super aquas. Dixítque Deus : Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona : et divísit lucem a ténebris. Appellavítque lucem Diem, et ténebras Noctem; factúmque est véspere et mane, dies unus. Dixit quoque Deus : Fiat firmaméntum in médio aquárum, et dívidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmaméntum, divisítque aquas, quæ erant sub firmaménto, ab his, quæ erant super firmaméntum. Et factum est ita. Vocavítque Deus firmaméntum, Cœlum : et factum est véspere et mane, dies secúndus.

℟. **In princípio fecit Deus cœlum et terram : et creávit in ea hóminem, * Ad imáginem et similitúdinem suam.**

℣. **Formávit ígitur Dóminus Deus hóminem de limo terræ, et inspirávit in fáciem ejus spiráculum vitæ. Ad imáginem.**

Lectio ij.

DIxit vero Deus : Congregéntur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum unum : et appáreat árida. Et factum est ita. Et vocávit Deus áridam, Terram, congregationésque aquárum appellávit Mária. Et vidit Deus quod esset bonum, et ait : Gérminet terra herbam viréntem, et faciéntem semén, et lignum pomíferum fáciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semetípso sit super terram. Et factum est ita. Et prótulit terra herbam viréntem, et faciéntem semen juxta genus suum, lignúmque fáciens fructum, et habens unumquódque seméntem secúndum spéciem suam. Et vidit Deus quod esset bonum. Et factum est véspere et mane, dies tértius. Dixit autem Deus : Fiant luminária in firmaménto cœli, et dívidant diem ac noctem, et sint in signa, et témpora, et dies, et annos : ut lúceant in firmaménto cœli, et illúminent terram. Et factum est ita. Fecítque Deus duo luminária magna : luminâre majus, ut præésset diéi : et luminâre minus, ut præésset nocti, et stellas : et pósuit eas in firmaménto cœli, ut lucérent super terram, et præéssent diéi ac nocti, et divíderent lucem ac ténebras. Et vidit Deus quod esset bonum. Et factum est véspere et mane, dies quartus.

℟. In princípio creávit Deus cœlum, et terram, et Spíritus Dei ferebátur super aquas; * Et vidit Deus cuncta, quæ fécerat, et erant valde bona.

℣. Igitur perfécti sunt cœli, et terra, et omnis ornátus eórum. Et vidit Deus.

Lectio iij.

DIxit étiam Deus : Prodúcant aquæ réptile ánimæ vivéntis, et volátile super terram sub firmaménto cœli. Creavítque Deus cete grándia, et omnem ánimam vivéntem, atque motábilem, quam prodúxerant aquæ in spécies suas, et omne volátile secúndum genus suum. Et vidit Deus quod esset bonum. Benedixítque eis, dicens : Créscite, et multiplicámini, et repléte aquas maris : avésque multiplicéntur super terram. Et factum est véspere et mane, dies quintus. Dixit quoque Deus : Prodúcat terra ánimam

viventem in génere suo, juménta, et reptília, et béstias terræ secúndum spécies suas. Factúmque est ita. Et fecit Deus béstias terræ juxta spécies suas, et juménta, et omne réptile terræ in génere suo. Et vidit Deus quod esset bonum, et ait : Faciámus hóminem ad imáginem et similitúdinem nostram; et præsit píscibus maris, et volatílibus cœli, et béstiis, universæque terræ, omníque réptili, quod movétur in terra.

℟. Formávit ígitur Dóminus Deus hóminem de limo terræ, * Et inspirávit in fáciem ejus spiráculum vitæ, et factus est homo in ánimam vivéntem.

℣. In princípio fecit Deus cœlum et terram, et creávit in ea hóminem. Et inspirávit.

Glória Patri. Et.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Bonórum meórum.
Ps. Consérva me. 12.

Ex libro Enchirídii sancti Augustíni Epíscopi.

Cap. 25. et seq. tom. 3.

Lectio iv.


Ortis supplícium Dóminus hómini comminátus fúerat si peccáret; sic eum múnerans líbero arbítrio, ut tamen régeret império, terréret exítio; atque in Paradísi felicitáte, tamquam in umbra vitæ, unde justítia custodíta in melióra conscénderet, collocávit. Hinc post peccátum exsul efféctus, stirpem quoque suam, quam peccándo in se tamquam in radíce vitiáverat, pœna mortis, et damnatiónis obstrínxit : ut quidquid prolis ex illo, et simul damnáta, per quam peccáverat, cónjuge, per carnálem concupiscéntiam, in qua inobediéntiæ pœna símilis retribúta est, nascerétur, tráheret originále peccátum, quo traherétur per erróres dolorésque divérsos ad illud extrémum cum desertóribus ángelis, vitiatóribus et possessóribus et consórtibus suis, sine fine supplícium.

℟. Tulit ergo Dóminus Deus hóminem, et pósuit eum in paradíso voluptátis : * Ut operarétur, et custodíret illum.

℣. Plantáverat autem Dóminus Deus paradísum voluptátis a princípio : in quo pósuit hóminem, quem formáverat. Ut operarétur.

Lectio v.

SIc per unum hóminem peccátum intrávit in mundum, et per peccátum mors; et ita in omnes hómines pertránsiit, in quo omnes peccavérunt. Mundum quippe appellávit eo loco Apóstolus univérsum genus humánum. Ita ergo res se habébant. Jacébat in malis, vel étiam volvebátur, et de malis in mala præcipitabátur totíus humáni géneris massa damnáta : et adjúncta parti eórum, qui peccáverant, angelórum, luébat ímpiæ desertiónis digníssimas pœnas.

℟. Plantáverat autem Dóminus Deus paradísum voluptátis a princípio : * In quo pósuit hóminem, quem formáverat.

℣. Plantáverat autem Dóminus Deus lignum pulchrum visu, et ad vescéndum suáve : lignum étiam vitæ in médio paradísi. In quo.

Lectio vj.

AD iram quippe Dei pértinet justam quidquid cæca et indómita concupiscéntia fáciunt libénter mali, et quidquid maniféstis opertísque pœnis patiúntur invíti : non sane Creatóris desisténte bonitáte, et malis ángelis subministráre vitam, vivacémque poténtiam, (quæ subministrátio si auferátur, interíbunt) et hóminum, quamvis de propágine vitiáta damnatáque nascéntium, formáre sémina, et animáre, et ordináre membra per témporum ætátes, per locórum spátia vegetáre sensus, aliménta donáre. Mélius enim judicávit de malis bene fácere, quam mala nulla esse permíttere.

℟. Dixit Dóminus Deus : Non est bonum esse hóminem solum : * Faciámus ei adjutórium símile sibi.

℣. Adæ vero non inveniebátur adjútor símilis sibi : Dixit quoque Deus. Faciámus.

Glória Patri. Faciámus.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Non sunt loquélæ. Ps. Cœli enárrant. 17.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 20.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Símile est regnum cœlórum hómini patrifamílias, qui éxiit primo mane condúcere operários in víneam suam. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homilia 19. in Evang.

Regnum cœlórum hómini patrifamílias símile dícitur : qui ad excoléndam víneam suam operários condúcit. Quis vero patrisfamílias similitúdinem réctius tenet, quam Cónditor noster, qui regit quos cóndidit, et eléctos suos sic in hoc mundo póssidet, quasi subjéctos dóminus in domo? Qui habet víneam, universálem scílicet Ecclésiam, quæ ab Abel justo usque ad últimum eléctum, qui in fine mundi nascitúrus est, quot sanctos prótulit, quasi tot pálmites misit.

℟. Immísit Dóminus Deus sopórem in Adam, et tulit unam de costis ejus. Et ædificávit costam, quam túlerat de Adam, in mulíerem : et addúxit eam ad Adam, ut vidéret, quid vocáret eam : * Et vocávit nomen ejus Virágo, quóniam de viro sumpta est.

℣. Hoc nunc os ex óssibus meis, et caro de carne mea. Et.

Lectio viij.

Hic ítaque paterfamílias ad excoléndam víneam suam, mane, hora tértia, sexta, nona, et undécima operários condúcit : quia a mundi hujus inítio usque in finem ad erudiéndam plebem fidélium prædicatóres congregáre non desístit. Mane étenim mundi fuit ab Adam usque ad Noe : hora vero tertia a Noe usque ad Abraham : sexta quoque ab Abraham usque ad Móysen : nona autem a Móyse usque ad advéntum Dómini : undécima vero ab advéntu Dómini usque ad finem mundi. In qua prædicatóres sancti Apóstoli missi sunt, qui mercédem plenam et tarde veniéntes accepérunt.

℟. Dum deambuláret Dóminus in paradíso ad auram post merídiem, exclamávit, et dixit : Adam ubi es? Audívi Dómine vocem tuam, * Et abscóndi me.

℣. Vocem tuam Dómine audívi in paradíso, et tímui, eo quod nudus essem. Et.

Lectio ix.

Ad erudiéndam ergo Dóminus plebem suam, quasi ad excoléndam víneam suam, nullo témpore déstitit operários míttere : quia et prius per

Patres, et póstmodum per legis Doctóres, et Prophétas, ad extrémum vero per Apóstolos, dum plebis suæ mores excóluit, quasi per operários in víneæ cultúra laborávit : quamvis in quólibet módulo, vel mensúra, quisquis cum fide recta bonæ prædicátor actiónis éxstitit, hujus víneæ operárius fuit. Operátor ergo mane, hora tértia, sexta, et nona, antíquus ille et Hebráicus pópulus designátur : qui in eléctis suis ab ipso mundi exórdio, dum recta fide Deum stúduit cólere, quasi non déstitit in víneæ cultúra laboráre. Ad undécimam vero Gentíles vocántur : quibus et dícitur : Quid hic statis tota die otiósi?

℟. Ubi est Abel frater tuus? dixit Dóminus ad Cain. Néscio, Dómine : numquid custos fratris mei sum ego? Et dixit ad eum: Quid fecísti? * Ecce vox sánguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.

℣. Maledíctus eris super terram, quæ apéruit os suum, et suscépit sánguinem fratris tui de manu tua. Ecce.

Glória Patri. Ecce.

℣. Ubi est Abel. Sacerdot. ℣. Excélsus super omnes Gentes Dóminus. ℟. Et super cœlos glória ejus.

AD LAUDES.

Antiphona.

Miserére mei Deus, et a delícto meo munda me : quia tibi soli peccávi.

Ps. Miserére. 42.

Aña. Confitébor tibi Dómine, quóniam exaudísti me.

Ps. Confitémini. 131.

Aña. Deus Deus meus, ad te de luce vígilo, quia factus es adjútor meus.

Ps. Deus Deus meus. 22.

Aña. Benedíctus es in firmaménto cœli, et laudábilis in sæcula, Deus noster.

Cantic. Benedícite. 23.

Aña. Laudáte Dóminum de cœlis.

Ps. Laudáte Dóminum. 24.

Capit. Benedíctio. 25.

Hymnus. Ætérne. 25.

℣. Dómine refúgium, ut in Psalt. 26.

Ad Benedictus, Aña. Símile est regnum cœlórum hómini patrifamílias, qui éxiit primo mane condúcere operários in víneam suam, dicit Dóminus.

Oratio.

Preces pópuli tui, quæsumus Dómine, cleménter exáudi : ut qui

juste pro peccátis nostris afflígimur, pro tui nóminis glória misericórditer liberémur. Per Dóminum.

Fiant commemorationes communes.

AD PRIMAM.

Aña. Conventióne autem facta cum operáriis ex denário diúrno, misit eos in víneam suam.

Ps. Deus Deus meus réspice, ut in Psalt. 126.

AD TERTIAM.

Aña. Ite et vos in víneam meam, et quod justum fúerit, dabo vobis.

Capit. Sana me Dómine.

℞. Adjútor meus, ut in Psalt. 146.

AD SEXTAM.

Aña. Quid hic statis tota die otiósi? Respondérunt, et dixérunt : Quia nemo nos condúxit.

Capit. Omnia autem.

℞. Ab occúltis meis, ut in Psalt. 151.

AD NONAM.

Aña. Voca operários, et redde illis mercédem suam, dicit Dóminus.

Capit. Empti enim. 156.

℞. Spes mea, ut in Psaltério. 157.

AD VESPERAS.

Añæ, Psalmi, Capit. Hymnus, et ℣. de Dom. ut in Psalt. 159.

Ad Magnificat, Aña. Sic erunt novíssimi primi, et primi novíssimi : multi enim sunt vocáti, pauci vero elécti.

Et fiant commemorationes communes.

Per Hebd. quando de tempore agitur, ad Matut. et ad ceteras Horas omnia ut in Psalter. exceptis hic signatis, cum Oratione Preces pópuli, de Dom. præc. ut supra.

Fiunt consuetæ commemorationes et dicuntur Preces communes.

Ad Benedictus, Aña. Hi novíssimi una hora fecérunt, et pares illos nobis fecísti, qui portávimus pondus diéi et æstus.

Ad Magnificat, Aña. Dixit paterfamílias operáriis suis. Quid hic statis tota die otiósi? At illi respondéntes, dixérunt : Quia nemo nos condúxit. Ite et vos in víneam meam, et quod justum fúerit, dabo vobis.

FERIA SECUNDA.

De libro Génesis.

Lectio j. Cap. 1.



ET creávit Deus hóminem ad imáginem suam : ad imáginem Dei creávit illum : másculum et fémi-

nam creávit eos. Benedixítque illis Deus, et ait : Créscite, et multiplicámini, et repléte terram, et subjícite eam, et dominámini píscibus maris, et volatílibus cœli, et univérsis animántibus, quæ movéntur super terram. Dixítque Deus : Ecce dedi vobis omnem herbam afferéntem semen super terram, et univérsa ligna, quæ habent in semetípsis seméntem géneris sui, ut sint vobis in escam, et cunctis animántibus terræ, omníque vólucri cœli, et univérsis, quæ movéntur in terra, et in quibus est ánima vivens, ut hábeant ad vescéndum. Et factum est ita. Vidítque Deus cuncta, quæ fécerat : et erant valde bona. Et factum est véspere et mane, dies sextus.

℟. In princípio fecit, de j. Noct. Dom. præc. 410.

Lectio ij. Cap. 2.

IGitur perfécti sunt cœli, et terra, et omnis ornátus eórum. Complevítque Deus die séptimo opus suum, quod fécerat : et requiévit die séptimo ab univérso ópere, quod patrárat. Et benedíxit diéi séptimo, et sanctificávit illum : quia in ipso cessáverat ab omni ópere suo, quod creávit Deus, ut fáceret. Istæ sunt generatiónes cœli et terræ, quando creáta sunt, in die quo fecit Dóminus Deus cœlum et terram : et omne virgúltum agri ántequam orirétur in terra, omnémque herbam regiónis priúsquam germináret : non enim plúerat Dóminus Deus super terram, et homo non erat, qui operarétur terram : sed fons ascendébat e terra, írrigans univérsam superfíciem terræ.

Lectio iij.

FOrmávit ígitur Dóminus Deus hóminem de limo terræ, et inspirávit in fáciem ejus spiráculum vitæ, et factus est homo in ánimam vivéntem. Plantáverat autem Dóminus Deus paradísum voluptátis a princípio, in quo pósuit hóminem, quem formáverat. Produxítque Dóminus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescéndum suáve : lignum étiam vitæ in médio paradísi, lignúmque sciéntiæ boni et mali. Et flúvius egrediebátur de loco voluptátis ad irrigándum paradísum, qui inde divíditur in quátuor cápita.

FERIA TERTIA.

De libro Génesis.

Lectio j. Cap. 2.


Ulit ergo Dóminus Deus hóminem, et pósuit eum in paradíso voluptátis, ut operarétur, et custodíret illum. Præcepítque ei dicens : Ex omni ligno paradísi cómede : de ligno autem sciéntiæ boni et mali ne cómedas. In quocúmque enim die coméderis ex eo, morte moriéris. Dixit quoque Dóminus Deus : Non est bonum esse hóminem solum, faciámus ei adjutórium símile sibi.

℟. Tulit, de ij. Noct. Dom. præc. 412

Lectio ij.

FOrmátis ígitur, Dóminus Deus, de humo cunctis animántibus terræ, et univérsis volatílibus cœli, addúxit ea ad Adam, ut vidéret quid vocáret ea : omne enim quod vocávit Adam ánimæ vivéntis, ipsum est nomen ejus. Appellavítque Adam nomínibus suis cuncta animántia, et univérsa volatília cœli, et omnes béstias terræ : Adæ vero non inveniebátur adjútor símilis ejus.

Lectio iij.

IMmísit ergo Dóminus Deus sopórem in Adam : cumque obdormísset, tulit unam de costis ejus, et replévit carnem pro ea. Et ædificávit Dóminus Deus costam, quam túlerat de Adam, in mulíerem : et addúxit eam ad Adam. Dixítque Adam : Hoc nunc os ex óssibus meis, et caro de carne mea : hæc vocábitur Virágo, quóniam de viro sumpta est. Quámobrem relínquet homo patrem suum et matrem, et adhærébit uxóri suæ : et erunt duo in carne una.

FERIA QUARTA.

De libro Génesis.

Lectio j. Cap. 3


Ed et serpens erat callídior cunctis animántibus terræ, quæ fécerat Dóminus Deus. Qui dixit ad mulíerem : Cur præcépit vobis Deus, ut non comederétis de omni ligno paradísi? Cui respóndit múlier : De fructu lignórum, quæ sunt in paradíso, véscimur : de fructu vero ligni, quod est in médio paradísi, præcépit nobis Deus, ne comederémus, et ne tangerémus illud, ne forte mo-

riámur. Dixit autem serpens ad mulíerem: Nequáquam morte moriémini. Scit enim Deus quod in quocúmque die comedéritis ex eo, aperiéntur óculi vestri : et éritis sicut dii, sciéntes bonum et malum. Vidit ígitur múlier quod bonum esset lignum ad vescéndum, et pulchrum óculis, adspectúque delectábile : et tulit de fructu illíus, et comédit : dedítque viro suo, qui comédit. Et apérti sunt óculi ambórum. ℟. Immísit, de iij. Noct. Dom. praec. 414.

Lectio ij.

Cumque cognovíssent se esse nudos, consuérunt fólia ficus, et fecérunt sibi perizómata. Et cum audíssent vocem Dómini Dei deambulántis in paradíso ad auram post merídiem, abscóndit se Adam, et uxor ejus a fácie Dómini Dei in médio ligni paradísi. Vocavítque Dóminus Deus Adam, et dixit ei : Ubi es? Qui ait : Vocem tuam audívi in paradíso : et tímui, eo quod nudus essem, et abscóndi me. Cui dixit : Quis enim indicávit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo praecéperam tibi ne coméderes, comedísti? Dixítque Adam : Múlier, quam dedísti mihi sóciam, dedit mihi de ligno, et comédi. Et dixit Dóminus Deus ad mulíerem : Quare hoc fecísti? Quae respóndit : Serpens decépit me, et comédi.

Lectio iij.

Et ait Dóminus Deus ad serpéntem : Quia fecísti hoc, maledíctus es inter ómnia animántia, et béstias terrae : super pectus tuum gradiéris, et terram cómedes cunctis diébus vitae tuae. Inimicítias ponam inter te, et mulíerem, et semen tuum, et semen illíus : ipsa cónteret caput tuum, et tu insidiáberis calcáneo ejus. Mulíeri quoque dixit : Multiplicábo aerúmnas tuas, et concéptus tuos : in dolóre páries fílios, et sub viri potestáte eris, et ipse dominábitur tui. Adae vero dixit : Quia audísti vocem uxóris tuae, et comedísti de ligno, ex quo praecéperam tibi ne coméderes, maledícta terra in ópere tuo : in labóribus cómedes ex ea cunctis diébus vitae tuae. Spinas et tríbulos germinábit tibi, et cómedes herbam terrae. In sudóre vultus

tui vescéris pane, donec revertáris in terram, de qua sumptus es : quia pulvis es, et in púlverem revertéris. Et vocávit Adam nomen uxóris suæ Heva; eo quod mater esset cunctórum vivéntium.

FERIA QUINTA.

De libro Génesis.

Lectio j. Cap. 4.



Dam vero cognóvit uxórem suam Hevam : quæ concépit, et péperit Cain, dicens : Possédi hóminem per Deum. Rursúmque péperit fratrem ejus Abel. Fuit autem Abel pastor óvium, et Cain agrícola. Factum est autem post multos dies, ut offérret Cain de frúctibus terræ múnera Dómino. Abel quoque óbtulit de primogénitis gregis sui, et de adípibus eórum, et respéxit Dóminus ad Abel et ad múnera ejus. Ad Cain vero, et ad múnera illíus non respéxit : iratúsque est Cain veheménter, et cóncidit vultus ejus. Dixítque Dóminus ad eum : Quare irátus es? et cur cóncidit fácies tua? Nonne, si bene égeris, recípies : sin autem male, statim in fóribus peccátum áderit? sed sub te erit appetítus ejus, et tu domináberis illíus.

℟. In princípio, de j. Nocturno Dom. præc. 410.

Lectio ij.

Dixítque Cain ad Abel fratrem suum : Egrediámur foras. Cumque essent in agro, consurréxit Cain advérsus fratrem suum Abel, et interfécit eum. Et ait Dóminus ad Cain : Ubi est Abel frater tuus? Qui respóndit : Néscio. Num custos fratris mei sum ego? Dixítque ad eum : Quid fecisti? vox sánguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc ígitur maledíctus eris super terram, quæ apéruit os suum, et suscépit sánguinem fratris tui de manu tua. Cum operátus fúeris eam, non dabit tibi fructus suos : vagus et prófugus eris super terram.

Lectio iij.

Dixitque Cain ad Dóminum : Major est iníquitas mea, quam ut véniam mérear. Ecce éjicis me hódie a fácie terræ, et a fácie tua abscóndar, et ero vagus et prófugus in terra : omnis ígitur qui invénerit me, occídet me. Dixítque ei Dóminus : Nequáquam ita fiet : sed

omnis, qui occíderit Cain, séptuplum puniétur. Posuítque Dóminus Cain signum, ut non interfíceret eum omnis, qui invenísset eum. Egressúsque Cain a fácie Dómini, habitávit prófugus in terra ad orientálem plagam Eden.

FERIA SEXTA.

De libro Génesis.

Lectio j. • Cap. 4.

COgnóvit autem Cain uxórem suam, quæ concépit, et péperit Henoch : et ædificávit civitátem, vocavítque nomen ejus ex nómine fílii sui, Henoch. Porro Henoch génuit Irad, et Irad génuit Mavíael, et Mavíael génuit Mathúsael, et Mathúsael génuit Lamech. Qui accépit duas uxóres, nomen uni Ada, et nomen álteri Sella. Genuítque Ada Jabel, qui fuit pater habitántium in tentóriis, atque pastórum. Et nomen fratris ejus Jubal : ipse fuit pater canéntium cíthara et órgano. Sella quoque génuit Tubálcain, qui fuit malleátor et faber in cuncta ópera æris et ferri. Soror vero Tubálcain, Noéma.

℟. Tulit, de ij. Noct. Dominicæ præced. 412.

Lectio ij.

DIxítque Lamech uxóribus suis Adæ et Sellæ : Audíte vocem meam uxóres Lamech, auscultáte sermónem meum : quóniam occídi virum in vulnus meum, et adolescéntulum in livórem meum. Séptuplum últio dábitur de Cain : de Lamech vero septuágies sépties. Cognóvit quoque adhuc Adam uxórem suam : et péperit fílium, vocavítque nomen ejus Seth, dicens : Pósuit mihi Deus semen áliud pro Abel, quem occídit Cain. Sed et Seth natus est fílius, quem vocávit Enos : iste cœpit invocáre nomen Dómini.

Lectio iij. Cap. 5

HIc est liber generatiónis Adam. In die, qua creávit Deus hóminem, ad similitúdinem Dei fecit illum. Másculum et féminam creávit eos : et benedíxit illis : et vocávit nomen eórum Adam, in die quo creáti sunt. Vixit autem Adam centum trigínta annis : et génuit ad imáginem et similitúdinem suam, vocavítque nomen ejus Seth. Et facti sunt dies Adam, postquam génuit Seth, octingénti

anni : genuítque fílios et fílias. Et factum est omne tempus quod vixit Adam, anni nongénti trigínta, et mórtuus est.

SABBATO.

De libro Génesis.

Lectio j. Cap. 5.

Ixit autem Maláleel sexagínta quinque annis, et génuit Jared. Et vixit Maláleel postquam génuit Jared, octingéntis trigínta annis, et génuit fílios et fílias. Et facti sunt omnes dies Maláleel octingénti nonagínta quinque anni, et mórtuus est. Vixítque Jared centum sexagínta duóbus annis, et génuit Henoch. Et vixit Jared postquam génuit Henoch, octingéntis annis, et génuit fílios et fílias. Ft facti sunt omnes dies Jared nongénti sexagínta duo anni, et mórtuus est. Porro Henoch vixit sexagínta quinque annis, et génuit Mathúsalam.

℟. Immísit Dóminus, de iij. Noct. Dom. præc. 414.

Lectio ij.

ET ambulávit Henoch cum Deo : et vixit, postquam génuit Mathúsalam, trecéntis annis, et génuit fílios et fílias. Et facti sunt omnes dies Henoch trecénti sexagínta quinque anni. Ambulavítque cum Deo, et non appáruit : quia tulit eum Deus. Vixit quoque Mathúsala centum octogínta septem annis, et génuit Lamech. Et vixit Mathúsala postquam génuit Lamech, septingéntis octogínta duóbus annis, et génuit fílios et fílias. Et facti sunt omnes dies Mathúsala, nongénti sexagínta novem anni, et mórtuus est.

Lectio iij.

VIxit autem Lamech centum octogínta duóbus annis, et génuit fílium : vocavítque nomen ejus Noë, dicens : Iste consolábitur nos ab opéribus, et labóribus mánuum nostrárum in terra, cui maledíxit Dóminus. Vixítque Lamech, postquam génuit Noe, quingéntis nonagínta quinque annis, et génuit fílios et fílias. Et facti sunt omnes dies Lamech, septingénti septuagínta septem anni, et mórtuus est.

AD VESPERAS.

Añæ et Ps. de Off. præc.

Capit. de Psalt. 183.

℟. Benedícens ergo Deus Noe, ait : Nequáquam ultra maledícam terræ propter hómines, * Ad

imáginem quippe Dei factus est homo.

℣. Hoc erit signum fœderis inter me et terram : Arcum meum ponam in núbibus cœli. Ad imáginem.

Glória Patri. Ad.

Hymnus. O lux. ℣. Vespertína, de Psalt. 183.

Ad Magnif. Aña. Dixit Dóminus ad Noe : Finis univérsæ carnis venit coram me : fac tibi arcam de lignis lævigátis, ut salvétur univérsum semen in ea.

Oratio. Deus, qui cónspicis, ut infra ad Laudes Dom. Sexagesimæ.

DOMINICA
in Sexagesima.

AD MATUTINUM.

Invit. Veníte, exsultémus Dómino : * Jubilémus Deo salutári nostro.

Ps. Præoccupémus. 2.

Hymn. Primo diérum. 3.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Servíte, Ps. Beátus vir, cum reliq. de Psalt. 4.

De libro Génesis.

Lectio j. Cap. 5. et 6.

Noe vero cum quingentórum esset annórum, génuit Sem, Cham, et Japheth. Cumque cœpíssent hómines multiplicári super terram, et fílias procreássent, vidéntes fílii Dei fílias hóminum quod essent pulchræ, accepérunt sibi uxóres ex ómnibus, quas elégerant. Dixítque Deus : Non permanébit spíritus meus in hómine in ætérnum, quia caro est: erúntque dies illíus centum vigínti annórum. Gigántes autem erant super terram in diébus illis. Postquam enim ingréssi sunt fílii Dei ad fílias hóminum, illæque genuérunt: isti sunt poténtes a sæculo viri famósi.

℟. Noe vir justus, atque perféctus, cum Deo ambulávit : * Et fecit ómnia, quæ præcéperat illi Deus.

℣. Noe vero invénit grátiam coram Dómino. Et.

Lectio ij.

Videns autem Deus quod multa malítia hóminum esset in terra, et cuncta cogitátio cordis inténta esset ad malum omni témpore, pœnítuit eum quod hóminem fecísset in terra. Et tactus dolóre cordis intrínsecus, Delébo (inquit) hóminem, quem creávi a fácie terræ, ab hómine usque ad animántia, a réptili usque ad vólucres cœli. Pœnitet enim me fecísse eos. Noe vero invénit grátiam coram Dómino.

℟. Dixit Dóminus ad Noe : Finis univérsæ carnis venit coram me : repléta est terra iniquitáte a fácie eórum :* Et ego dispérdam eos cum terra.
℣. Fac tibi arcam de lignis lævigátis, mansiúnculas in arca fácies. Et ego.

Lectio iij.

HÆ sunt generatiónes Noe : Noe vir justus atque perféctus fuit in generatiónibus suis, cum Deo ambulávit. Et génuit tres fílios, Sem, Cham, et Japheth. Corrúpta est autem terra coram Deo, et repléta est iniquitáte. Cumque vidísset Deus terram esse corrúptam, (omnis quippe caro corrúperat viam suam super terram) dixit ad Noe : Finis univérsæ carnis venit coram me : repléta est terra iniquitáte a fácie eórum, et ego dispérdam eos cum terra. Fac tibi arcam de lignis lævigátis : mansiúnculas in arca fácies, et bitúmine línies intrínsecus et extrínsecus. Et sic fácies eam : Trecentórum cubitórum erit longitúdo arcæ, quinquagínta cubitórum latitúdo, et trigínta cubitórum altitúdo illíus.

℟. Quadragínta dies et noctes apérti sunt cœli : et ex omni carne habénte spíritum vitæ,* Ingréssi sunt in arcam : et clausit a foris óstium Dóminus.
℣. Noe vero, et fílii ejus, uxor ejus, et uxóres filiórum ejus. Ingréssi.
Glória Patri. Ingréssi.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Bonórum meórum.
Ps. Consérva me. 12.

Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi de Noe et Arca.
Cap. 4. circa med.

Lectio iv.


HAbes, quia irátus Dóminus est : quóniam quamvis cogitáret, hoc est sciret, quia homo pósitus in terræ regióne, carnem portans, sine peccáto esse non possit; (terra enim velut quidam tentatiónum locus est, caróque corruptélæ illécebra) tamen cum habérent mentem ratiónis capácem, virtutémque ánimæ infúsam córpori, sine consideratióne áliqua in lapsum ruérunt : ex quo revocáre se nollent. Neque enim Deus cógitat sicut hómines, ut áliqua ei nova succédat senténtia : neque iráscitur quasi mutábilis : sed ídeo hæc legúntur, ut exprimátur peccatórum

nostrórum acérbitas, quæ divínam merúerit offénsam : tamquam eo usque incréverit culpa, ut étiam Deus, qui naturáliter non movétur aut ira, aut ódio, aut passióne ulla, provocátus videátur ad iracúndiam.

℟. Requiévit arca mense séptimo super montes Arméniæ, * Et aquæ ibant, et decrescébant usque ad décimum mensem.

℣. Décimo enim mense, prima die mensis, cacúmina móntium apparuérunt. Et aquæ.

Lectio v.

Minitátus est prætérea, quod deléret hóminem. Ab hómine, inquit, usque ad pecus, et a reptílibus usque ad volatília delébo. Quid læserant irrationabília? Sed quia propter hóminem illa facta erant, eo útique deléto, propter quem facta sunt, cónsequens erat, ut étiam illa deleréntur, quia non erat qui his uterétur. Sensu autem altióre illud manifestátur : quia homo mens est, quæ est ratiónis capax : homo enim definítur, ánimal vivum, mortále, rationábile. Principáli ígitur exstíncto, étiam sensus omnis exstínguitur : eo quod nihil réliqui ad salútem supérsit, cum salútis fundaméntum virtus deféécerit.

℟. Volens Noe scire, si jam cessássent aquæ, emísit colúmbam, quæ ramum viréntis olívæ in ore suo déferens, * Ad arcam revérsa est.

℣. Déferens autem signum cleméntiæ Dei colúmba in ore suo. Ad arcam.

Lectio vj.

Ad condemnatiónem autem ceterórum, et ad expressiónem pietátis divínæ, dícitur Noe apud Deum grátiam invenísse. Simul osténditur, quod hóminem justum non obúmbret aliórum offénsio, quando ipse ad totíus géneris reservátur seminárium. Qui non generatiónis nobilitáte, sed justítiæ et perfectiónis mérito laudátur. Probáti enim viri genus, virtútis prosápia est : quia sicut hóminum genus, hómines; ita animárum genus, virtútes sunt. Etenim famíliæ hóminum splendóre géneris nobilitántur : animárum autem clarificátur grátia splendóre virtútis.

℟. Ædificávit Noe altáre Dómino, ófferens super

illud holocáustum : Odoratúsque est Dóminus odórem suavitátis, et benedíxit ei, dicens : * Créscite, et multiplicámini, et repléte terram.

℣. Ecce ego státuam pactum meum vobíscum, et cum sémine vestro post vos. Créscite.

Glória Patri. Créscite.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Non sunt loquélæ.
Ps. Cœli enárrant. 17.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 8.

In illo témpore : Cum turba plúrima convenírent, et de civitátibus properárent ad Jesum, dixit per similitúdinem : Exiit qui séminat, semináre semen suum. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homilia 15. in Evang.

Léctio sancti Evangélii, quam modo, fratres caríssimi, audístis, expositióne non índiget, sed admonitióne. Quam enim per semetípsam Véritas expósuit, hanc discútere humána fragílitas non præsúmat. Sed est quod sollícite in hac ipsa expositióne Domínica pensáre debeámus : quia si nos vobis semen verbum, agrum mundum, vólucres dæmónia, spinas divítias significáre dicerémus, ad credéndum nobis mens fórsitan vestra dubitáret. Unde et idem Dóminus per semetípsum dignátus est expónere quod dicébat; ut sciátis rerum significatiónes quærere in iis étiam, quæ per semetípsum nóluit explanáre.

℟. Ponam arcum meum in núbibus cœli, dixit Dóminus ad Noe. * Et recordábor fœderis mei, quod pépigi tecum.

℣. Cumque obdúxero núbibus cœlum, apparébit arcus meus in núbibus. Et recordábor.

Lectio viij.

Exponéndo ergo quod dixit, figuráte se loqui innótuit : quátenus certos nos rédderet, cum vobis nostra fragílitas verbórum illíus figúras aperíret. Quis enim mihi unquam créderet, si spinas divítias interpretári voluíssem? máxime cum illæ pungant, istæ deléctent. Et tamen spinæ sunt, quia cogitatiónum suárum punctiónibus mentem lácerant : et cum usque ad peccátum pértrahunt, qua-

si inflícto vúlnere cruéntant. Quas bene hoc in loco, álio Evangelísta testánte, nequáquam Dóminus divítias, sed falláces divítias appéllat.

℟. Per memetípsum jurávi, dicit Dóminus : Non adjíciam ultra aquas dilúvii super terram : pacti mei recordábor, * Ut non perdam aquis dilúvii omnem carnem.

℣. Arcum meum ponam in núbibus, et erit signum fœderis inter me, et inter terram. Ut non perdam.

Lectio ix.

FAlláces enim sunt, quæ nobíscum diu permanére non possunt : falláces sunt, quæ mentis nostræ inópiam non expéllunt. Solæ autem divítiæ veræ sunt, quæ nos dívites virtútibus fáciunt. Si ergo, fratres caríssimi, esse dívites cúpitis, veras divítias amáte. Si culmen veri honóris quæritis, ad cœléste regnum téndite. Si glóriam dignitátum dilígitis, in illa supérna Angelórum cúria adscríbi festináte. Verba Dómini, quæ aure percípitis, mente retinéte. Cibus enim mentis est sermo Dei : et quasi accéptus cibus stómacho languénte rejícitur, quando audítus sermo, in ventre memóriæ non tenétur. Sed quisquis aliménta non rétinet, hujus proféćto vita desperátur.

℟. Benedícens ergo Deus Noe, ait : Nequáquam ultra maledícam terræ propter hómines. * Ad imáginem quippe Dei factus est homo.

℣. Hoc erit signum fœderis inter me, et terram : Arcum meum ponam in núbibus cœli. Ad imáginem.

Glória Patri. Ad.

℟. Benedícens.

Sacerdotalis ℣. Excélsus super omnes Gentes Dóminus. ℟. Et super cœlos glória ejus.

AD LAUDES

Antiphona.

AVérte Dómine fáciem tuam a peccátis meis : et omnes iniquitátes meas dele.

Ps. Miserére mei. 42.

Aña. Fortitúdo mea, et laus mea Dóminus : et factus est mihi in salútem.

Ps. Confitémini. 131.

Aña. In matutínis Dómine meditábor in te : quia factus es adjútor meus.

Ps. Deus, Deus meus. 22.

Aña. Benedicámus Patrem, et Fílium in sculaæ cum sancto Spíritu.

Cant. Benedícite. 23.

Aña. Júvenes et vírgines, senes cum junióribus laudent nomen Dómini.

Psalm. Laudáte Dóminum. 24.

Capit. Benedíctio. 25.

Hymnus. Ætérne rerum.

℣. Dómine refúgium. ut in Psalt. 26.

Ad Bened. Aña. Cum turba plúrima convenírent, et de civitátibus properárent ad Jesum, dixit per similitúdinem : Exiit qui séminat, semináre semen suum. Oratio.

DEus, qui cónspicis, quia ex nulla nostra actióne confídimus : concéde propítius; ut contra advérsa ómnia, Doctóris Géntium protectióne muniámur. Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Aña. Semen cécidit in terram bonam, et áttulit fructum áliud centésimum, et áliud sexagésimum.

Ps. Deus Deus meus. 126.

AD TERTIAM.

Aña. Jesus hæc dicens clamábat : Qui habet aures audiéndi, áudiat.

Capit. Sana me.

℟. Adjútor, ut in Psalterio. 146.

AD SEXTAM.

Aña. Vobis datum est nosse mystérium regni Dei, céteris autem in parábolis, dixit Jesus discípulis suis.

Capit. Omnia autem.

℟. Ab occúltis, ut in Psalt. 151.

AD NONAM.

Aña. Semen est Verbum Dei : sator autem Christus; quia omnis, qui audit eum, manébit in ætérnum.

Capit. Empti enim. 156.

℟. Spes mea, ut in Psalterio. 157.

AD VESPERAS.

Añæ, Ps. Capit. Hymn. et ℣. de Dominica, ut in Psalt. 159.

Ad Magnif. Aña. Qui Verbum Dei rétinent in corde bono et óptimo, fructum ásferunt in patiéntia.

PER HEBDOMADAM quando de Tempore agitur, ad Matutinum, et ad omnes alias Horas, omnia ut in Psalt. exceptis hic de proprio signatis, cum Orat. Deus, qui cónspicis, de Dom. præcedenti.

Ad Bened. Aña. Semen cécidit in terram bonam, et áttulit fructum in patiéntia.

Ad Magnif. Aña. Quod

autem cécidit in terram bonam : hi sunt, qui in corde bono et óptimo audiéntes verbum rétinent, et fructum áfferunt in patiéntia.

FERIA SECUNDA.

De libro Génesis.

Lectio j. Cap. 7.

DIxit Dóminus ad Noe : Ingrédere tu, et omnis domus tua in arcam : te enim vidi justum coram me in generatióne hac. Ex ómnibus animántibus mundis tolles septéna, et septéna, másculum et féminam : de animántibus vero immúndis duo, et duo, másculum et féminam. Sed et de volatílibus cœli septéna, et septéna, másculum et féminam : ut salvétur semen super fáciem univérsæ terræ. Adhuc enim et post dies septem ego pluam super terram quadragínta diébus et quadragínta nóctibus : et delébo omnem substántiam, quam feci, de superfície terræ.

℟. Noe, de j. Noct. Dominicæ præced. 423.



Lectio ij.

FEcit ergo Noe ómnia, quæ mandáverat ei Dóminus. Cumque transíssent septem dies, aquæ dilúvii inundavérunt super terram. Anno sexcentésimo vitæ Noe, mense secúndo, septimodécimo die mensis, rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, et cataráctæ cœli apértæ sunt : et facta est plúvia super terram quadragínta diébus et quadragínta nóctibus.

Lectio iij.

IN artículo diéi illíus ingréssus est Noe, et Sem, et Cham, et Japheth fílii ejus; uxor illíus, et tres uxóres filiórum ejus cum eis in arcam; ipsi et omne ánimal secúndum genus suum, univérsaque juménta in génere suo, et omne quod movétur super terram in génere suo, cunctúmque volátile secúndum genus suum. Factúmque est dilúvium quadragínta diébus super terram : et multiplicátæ sunt aquæ : et elevavérunt arcam in sublíme a terra.

FERIA TERTIA.

De libro Génesis.

Lectio j. Cap. 8.

REcordátus autem Deus Noe cunctorúmque animántium et ómnium jumentórum, quæ erant cum eo in

arca, addúxit spíritum super terram, et imminútæ sunt aquæ. Et clausi sunt fontes abyssi, et cataráctæ cœli : et prohíbitæ sunt plúviæ de cœlo. Reversæque sunt aquæ de terra eúntes, et redeúntes : et cœpérunt mínui post centum quinquagínta dies. Requievítque arca mense séptimo, vigésimo séptimo die mensis super montes Arméniæ. ℟. Requiévit, de ij. Noct. Dom. præc. 425.

Lectio ij.

At vero aquæ ibant, et decrescébant usque ad décimum mensem : décimo enim mense, prima die mensis, apparuérunt cacúmina móntium. Cumque transíssent quadragínta dies, apériens Noe fenéstram arcæ, quam fécerat, dimísit corvum : qui egrediebátur, et non revertebátur, donec siccaréntur aquæ super terram. Emísit quoque colúmbam post eum, ut vidéret si jam cessássent aquæ super fáciem terræ. Quæ cum non invenísset ubi requiésceret pes ejus, revérsa est ad eum in arcam

Lectio iij.

Exspectátis autem ultra septem diébus áliis, rursum dimísit colúmbam ex arca. At illa venit ad eum ad vésperam, portans ramum olívæ, viréntibus fóliis in ore suo. Intelléxit ergo Noe, quod cessássent aquæ super terram. Exspectavítque nihilóminus septem álios dies : et emísit colúmbam, quæ non est revérsa ultra ad eum. Igitur sexcentésimo primo anno, primo mense, prima die mensis imminútæ sunt aquæ super terram.

FERIA QUARTA.

De libro Génesis.

Lectio j. Cap. 8.



Locútus est autem Deus ad Noe, dicens : Egrédere de arca, tu et uxor tua, fílii tui, et uxóres filiórum tuórum tecum. Cuncta animántia, quæ sunt apud te, ex omni carne, tam in volatílibus, quam in béstiis, et univérsis reptílibus, quæ reptant super terram, educ tecum, et ingredímini super terram : créscite, et multiplicámini super eam. Egréssus est ergo Noe, et fílii ejus, uxor illíus, et uxóres filiórum ejus cum eo. Sed et ómnia animántia, juménta, et reptília, quæ reptant super terram secúndum genus

suum, egréssa sunt de arca.

℞. Ponam arcum, de iij. Noct. Dom. præc. 426.

Lectio ij.

Edificávit autem Noe altáre Dómino : et tollens de cunctis pecóribus et volúcribus mundis, óbtulit holocáusta super altáre. Odoratúsque est Dóminus odórem suavitátis, et ait : Nequáquam ultra maledícam terræ propter hómines : sensus enim, et cogitátio humáni cordis in malum prona sunt ab adolescéntia sua : non ígitur ultra percútiam omnem ánimam vivéntem, sicut feci. Cunctis diébus terræ, seméntis et messis, frigus et æstus, æstas et hiems, nox et dies non requiéscent.

Lectio iij. Cap. 9.

Benedixítque Deus Noe, et fíliis ejus. Et dixit ad eos; Créscite, et multiplicámini, et repléte terram. Et terror vester ac tremor sit super cuncta animália terræ, et super omnes vólucres cœli, cum univérsis, quæ movéntur super terram; omnes pisces maris mánui vestræ tráditi sunt. Et omne, quod movétur, et vivit, erit vobis in cibum : quasi ólera viréntia trádidi vobis ómnia. Excépto, quod carnem cum sánguine non comedétis. Sánguinem enim animárum vestrárum requíram de manu cunctárum bestiárum; et de manu hóminis, de manu viri, et fratris ejus requíram ánimam hóminis. Quicúmque effúderit humánum sánguinem, fundétur sanguis illíus : ad imáginem quippe Dei factus est homo.

FERIA QUINTA.

De libro Génesis.

Lectio j. Cap. 9.

Dixítque Deus : Hoc signum fœderis, quod do inter me et vos, et ad omnem ánimam vivéntem, quæ est vobíscum in generatiónes sempitérnas : Arcum meum ponam in núbibus, et erit signum fœderis inter me et inter terram. Cumque obdúxero núbibus cœlum, apparébit arcus meus in núbibus : et recordábor fœderis mei vobíscum, et cum omni ánima vivénte, quæ carnem végetat : et non erunt ultra aquæ dilúvii ad deléndum univérsam carnem.

℞. Noe vir, de j. Noct. Dom. præced. 423.

Lectio ij.

Cœpítque Noe vir agrícola exercére terram, et plantávit víneam. Bibénsque vinum inebriátus est, et nudátus in tabernáculo suo. Quod cum vidísset Cham pater Chánaan, verénda scílicet patris sui esse nudáta, nuntiávit duóbus frátribus suis foras. At vero Sem, et Japheth pállium imposuérunt húmeris suis, et incedéntes retrórsum, operuérunt verénda patris sui : faciésque eórum avérsæ erant, et patris virília non vidérunt.

Lectio iij.

Evígilans autem Noe ex vino, cum didicísset, quæ fécerat ei fílius suus minor, ait : Maledíctus Chánaan, servus servórum erit frátribus suis. Dixítque : Benedíctus Dóminus Deus Sem, sit Chánaan servus ejus. Dilátet Deus Japheth, et hábitet in tabernáculis Sem, sitque Chánaan servus ejus. Vixit autem Noe post dilúvium trecéntis quinquagínta annis. Et impléti sunt omnes dies ejus nongentórum quinquagínta annórum, et mórtuus est.

FERIA SEXTA.

De libro Génesis.

Lectio j. Cap. 10.

HÆ sunt generatiónes filiórum Noe, Sem, Cham, et Japheth : natíque sunt eis fílii post dilúvium. Fílii Japheth : Gomer, et Magog, et Mádai, et Javan, et Thubal, et Mosoch, et Thiras. Porro filii Gomer : Ascenez, et Riphat, et Thogórma. Fílii autem Javan : Elísa, et Tharsis, Cetthim, et Dódanim. Ab his divísæ sunt ínsulæ Géntium in regiónibus suis, unusquísque secúndum linguam suam, et famílias suas in natiónibus suis. Fílii autem Cham : Chus, et Mésraim, et Phuth, et Chánaan.

℟. Requiévit, de ij. Noct. Dom. præced. 425.

Lectio ij. Cap. 11.

ERat autem terra lábii uníus, et sermónum eorúmdem. Cumque proficisceréntur de Oriénte, invenérunt campum in terra Sénnaar, et habitavérunt in eo. Dixítque alter ad próximum suum : Veníte, faciámus láteres, et coquámus eos igni. Habuerúntque láteres pro saxis, et bitúmen pro cæménto, et dixérunt : Ve-

níte, faciámus nobis civitátem, et turrim, cujus culmen pertíngat ad cœlum : et celebrémus nomen nostrum ántequam dividámur in univérsas terras.

Lectio iij.

DEscéndit autem Dóminus, ut vidéret civitátem, et turrim, quam ædificábant fílii Adam, et dixit : Ecce, unus est pópulus, et unum lábium ómnibus : cœperúntque hoc fácere, nec desístent a cogitatiónibus suis, donec eas ópere cómpleant. Veníte ígitur, descendámus, et confundámus ibi linguam eórum, ut non áudiat unusquísque vocem próximi sui. Atque ita divísit eos Dóminus ex illo loco in univérsas terras, et cessavérunt ædificáre civitátem.

SABBATO.

De libro Génesis.

Lectio j. Cap. 11.

HÆ sunt generatiónes Sem : Sem erat centum annórum, quando génuit Arpháxad, biénnio post dilúvium. Vixítque Sem, postquam génuit Arpháxad, quingéntis annis : et génuit fílios, et fílias. Porro Arpháxad vixit trigínta quinque annis, et génuit Sale. Vixítque Arpháxad, postquam génuit Sale, trecéntis tribus annis : et génuit fílios, et fílias. Sale quoque vixit trigínta annis, et génuit Heber. Vixítque Sale, postquam génuit Heber, quadringéntis tribus annis, et génuit fílios, et fílias. ℟. Ponam arcum, de iij. Noct. Dom. præc. 426.

Lectio ij.

VIxit autem Heber trigínta quátuor annis, et génuit Phaleg. Et vixit Heber, postquam génuit Phaleg, quadringéntis trigínta annis : et génuit fílios, et fílias. Vixit quoque Phaleg trigínta annis, et génuit Reu. Vixítque Phaleg, postquam génuit Reu, ducéntis novem annis : et génuit fílios, et fílias. Vixit autem Reu trigínta duóbus annis, et génuit Sarug. Vixit quoque Reu, postquam génuit Sarug, ducéntis septem annis : et génuit fílios, et fílias. Vixit vero Sarug trigínta annis, et génuit Nachor. Vixítque Sarug, postquam génuit Nachor, ducéntis annis : et génuit fílios, et fílias.

Lectio iij.

VIxit autem Nachor vigínti novem annis, et génuit Thare. Vixítque

Nachor, postquam génuit Thare, centum decem et novem annis : et génuit fílios, et fílias. Vixítque Thare septuagínta annis, et génuit Abram, et Nachor, et Aran. Hæ sunt autem generatiónes Thare : Thare génuit Abram, Nachor, et Aran. Porro Aran génuit Lot. Mortuúsque est Aran ante Thare patrem suum, in terra nativitátis suæ in Ur Chaldæórum. Duxérunt autem Abram, et Nachor uxóres : nomen uxóris Abram, Sárai; et nomen uxóris Nachor, Melcha fília Aran patris Melchæ, et patris Jeschæ. Erat autem Sárai stérilis, nec habébat líberos.

AD VESPERAS.

Añæ et Ps. de Off. præc. Cap. ut in Psalt. 183.

℟. Dum staret Abraham ad radícem Mambre, vidit tres púeros descendéntes per viam : * Tres vidit, et unum adorávit.

℣. Tunc quippe vidit Abraham diem Dómini, cum in figúra summæ Trinitátis tres Angelos hospítio suscépit. Tres vidit.

Glória Patri. Tres vidit.

Hymn. O lux beáta.

℣. Vespertína, ut in Psalt. 183.

Ad Magnificat, Aña. Pater fídei nostræ Abraham summus, óbtulit holocáustum super altáre pro fílio.

Oratio. Preces nostras, ut infra ad Laudes Dom.

DOMINICA
in Quinquagesima.

AD MATUTINUM.

Invitat. Veníte, exsultémus Dómino : * Jubilémus Deo salutári nostro.

Ps. Præoccupémus. 2.

Hymnus. Primo. 3.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Servíte.

Ps. Beátus vir, cum reliquis ut in Psalt. 4.

De libro Génesis.

Lectio j. Cap. 12.

Ixit autem Dóminus ad Abram : Egrédere de terra tua, et de cognatióne tua, et de domo patris tui, et veni in terram, quam monstrábo tibi. Faciámque te in Gentem magnam, et benedícam tibi, et magnificábo nomen tuum, erísque benedíctus : Benedícam benedicéntibus tibi, et maledícam maledicéntibus tibi, atque in te benedicéntur univérsæ cognatiónes terræ. Egréssus est ítaque Abram sicut præcéperat ei Dóminus, et ivit cum eo Lot : septuagínta quinque annó-

rum erat Abram, cum egrederétur de Haran. Tulítque Sárai uxórem suam, et Lot fílium fratris sui, universámque substántiam, quam possséderant, et ánimas, quas fécerant in Haran : et egréssi sunt, ut irent in terram Chánaan. Cumque veníssent in eam, pertransívit Abram terram usque ad locum Sichem, usque ad convállem illústrem : Chananæus autem tunc erat in terra.

℟. Locútus est Dóminus ad Abram, dicens : Egrédere de terra tua, et de cognatióne tua, et veni in terram, quam monstrábo tibi : * Faciámque te créscere in Gentem magnam.

℣. Benedícens benedícam tibi, et multiplicábo te. Fáciamque.

Lectio ij.

Appáruit autem Dóminus Abram, et dixit ei : Sémini tuo dabo terram hanc. Qui ædificávit ibi altáre Dómino, qui apparúerat ei. Et inde transgrédiens ad montem, qui erat contra Oriéntem Bethel, teténdit ibi tabernáculum suum, ab Occidénte habens Bethel, et ab Oriénte Hai : ædificávit quoque ibi altáre Dómino, et invocávit nomen ejus. Perrexítque Abram vadens, et ultra progrédiens ad merídiem. Facta est autem fames in terra : descendítque Abram in Ægyptum, ut peregrinarétur ibi : prævalúerat enim fames in terra. Cumque prope esset, ut ingrederétur Ægyptum, dixit Sárai uxóri suæ : Novi quod pulchra sis múlier : et quod cum víderint te Ægyptii, dictúri sunt : Uxor ipsíus est : et interfícient me, et te reservábunt. Dic ergo, óbsecro te, quod soror mea sis : ut bene sit mihi propter te, et vivat ánima mea ob grátiam tui.

℟. Reverténti Abram a cæde quátuor regum, occúrrit ei rex Salem Melchísedech, próferens panem et vinum : erat enim Sacérdos Dei altíssimi : * Et benedíxit ei.

℣. Benedíctus Abram Deo excélso, qui creávit cœlum, et terram. Et.

Lectio iij.

Cum ítaque ingréssus esset Abram Ægyptum, vidérunt Ægyptii mulíerem, quod esset pulchra nimis. Et nuntiavérunt príncipes Pharaóni, et laudavérunt eam apud illum : et subláta est mú-

lier in domum Pharaónis. Abram vero bene usi sunt propter illam. Fuerúntque ei oves et boves, et ásini, et servi, et fámulæ, et ásinæ, et caméli. Flagellávit autem Dóminus Pharaónem plagis máximis, et domum ejus propter Sárai uxórem Abram. Vocavítque Phárao Abram, et dixit ei : Quidnam est hoc, quod fecísti mihi? quare non indicásti, quod uxor tua esset? Quam ob causam dixísti esse sorórem tuam, ut tóllerem eam mihi in uxórem? Nunc ígitur ecce cónjux tua, áccipe eam, et vade.

℞. Edúxit Dóminus Abram foras, et ait illi : * Súspice cœlum, et númera stellas, si potes : sic erit semen tuum.

℣. Crédidit Abram Deo, et reputátum est illi ad justítiam. Súspice.

Glória Patri. Súspice.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Bonórum meórum.

Ps. Consérva me. 12.

Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi de Abraham Patriárcha.

Lectio iv. Lib. 1. cap. 2.


Magnus plane vir Abraham, et multárum virtútum clarus insígnibus, quem votis suis Philosophía non pótuit æquáre : dénique minus est, quod illa finxit, quam quod iste gessit : majórque ambitióso eloquéntiæ mendácio simplex veritátis fides. Itaque cujúsmodi fúerit in eo viro devótio, considerémus. Ea enim virtus órdine prima est, quæ est fundaméntum ceterárum : meritóque hanc ab eo primam exégit Deus, dicens : Exi de terra tua, et de cognatióne tua, et de domo patris tui. Satis fúerat dixísse, de terra tua : ibi enim erat exíre de cognatióne, exíre de patérna domo.

℞. Dixit autem Dóminus ad Abram : Ego sum, et pactum meum tecum : sanctificétur in vobis omne masculínum : * Et erit signum inter me, et semen tuum.

℣. Ex te namque egrediétur, in quo omnes Gentes benedicéntur. Et erit.

Lectio v.

Sed ídeo áddidit síngula, ut ejus afféctum probáret : ne forte aut imprudénter cœpísse viderétur, aut fraus áliqua mandátis cœléstibus pararétur. Sed sicut coacervánda fuérunt præcépta, ne quid latéret; ita étiam

proponénda præmia, ne forte desperáret. Tentátur ut fortis, incitátur ut fidélis, provocátur ut justus : meritóque exívit, quemádmodum locútus est illi Dóminus : et exívit cum eo Lot. Hoc autem, quod pro magno inter septem sapiéntum dicta celebrátur : Séquere Deum.

℟. Dum staret Abraham ad rádicem Mambre, vidit tres púeros descendéntes per viam : * Tres vidit, et unum adorávit.

℣. Tunc quippe vidit Abraham diem Dómini, cum in figúra summæ Trinitátis tres Angelos hospítio suscépit. Tres.

Lectio vj.

FActo prævénit Abraham dicta sapiéntum, et secútus Deum exívit de terra sua. Sed quia ante terra ei fúerat ália, hoc est, régio Chaldæórum, de qua exívit Thare pater Abrahæ, et in Charran demigrávit : et quia secum edúxit nepótem suum, cui dictum fúerat : Exi de cognatióne tua : considerémus ne forte hoc sit exíre de terra sua, de hujus terræ hoc est, córporis nostri quadam commoratióne égredi, de qua exívit Paulus, qui dixit : Nostra autem conversátio in cœlis est.

℟. Ascéndens ergo Deus ab Abraham pluit ignem, et sulphur super Sódomam : * Abraham mane consúrgens, stetit : et evérsas urbes a longe conspéxit.

℣. Recordátus est Deus Abrahæ, et liberávit Lot de subversióne Sódomæ. Abraham.

Glória Patri. Abraham.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Non sunt loquélæ.
Ps. Cœli enárrant. 17.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 18.

IN illo témpore : Assúmpsit Jesus duódecim, et ait illis : Ecce ascéndimus Jerosólymam, et consummabúntur ómnia, quæ scripta sunt per Prophétas de Fílio hóminis. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homilia 2. in Evang.

REdémptor noster prævidens ex passióne sua discipulórum ánimos perturbándos, eis longe ante et ejúsdem passiónis pœnam, et resurrectiónis suæ glóriam prædíxit : ut cum eum moriéntem, sicut prædí-

ctum est, cérnerent, étiam resurrectúrum non dubitárent. Sed quia carnáles adhuc discípuli nullo modo valébant cápere verba mystérii, venítur ad miráculum. Ante eórum óculos cæcus lumen recépit : ut qui cœléstis mystérii verba non cáperent, eos ad fidem cœléstia facta solidárent.

℟. Tentávit Deus Abraham, et dixit ad eum : * Tolle fílium tuum, quem díligis, Isaac : et ófferes illum ibi in holocáustum super unum móntium, quem monstrávero tibi.

℣. Vocátus quoque a Dómino, respóndit : Adsum : et ait ei Dóminus. Tolle.

Lectio viij.

SEd mirácula Dómini et Salvatóris nostri sic accipiénda sunt, fratres caríssimi, ut et in veritáte credántur facta, et tamen per significatiónem nobis áliquid ínnuant. Opera quippe ejus et per poténtiam áliud osténdunt, et per mystérium áliud loquúntur. Ecce enim, quis juxta históriam cæcus iste fúerit, ignorámus : sed tamen quid per mystérium signíficet, nóvimus. Cæcum quippe est genus humánum, quod in parénte primo a paradísi gáudiis expúlsum, claritátem supérnæ lucis ignórans, damnatiónis suæ ténebras pátitur. Sed tamen per Redemptóris sui præséntiam illuminátur : ut intérnæ lucis gáudia jam per desidérium vídeat, atque in via vitæ boni óperis gressus ponat.

℟. Angelus Dómini vocávit Abraham, dicens : * Non exténdas manum tuam super púerum : eo quod tímeas Dóminum.

℣. Cumque extendísset manum, ut immoláret fílium, ecce Angelus Dómini de cœlo clamávit, dicens. Non.

Lectio ix.

NOtándum vero est, quod cum Jesus Jéricho appropinquáre dícitur, cæcus illuminátur. Jéricho quippe luna interpretátur : luna autem in sacro elóquio pro deféctu carnis pónitur : quia dum ménstruis moméntis decréscit, deféctum nostræ mortalitátis desígnat. Dum ígitur Cónditor noster appropínquat Jéricho, cæcus ad lumen redit : quia dum divínitas deféctum nostræ carnis suscépit, humánum genus lu-

men, quod amíserat, recépit. Unde enim Deus humána pátitur, inde homo ad divína sublevátur. Qui vidélicet cæcus recte, et juxta viam sedére, et mendícans esse descríbitur. Ipsa enim Véritas dicit : Ego sum via.

℟. Cæcus sedébat secus viam, transeúnte Dómino, et clamávit ad eum : et ait illi Dóminus : Quid vis ut fáciam tibi? * Rabbóni, ut vídeam lumen.

℣. Et qui præíbant, increpábant eum, ut tacéret. At ille magis clamábat. Rabbóni.

Glória Patri. Rabbóni.

℟. Cæcus sedébat.

Sacerd. ℣. Excélsus super omnes Gentes Dóminus.

℟. Et super cœlos glória ejus.

AD LAUDES.

Antiphona.

SEcúndum multitúdinem miseratiónum tuárum Dómine, dele iniquitátem meam.

Ps. Miserére. 42.

Aña. Deus meus es tu, et confitébor tibi : Deus meus es tu, et exaltábo te.

Ps. Confitémini. 131.

Aña. Ad te de luce vígilo Deus, ut vídeam virtútem tuam.

Ps. Deus Deus meus. 22.

Aña. Hymnum dícite, et superexaltáte eum in sæcula.

Cant. Benedícite. 23.

Aña. Omnes Angeli ejus laudáte Dóminum de cœlis.

Psalm. Laudáte Dóminum. 24.

Capit. Benedíctio. 25.

Hymn. Ætérne.

℣. Dómine refúgium, ut in Psalt. 26.

Ad Benedictus, Aña. Ecce ascéndimus Jerosólymam, et consummabúntur ómnia, quæ scripta sunt de Fílio hóminis : tradétur enim Géntibus, et illudétur, et flagellábitur, et conspuétur : et postquam flagelláverint, occídent eum, et tértia die resúrget.

Oratio.

PReces nostras, quæsumus Dómine, cleménter exáudi : atque a peccatórum nostrórum vínculis absolútos, ab omni nos adversitáte custódi. Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Aña. Tradétur enim Géntibus ad illudéndum, et flagellándum, et crucifigéndum.

Psalmus. Deus Deus meus. 126.

AD TERTIAM.

Aña. Cæcus sedébat secus viam, et clamábat : Miserére mei Fili David.

Capit. Sana me.

℞. Adjútor, ut in Psalterio. 146.

AD SEXTAM.

Aña. Et qui præíbant, increpábant eum ut tacéret : Ipse vero multo magis clamábat : Miserére mei, Fili David.

Capit. Omnia autem. 151.

℞. Ab occúltis, ut in Psalt.

AD NONAM.

Aña. Miserére mei Fili David. Quid vis, ut fáciam tibi? Dómine, ut vídeam lumen.

Capit. Empti enim.

℞. Spes mea, ut in Psalterio. 157.

AD VESPERAS.

Añæ, Psalmi, Capitul. Hymnus et ℣. de Dom. ut in Psalt. 159.

Ad Magnificat, Aña. Stans autem Jesus jussit cæcum addúci ad se, et ait illi : Quid vis ut fáciam tibi? Dómine, ut vídeam. Et Jesus ait illi : Réspice, fides tua te salvum fecit. Et conféstim vidit, et sequebátur illum, magníficans Deum.

Feria ij. et iij. si fiat de Tempore, omnia ut in Psalt. exceptis, quæ hic de proprio signantur, cum Orat. Preces, de Domin. præcedenti.

Ad Benedíctus, Aña. Cæcus magis ac magis clamábat, ut eum Dóminus illumináret.

Ad Magnificat, Aña. Omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.

FERIA SECUNDA.

De libro Génesis.

Lectio j. Cap. 13.



Scéndit ergo Abram de Ægypto, ipse et uxor ejus, et ómnia, quæ habébat, et Lot cum eo, ad austrálem plagam. Erat autem dives valde in possessióne auri, et argénti. Reversúsque est per iter, quo vénerat, a merídie in Bethel usque ad locum, ubi prius fíxerat tabernáculum inter Bethel, et Hai : in loco altáris quod fécerat prius, et invocávit ibi nomen Dómini. Sed et Lot, qui erat cum Abram, fuérunt greges óvium, et arménta, et tabernácula. Nec póterat eos cápere terra, ut habitárent simul: erat quippe substántia eórum multa, et nequíbant habitáre commúniter.

℞. Locútus, de j. Noct. Dom. præced. 435.

Lectio ij.

UNde et facta est rixa inter pastóres gregum Abram, et Lot. Eo autem témpore Chananæus, et Pherezæus habitábant in terra illa. Dixit ergo Abram ad Lot : Ne quæso sit júrgium inter me, et te : et inter pastóres meos, et pastóres tuos; fratres enim sumus. Ecce univérsa terra coram te est : recéde a me, óbsecro : si ad sinístram íeris, ego déxteram tenébo : si tu déxteram elégeris, ego ad sinístram pergam. Elevátis ítaque Lot óculis, vidit omnem circa regiónem Jordánis, quæ univérsa irrigabátur, ántequam subvérteret Dóminus Sódomam, et Gomórrham, sicut paradísus Dómini, et sicut Ægyptus veniéntibus in Segor. Elegítque sibi Lot regiónem circa Jordánem, et recéssit ab Oriénte.

Lectio iij.

DIvisíque sunt altérutrum a fratre suo. Abram habitávit in terra Chánaan. Lot vero morátus est in óppidis, quæ erant circa Jordánem, et habitávit in Sódomis. Hómines autem Sodomítæ péssimi erant, et peccatóres coram Dómino nimis. Dixítque Dóminus ad Abram, postquam divísus est ab eo Lot : Leva óculos tuos, et vide a loco in quo nunc es, ad Aquilónem, et Merídiem, ad Oriéntem, et Occidéntem. Omnem terram, quam cónspicis, tibi dabo, et sémini tuo usque in sempitérnum. Faciámque semen tuum sicut púlverem terræ.

FERIA TERTIA.

De libro Génesis.

Lectio j. Cap. 14.


ET egréssi sunt rex Sodomórum et rex Gomórrhæ, rexque Adamæ, et rex Séboim, necnon et rex Balæ, quæ est Segor : et direxérunt áciem contra eos in valle Silvéstri : scílicet advérsus Chodorlahómor regem Elamitárum, et Thadal regem Géntium, et Amraphel regem Sénnaar, et Arioch regem Ponti : quátuor reges advérsus quinque. Vallis autem Silvéstris habébat púteos multos bitúminis. Itaque rex Sodomórum, et Gomórrhæ terga vertérunt, cecideríntque ibi : et qui remánserant, fugérunt ad montem. Tulérunt autem omnem substántiam Sodo-

mórum, et Gomórrhæ, et univérsa quæ ad cibum pértinent, et abiérunt; necnon et Lot, et substántiam ejus, fílium fratris Abram, qui habitábat in Sódomis.

℟. Dixit autem, de ij. Nocturno Dom. præc. 436.

Lectio ij.

Et ecce unus, qui eváserat, nuntiávit Abram Hebræo, qui habitábat in conválle Mambre Amorrhæi fratris Escol, et fratris Aner : hi enim pepígerant fœdus cum Abram. Quod cum audísset Abram, captum vidélicet Lot fratrem suum, numerávit expedítos vernáculos suos trecéntos decem et octo : et persecútus est usque Dan. Et divísis sóciis írruit super eos nocte : percussítque eos, et persecútus est eos usque Hoba, quæ est ad lævam Damásci. Reduxítque omnem substántiam, et Lot fratrem suum cum substántia illíus : mulíeres quoque, et pópulum.

Lectio iij.

Egréssus est autem rex Sodomórum in occúrsum ejus, postquam revérsus est a cæde Chodorlahómor, et regum, qui cum eo erant in valle Save, quæ est vallis regis. At vero Melchísedech rex Salem, próferens panem et vinum; erat enim sacérdos Dei Altíssimi, benedíxit ei, et ait : Benedíctus Abram Deo excélso, qui creávit cœlum et terram : et benedíctus Deus excélsus, quo protegénte, hostes in mánibus tuis sunt. Et dedit ei décimas ex ómnibus.

FERIA QUARTA CINERUM.

Per totam Quadrages. in feriali Officio Fer. ij. dicitur primus Nocturnus et Laudes Officii Defunctorum : Feria iv. Psalmi Graduales : Feria vj. Septem Psalmi Pœnitentiales cum Litaniis, prætérquam in Feriis majoris Hebdomadæ.

Hodie dic. Ps. Grad.

AD MATUTINUM.

Omnia ut in Feria iv. de Psalt. 60. exceptis hic signatis.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio j. Cap. 6.

In illo témpore : Docébat Jesus discípulos suos, dicens : Cum jejunátis, nolíte fíeri sicut hypócritæ, tristes. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Lib. 2. de Serm. Dom. in monte, cap. 12.

Maniféstum est his præcéptis omnem nostram intentiónem in interióra gáudia dírigi : ne foris quæréntes mercédem, huic sæculo conformémur, et amittámus promissiónem tanto solidióris, atque firmióris, quanto interióris beatitúdinis, qua nos elégit Deus confórmes fíeri imáginis Fílii sui. In hoc autem capítulo máxime adverténdum est, non in solo rerum corporeárum nitóre atque pompa, sed étiam in ipsis sórdibus luctuósis esse posse jactántiam : et eo periculosiórem, quo sub nómine servitútis Dei décipit.

℟. Ne perdíderis. 70.

Lectio ij.

Qui ergo immoderáto cultu córporis, atque vestítu, vel ceterárum rerum nitóre præfúlget, fácile convíncitur rebus ipsis, pompárum sæculi esse sectátor : nec quemquam fallit dolósa imágine sanctitátis. Qui autem in professióne Christianitátis, inusitáto squalóre ac sórdibus inténtos in se óculos hóminum facit, cum id voluntáte fáciat, non necessitáte patiátur, ex céteris ejus opéribus potest cónjici, utrum hoc contémptu supérflui cultus, an ambitióne áliqua fáciat : quia et sub ovína pelle cavéndos lupos Dóminus præcépit. Sed ex frúctibus, inquit, eórum cognoscétis eos.

℟. Parátum cor.

Lectio iij.

Cum enim cœperint alíquibus tentatiónibus ea ipsa scílicet illis súbtrahi, vel negári, quæ isto velámine vel consecúti sunt, vel cónsequi cúpiunt, tunc necésse est, ut appáreat, utrum lupus in ovína pelle sit, an ovis in sua. Non tamen proptérea ornátu supérfluo debet adspéctus hóminum mulcére Christiánus, quia illum parcum hábitum, ac necessárium étiam simulatóres sæpius usúrpant, ut incáutos decípiant : quia et illæ oves non debent pelles suas depónere, si aliquándo eis lupi se cóntegant.

℟. Adjútor.

AD LAUDES.

Aña, Ps. Capit. Hymn. et ℣. ut in Psalt. 71.

Ad Benedictus, Aña. **Cum jejunátis, nolíte fíeri sicut hypócritæ, tristes.**

Preces ut signantur in Psalt. in fine Laudum Feriæ ij. 45. et addantur, quæ habentur pro Quadrages.

Oratio.

Præsta Dómine fidélibus tuis; ut jejunióрum veneránda solémnia, et cóngrua pietáte suscípiant, et secúra devotióne percúrrant. Per Dóminum.

Comm. sanctæ Crucis : deinde fiunt aliæ comm. communes.

Hac die, et deinceps usque ad Cœnam Domini exclusive, Orationes, quæ in singulis Feriis sunt notatæ ad Laudes, dicuntur ad Tertiam, Sextam, et Nonam, quando de Tempore agitur. Ad Vesperas vero, dicuntur propriæ, quæ notatæ sunt per singulas Ferias, nisi in Vesperis Sabbati, in quibus semper dicitur Oratio sequentis Dominicæ.

Ad Horas, omnia ut in Psalt. et dic. Preces Feriales. 45.

AD VESPERAS.

Añæ. Ps. Capit. Hymn. et ℣. ut in Psalt.

Ad Magnificat, Aña. **Thesaurizáte vobis thesáuros in cœlo : ubi nec ærúgo, nec tínea demolítur.**

Et dicuntur Preces fer.

Oratio.

Inclinántes se, Dómine, majestáti tuæ, propitiátus inténde : ut, qui divíno múnere sunt reféćti, cœléstibus semper nutriántur auxíliis. Per Dóminum.

Fiant comm. communes.

Hic ordo servetur tribus sequentibus diebus, exceptis, quæ de proprio notantur.

AB HAC FERIA

usque ad Dominicam Palmarum exclusive, si occurrat Festum duplex, semiduplex, vel simplex, de eo fit Officium ; et pro ix. Lectione dicitur Evangelium et Homilia Feriæ occurrentis, cum commemorat. ejusdem.

De simplicissimo vero, fit tantum comm. in j. Vesp. et Laud.

FERIA QUINTA.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio j. Cap. 8.

In illo témpore : Cum introísset Jesus Caphárnaum, accéssit ad eum Centúrio, rogans eum, et dicens : Dómine, puer meus jacet in domo

paralyticus, et male torquétur. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

De consensu Evangelist. cap. 20.

Ideámus, utrum sibi de hoc servo Centuriónis Matthæus, Lucásque consséntiant. Matthæus enim dicit : Accéssit ad eum Centúrio, rogans eum, et dicens : Puer meus jacet in domo paralyticus. Cui vidétur repugnáre quod ait Lucas : Et cum audísset de Jesu, misit ad eum senióres Judæórum, rogans eum ut veníret, et sanáret servum ejus. At illi cum venissent ad Jesum, rogábant eum sollícite, dicéntes ei : Quia dignus est, ut hoc illi præstes : díligit enim Gentem nostram, et synagógam ipse ædificávit nobis. Jesus autem ibat cum illis : et cum jam non longe esset a domo, misit ad eum Centúrio amícos, dicens : Dómine, noli vexári, non enim dignus sum, ut sub tectum meum intres. ℞. Deus in te, de Psalterio. 88.

Lectio ij.

Si enim hoc ita gestum est, quómodo erit verum quod Matthæus narrat : Accéssit ad eum quidam Centúrio; cum ipse non accésserit, sed amícos míserit : nisi diligénter adverténtes intelligámus, Matthæum non omnímodo deseruísse usitátum morem loquéndi? Non solum enim dícere solémus, accessísse áliquem étiam ántequam pervéniat illuc, quo dícitur accessísse; unde étiam dícimus : Parum accéssit, vel multum accéssit, eo, quo áppetit perveníre : verum étiam ipsam perventiónem, cujus adipiscéndi causa accéditur, dícimus plerúmque factam, etsi eum, ad quem pervénit, non vídeat ille qui pervénit; cum per amícum pérvenit ad áliquem, cujus ei favor est necessárius. Quod ita ténuit consuetúdo, ut jam étiam vulgo perventóres appelléntur, qui poténtium quorúmlibet, tamquam inaccessíbiles ánimos, per conveniéntium personárum interpositiónem, ambitiónis arte pertíngunt.

Lectio iij.

Non ergo absúrde Matthæus étiam quod vulgo possit intélligi, per álios facto accéssu Centuriónis ad Dóminum,

compéndio dícere vóluit: Accéssit ad eum Centúrio. Verúmtamen non negligénter intuénda est étiam sancti Evangelístæ altitúdo mysticæ locutiónis, secúndum quam scriptum est in Psalmo: Accédite ad eum, et illuminámini. Proínde quia fidem Centuriónis, qua vere accéditur ad Jesum, ipse ita laudávit, ut díceret: Non invéni tantam fidem in Israel: ipsum pótius accessísse ad Christum dícere vóluit prudens Evangelísta, quam illos, per quos verba sua míserat.

Ad Benedictus, Aña. Me étenim de die in diem quærunt, et scire vias meas volunt.

Oratio.

Deus, qui culpa offénderis, pœniténtia placáris: preces pópuli tui supplicántis propítius réspice; et flagélla tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis nostris merémur, avérte. Per Dóminum.

Ad Magnificat, Aña. Quare jejunávimus, et non adspexísti? humiliávimus ánimas nostras, et nescísti? Oratio.

Parce Dómine, parce pópulo tuo: ut dignis flagellatiónibus castigátus, in tua miseratióne respíret. Per Dóminum.

FERIA SEXTA.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio j. Cap. 5.

In illo témpore: Docébat Jesus discípulos suos, dicens: Audístis quia dictum est: Díliges próximum tuum, et ódio habébis inimícum tuum. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 1. Comment. in cap. 5. et 6. Matth.


Ego autem dico vobis: Dilígite inimícos vestros: benefácite his qui odérunt vos. Multi præcépta Dei, imbecillitáte sua, non sanctórum víribus æstimántes, putant esse impossibília, quæ præcépta sunt: et dicunt suffícere virtútibus, non odísse inimícos: céterum dilígere, plus præcipi, quam humána natúra patiátur. Sciéndum est ergo, Christum non impossibília præcípere, sed perfécta. Quæ fecit David in Saul, et in Absalom: Stéphanus quoque martyr pro inimícis lapidántibus deprecátus est; et Paulus

anáthema cupit esse pro persecutóribus suis. Hæc autem Jesus et dócuit et fecit, dicens : Pater ignósce illis : quod enim fáciunt, nésciunt.

℟. Confitébor, de Psaltério. 103.

Lectio ij.

Ut sitis fílii Patris vestri, qui in cœlis est. Si Dei præcépta custódiens, fílius quis effícitur Dei; ergo non est natúra fílius, sed arbítrio suo. Cum ergo facis eleemósynam, noli tuba cánere ante te, sicut hypócritæ fáciunt in synagógis et in vicis, ut honorificéntur ab homínibus. Qui tuba canit, eleemósynam fáciens, hypócrita est. Qui jejúnans demolítur fáciem suam, ut ventris inanitátem monstret in vultu, et hic hypócrita est. Qui in synagógis, et in ángulis plateárum orat, ut videátur ab homínibus, hypócrita est.

Lectio iij.

Ex quibus ómnibus collígitur, hypócritas esse, qui quódlibet fáciunt, ut ab homínibus glorificéntur. Mihi vidétur et ille, qui dicit fratri suo : Dimítte, ut tollam festúcam de óculo tuo : nam propter glóriam hoc fácere vidétur, ut ipse justus esse videátur. Unde dícitur ei a Dómino : Hypócrita, éjice primum trabem de óculo tuo. Non ítaque virtus, sed causa virtútis apud Deum mercédem habet : et si a recta via páululum declináveris, non ínterest, utrum ad dexteram vadas, an ad sinístram, cum verum iter amíseris.

Ad Benedictus. Aña. Cum facis eleemósynam, nésciat sinístra tua, quid fáciat déxtera tua.

Oratio.

Inchoáta jejúnia, quæsumus Dómine, benígno favóre proséquere; ut observántiam, quam corporáliter exhibémus, méntibus étiam sincéris exercére valeámus. Per Dóminum.

Ad Magnificat, Aña. Tu autem cum oráveris, intra in cubículum tuum, et clauso óstio, ora Patrem tuum.

Oratio.

Tuére Dómine pópulum tuum, et ab ómnibus peccátis cleménter emúnda : quia ei nulla nocébit advérsitas, si nulla ei dominétur iníquitas. Per Dóminum.

SABBATO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio j. Cap. 6.

IN illo témpore : Cum sero esset, erat navis in médio mari, et Jesus solus in terra. Et vidit discípulos laborántes in remigándo. Et réliqua.

Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri.

Lib. 2. in cap. 6. Marci.

LAbor discipulórum in remigándo, et contrárius eis ventus, labóres sanctæ Ecclésiæ vários desígnat : quæ inter undas sæculi adversántis, et immundórum flatus spiríťuum, ad quiétem pátriæ cœléstis, quasi ad fidam líttoris statiónem, perveníre conátur. Ubi bene dícitur, quia navis erat in médio mari, et ipse solus in terra : quia nonnúmquam Ecclésia tantis Gentílium pressúris non solum afflícta, sed et fœdáta est, ut si fíeri posset, Redémptor ipsíus eam prorsus deseruísse ad tempus viderétur.

℟. Misericórdiam, de Psalt. 122.

Lectio ij.

UNde est illa vox ejus inter undas procellásque tentatiónum irruéntium dcprehénsæ, atque auxílium protectiónis illíus gemebúndo clamóre quæréntis : Ut quid Dómine recessísti longe, déspicis in opportunitátibus, in tribulatióne? Quæ páriter vocem inimíci persequéntis expónit, in sequéntibus Psalmi subjíciens : Dixit enim in corde suo : Oblítus est Deus, avértit fáciem suam, ne vídeat usque in finem.

Lectio iij.

VErum ille non oblivíscitur oratiónem páuperum, neque avértit fáciem suam a sperántibus in se : quin pótius et certántes cum hóstibus, ut víncant, ádjuvat, et victóres in ætérnum corónat. Unde hic quoque apérte dícitur, quia vidit eos laborántes in remigándo. Videt quippe Dóminus laborántes in mari, quamvis ipse pósitus in terra : quia etsi ad horam différre videátur auxílium tribulátis impéndere, nihilóminus eos, ne in tribulatiónibus defíciant, suæ respéctu pietátis corróborat : et aliquándo étiam manifésto adjutório, victis adversitátibus, quasi calcátis, sedatísque flúctuum volumínibus, líberat.

Ad Benedictus, Aña. Tunc invocábis, et Dóminus exáudiet : clamábis, et dicet : Ecce adsum.

Oratio.

Adésto Dómine supplicatiónibus nostris, et concéde : ut hoc solémne jejúnium, quod animábus corporibúsque curándis salúbriter institútum est, devóto servítio celebrémus. Per Dóminum nostrum.

Hodie et deinceps usque ad Pascha dicuntur Vesp. ante mensam tam in Festis, quam in Feriis, exceptis Dominicis, in quibus dicuntur hora consueta.







Proprium Sanctorum.

PARS HIEMALIS.

NOTANDUM

Quod in Adventu fieri semper debeat commemoratio Feriæ in Vesperis et Laudibus, de quocumque fiat Officium, fitque hæc commemoratio ante commemorationem simplicissimi.

DIE XXVII. NOVEMB.

Si fuerit Dominica j. Adventus, fiat commemor. Octavæ Præsentationis B. Mariæ V. per Añas de primis Vesperis et Laudibus diei Octavæ ut infra. Similiter fiat commem. Octavæ S. Joannis a Cruce, per Añas de utrisque Vesperis et Laudibus, ut in die Octava ejusdem. 460.

DIE XXVIII. NOV.

In Octava **Præsentationis B. M. V.**

Duplex minus.

Omnia ut in Officio beatæ Mariæ Virginis in Sabbato, [185] exceptis hic signatis.

AD I. VESPERAS

Aña. Pulchra es, prima de Laudibus, quæ sola dicitur super Ps. præc.

Oratio.

Beátæ Maríæ semper Vírginis, tríbue nos Dómine supplicatióne tuéri : ut cujus venerábilem Præsentatiónem celebrámus obséquiis, ejus intercessiónibus et méritis commendémur. Per Dóminum.

Comm. Oct. S. Joannis. Aña. Quæsívit. ℣. et Oratio ut in die Octava.

℣. Glória tibi Dómine, Qui natus es de Vírgine, dicatur in fine Hymnorum Completorii et Horarum. Ad Nunc dimittis, Aña. Sub tuum præsídium. 191.

AD MATUTINUM.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno, Lectiones de Sermone Hílarem vídeo, ut in Officio Sabb. [189]

IN TERTIO NOCTURNO.

In ultima Aña et ℣. octavi Responsorii loco Commemoratiónem, dicitur Præsentatiónem.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. I.

Liber generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Damascéni.

Lib. 4. de fide orthod.

Quod Joseph ex Davídica tribu descénderit, Matthæus et Lucas sacratíssimi Evangelístæ dilúcide demonstrárunt. Sanctæ vero Vírginis generatiónem ambo siluérunt. Decet autem scire non fuísse morem Hebræis, neque divínæ Scriptúræ, genealogías téxere mulíerum. Nam lex fuit, tribum non desponsáre ex ália tribu. Atqui Joseph ex Davídica descéndit tribu, et justus erat : hoc enim de ipso divínum testátur Evangélium; non ígitur præter legem, sanctam Vírginem ad desponsatiónem duxísset, nisi ex ejus sceptro descendísset. Cum ígitur osténderit Evangelísta descénsum Joseph, satisfáctum esse putándum est.

℟. Beátam me. [191]

Lectio viij.

Ex série ígitur Nathan fílii David, Levi génuit Melchi; et Panthérem : Panther génuit Barpanthérem, sic ab eo denominátum. Hic Barpánther génuit Jóachim : Jóachim vero génuit sanctam Deíparam. Jóachim ergo venerándam et dignam laude Annam in matrimónium duxit. Sed quemádmodum vetus Anna stérilis facta per votum, et repromissiónem hábuit Samuélem, hunc in modum et hæc per supplicatiónem, et repromis-

siónem a Deo Deíparam profert; ut et in hoc nulla illústrium, et gloriosárum postérior habeátur.

℞. Felix namque es sacra, sed ubi habetur Commemoratiónem, dicatur Præsentatiónem.

Lectio ix.

PArit ergo grátia (Anna enim hoc interpretátur) Dóminam : quod proféсto índicat Maríæ nomen. Nam revéra Dómina facta est ómnium creaturárum, cum Conditóris ómnium efféсta est mater. Editur partu in domo ovílis Jóachim, et addúcitur in templum. Deínde in domo Dómini plantáta, et impinguáta Spíritu : véluti olíva fructífera, omnis virtútis habitáculum facta est, ab omni sæculári vita et carnáli concupiscéntia procul mentem sequéstrans et sic vírginem ánimam cum córpore consérvans, ut decébat eam, quæ in sinu Deum susceptúra esset. Sanctus enim exsístens, in sanctis requiéscit. Sic ígitur sanctificatiónem omnem exércet, et templum sanctum, et admirábile altíssimi Dei digne demonstrátur.

℞. Christi Virgo.

In Laud. fit commem. S. Joannis, ut infra in die Octava ejusdem.

IN II. VESPERIS.

Ad Magnif. Aña. **Beáta Dei Génitrix, María, Virgo perpétua, templum Dómini, Sacrárium Spíritus sancti; tu sola sine exémplo placuísti Dómino nostro Jesu Christo. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu.**

Commem. Oct. S. Joan. per Añam **Quæsívit,** de ij. Vesp. diei Oct. ejusdem, nisi dies crastinus sit Dominica. et S. Saturnini Martyr. Aña. **Iste sanctus.** ℣. **Glória et honóre.** [29]

Oratio.

DEus, qui nos beáti Saturníni Mártyris tui concédis natalítio pérfrui : ejus nos tríbue méritis adjuvári. Per Dóminum.

DIE XXIX. NOVEMB.

Quinta die infra Octav.

S. Joannis a Cruce.

Semiduplex.

AD MATUTINUM.

Invitatorium, Hymnus, prima Aña j. Nocturni, et Psalmi ut infra in die Oct. ejusdem, **460.** ℣. et ℞. ut ibidem secundum ordinem diei et Nocturni.

Lectio vero prima et secunda erit de Scriptura occurr. tertia de Octava, ut sequitur.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

In festo S. Malach. Serm. 2.

Lectio iij.

Quasi unus ómnium parens vivébat ómnibus Joánnes, quasi gallína pullos suos, sic fovébat omnes, et in velaménto alárum suárum protegébat. Non sexus, non ætas, non condítio discernebátur, aut persóna : déerat némini, expánso ómnibus grémio pietátis. De quacúmque tribulatióne clamarétur ad eum, própriam reputábat, nisi quod in sua pátiens, in aliéna compátiens erat, plerúmque et impátiens. Non tamen ita ómnibus intendébat, ut se solum expóneret, solum cura excíperet generáli. Erat et sui sollícitus, se ipsum custodiébat. Ita benígne totus suus, et totus ómnium erat, ut nec cáritas a custódia sui, nec propríetas ab utilitáte commúni eum impedíre, vel retardáre in áliquo viderétur.

Te Deum laudámus. 20. Sacerd. ℣. Os justi. [98]

Ad Laudes, sola prima Aña **Addúcam eum.** Reliqua omnia ut infra in die Oct. et fit comm. S. Saturnini Mart. Aña. **Nisi granum.** [40] ℣. **Magna est.** Oratio ut supra.

De Vigilia S. Andreæ nihil nisi in Missa.

Vesp. seq. Psalmi tant. præced.

DIE XXX. NOVEMBR.

In Festo S. Andreæ Apostoli.

Duplex minus P. C.

Omnia de Communi Apostolorum [3] præter hic signata.

AD VESPERAS.

Aña. Unus ex duóbus, qui secúti fúerant Jesum, erat Andréas frater Simónis Petri, allelúia.

Capit. Jam non estis. [3]

℟. Vir iste in pópulo suo mitíssimus appáruit, sanctitáte autem et grátia plenus : iste est, qui assídue orat * Pro pópulo, et pro civitáte ista.

℣. Pro eo, ut me dilígerent, detrahébant mihi : ego autem orábam. Pro.

Glória Patri. Pro.

Hymn. Exsúltet. [3]

℣. Diléxit Andréam Dóminus. ℟. In odórem suavitátis, allelúia.

Ad Magnif. Aña. Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit Petrum, et Andréam, fratrem ejus, et ait illis : Veníte post me, et fáciam vos fíeri piscatóres hóminum. At illi contínuo relíctis rétibus, secúti sunt eum.

Oratio.

Quæsumus, omnípotens Deus, ut beátus Andréas Apóstolus, cujus prævenímus festivitátem, tuum pro nobis implóret auxílium; ut a nostris reátibus absolúti, a cunctis étiam perículis eruámur. Per Dóminum.

Si hoc Festum transferatur, dicatur in j. Vesp. Oratio. Majestátem, ut infra ad Laudes.

AD MATUTINUM.

Invitat. Christum Regem regum adorémus Dóminum : * Qui martyrio crucis beátum glorificávit Andréam Apóstolum.

Ps. Veníte. 2.

Hymn. Exsúltet cœlum.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Vidit Dóminus Petrum et Andréam, et vocávit eos.

Ps. Cœli enárrant. [4]

Aña. Veníte post me, dicit Dóminus, et fáciam vos fíeri piscatóres hóminum.

Ps. Benedícam.

Aña. Relíctis rétibus suis, secúti sunt Dóminum Redemptórem.

Ps. Eructávit.

℣. In omnem terram. [7]

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 10.



Fratres, finis legis, Christus, ad justítiam omni credénti. Móyses enim scripsit, quóniam justítiam, quæ ex lege est, qui fécerit homo, vivet in ea. Quæ autem ex fide est justítia, sic dicit : Ne díxeris in corde tuo : Quis ascéndet in cœlum? idest, Christum dedúcere. Aut quis descéndet in abyssum? hoc est, Christum a mórtuis revocáre. Sed quid dicit Scriptúra? Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo : hoc est verbum fídei, quod prædicámus. Quia si confiteáris in ore tuo Dóminum Jesum, et in corde tuo credíderis, quod Deus illum suscitávit a mórtuis, salvus eris.

℟. Ambulans Jesus juxta mare Galilææ vidit duos fratres, Simónem, qui vocátur Petrus, et Andréam fratrem ejus, mitténtes rétia in mare, et ait illis : * Veníte post me, et fáciam

vos fíeri piscatóres hóminum.

℣. Erant enim piscatóres, et ait illis. Veníte.

Lectio ij.

Corde enim créditur ad justítiam, ore autem conféssio fit ad salútem. Dicit enim Scriptúra : Omnis, qui credit in illum, non confundétur. Non enim est distínctio Judæi, et Græci : nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes, qui ínvocant illum. Omnis enim, quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit. Quómodo ergo invocábunt, in quem non crediderunt? Aut quómodo credent ei, quem non audiérunt? Quómodo autem áudient sine prædicánte? Quómodo vero prædicábunt, nisi mittántur? sicut Scriptum est : Quam speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona!

℟. Mox ut vocem Dómini prædicántis audívit beátus Andréas, relíctis rétibus, quorum usu, actúque vivébat, ætérnæ vitæ secútus est * Præmia largiéntem.

℣. Ad unius jussiónis vocem Petrus et Andréas secúti sunt Redemptórem. Præmia.

Lectio iij.

Sed non omnes obédiunt Evangélio. Isaías enim dicit : Dómine, quis crédidit audítui nostro? Ergo fides ex audítu, audítus autem per verbum Christi. Sed dico : Numquid non audiérunt? Et quidem in omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum.

℟. Homo Dei ducebátur, ut crucifígerent eum : pópulus autem clamábat voce magna, dicens : * Innocens ejus sanguis sine causa damnátur.

℣. Cumque carnífices dúcerent eum, ut crucifigerétur : factus est concúrsus populórum clamántium, et dicéntium. Innocens.

Glória Patri. Innocens.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Unus ex duóbus, qui secúti fúerant Jesum, erat Andréas frater Simónis Petri, allelúia.

Ps. Omnes Gentes. [8]

Aña. Diléxit Andréam Dóminus in odórem suavitátis, allelúia.

Ps. Exáudi Deus.

Aña. Dignum sibi Dóminus computávit Mártyrem, quem vocávit Apó-

stolum, dum esset in mari, allelúia.

Ps. Exáudi Deus.

℣. Constítues eos. [10]

Ex ejus pass. quam scribunt Presb. et Diac. Achajæ. Lectio iv.

Ndréas Apóstolus Bethsáidæ natus, qui est Galilææ vicus, frater Petri, discípulus Joánnis Baptístæ, cum eum de Christo dicéntem audísset : Ecce Agnus Dei, secútus Jesum, fratrem quoque suum ad eúmdem perdúxit. Cum póstea una cum fratre piscarétur in mari Galilææ, ambo a prætereúnte Christo Dómino ante álios Apóstolos vocáti illis verbis : Veníte post me, et fáciam vos fíeri piscatóres hóminum; nullam interponéntes moram, et relíctis rétibus secúti sunt eum. Post cujus passiónem, et resurrectiónem Andréas, cum in Scythiam Európæ, quæ ei província ad Christi fidem disseminándam obtígerat, venísset, deínde Epírum ac Thráciam peragrásset, doctrína et miráculis innumerábiles hómines ad Christum convértit. Post Patras Achájæ proféctus, et in ea urbe plúrimis ad veritátem Evangélicam perdúctis, Ægéam procónsulem, prædicatióni Evangélicæ resisténtem, libérrime increpávit, quod, qui judex hóminum habéri vellet, Christum Deum ómnium júdicem a dæmónibus elúsus non agnósceret.

℟. Doctor bonus, et amícus Dei Andréas dúcitur ad crucem. Adspíciens a longe, vidit crucem, et ait : Salve crux : * Súscipe discípulum ejus, qui pepéndit in te magíster meus Christus.

℣. Salve crux, quæ in córpore Christi dedicáta es, et ex membris ejus tamquam margarítis ornáta. Súscipe.

Lectio v.

Cum Ægéas irátus : Désine, inquit, Christum jactáre, cui simília verba nihil profuérunt, quo minus a Judæis crucifigerétur. Andréam vero de Christo nihilóminus líbere prædicántem, quod pro salúte humáni géneris se crucifigéndum obtulísset, ímpia oratióne interpéllat, ac demum hortátur, ut sibi cónsulens, diis velit immoláre. Cui Andréas : Ego omnipoténti Deo, qui unus et verus est, ímmolo quotídie, non taurórum car-

nes, nec hircórum sánguinem, sed immaculátum Agnum in altári: cujus carnem posteáquam omnis pópulus credéntium manducáverit, Agnus, qui sacrificátus est, íntegér persevérat et vivus. Quámobrem ira accénsus Ægéas, jubet eum in cárcerem detrúdi : unde pópulus Andréam fácile liberásset, nisi ipse sedásset multitúdinem, veheméntius rogans, ne se ad optatíssimam martyrii corónam properántem impedírent.

℞. O bona crux, quæ decórem et pulchritúdinem ex membris Dómini suscepísti : * Accipe me ab homínibus, et redde me magístro meo Christo : ut per te me recípiat, qui per te me redémit.

℣. Salve crux, quæ in córpore Christi dedicáta es, et ex membris ejus tamquam margarítis ornáta. Accipe me.

Lectio vj.

IGitur paulo post in tribúnal prodúctum, cum Ægéas crucis extolléntem mystéria, sibíque suam impietátem exprobrántem, diútius ferre non posset, in crucem tolli, et Christi mortem imitári jussit. Addúctus Andréas ad locum martyrii, cum crucem vidísset, longe exclamáre cœpit : O bona crux, quæ decórem ex membris Dómini suscepísti, diu desideráta, sollícite amáta, sine intermissióne quæsíta, et aliquándo cupiénti ánimo præparáta; áccipe me ab homínibus, et redde me Magístro meo : ut per te me recípiat, qui per te me redémit. Itaque cruci affíxus est : in qua bíduum vivus pendens, et Christi fidem prædicáre nunquam intermíttens, ad eum migrávit, cujus mortis similitúdinem concupíerat. Quæ ómnia Presbyteri et Diáconi Achájæ, qui ejus passiónem scripsérunt, se ita ut commemoráta sunt, audísse et vidísse testántur. Ejus ossa primum Constantíno Imperatóre Constantinópolim, deínde Amálphim transláta sunt. Caput, Pio Secúndo Pontífice, Romam allátum, in Basílica sancti Petri collocátum est.

℞. Diléxit Andréam Dóminus in odórem suavitátis : dum pendéret in cruce, dignum sibi computávit mártyrem, quem vocávit Apóstolum dum esset in mari : * Et ídeo amícus Dei appellátus est.

℣. Elégit eum Dóminus, et excélsum fecit illum. Et ídeo.

Glória Patri. Et ídeo.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Ego, si patíbulum crucis expavéscerem, crucis glóriam non prædicárem.

Ps. Confitébimur. [10]

Aña. Andréas vero rogábat pópulum, ut non impedíret passiónem ipsíus.

Ps. Dóminus regnávit.

Aña. Bíduo vivens pendébat in cruce pro Christi nómine beátus Andréas, et docébat pópulum.

Ps. Dóminus regnávit.

℣. Nimis honoráti. [12]

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 14.

In illo témpore : Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simónem, qui vocátur Petrus, et Andréam fratrem ejus. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homilia 5. in Evang.



Udístis, fratres caríssimi, quia ad unius jussiónis vocem Petrus et Andréas relíctis rétibus secúti sunt Redemptórem. Nulla vero hunc fácere adhuc mirácula víderant : nihil ab eo de præmio ætérnæ retributiónis audíerant : et tamen ad unum Dómini præcéptum, hoc, quod possidére videbántur, oblíti sunt. Quanta nos ejus mirácula vidémus, quot flagéllis afflígimur, quantis minárum asperitátibus deterrémur, et tamen vocántem sequi contémnimus?

℟. Orávit sanctus Andréas, et dum respíceret in cœlum, voce magna clamávit, et dixit : Tu es Deus meus, quem vidi : * Ne me patiáris ab ímpio júdice depóni : quia virtútem sanctæ crucis agnóvi.

℣. Tu es magíster meus Christus, quem diléxi, quem cognóvi, quem conféssus sum : tantúmmodo in ista voce me exáudi. Ne me patiáris.

Lectio viij.

In cœlo jam sedet, qui de conversióne nos ádmonet : jam jugo fídei colla Géntium súbdidit : jam mundi glóriam stravit : jam ruínis ejus crebrescéntibus distrícti sui judícii diem propinquántem denúntiat : et tamen supérba mens nostra adhuc non vult hoc sponte desérere, quod quotídie per-

dit invíta. Quid ergo, fratres caríssimi, quid in ejus judício dictúri sumus, qui ab amóre præséntis sæculi nec præcéptis fléctimur, nec verbéribus emendámur?

℟. Expándi manus meas tota die in cruce ad pópulum non credéntem; sed contradicéntem mihi : * Qui ámbulant vias non bonas, sed post peccáta sua.

℣. Deus ultiónum Dóminus : Deus ultiónum líbere egit : exaltáre, qui júdicas terram; redde retributiónem supérbis. Qui.

Lectio ix.

SEd fortásse áliquis tácitis sibi cogitatiónibus dicat : Ad vocem Domínicam utérque iste piscátor, quid, aut quantum dimísit, qui pene nihil hábuit? Sed hac in re, fratres caríssimi, afféctum debémus pótius pensáre, quam censum. Multum relíquit, qui sibi nihil retínuit; multum relíquit, qui quantúmlibet parum, totum deséruit. Certe nos et hábita cum amóre possidémus, et ea, quæ mínime habémus, ex desidério quærimus. Multum ergo Petrus et Andréas dimísit, quando utérque étiam desidéria habéndi derelíquit.

℟. Vir iste in pópulo suo mitíssimus appáruit : sanctitáte autem et grátia plenus : iste est, qui assídue orat * Pro pópulo, et pro civitáte ista.

℣. Pro eo, ut me dilígerent, detrahébant mihi : ego autem orábam. Pro.

Glória Patri. Pro pópulo.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerdotalis ℣. Dedísti hereditátem. ℟. Timéntibus nomen tuum Dómine, allelúia.

AD LAUDES

et per Horas. Aña.

SAlve crux pretiósa, súscipe discípulum ejus, qui pependit in te magíster meus Christus.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Beátus Andréas orábat, dicens : Dómine Rex ætérnæ glóriæ, súscipe me pendéntem in patíbulo.

Aña. Andréas Christi fámulus, dignus Dei Apóstolus, germánus Petri, et in passióne sócius.

Aña. Maximílla Christo amábilis, tulit corpus Apóstoli, et óptimo loco cum aromátibus sepelívit.

Aña. Qui persequebántur justum, demersísti eos,

Dómine, in profúndum, et in ligno crucis dux justi fuísti.

Capit. Jam non estis.

Hymn. Ætérna Christi múnera.

℣. Annuntiavérunt, de Communi. [13]

Ad Benedictus, Aña. **Cum perveníſſet beátus Andréas ad locum, ubi crux paráta erat, exclamávit, et dixit : O bona crux, diu desideráta, et jam concupiscénti ánimo præparáta : secúrus et gaudens vénio ad te, ita et tu exsúltans suscípias me discípulum ejus, qui pepéndit in te.**

Oratio.

MAjestátem tuam, Dómine, supplíciter exorámus : ut sicut Ecclésiæ tuæ beátus Andréas Apóstolus éxstitit prædicátor et rector ; ita apud te sit pro nobis perpétuus intercéssor. Per Dóminum.

Ad Horas, Capitula, ℟℟. et ℣℣. de Communi. [13]

AD VESPERAS.

Añæ Laudum.

Ps. **Dixit Dóminus,** cum reliquis de Comm. [14]

Capit. et Hymnus de Comm. [4]

℣. Diléxit Andréam Dóminus. ℟. In odórem suavitátis, allelúia.

Ad Magnificat, Aña. **Concéde nobis hóminem justum, redde nobis hóminem sanctum, ne interfícias hóminem Deo carum, justum, mansuétum, et pium.**

Et fit comm. seq.

Festa Decembris.

DIE I. DECEMBRIS.

Octava

S. Joannis a Cruce,

Conf. Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Conf. non Pontif. [93] præter hic signata.

AD I. VESPERAS.

Nisi præcédat Festum duplex.

Aña j. Laud. **Addúcam eum,** quæ sola dic. super Psalm. præc.

Hymnus.

REgis ætérni generóse miles,
Ordinis nostri cólumen Joánnes,
Quos tuis læti méritis dicámus,
Súscipe plausus.

O satis felix ! Speculátor alti
Núminis, votis animóque Martyr,
Pœnitens Virgo, memorránde vates,
Mystice Doctor.

Sæpe cum Christo, et Genitríce pura
Verba commísces, superísque vivens:
Hinc fluit candor, tua quo refúlgent
Scripta, perénnis.
Mente perfúsa rádiis ab alto,
Montis ascénsum, tenebrásque noctis,
Et facem vivam récolens amóris,
Alta revélas.
Te sacri Verbi retegénte sensus,
Visa calígo procul exsuláre,
Dum facis lumen rútilans oríri
Noctis ab umbris.
Pérsonent laudes Tríadi Joánnis,
Cui Pater lumen, tribuítque dona
Spíritus, vitæ réserat volúmen
Cœlicus Agnus.
Amen.

℣. Ora pro nobis sancte Joánnes. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúia.

Ad Magnificat, Aña. Collaudábunt multi sapiéntiam ejus et usque in sæculum non delébitur.

Oratio ut infra ad Laudes.

AD MATUTINUM.

Hymnus.

Diem Joánnes ádvehit,
Crucis micántem glória,
Cui fixus hæsit spíritu,
Fixámque gessit córpori.
Non probra, nec ludíbria,
Fames, flagélla, víncula,
Sedáre jam valent sitim,
Qua dura fortis áppetit.
Hæc poscit ille gáudia,
Hæc vult labóris præmia
Hæc vota, confíxi Ducis
Reférre signum pérpetim.
Noctem volútans mysticam
In nocte lucem pércipit,
De luce flammam súscipit,
Carméli ut agmen ínstruat.
Te, Christe, laudent Cœlites,
Tibíque corda dédita
Currant, Joánne prævio,
Ad vera vitæ gáudia.
Amen.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

IN SECUNDO NOCTURNO.
Sermo sancti Bernárdi Abbátis.
In nat. S. Vict. Conf.
Serm. 1. Lectio iv.


JOánnis vita, et glória speciális, non tam ad glóriam, quam ad virtútem próvo-

cat omnes, qui recto sunt corde. Non recti plane, sed pervérsi est ánimi, ante quærere glóriam, quam exercére virtútem, et velle coronári, qui legítime non certáverit. Vanum est vobis, inquit, ante lucem súrgere. Ita est. Frustra ad celsitúdinem nítitur glóriæ qui prius non cláruit virtúte. Absit mihi gloriári, nisi in glória illórum, quibus Prophéta congrátulans, ait : Dómine, in lúmine vultus tui ambulábunt, et in nómine tuo exsultábunt tota die, et in justítia tua exaltabúntur. Et infert : Quóniam glória virtútis eórum tu es. Pulchre non eórum, sed virtútis eórum glória commendátur.

℟. Desidérium. [96]

Lectio v.

HAbémus, dilectíssimi, in vita Joánnis, et quod digne mirémur, et quod salúbrius imitémur. Quis non omni admiratióne stupéndum ducat, carne circúmdatum, cœlis paténtibus, carnis óculos supérno infígere lúmini, et vidére visiónes Dei? Hæc, atque simília in sancto hómine venerámur. Mérito quidem quando et sine salútis perículo possunt non fíeri, et sine salútis perículo néqueunt usurpári. Tútius sane æmulánda solidióra, quam sublimióra, et quæ magis virtútem redóleant, glóriam minus. Studeámus proínde móribus conformári.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

ÆMulémur in viro sóbrium victum, devótum afféctum, æmulémur mansuetúdinem spíritus, castimóniam córporis, oris custódiam, ánimi puritátem, pónere frænum iræ, et modum linguæ, dormíre párcius, oráre frequéntius, commonére nosmètípsos psalmis, hymnis, cánticis spirituálibus : diébus júngere noctes, et divínis láudibus occupári. Æmulémur charísmata melióra: discámus ab ipso, quod mitis, et húmilis corde fuit. Æmulémur, inquam, quod éxstitit jucúndus ad hóspites, pátiens ad peccántes, benígnus ad omnes. Hoc enim mélius : in his forma est, cui imprimámur ✠ in miráculis glória, a qua reprimámur : Illa lætíficent, ista ædíficent ; móveant illa, ista promóveant.

℟. Iste Sanctus.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 11.

In illo témpore : Dixit Jesus turbis : Nemo lucérnam accéndit, et in abscóndito ponit, neque sub módio, sed supra candelábrum ; ut, qui ingrediúntur lumen vídeant. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 10. in cap. 5. Matth.

Per hanc comparatiónem vult osténdere, quare Sanctos suos ipse Christus maniféstat, et non sinit eos esse abscónsos, id est, quia nec qui accéndunt lucérnam, ídeo eam accéndunt, ut ponant sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus, qui in domo sunt. Qui sunt accensóres lucérnæ? Pater, et Fílius. Quæ est illa lucérna? Verbum divínum, de quo dictum est : Lucérna pédibus meis verbum tuum. Quod est candelábrum? Ecclésia, quæ bájulat verbum vitæ ; consequénter dicit et Paulus : inter quos lucétis, sicut luminária in sæculo, verbum vitæ continéntes. Consequénter et omnis ecclesiásticus vir habens verbum Dei, dícitur candelábrum.

℟. Magnificávit. [97]

Lectio viij.

Modii autem sunt hómines mundiáles, vácui a Deo, et ab ómnibus, quæ sunt Dei. Dicúntur autem módii, quóniam sicut módii désuper quidem vácui sunt, desúbtus autem pleni : sic omnes mundi amatóres, et carnis, in spirituálibus quidem et divínis, quæ superióra recte esse dicúntur, vácui sunt, et insensáti : in inferióribus autem, id est, in mundiálibus, et terrénis aliquátenus pleni vidéntur, et sapiéntes. Proptérea sicut in módio si volúeris áliquid repónere, necésse est, ut cadat deórsum ad inferióra ejus, et tenebrósa : sic hómini carnáli, et mundiáli, et vácuo, si díxeris áliquid, quod est Dei, non illud tenet.

℟. Vir Israelíta.

Lectio ix.

Nunc autem sciens, quóniam ille est laudábilis, qui facit quod docet, addit, et dicit ; sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera

vestra bona, et magnífi-cent Patrem vestrum, qui in cœlis est : id est, sic illumináte, non ut verba vestra tantúmmodo áudiant hómines, sed ut ópera vestra bona vídeant, ut quos illuminavéritis per verbum, condiátis per exémpla óperum vestrórum : quóniam qui docet, et facit quod docet, vere ille docet : qui autem non facit quod docet, non álium docet, sed seípsum condémnat. Et mélius est fácere, et non docére, quam docére, et non fácere; quóniam qui facit, et si tacúerit, áliquos córrigit suo exémplo.

℟. Sancte Joánnes.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerd. ℣. Os justi.

AD LAUDES

et per Horas. Aña.

Addúcam eum in montem sanctum meum, et lætificábo eum in domo oratiónis meæ.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Apéruit os suum in oratióne, et Dóminus spíritu intelligéntiæ replévit illum.

Aña. Cibávit illum Dóminus pane vitæ, et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum.

Aña. Vir sápiens plebem suam érudit, et fructus sensus illíus fidéles sunt.

Aña. Ipse tamquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ.

Hymnus.

Dum Crucem gestat Dóminus, Joánni
Alloquens offert méritas corónas,
Is crucis tantum cálices amáros,
Súmere poscit.

Sunt pati ac sperni sua vota, merces;
Flamma sed nunquam saturátur ingens :
Emori nulli sub honóre notus,
Instat, habétque.

Pérgraves tandem Crucis hos labóres
Morte conclúdit, meritúmque pandit
Finis extrémi globus igne flagrans
Lapsus Olympo.

Fit micans æther rádiis, cubíle,
Lámpadum lumen tenebréscit omne,
Testis est fragrans odor ipse vitæ
Córpore sparsus.

Summa laus Patri, genitóque Verbo,
Et tibi compar, utriúsque Flamen,

Quo Beatórum pia turba semper
Páscitur igne.
Amen.

℟. Justus germinábit.

Ad Benedictus, Aña. Dedit illi sciéntiam sanctórum, honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus.

Oratio.

DEus, qui sanctum Joánnem Confessórem tuum perféctæ sui abnegatiónis, et crucis amatórem exímium effecísti: concéde, ut ejus imitatióni júgiter inhæréntes, glóriam assequámur ætérnam. Per Dóminum.

AD VESPERAS.

Añæ Laud. Ps. et capit. de Communi.

Hymn. Regis ætérni.

℣. Ora pro nobis, ut in j. Vesp.

Ad Magnificat, Aña. Quæsívit verba utília, et conscrípsit sermónes rectíssimos, et veritáte plenos.

Et fit comm. seq.

DIE II. DECEMBRIS.

S. Bibianæ

Virginis et Martyris.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Virginis [117] exceptis hic signatis.

Oratio.

DEus ómnium largítor bonórum, qui in fámula tua Bibiána, cum virginitátis flore martyrii palmam conjunxísti: mentes nostras, ejus intercessióne, tibi caritáte conjúnge; ut amótis perículis, præmia consequámur ætérna. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lectiones de Script. occurr.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv.



Bibiána virgo Romána, nóbili génere nata, Christiána fide nobílior fuit. Ejus enim pater Flaviánus sub Juliáno apóstata impiíssimo tyránno expræféctus, servilibúsque notis compúnctus, ad aquas Tauarínas deportátus, martyr occúbuit. Mater Dafrósa, et fíliæ primum conclúsæ domi, ut inédia conficeréntur: mox relegáta mater extra Urbem cápite plexa est. Mórtuis autem piis paréntibus, Bibiána cum soróre sua Demétria bonis ómnibus exspoliátur. Aproniánus Urbis Prætor, pecúniis ínhians, sorores perséquitur, quas humána prorsus ope destitútas, Deo mirabíliter, qui dat escam esuriéntibus, enu-

triénte, cum vivacióres vegetiorésque conspexísset, veheménter est admirátus.

℟. Pulchra fácie. [124]

Lectio v.

Suádet nihilóminus Aproniánus, ut veneréntur deos Géntium, amíssas ídeo opes, Imperatóris grátiam, præclaríssimas núptias consecutúræ. Si secus fécerint, minátur cárceres, virgas, secúres. At illæ neque blandítiis, neque minis a recta fide declinántes, parátæ pótius mori, quam fœdári móribus Ethnicórum, Prætóris impietátem constantíssime detestántur. Quare Demétria ob óculos Bibiánæ repénte córruens, óbiit in Dómino. Bibiána Rufínæ mulíeri vaférrimæ seducénda tráditur, quæ ab incunábulis edócta, Christiánas leges, et illibátum serváre virginitátis florem, se ipsa fórtior, féminæ superávit insídias, et Prætóris astus delúsit.

℟. Spécie tua.

Lectio vj.

Nihil autem proficiénte Rufína, quæ præter dolósa verba, illam quotídie verbéribus affligébat, ut de sancto propósito dimovéret, spe sua frustrátus Prætor, accénsus ira, quod in Bibiána perdidísset óperam, a lictóribus eam denudári, vinctísque mánibus colúmnæ alligári, eámque plumbátis cædi jubet, donec effláret ánimam. Cujus sacrum corpus objéctum cánibus bíduo jácuit in foro Tauri, illæsum tamen, et divínitus servátum; quod deínde Joánnes Présbyter sepelívit noctu juxta sepúlcrum sorôris, et matris ad palátium Liciniánum, ubi usque in præsens exstat Ecclésia Deo, sanctæ Bibiánæ nómine dicáta, quam Urbánus Octávus instaurávit, sanctárum Bibiánæ, Demétriæ, et Dafrósæ corpóribus in ea repértis, et sub ara máxima collocátis.

℟. Veni sponsa Christi.

In iij. Noct. Lect. de Homilia in Evang. **Símile est regnum cœlórum thesáuro abscóndito,** de Communi. [133]

Vesp. seq. Ps. et comm. præcedentis.

DIE III. DECEMBRIS.

S. Francisci Xaverii

Conf. Duplex minus.

Omnia de Communi unius Conf. non Pont. [93] præter sequentia.

Oratio.

DEus, qui Indiárum Gentes beáti Francísci prædicatióne et miráculis Ecclésiæ tuæ aggregáre voluísti : concéde propítius ; ut cujus gloriósa mérita venerámur, virtútum quoque imitémur exémpla. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lectiones de Script. occurr.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv.

FRancíscus in Xavério Diœcésis Pampelonénsis nobílibus paréntibus natus, Parísiis sancto Ignátio sese cómitem et discípulum junxit. Ipso magístro eo brevi devénit, ut in rerum divinárum contemplatióne defíxus, a terra aliquándo sublímis elevarétur : quod illi sacrificánti coram pópuli multitúdine aliquóties evénit. Has ánimi delícias magnis sui córporis cruciátibus merebátur. Nam interdícto sibi, non carnis solum et vini, sed panis quoque tritícei usu, vílibus cibis vesci sólitus, per bíduum subínde, triduúmque omni prorsus aliménto abstínuit. Férreis in se flagéllis ita sæviit, ut sæpe copióso cruóre difflúeret ; somnum brevíssimum humi jacens carpébat.

℟. Desidérium. [96]

Lectio v.

VItæ austeritáte ac sanctitáte Apostólico múneri jam matúrus, cum Joánnes tértius Lusitániæ rex áliquot nascéntis Societátis viros a Paulo Tértio pro Indiis postulásset ; sancti Ignátii hortátu ab eódem Pontífice ad tantum opus cum Apostólici Núntii potestáte delígitur. Eo appúlsus, íllico variárum Géntium difficíllimis et váriis linguis divínitus instrúctus appáruit. Quin eum quandóque único idiómate ad divérsas Gentes concionántem, unaquæque sua lingua loquéntem audívit. Províncias innúmeras pédibus semper, et sæpe nudis, peragrávit. Fidem Japóniæ, et sex áliis Regiónibus invéxit. Multa centéna hóminum míllia ad Christum in Indiis convértit ; magnósque Príncipes, Regésque complúres sacro fonte expiávit. Et cum tam magna pro Deo ágeret, ea erat humilitáte, ut sancto Ignátio, tunc Præpósito suo, flexis génibus scríberet.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

HUnc dilatándi Evangélii ardórem multitúdine et excelléntia miraculórum Dóminus roborávit. Cæco visum réddidit. Tantum marínæ aquæ signo crucis convértit in dulcem, quantum quingéntis vectóribus, qui siti adigebántur ad mortem, diu suffécit : qua in várias quoque regiónes asportáta, ægri plúrimi súbito curáti sunt. Plures mórtuos revocávit ad vitam : inter quos prídie sepúltum érui jussum e túmulo suscitávit : duósque álios, dum efferréntur, appreh énsa eórum manu, paréntibus e féretro vivos restítuit. Prophetíæ spíritu passim afflátus, plúrima et loco et témpore remotíssima enuntiávit. Demum in Sanciáno Sinárum ínsula die secúnda Decémbris óbiit plenus méritis, laboribúsque conféctus. Demórtui cadáver viva calce per multos menses bis óbrutum, sed pénitus incorrúptum, odóre et sánguine manávit ; et ubi Málacam delátum est, pestem sævíssimam conféstim exstínxit. Dénique ubíque terrárum novis maximísque fulgéntem miráculis, Gregórius Décimus quintus Sanctis adscrípsit.

℟. Iste sanctus.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vij. Cap. 16.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Hom. 29. in Evangelia.

POtest omnis creatúræ nómine omnis nátio Géntium designári. Ante étenim dictum fúerat : In viam Géntium ne abiéritis ; nunc autem dícitur : Prædicáte omni creatúræ, ut scílicet prius a Judæa Apostolórum repúlsa prædicátio, tunc nobis in adjutórium fíeret, cum hanc illa ad damnatiónis suæ testimónium supérba repulísset. Sed cum Discípulos ad prædicándum Véritas mittit, quid áliud in mundo facit, nisi grana séminis spargit? Et pauca grana mittit in sémine, ut multárum méssium fruges recípiat ex nostra fide.

℟. Magnificávit. [97]

Lectio viij.

NEque étenim in univérso mundo tanta fidélium messis exsúrgeret, si de manu Dómini super rationálem terram illa elécta grana prædicántium non veníssent. Séquitur : Qui credíderit, et baptizátus fúerit, salvus erit : qui vero non credíderit, condemnábitur. Fortásse unusquísque apud semetípsum dicat : Ego jam crédidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem opéribus tenet. Vera étenim fides est, quæ in hoc, quod verbis dicit, móribus non contradícit. Hinc est enim quod de quibúsdam falsis fidélibus Paulus dicit : Qui confiténtur se nosse Deum, factis autem negant.

℟. Vir Israelíta.

Lectio ix.

SIgna autem eos qui creditúri sunt hæc sequéntur : in nómine meo dæmónia ejícient, linguis loquéntur novis, serpéntes tollent : et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit : super ægros manus impónent, et bene habébunt. Numquídnam, fratres mei, quia ista signa non fácitis, mínime créditis? Sed hæc necessária in exórdio Ecclésiæ fuérunt. Ut enim ad fidem crésceret multitúdo credéntium, miráculis fúerat nutriénda. Quia et nos cum arbústa plantámus, támdiu eis aquam infúndimus quoúsque ea in terra jam coaluísse videámus : et si semel radícem fíxerint, irrigátio cessábit. Hinc est enim quod Paulus dicit : Linguæ in signum sunt, non fidélibus, sed infidélibus.

℟. Sancte Francísce.

Vesp. a capit. seq. com. præc.

DIE IV. DECEMBRIS.

S. Barbaræ

Virginis et Martyris.

Duplex minus.

Omnia de Communi unius Virginis [117] præter hic signata.

Oratio. **Deus, qui inter cétera,** de Communi.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Ex Joan. Damasc. et Arsenio. Lectio iv.



Arbara nóbilis virgo Nicomediénsis, Maximiáno Imperatóre, cum ob ejus nímiam pulchritúdinem absénte patre Dióscoro in

quadam turri diu inclúsa mansísset, eóque revérso ad núptias postularétur, Christiánam se proféssam, et Christo despónsam, álteri núbere líbere denegávit. Quinímo, ut se ab his moléstiis liberáret, divínitus adjúta aufúgiens, in cujúsdam montis specum se ábdidit. Quæ diu conquisíta, inde inhumániter extráhitur : et pugnis contúsa, crinibúsque per loca áspera raptáta, demum in tetrum cárcerem inclúditur.

℟. Pulchra. [124]

Lectio v.

Eam deínde pater in propósito persisténtem, Martiáno Præsidi trádidit. Qui ad se prodúctam léniter, et blande allocútus, paternámne religiónem légibus et témporis diuturnitáte confirmátam, pulchritúdine, nobilitáte, ópibus pollens deséreret. Ad quem virgo : Terréna, inquit, hæc, et cadúca nihil fácio : vestrósque deos detéstor et éxsecror. Quo respónso incénsus Præses, simulatióne depósita, torménta parári jubet : et vestiménta vírgini détrahi, nudámque nervis cædi, ejúsque vúlnera præacútis téstulis perfricári ; postrémo eam in cárcerem detrúdi, ubi média nocte, cárcere luce divínitus collustráto, Dóminus ei appáruit, vulnéraque sanávit. Quod cum Juliána fémina religiósa vidísset, sponte se illi sóciam martyrii conjúnxit.

℟. Spécie tua.

Lectio vj.

Postrídie ejus diéi ad tribúnal perdúcta : Vides, inquit Præses, quómodo te dii nostri, ne eórum cultum deséreres, sanam vulnéribus reddidérunt? Quinímo, respóndit illa, hinc cognóscere potes Dóminum Jesum, qui me curávit, Deum verum; deos autem tui símiles, qui ægrótos sanáre non possunt, inánes et fíctiles, omnísque sensus expértes esse. Quare veheméntius Præses commótus, vírginem férreis úngulis dilaniári, ejúsque latéribus faces admovéri, et caput malléolis contúndi jussit. Cúmque eam Juliána martyrii consors ad fídei constántiam hortarétur, ísdem torméntis, et hanc cruciári ímperat. Itaque ubéribus uni et álteri præcísis, per urbem ductæ, data senténtia, gládio fe-

riúntur. Cujus cædis minister in fíliam præter natúræ modum nímium sæviens, bárbarus ipse pater esse vóluit.

℟. Veni sponsa Christi.

In iij. Noct. Homilia in Evang. Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, de Communi. [127]

Vesperæ a capitulo de sequenti, commemoratio præcedentis.

DIE V. DECEMBRIS.

S. Petri Chrysologi

Episc. Conf. et Doctoris.

Duplex minus.

Omnia de Communi unius Conf. Pontif. [75] exceptis hic notatis.

Ad Magnificat, Aña. O Doctor óptime, de Communi Doctorum. [90]

Oratio.

Deus, qui beátum Petrum Chrysólogum Doctórem egrégium, divínitus præmonstrátum ad regéndam, et instruéndam Ecclésiam tuam éligi voluísti; præsta quæsumus; ut quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Postea fit comm. S. Sabbæ Abbatis, Aña. Similábo. ℣. Justum dedúxit. Oratio. Intercéssio nos, de Communi unius Conf. non Pont. [93]

In j. Noct. Lect. Fidélis sermo, de Communi. [78]

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv.

Petrus, qui ob áuream ejus eloquéntiam Chrysólogi cognómen adéptus est, Foro Cornélii in Æmília honéstis paréntibus natus, a prima ætáte ánimum ad Religiónem adjíciens, Cornélio Románo tunc ejúsdem Urbis Corneliénsis Epíscopo, óperam dedit; a quo étiam sciéntia, et vitæ sanctitáte cum brevi profecísset, Diáconus creátus est. Póstmodum cóntigit, ut Ravennátes ob mortem Archipræsulis sui álium, (ut moris erat) ab eis eléctum Romam ad sanctum Sixtum Papam Tértium pro confirmatióne míserint una cum Legátis suis, et cum prædícto Cornélio, qui eúmdem Levítam secum perdúxit. Interim sanctus Petrus Apóstolus, et Martyr Apollináris Summo Pontífici in somnis apparuérunt, mediúmque habéntes hunc júvenem, jussérunt, ut illum, et non álium, in Archiepíscopum Ravénnæ creáret. Hinc

Póntifex, mox ut vidit Petrum, cognóvit eum a Dómino Deo præeléctum : proptérea rejécto illo, quem ipsi offerébant, hunc solum, anno Christi quadringentésimo trigesimotértio, illi Metropolitánæ præfécit Ecclésiæ. Quod cum Legáti Ravennaténses ægre ferrent, audíta visióne, divínæ voluntáti libénter acquiescéntes, novum Archiepíscopum máxima cum reveréntia suscepérunt.

℞. Pósui adjutórium. [82]

Lectio v.

PEtrus ígitur licet invítus, in Archipræsulem consecrátus Ravénnam dedúcitur : ubi a Valentiniáno Imperatóre, et a Galla Placídia ejus matre, ac ab univérso pópulo máxima lætítia excéptus est. Et ille ab eis id unum pétere dixit, ut quando tantum óneris pro ipsórum salúte subíre non recusávit, studérent ipsi mónitis suis obtemperáre, diviníque præcéptis non obsístere. Duórum Sanctórum tunc ibi defunctórum córpora, óptimis unguéntis condíta sepelívit, Barbatiáni vidélicet presbyteri, et Germáni Antisiodorénsis Epíscopi, cujus étiam cucúllam, et cilícium sibi vendicávit in hereditátem. Projéctum, et Marcellínum in Epíscopos ordinávit. In Classe fontem exstrúxit magnitúdinis vere admirábilis, et templa quædam magnífica ædificávit tum beáto Andréæ Apóstolo, tum áliis Sanctis. Ludos ab homínibus personátis cum váriis saltatiónibus Kaléndis Januárii fíeri sólitos concióne cohíbuit acérrima; ubi inter ália illud præclárе dixit : Qui jocári volúerit cum diábolo, non póterit gaudére cum Christo. Jussu sancti Leónis Papæ Primi scripsit póstea ad Chalcedonénse Concílium advérsus hæresim Eutychétis. Respóndit prætérea ad Eutychen ipsum et ália epístola, quæ eídem Concílio in novis editiónibus præfíxa, et in Annáles Ecclesiásticos reláta fuit.

℞. Amávit eum.

Lectio vj.

DUm públice sermónes habéret ad pópulum, ádeo véhemens erat in dicéndo, ut præ nímio ardóre vox illi intérdum defécerit : sicut cóntigit in concióne mulíeris Hæmorrhoíssæ. Unde Ravenná-

tes commóti, tot lácrymis, clamóribus, et oratiónibus locum replevérunt : ut póstea ipse grátias ágeret Deo, quod in lucrum amóris vérterit damnum ejúsdem sermónis. Cum tandem annos círciter decem, et octo eam Ecclésiam sanctíssime rexísset, labórum suórum finem adésse divínitus prænóscens, in Pátriam se cóntulit. Ubi sancti Cassiáni templum ingréssus, magnum diadéma áureum, gemmis distínctum pretiosíssimis ófferens super altáre majus pósuit, necnon áureum cratérem, et paténam argénteam, quam tum rábidi canis morsus, tum febres sanáre sæpius expértum est, aqua inde demíssa. Ex tunc Ravennátes, qui eúmdem secúti fúerant, dimísit; ádmonens, ut in eligéndo óptimo Pastóre invigilárent atténte. Mox Deum humíliter precátus, et sanctum Cassiánum patrónum, ut benígne ánimam ejus excíperet, tértio Nonas Decémbris plácide ex hac vita migrávit, anno Dómini círciter quadringentésimo quinquagésimo. Sacrum illíus corpus commúni totíus civitátis fletu, ac pietáte, prope corpus ejúsdem sancti Cassiáni honoríficе cónditum nostris étiam tempóribus religióse cólitur : cujus tamen bráchium, auro, et gemmis ornátum Ravénnam delátum in Ursiána Æde venerátur.

℟. Ecce vir prudens.

In tertio Nocturno Lectiones de Homilia in Evang. Vos estis sal terræ, de Communi Doctorum. [91]

In Laud. comm. S. Sabbæ Abb. Aña. Amávit.

℣. Justus ut palma.

Oratio. Intercéssio, de Communi unius Confessoris non Pontificis. [99]

Vesp. a cap. seq. comm. præced.

DIE VI. DECEMBRIS.

S. Nicolai

Episcopi et Confessoris.
Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Conf. Pont. [75] exceptis hic signatis.

AD VESPERAS.

Nisi præcedat Festum duplex, Aña. Amícus Dei Nicoláus, Pontificáli decorátus ínfula, ómnibus se amábilem exhíbuit.

Psalmi de Offic. præced. Capit. Ecce sacérdos, de Communi. [75]

℟. Ex ejus tumba marmórea sacrum resúdat óleum, quo liníti illuminántur cæci : * Surdi audítum recípiunt : et débilis quisque sospes regréditur.

℣. Catervátim ruunt pópuli cérnere cupiéntes, quæ per eum fiunt mirabília. Surdi.

Glória Patri. Surdi.

Hymn. Iste Conféssor.

℣. Amávit eum, de Communi. [75]

Ad Magnif. Aña. O Pastor ætérne, o clemens et bone Custos, qui dum devóti gregis preces atténderes, voce lapsa de cœlo Præsuli sanctíssimo dignum Episcopátu Nicoláum ostendísti tuum fámulum.

Oratio ut infra ad Laudes.

AD MATUTINUM.

Invit. Adorémus Regem sæculórum : * In quo vivit Nicoláus honor sacerdótum.

Ps. Veníte, exsultémus. 2.

Hymn. Iste Confessor, de Communi.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Nobilíssimis síquidem natálibus ortus velut lúcifer Nicoláus emícuit.

Ps. Beátus vir, cum reliquis de Communi. [76]

Aña. Postquam domi puerílem decúrrit ætátem, cunctis mundi hujus spretis oblectatiónibus, Christi se jugo subjíciens, documéntis sanctis suum præbuit audítum.

Ps. Quare fremuérunt.

Aña. Pudóre bono replétus Dei fámulus, súmptibus datis, stupri nefas prohíbuit.

Ps. Dómine quid.

℣. Amávit eum. [78]

De libro Job.

Lectio j. Cap. 31.

AB infántia mea crevit mecum miserátio : et de útero matris meæ egréssa est mecum. Si despéxi pereúntem, eo quod non habúerit induméntum, et absque operiménto páuperem : si non benedixérunt mihi látera ejus, et de velléribus óvium meárum calefáctus est : si levávi super pupíllum manum meam, étiam cum vidérem me in porta superiórem : húmerus meus a junctúra sua cadat, et bráchium meum cum suis óssibus confringátur. Semper enim quasi tuméntes super me fluctus tímui Deum, et pondus ejus ferre non pótui. Si putávi aurum robur meum : et obrízo

dixi : Fidúcia mea. Si lætátus sum super multis divítiis meis, et quia plúrima réperit manus mea.

℟. Conféssor Dei Nicoláus nóbilis progénie, sed nobílior móribus, * Ab ipso pueríli ævo secútus Dóminum, méruit divína revelatióne ad summum próvehi sacerdótii gradum.

℣. Erat enim valde compátiens, et super afflíctos pia gestans víscera. Ab ipso.

Lectio ij.

Si vidi solem cum fulgéret, et lunam incedéntem clare : et lætátum est in abscóndito cor meum, et osculátus sum manum meam ore meo. Quæ est iníquitas máxima, et negátio contra Deum altíssimum. Si gavísus sum ad ruínam ejus, qui me óderat : et exsultávi, quod invenísset eum malum. Non enim dedi ad peccándum guttur meum, ut expéterem maledícens ánimam ejus. Si non dixérunt viri tabernáculi mei : Quis det de cárnibus ejus, ut saturémur? Foris non mansit peregrínus, óstium meum viatóri pátuit.

℟. Opéribus sanctis Nicoláus humíliter insístens, * Revelatióne divína provéctus est ad summum sacerdótii gradum.

℣. Voce clara quippe de cœlo lapsa cuídam insinuátur præsuli dignum Episcopátu Nicoláum. Revelatióne.

Lectio iij.

Si abscóndi quasi homo peccátum meum, et celávi in sinu meo iniquitátem meam. Si expávi ad multitúdinem nímiam, et despéctio propinquórum térruit me : et non magis tácui, nec egréssus sum óstium. Quis mihi tríbuat auditórem, ut desidérium meum áudiat Omnípotens, et librum scribat ipse, qui júdicat : Ut in húmero meo portem illum, et circúmdem illum quasi corónam mihi? Per síngulos gradus meos pronuntiábo illum, et quasi príncipi ófferam eum.

℟. Quadam die tempestáte sævíssima quassáti nautæ, cœpérunt sanctum invocáre Nicoláum : * Et statim cessávit tempéstas.

℣. Mox illis clamántibus, appáruit quidam, dicens illis : Ecce adsum : quid vocástis me? Et statim.

Glória Patri. Et statim.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Auro vírginum incéstus, auro patris eárum inópiam, auro prorsus utrorúmque detestábilem infámiam Dei servus adémit Nicoláus.

Ps. Cum invocárem. [80]

Aña. Innocénter jura puerília transcéndens, Evangélicæ institutiónis discípulus efféctus est.

Ps. Verba mea.

Aña. Glóriam mundi sprevit cum suis oblectatiónibus, et ídeo méruit próvehi ad summum sacerdótii gradum.

Ps. Dómine.

℣. Justum dedúxit. [81]

Ex Methodio Patriarc. aliisque. Lectio iv.

NIcoláum, illústri loco Pátaræ in Lycia natum, paréntes a Deo précibus impetrárunt. Cujus viri sánctitas quanta futúra esset, jam ab incunábulis appáruit. Nam infans cum réliquos dies lac nutrícis frequens súgeret, quarta et sexta féria semel dumtáxat, idque vésperi sugébat: quam jejúnii consuetúdinem in réliqua vita semper ténuit. Adoléscens paréntibus orbátus, facultátes suas paupéribus distríbuit. Cujus illud insígne est Christiánæ benignitátis exémplum, quod cum ejus civis egens tres fílias jam núbiles in matrimónio collocáre non posset, earúmque pudicítiam prostitúere cogitáret; re cógnita, Nicoláus noctu per fenéstram tantum pecúniæ in ejus domum injécit, quantum uníus vírginis doti satis esset: quod cum íterum et tértio fecísset, tres illæ vírgines honéstis viris in matrimónium datæ sunt.

℟. Audiens Christi conféssor trium júvenum innocéntium necem, præcucúrrit quantócius ad locum, ubi fúerant plecténdi: * Et liberávit eos.

℣. Statímque solútos a vínculis usque ad prætórium cónsulis eos secum addúxit. Et liberávit.

Lectio v.

CUm vero se totum Deo dedísset, in Palæstínam proféctus est, ut loca sancta víseret, et præsens venerarétur. Qua in peregrinatióne navem conscéndens seréno cœlo, et tranquíllo mari, horríbilem nautis tempestátem prædíxit: moxque ortam, cum essent omnes in summo perículo, orans mirabíliter

sedávit. Unde cum domum revérsus singuláris sanctitátis ómnibus documénta præbéret, Dei admónitu Myram, quæ Lyciæ metrópolis erat, venit : quo témpore ejus urbis Epíscopo mórtuo, provinciáles Epíscopi de successóre deligéndo consultábant. Itaque in ea deliberatióne divínitus admóniti sunt, ut eum elígerent, qui postrídie mane primus in ecclésiam ingrederétur, Nicoláus nómine. Qua observatióne adhíbita, in ecclésiæ jánua depreheńsus est Nicoláus, et summo ómnium consénsu Myræ Epíscopus creátur. In Episcopátu castitátem, quam semper colúerat, gravitátem, oratiónis assiduitátem, vigílias, abstinéntiam, liberalitátem, et hospitalitátem, in adhortándo mansuetúdinem, in reprehendéndo severitátem perpétuo adhíbuit.

℟. Cum júvenes audíssent sancti Nicolái nomen, statim expándunt manus utrásque ad cœlum. * Salvatóris laudántes cleméntiam.

℣. Clara quippe voce coram ómnibus dignum referébant illum Dei fámulum. Salvatóris.

Lectio vj.

Viduis et órphanis pecúnia, consílio, ópera non défuit : oppréssos ádeo sublevávit, ut étiam tres tribúnos per calúmniam a Constantíno Augústo condemnátos, qui se propter famam ejus miraculórum oratiónibus longíssime absénti commendárant, adhuc vivens, cum Imperatóri, mináciter eum terrens, apparuísset, liberáverit. Cum vero contra edíctum Diocletiáni et Maximiáni Christiánæ fídei veritátem Myræ prædicáret, ab Imperatórum satellítibus comprehénsus, et longíssime abdúctus, in cárcerem conjéctus est : ubi fuit usque ad Constantínum Imperatórem : cujus jussu ex custódia eréptus, Myram rédiit. Mox ad Nicænum Concílium se cóntulit : ubi cum trecéntis illis decem et octo Pátribus Ariánam hæresim condemnávit. Inde revérsus ad Episcopátum, non ita multo post, instánte morte, suspíciens in cœlum, cum Angelos sibi occurréntes intuerétur, illo Psalmo pronuntiáto : In te Dómine sperávi, usque ad eum locum : in manus tuas comméndo spíritum

meum; in cœléstem pátriam migrávit. Ejus corpus Bárium in Apúlia translátum, ibídem summa celebritáte ac veneratióne cólitur.

℞. Beátus Nicoláus jam triúmpho potítus novit suis fámulis præbére cœléstia cómmoda, qui toto corde poscunt ejus largitiónes : * Illi nimírum opórtet nos tota devotióne commítti.

℣. Ut apud Christum ejus patrocíniis adjuvémur semper. Illi.

Glória Patri. Illi.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Pontífices almi divína revelatióne lætificáti, Nicoláum Præsulem devotíssime consecravérunt.

Ps. Dómine, quis habitábit. [83]

Aña. Sanctus quidem tríticum, quod a nautis postuláverat, accéptum, et ságaciter distribúere, et augére précibus impetrávit.

Ps. Dómine in virtúte.

Aña. Munéribus datis, neci sunt júvenes innocéntes addícti, quibus Dómini servus fuit vitæ præsídio festinánter.

Ps. Dómini est terra.

℣. Justus ut palma. [85]

Lectiones tres de Homilia Evang. Sint lumbi, ut in Communi plurimor. Conf. [113]

℞. vij. Summe Dei Conféssor Nicoláe te venerántes prótege, * Namque crédimus tuis précibus nos posse salvári.

℣. Qui tres púeros morti addíctos illæsos abíre fecísti : tuis précibus instántem consérva plebem. Namque.

℞. viij. Servus Dei Nicoláus auri pondo trium vírginum adémit pudórem, * Earúmque patris impudícam reménso auro fugávit inópiam.

℣. Affluens ítaque misericórdiæ viscéribus, metállo duplicáto propulsávit eárum infámiam. Earúmque.

℞. ix. Ex ejus tumba marmórea sacrum resúdat óleum, quo liníti, illuminántur cæci : * Surdi audítum recípiunt : et débilis quisque sospes regréditur.

℣. Catervátim ruunt pópuli cérnere cupiéntes, quæ per eum fiunt mirabília. Surdi.

Glória Patri. Surdi.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerd. ℣. Ora pro nobis beáte Nicoláe. ℞. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúia.

AD LAUDES
et per Horas, Aña.

BEátus Nicoláus adhuc puérulus multo jejúnio macerábat corpus.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Ecclésiæ sanctæ frequéntans límina, sacra péctori condébat mandáta.

Aña. Juste et sancte vivéndo, ad honórem sacerdótii méruit promovéri divínitus.

Aña. Amícus Dei Nicoláus Pontificáli decorátus ínfula, ómnibus se amábilem exhíbuit.

Aña. O per ómnia laudábilem virum, cujus méritis ab omni clade liberántur, qui ex toto corde quærunt illum.

Capit. Ecce sacérdos.

Hymnus. Jesu Redémptor. ℣. Justus germinábit, de Communi. [87]

Ad Benedictus, Aña. Copiósæ caritátis Nicoláe Póntifex, qui cum Deo gloriáris in cœli palátio, condescénde, supplicámus, ad te suspirántibus : ut exútos gravi carne, pértrahas ad súperos.

Oratio.

DEus, qui beátum Nicoláum Pontíficem tuum innúmeris decorásti miráculis : tríbue, quæsumus; ut ejus méritis et précibus, a gehénnæ incéndiis liberémur. Per Dóminum.

Ad Horas, Capitulua et Responsoria de Communi unius Confessoris Pontificis. [87]

AD VESPERAS.

Añæ Laudum. Psalmus Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominica et loco ultimi, Psalmus Memménto Dómine. 170.

A capit. fit de seq. et pro comm. præced. vel ad Magnificat, Aña. O Christi píetas omni prosequénda laude, quæ sui fámuli Nicolái mérita longe latéque declárat; nam ex tumba ejus óleum manat, cunctósque lánguidos sanat.

DIE VII. DECEMBR.
S. Ambrosii
Episc. Conf. et Doctoris.
Duplex minus.

Omnia de Communi unius Conf. Pont. [75.] præter ea, quæ hic sunt propria.

AD PRIMAS VESPERAS.

Ad Magnificat, Aña. O Doctor óptime, de Communi Doctorum. [90]

Oratio.

Exáudi Dómine pópulum tuum, tota tibi mente subjéctum : et beáti Ambrósii Confessóris tui atque Pontíficis supplicatióne custódi : ut córpore et corde protéctus, quod pie credit, áppetat, et quod juste sperat, obtíneat. Per Dóminum.

In primo Nocturno Lect. Fidélis sermo, de Communi. [78]

IN SECUNDO NOCTURNO.

Ex Paulino et Rufino.

Lectio iv.



Ambrósius Epíscopus Mediolanénsis, Ambrósii civis Románi fílius, patre Gálliæ præfécto natus est. In hujus infántis ore exámen apum consedísse dícitur : quæ res divínam viri eloquéntiam præmonstrábat. Romæ liberálibus disciplínis erudítus est. Post a Probo Præfécto, Ligúriæ et Æmíliæ præpósitus : unde póstea ejúsdem Probi jussu cum potestáte Mediolánum venit : ubi mórtuo Auxéntio Ariáno Epíscopo, pópulus de successóre deligéndo dissidébat. Quare Ambrósius pro offícii sui múnere Ecclésiam ingréssus, ut commótam seditiónem sedáret, cum multa de quiéte et tranquillitáte reipúblicæ præcláre dixísset, derepénte púero Ambrósium Epíscopum exclamánte, univérsi pópuli vox erúpit, Ambrósium Epíscopum deposcéntis.

℟. Pósui adjutórium. [82]

Lectio v.

Recusánte illo, et eórum précibus resisténte, ardens pópuli stúdium ad Valentiniánum Imperatórem delátum est: cui gratíssimum fuit, a se deléctos júdices ad sacerdótium postulári. Fuit id étiam Probo præfécto jucúndum, qui Ambrósio proficiscénti quasi dívinans díxerat : Vade, age, non ut judex, sed ut Epíscopus. Itaque cum ad pópuli desidérium Imperatóris volúntas accéderet, Ambrósius baptizátus (erat enim catechúmenus) sacrísque initiátus, ac servátis ómnibus ex institúto Ecclésiæ Ordinum grádibus, octávo die, qui fuit séptimo Idus Decémbris, Episcopále onus suscépit. Factus Epíscopus, cathólicam fidem et disciplínam Ecclesiásticam acérrime defendit : multósque Ariános, et álios hæréticos ad fídei veritátem convértit,

in quibus claríssimum Ecclésiæ lumen sanctum Augustínum Jesu Christo péperit.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

Gratiáno Imperatóre occíso, ad Máximum ejus interfectórem legátus íterum proféctus est : eóque pœniténtiam ágere recusánte, se ab ejus communióne semóvit. Theodósium Imperatórem propter cædem Thessaloníсæ factam, ingréssu Ecclésiæ prohíbuit. Cui, cum ille David quoque regem adúlterum et homicídam fuísse dixísset, respóndit Ambrósius : Qui secútus es erréntem, séquere pœniténtem. Quare Theodósius sibi ab eo impósitam públicam pœniténtiam humíliter egit. Ergo sanctus Epíscopus pro Ecclésia Dei máximis labóribus, curísque perfúnctus, multis libris, étiam egrégie conscríptis, ántequam in morbum incíderet, mortis suæ diem prædíxit. Ad quem ægrótum Honorátus Vercellénsis Epíscopus, Dei voce ter admónitus, accúrrit, eíque sanctum Dómini corpus præbuit : quo ille sumpto, conformátis in crucis similitúdinem mánibus, orans, ánimam Deo réddidit prídie Nonas Aprílis, anno post Christum natum trecentésimo nonagésimo séptimo.

℟. Ecce vir prudens.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homilia in Evang. Vos estis sal terræ, de Communi Doctorum. [91]

De Vigilia Immaculatæ Conceptionis nihil nisi in Missa.

Vesp. de seq. com. præc.





Tota
est in te
pulchra es, amica mea, et macula non
Electa ut sol
Stella maris
Pulchra ut luna
Sicut lilium inter
Porta cœli
Plantatio rosæ
Turris David cum
propugn
Oliva speciosa
Exaltata
cedrus
Virga Jesse
floruit
sine macula
Spec
Puteus aquarum
viventium
Fons hortorum
Hortus conclusus
Civitas Dei





Die viij. Decembris.

In Festo Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis.

Duplex majus P. C. cum Oct. majori.

AD VESPERAS.

Aña. Tota pulchra, cum reliquis de Laudibus.

Psalmi. Laudáte púeri. 160. Laudáte Dóminum. 164. Lauda ánima. 181. Laudáte Dóminum. 182. Lauda Jerúsalem. 183.

Capitulum. Prov. 8.

Dominus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum et ex antíquis ántequam terra fíeret. Nondum erant abyssi, et ego jam concépta eram.

℞. In hoc cognóvi, quóniam voluísti me : * Quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

℣. Me autem propter innocéntiam suscepísti, et confirmásti me in conspéctu tuo in ætérnum. Quóniam non gaudébit.

Glória Patri. Quóniam.

Hymnus. Ave maris stella, de Offic. B. Mariæ Virginis in Sabb. [186]

℣. Immaculáta Concéptio est hódie sanctæ Maríæ Vírginis. ℞. Quæ serpéntis caput virgíneo pede contrívit, allelúia.

Ad Magnif. Aña. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia fecit mihi ma-

gna qui potens est, allelúia.

Oratio.

DEus, qui Unigéniti tui Matrem ab origináli culpa in sua Conceptióne mirabíliter præservásti: da quæsumus, ut sua nos intercessióne munítos, corde mundos fáctias suæ interésse festivitáti. Per eúmdem Dóminum.

Hæc Oratio Vigiliæ dicitur in his j. Vesp. tantum.

In fine Hymnorum dic.

Glória tibi Dómine, Qui natus es de Vírgine.

Ad Nunc dimittis, Aña. Allelúia, Sancta Dei Génitrix. Per Octavam autem, Aña. Sub tuum præsídium.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Immaculátam Conceptiónem Vírginis Maríæ celebrémus, * Christum ejus Fílium adorémus Dóminum.

Ps. Veníte, exsultémus. 2.

Hymnus.

PRæclára Custos vírginum,
Intácta Mater Núminis,
Cœléstis aulæ jánua,
Spes nostra, cœli gáudium.
Inter rubéta lílium,
Colúmba formosíssima,
Virga e radíce gérminans
Nostro medélam vúlneri.
Turris dracóni impérvia,
Amíca stella náufragis,
Tuére nos a fráudibus,
Tuáque luce dírige.
Erróris umbras díscute,
Syrtes dolósas ámove,
Fluctus tot inter, déviis
Tutam reclúde sémitam.
Glória tibi, Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Admirábile est nomen tuum, Dómine, in univérsa terra, quia in Vírgine María dignum tibi habitáculum præparásti.

Ps. Dómine Dóminus noster, cum reliquis de Comm. unius Virg [118]

Aña. In sole pósuit Deus tabernáculum suum.

Ps. Cœli enárrant.

Aña. In Conceptióne sua accépit María benedictiónem a Dómino et misericórdiam a Deo salutári suo.

Ps. Dómini est terra.

℣. Deus omnípotens præcínxit me virtúte.
℟. Et pósuit immaculátam viam meam, allelúia.

Bened. Alma Virgo.

De libro Génesis.

Lectio j. Cap. 3.



SErpens erat callídior cunctis animántibus terræ, quæ fécerat Dóminus

Deus. Qui dixit ad mulíerem : cur præcépit vobis Deus ut non comederétis de omni ligno paradísi? Cui respóndit múlier : de fructu lignórum, quæ sunt in paradíso, véscimur : de fructu vero ligni, quod est in médio paradísi, præcépit nobis Deus ne comederémus, et ne tangerémus illud, ne forte moriámur. Dixit autem serpens ad mulíerem : Nequáquam morte moriémini. Scit enim Deus quod in quocúmque die comedéritis ex eo, aperiéntur óculi vestri : et éritis sicut dii sciéntes bonum et malum.

℟. Per unum hóminem peccátum in hunc mundum intrávit in quo omnes peccavérunt. * Ne tímeas María, invenísti grátiam apud Deum.

℣. Erípuit Dóminus ánimam tuam de morte, et contra inimícum factus est protéctor tuus. Ne.

Ben. Nos cum prole pia.

Lectio ij.

Vidit ígitur múlier quod bonum esset lignum ad vescéndum, et pulchrum óculis, adspectúque delectábile : et tulit de fructu illíus, et comédit : dedítque viro suo, qui comédit. Et apérti sunt óculi ambórum : cumque cognovíssent se esse nudos, consuérunt fólia ficus, et fecérunt sibi perizómata. Et cum audíssent vocem Dómini Dei deambulántis in paradíso ad auram post merídiem, abscóndit se Adam et uxor ejus a fácie Dómini Dei in médio ligni paradísi.

℟. Transíte ad me omnes qui concupíscitis me; * Et narrábo vobis quanta fecit Deus ánimæ meæ.

℣. Vivit Dóminus quóniam adimplévit in me misericórdiam suam. Et.

Ben. Sancta Dei Génitrix.

Lectio iij.

Vocavítque Dóminus Deus Adam, et dixit ei : Ubi es? Qui ait : Vocem tuam audívi in paradíso : et tímui, eo quod nudus essem, et abscóndi me. Cui dixit : quis enim indicávit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo præcéperam tibi ne coméderes, comedísti? Dixítque Adam : Múlier quam dedísti mihi sóciam, dedit mihi de ligno, et comédi. Et dixit Dóminus Deus ad mulíerem : quare hoc fecísti? quæ respóndit : serpens decépit me et comédi. Et ait Dó-

minus Deus ad serpéntem : quia fecísti hoc, maledíctus es inter ómnia animántia, et béstias terræ; super pectus tuum gradiéris, et terram cómedes cunctis diébus vitæ tuæ : Inimicítias ponam inter te et mulíerem, et semen tuum et semen illíus : Ipsa cónteret caput tuum, et tu insidiáberis calcáneo ejus.

℟. Elécta mea cándida sicut nix in Líbano; sicut favus distíllans lábia ejus; * Mel et lac sub lingua illíus.

℣. Veni de Líbano Sponsa mea, veni, coronáberis coróna gratiárum. Mel.

Glória Patri. Mel.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Diffúsa est grátia in Conceptióne ejus, et speciósa appáruit inter fílias hóminum.

Ps. Eructávit. [122]

Aña. Adjúvit eam Deus mane dilúculo; sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Ps. Deus noster.

Aña. Gloriósa dicta sunt de te, Cívitas Dei; fundávit te Dóminus in móntibus sanctis.

Ps. Fundaménta ejus.

℣. In hoc cognóvi quóniam voluísti me. ℟. Quóniam non gaudébit inimícus meus super me, allelúia.

Benedictio. Précibus suæ Matris.

Sermo sancti Hierónymi Presbyteri.

De Assumpt. B. M. V.

Lectio iv.

Ualis et quanta esset beáta et gloriósa semper Virgo María, ab Angelo divínitus declarátur, cum dícitur : Ave grátia plena, Dóminus tecum : Benedícta tu in muliéribus. Tálibus namque decébat Vírginem oppignorári munéribus, ut esset grátia plena, quæ dedit cœlis glóriam, terris Dóminum, pacémque refúdit, fidem Géntibus, finem vítiis, vitæ órdinem, móribus disciplínam. Et bene plena, quia céteris per partes præstátur : Maríæ vero simul se tota infúdit plenitúdo grátiæ. Vere plena, quia etsi in sanctis Pátribus et Prophétis grátia fuísse créditur : non tamen eátenus plena : in María vero totíus grátiæ, quæ in Christo est, plenitúdo venit, quamquam áliter. Et ídeo inquit : Benedícta tu in muliéribus :

id est plus benedícta, quam omnes mulíeres. Ac per hoc quidquid maledictiónis infúsum est per Hevam, totum ábstulit benedíctio Maríæ. De ipsa Sálomon in Cánticis, quasi in laudem ejus : Veni, inquit, colúmba mea, immaculáta mea. Jam enim hiems tránsiit, imber ábiit, et recéssit. Ac deínde inquit : Veni de Líbano, veni coronáberis.

℟. Ego ex ore Altíssimi prodívi, primogénita ante omnem creatúram : ego feci in cœlis ut orirétur lumen indefíciens. * Nondum erant abyssi, et ego jam concépta eram.

℣. Deus enim creávit me in justítia, et apprehéndit manum meam, et servávit me. Nondum.

Bened. Jesus Maríæ Fílius.

Lectio v.

Non immérito ígitur veníre de Líbano jubétur, quia Líbanus candidátio interpretátur. Erat enim candidáta multis meritórum virtútibus, et dealbáta nive candídior, Spíritus sancti munéribus, simplicitátem colúmbæ in ómnibus repræséntans, quóniam quidquid in ea gestum est, totum púritas et simplícitas, totum véritas et grátia fuit; totum misericórdia et justítia, quæ de cœlo prospéxit : et ídeo immaculáta, quia in nullo corrúpta. Circúmdedit enim virum in útero, sicut Jeremías sanctus testátur, et non aliúnde accépit. Fáciet, inquit, Dóminus novum super terram, et múlier circúmdabit virum. Vere novum, et ómnium novitátum superéminens nóvitas virtútum, quando Deus (quem ferre non potest mundus, neque vidére áliquis, ut vívere possit) sic ingréssus est hospítium ventris, ut córporis claustrum nescíret : sicque gestátus, ut totus Deus in eo esset : et sic exívit inde, ut esset (sicut Ezéchiel fatétur) porta omníno clausa. Unde cánitur in eísdem Cánticis de ea : Hortus conclúsus, fons signátus, emissiónes tuæ paradísus. Vere hortus deliciárum, in quo cónsita sunt univérsa florum género, et odoraménta virtútum : sicque conclúsus, ut nésciat violári, neque corrúmpi ullis insidiárum fráudibus. Fons ítaque signátus sigíllo totíus Trinitátis.

℟. Nihil inquinátum in eam incúrrit : * Candor est lucis ætérnæ et spéculum sine mácula.

℣. Est enim hæc speciósior sole, et luci comparáta invenítur púrior. Candor est.

Ben. Fílius Vírginis Maríæ.

Ex Actis Pii Papæ IX.

Lectio vj.

DEíparæ autem Vírginis in sua Conceptióne de tetérrimo humáni géneris hoste victóriam, quam divína elóquia, veneránda tradítio, perpétuus Ecclésiæ sensus, singuláris Episcopórum ac fidélium conspirátio, insígnia quoque summórum Pontíficum acta atque Constitutiónes miríﬁce jam illustrábant; Pius Nonus Póntifex Máximus totíus Ecclésiæ votis ánnuens státuit suprémo suo atque infallíbili oráculo solémniter proclamáre. Itaque sexto Idus Decémbris anni millésimi octingentésimi quinquagésimi quarti in Basílica Vaticána ingénti Sanctæ Románæ Ecclésiæ Patrum Cardinálium, et Episcopórum ex díssitis étiam regiónibus adstánte cœtu, universóque plaudénte orbe solémniter pronunciávit ac definívit : Doctrínam quæ tenet beatíssimam Vírginem Maríam in primo instánti suæ Conceptiónis fuísse, singulári Dei privilégio, ab omni originális culpæ labe præservátam immúnem, esse a Deo revelátam, ac proínde ab ómnibus fidélibus fírmiter constantérque credéndam.

℟. Signum magnum appáruit in cœlo : Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus : * Et in cápite ejus coróna stellárum duódecim.

℣. Induit eam Dóminus vestiméntis salútis, induménto justítiæ, et quasi sponsam ornávit eam monílibus suis. Et in cápite.

Glória Patri. Et.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Sanctimónia et magnificéntia in Conceptióne ejus : annuntiáte in ómnibus pópulis glóriam ejus.

Ps. Cantáte. [125]

Aña. Lætámini omnes in Dómino : et confitémini memóriæ sanctitátis ejus.

Ps. Dóminus regnávit.

Aña. Notum fecit Dóminus opus suum : in conspéctu Géntium revelávit glóriam Genitrícis suæ.

Ps. Cantáte Dómino.

℣. Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me. ℟. Nec delectásti inimícos meos super me, allelúia.

Bened. Fons Evangélii.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 1.

In illo témpore : Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homilía sancti Germáni Epíscopi.

In Præsent. Deiparæ.

AVe María grátia plena, Sanctis sánctior, et cœlis excélsior, et Chérubim gloriósior, et Séraphim honorabílior, et super omnem creatúram venerabílior. Ave, colúmba quæ nobis et fructum fers olívæ, et servatórem a spiritáli dilúvio, ac portum salútis annúntias, cujus pennæ deargentátæ, et posterióra dorsi in pallóre auri sanctíssimi et illuminántis Spíritus fulgóre irradiántur. Ave amœníssimus et rationális Dei paradísus, benevolentíssima et omnipoténti ejúsdem dextra hódie ad oriéntem plantátus, et ipsi suáve olens lílium, et rosam immarcescíbilem gérminans in eórum medélam, qui pestíferam animæque exitiálem amaritúdinem mortis ad occidéntem ebíberant : paradísus, in quo ad veritátis agnitiónem lignum vivíficum effloréscit, e quo qui gustáverint, immortalitátem consequúntur. Ave, sacrosáncte ædificátum, immaculátum, purissimúmque Dei summi Regis palátium, ejúsdem Dei Regis magnificéntia circumornátum, omnésque hospítio recípiens, ac mysticis refíciens delíciis; in quo non manufáctus et vário decóre nitens situs est spirituális sponsi thálamus; in quo Verbum errántem humánam stirpem revocáre volens, carnem sibi desponsávit, ut eos, qui voluntáte própria extórres facti fúerant, Patri reconciliáret.

℟. Hortus conclúsus soror mea sponsa, hortus conclúsus, fons signátus; * Emissiónes tuæ Paradísus, o María.

℣. Aperi mihi soror mea,

amíca mea, colúmba mea, immaculáta mea. Emissiónes tuæ.

Quando Lectio ix. dicenda est de Hom. Dom. ij. Adventus, Lectiones octava et nona conjunctæ legantur pro octava; et ante Lectionem ix. dicitur Ben. Verba Redemptóris.

Bened. Ab hoste malígno.

Lectio viij.

Ave Dei mons præpínguis et umbrósus in quo enutrítus agnus rationális peccáta atque infirmitátes nostras portávit : mons, e quo devolútus ille, nulla manu præcísus lapis, contrívit aras idolórum, et factus est in caput ánguli, mirábilis in óculis nostris. Ave sanctus Dei thronus, divínum donárium, domus glóriæ, perpúlchrum ornaméntum, cimélium eléctum, et totíus orbis propitiatórium, cœlúmque Dei glóriam enárrans. Ave urna ex puro auro confláta, et suavíssimam animárum nostrárum dulcédinem, Christum scílicet, qui manna est, cóntinens. O puríssima et omni laude et obséquio digníssima Virgo, Deo dicátum donárium omni creaturárum conditióni præcéllens, terra non secta, inarátus ager, vitis floridíssima, fons aquas effúndens, Virgo génerans; et mater viri néscia, innocéntiæ thesáurus abscónditus, et sanctimóniæ decus; acceptíssimis tuis ac matérna auctoritáte válidis précibus ad Dóminum ac Deum ómnium conditórem Fílium tuum ex te sine patre génitum, ecclesiástici órdinis gubernácula fac dírigas, et ad portum tranquíllum perdúcas.

℟. Magníficat ánima mea Dóminum; * Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.

℣. Ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. Quia fecit.

Bened. In omni tribulatióne et angústia.

Lectio ix.

Sacerdótes justítia, et probátæ, immaculátæ ac sincéræ fídei exsultatióne splendidíssime indúito. Orthodóxis princípibus, qui præ omni púrpuræ aut auri splendóre, et præ margarítis ac lapídibus pretiósis, te nacti sunt diadéma et indumén-

tum ac firmíssimum regni sui ornaméntum, in tranquíllo ac próspero statu sceptra dírige. Male fidas natiónes in te ac Deum ex te génitum blasphemántes, eórum pédibus sternens subjícito : subjectúmque pópulum, ut secúndum Dei præcéptum in suávi obediéntiæ obséquio persevéret, confirmáto. Tuam hanc civitátem, quæ te tamquam turrim ac fundaméntum habet, victóriæ triúmphis coronáto, et fortitúdine circumcíngens custodíto Dei habitatiónem, templi decórem semper conserváto; laudatóres tuos ab omni discrímine, et ánimi angóre éxime; captívis redemptiónem tribúito; peregrínis tecto et quovis præsídio destitútis, solámen te éxhibe. Univérso mundo auxiliatrícem manum tuam pórrige, ut in lætítia et exsultatióne solemnitátes tuas simul cum *ista*, quam modo celebrámus, festivitáte splendidíssimo éxitu transigámus, in Christo Jesu universórum Rege ac vero Deo nostro, cui glória et fortitúdo una cum sancto vitæque princípio Patre, et coætérno et consubstantiáli et conregnánte Spíritu, nunc et semper et in sæcula sæculórum. Amen.

℟. In hoc cognóvi, quóniam voluísti me : * Quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

℣. Me autem propter innocéntiam suscepísti, et confirmásti me in conspéctu tuo in ætérnum. Quóniam.

Glória Patri. Quóniam.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerdotalis ℣. In médio ejus maledíctum non erit. ℟. Sed sedes Dei et Agni in illa erunt, et servi ejus sérvient illi, allelúia.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

Tota pulchra es María, et mácula originális non est in te.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Vestiméntum tuum cándidum quasi nix, et fácies tua sicut sol.

Aña. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri.

Aña. Benedícta es tu, Virgo María, a Dómino Deo excélso præ ómnibus muliéribus super terram.

Aña. Trahe nos, Virgo immaculáta, post te currémus in odórem unguentórum tuórum.

Capitulum. Prov. 8.
DOminus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum, et ex antíquis ántequam terra fíeret. Nondum erant abyssi et ego jam concépta eram.

Hymn. O gloriósa. [192]

℣. Immaculáta Concéptio est hódie sanctæ Maríæ Vírginis. ℟. Quæ serpéntis caput virgíneo pede contrívit, allelúia.

Ad Benedictus, Aña. Ait Dóminus Deus ad serpéntem : Inimicítias ponam inter te et mulíerem, et semen tuum et semen illíus : ipsa cónteret caput tuum, allelúia.

Oratio.

DEus, qui per Immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti; quæsumus, ut qui ex morte ejúsdem Fílii tui prævísa, eam ab omni labe præservásti, nos quoque mundos ejus intercessióne ad te perveníre concédas. Per eúmdem Dóminum.

Hæc Oratio dicitur per totam Octavam.

AD PRIMAM.

℣. Qui de Vírgine dignátus es nasci.

AD TERTIAM.

Capit. Dóminus possédit, ut supra.

℟. Deus omnípotens præcínxit me virtúte. * Allelúia, allelúia. Deus.

℣. Et pósuit immaculátam viam meam. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Deus.

℣. In hoc cognóvi.

AD SEXTAM.

Capitulum. Ezech. 44.
POrta hæc clausa erit, non aperiétur, et vir non intrábit per eam, quóniam Dóminus Deus Israel ingréssus est per eam : erítque clausa Príncipi. Princeps ipse sedébit in ea.

℟. In hoc cognóvi, quóniam voluísti me. * Allelúia, allelúia. In hoc.

℣. Quóniam non gaudébit inimícus meus super me. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. In hoc.

℣. Exaltábo te.

AD NONAM.

Capitulum. Apoc. 12
SIgnum magnum appáruit in cœlo : Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus, et in cápite ejus coróna stellárum duódecim.

℟. Exaltábo te Dómine, quóniam suscepísti me. * Allelúia, allel. Exaltábo.

℣. Nec delectásti inimícos meos super me. Allelúia, allelúia.
Glória Patri. Exaltábo.
℣. Immaculáta Concéptio tua Dei Génitrix Virgo. ℟. Gáudium annuntiávit univérso mundo, allelúia.

AD II. VESPERAS.

Añæ Laudum, Ps. **Dixit Dóminus,** cum reliq. de Comm. unius Virg. [131]
Capit. Hymn. et ℣. ut in j. Vesperis.
Ad Magnif. Aña. **Hódie egréssa est virga de radíce Jesse : hódie sine ulla peccáti labe concépta est María : hódie contrítum est ab ea caput serpéntis antíqui, allelúia.**

INFRA OCTAVAM

Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis.

AD MATUTINUM.

Invitat. Hymnus, Aña prima primi Nocturni, et Psalmi ut in die. ℣. et ℟℟. de Festo secundum ordinem dierum et Nocturn. Lect. j. et ij. de Scriptura occurrente; iij. quæ infra signatur ex Bulla Dogmatica Pii Papæ IX.

AD LAUDES.

Aña prima Laudum, Psalmi, Capit. Hymn. ℣. et Oratio ut in die.
Ad Benedictus vel pro commem. nisi Dominica infra Octav. vel dies octava fuerit, Aña. **Speciósa facta es, et suávis in delíciis virginitátis, sancta Dei Génitrix, quam vidéntes fíliæ Sion vernántem in flóribus rosárum et líliis convállium, beatíssimam prædicavérunt, et regínæ laudavérunt eam, allelúia.**
℣. **Immaculáta Concéptio est hódie sanctæ Maríæ Vírginis.** ℟. **Quæ serpéntis caput virgíneo pede contrívit.**
Ad Horas omnia ut in die.

AD VESPERAS.

Aña prima Laud. Psalmi de Comm. unius Virg. [131]
Capitulum, Hymnus ℣. et Oratio ut in die.
Ad Magnificat, vel pro commem. Octavæ, excepta Dom. infra Oct. et die octava, Aña. **Sancta María succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen quicúmque célebrant tuam sanctam Immaculátam Conceptiónem.**
℣. **Immaculáta Concéptio est hódie sanctæ Maríæ Vírginis.** ℟. **Quæ serpéntis caput virgíneo pede contrívit.**

Dom. infra Oct. fit com. Octavæ per Añas de utrisque Vesp. et Laud. festi.

DIE IX. DECEMBRIS.
Prima die infra Octavam
Immac. Concept.
Semiduplex.

Ex Bulla Dogmática Pii Papæ Noni. Lectio iij.

INeffábilis Deus, cujus viæ misericórdia et véritas, cujus volúntas omnipoténtia, et cujus sapiéntia attíngit a fine usque ad finem fórtiter, et dispónit ómnia suáviter, cum ab omni æternitáte prævíderit luctuosíssimam totíus humáni géneris ruínam ex Adámi transgressióne derivándam, atque in mystério a sæculis abscóndito primum suæ bonitátis opus decréverit per Verbi incarnatiónem sacraménto occultióre complére, ut contra misericors suum propósitum homo diabólicæ iniquitátis versútia actus in culpam non períret, et quod in primo Adámo casúrum erat, in secúndo felícius erigerétur, ab inítio et ante sæcula Unigénito Fílio suo Matrem, ex qua caro factus in beáta témporum plenitúdine nascerétur, elégit atque ordinávit, tantóque præ creatúris univérsis est prosecútus amóre, ut in illa una sibi propensíssima voluntáte complacúerit.

Vesp. seq. Ps. præc. tant.

DIE X. DECEMBRIS.
Translationis Almæ Domus Lauretanæ B. Mariæ Virginis.
Duplex minus P. C.
AD VESPERAS.

Aña. **Domum tuam**, prima de Laudibus.

Psalmi de Officio præc.

Capitulum. Eccli. 24.

IN ómnibus réquiem quæsívi, et in hereditáte Dómini morábor. Tunc præcépit, et dixit mihi Creátor ómnium : et qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo.

℟. Dóminus Deus exaltávit super terram habitatiónem meam, * Et Verbum caro factum est, et habitávit in ea.
℣. Domus mea Domus oratiónis vocábitur. Et.
Glória Patri. Et Verbum.

Hymn. Ave maris stella, de Offic. Sabb. [186]

℣. Hæc est Domus Dómini fírmiter ædificáta.
℟. Bene fundáta est supra firmam petram, allelúia.

Ad Magnif. Aña. Sanctificávit Dóminus tabernáculum suum, quia hæc est Domus Dei, in qua invocábitur nomen ejus, de quo scriptum est : et erit nomen meum ibi, dicit Dóminus.

Oratio ut infra ad Laudes.

In fine Hymn. Complet. et Horarum dicitur ℣. Glória tibi Dómine, qui natus es.

Ad Nunc dimittis, Aña. Allelúia, Sancta Dei Génitrix.

AD MATUTINUM.

Invit. Salvatórem mundi in Domo Vírginis de Spíritu sancto concéptum : Veníte, adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus. 2.

Hymn. Urbs beáta Jerúsalem, de Comm. Dedicat. Eccles. [149]

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Eleváta est magnificéntia tua super cœlos.

Ps. Dómine Dóminus noster, cum reliquis de Comm. unius Virg. [118]

Aña. In sole pósuit tabernáculum suum, et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo.

Ps. Cœli enárrant.

Aña. Quis ascéndet in montem Dómini, aut quis stabit in loco sancto ejus? ínnocens mánibus, et mundo corde.

Ps. Dómini est terra.

℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta. ℟. Bene fundáta est supra firmam petram, allelúia.

Bened. Alma Virgo vírginum.

De libro tértio Regum.

Lectio j. Cap. 8.



STetit autem Sálomon ante Altáre Dómini in conspéctu Ecclésiæ Israel, et expándit manus suas in cœlum, et ait : Ergone putándum est, quod vere Deus hábitet super terram? Si enim cœlum, et cœli cœlórum te cápere non possunt, quanto magis Domus hæc, quam ædificávi? Sed réspice ad oratiónem servi tui, et ad preces ejus Dómine Deus meus, audi hymnum, et oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie, ut sint óculi tui apérti super Domum hanc nocte, ac die : super Domum, de qua dixísti : Erit nomem meum ibi, ut exáudias oratiónem, quam orat in loco isto ad te servus tuus. Ut exáudias deprecatiónem servi tui, et pópuli tui Israel, quodcúmque oráverint in loco isto, et exáudies in loco

habitáculi tui in cœlo, et cum exaudíeris, propítius eris.

℟. Vidi speciósam sicut colúmbam ascendéntem désuper rivos aquárum, cujus inæstimábilis odor erat nimis in vestiméntis ejus, * Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium.

℣. Quæ est ista, quæ ascéndit per desértum, sicut vírgula fumi ex aromátibus myrrhæ, et thuris? Et sicut.

Ben. Nos cum prole pia.

Lectio ij.

Si fúgerit pópulus tuus Israel inimícos suos (quia peccatúrus est tibi) et agéntes pœniténtiam, et confiténtes nómini tuo vénerint, et oráverint, et deprecáti te fúerint in Domo hac, exáudi in cœlo, et dimítte peccátum pópuli tui Israel, et redúces eos in terram, quam dedísti pátribus eórum. Si clausum fúerit cœlum, et non plúerit propter peccáta eórum, et orántes in loco isto, pœniténtiam égerint nómini tuo, et a peccátis suis convérsi fúerint propter afflictiónem suam, exáudi eos in cœlo, et dimítte peccáta servórum tuórum, et pópuli tui Israel, et osténde eis viam bonam, per quam ámbulent, et da plúviam super terram tuam, quam dedísti pópulo tuo in possessiónem.

℟. Quæ est ista, quæ ascéndit sicut auróra consúrgens, pulchra ut luna : elécta ut sol, * Terríbilis, ut castrórum ácies ordináta?

℣. Fília Sion tota formósa, et suávis es, pulchra ut luna, elécta ut sol. Terríbilis.

Bened. Sancta Dei Génitrix.

Lectio iij.

Si quis cognóverit plagam cordis sui, et expánderit manus suas in Domo hac, tu exáudies in cœlo in loco habitatiónis tuæ, et repropitiáberis, et fácies ut des unicuíque secúndum omnes vias suas, sicut víderis cor ejus (quia tu nosti solus cor ómnium filiórum hóminum) ut tímeant te cunctis diébus, quibus vivunt super fáciem terræ, quam dedísti pátribus nostris. Insuper et alienígena, qui non est de pópulo tuo Israel, cum vénerit de terra longínqua propter nomen tuum (audiétur enim nomen tuum

magnum, et manus tua fortis, et bráchium tuum exténtum ubíque) cum vénerit ergo, et oráverit in hoc loco, tu exáudies in cœlo, in firmaménto habitáculi tui, et fácies ómnia, pro quibus invocáverit te alienígena, ut discant univérsi pópuli terrárum nomen tuum timére, sicut pópulus tuus Israel, et probent, quia nomen tuum invocátum est super Domum hanc.

℟. Quæ est ista, quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam.

℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. Vidérunt.

Glória. Vidérunt.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, et in sæculum sæculi.

Ps. Eructávit. [122]

Aña. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Ps. Deus noster.

Aña. Homo natus est in ea, et ipse fundávit eam Altíssimus.

Ps. Fundaménta ejus.

℣. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo. ℟. In longitúdinem diérum, allelúia.

Bened. Précibus suæ Matris.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. 52. de diversis.

Lectio iv.



SApiéntia, quæ Dei erat, et Deus erat de sinu Patris, ad nos véniens ædificávit sibi Domum, ipsam scílicet Matrem suam Vírginem Maríam, in qua septem colúmnas excídit. Quid est in ea septem colúmnas excídere, nisi ipsam dignum sibi habitáculum fide, et opéribus præparáre? nimírum ternárius númerus ad fidem propter sanctam Trinitátem, quaternárius pértinet ad mores propter quátuor principáles virtútes. Quod autem in beáta María sancta Trínitas fúerit, fúerit dico per præséntiam majestátis, ubi solus Fílius erat per susceptiónem humanitátis, testátur Núntius cœléstis, qui ei arcána mystéria réserans, ait : Ave grátia plena, Dóminus tecum : et post pauca : Spíritus sanctus supervéniet in te, et virtus Altís-

simi obumbrábit tibi. Ecce habes Dóminum, habes virtútem Altíssimi, habes Spíritum sanctum, habes Patrem, Fílium, et Spíritum sanctum.

℟. O quam metuéndus est locus iste! * Vere non est hic áliud, nisi Domus Dei, et porta cœli.

℣. Hæc est Domus Dómini fírmiter ædificáta, bene fundáta est supra firmam petram.

Bened. Jesus Maríæ Fílius.

Lectio v.

Utrum autem et quátuor principáles virtútes, tamquam quátuor colúmnas, posséderit, inquisitióne dignum vidétur. Primum ergo videámus, an fortitúdinem habúerit, quæ nimírum virtus quómodo illi abésse pótuit, quæ abjéctis sæculáribus pompis, spretísque voluptátibus carnis, soli Deo in virginitáte vívere propósuit? Ni fallor hæc Virgo est, quæ apud Salomónem légitur : Mulíerem fortem quis invéniet? procul, et de últimis fínibus prétium ejus. Porro quod témperans, prudens, et justa fúerit, ex Angeli collocutióne, et sui ipsíus responsióne luce clárius comprobámus? Salutáta quippe tam venerabíliter ab Angelo : Ave grátia plena, Dóminus tecum, non se éxtulit, quasi quæ ex singulári grátiæ privilégio benedicerétur, sed síluit, et qualis esset insólita hæc salutátio secum cogitávit. Qua in re, quid nisi témperans fuit? At vero cum de cœléstibus mystériis ab eódem Angelo docerétur, diligénter quæsívit, quómodo concíperet, et páreret, quæ virum útique non cognósceret, et in hoc sine dúbio prudens éxstitit.

℟. Fundáta est Domus Dómini supra vérticem móntium, et exaltáta est super omnes colles, * Et vénient ad eam omnes Gentes, et dicent : Glória tibi Dómine.

℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes maníþulos suos. Et vénient.

Bened. Fílius Vírginis Maríæ.

Lectio vj.

Justítiæ autem præ se fert insígne, ubi se ancíllam Dómini confitétur, nam quod justórum sit conféssio, testátur qui ait : Verúmtamen justi confitebúntur nómini tuo.

Fuit ígitur beáta Virgo María fortis in propósito, témperans in siléntio, prudens in interrogatióne, justa in confessióne. His ítaque quátuor morum colúmnis, et tribus fídei prædíctis exstrúxit in ea sibi Domum Sapiéntia cœléstis, quæ ádeo mentem ejus replévit, ut de plenitúdine mentis fecundarétur et caro. Ipsíus autem Vírginis natális Domus divínis mystériis consecráta, Angelórum ministério ab infidélium potestáte in Dalmátiam prius, deínde in Agrum Lauretánum Picénæ Provínciæ transláta fuit, sedénte sancto Cœlestíno Quinto : eamdémque ipsam esse, in qua Verbum Caro factum est, et habitávit in nobis, tum Pontifíciis diplomátibus, et celebérrima totíus Orbis veneratióne, tum contínua miraculórum virtúte, et cœléstium beneficiórum grátia comprobátur. Quibus permótus Innocéntius Duodécimus, quo fervéntius erga Matris amantíssimæ cultum fidélium memória excitarétur, ejúsdem sanctæ Domus Translatiónem anniversária solemnitáte in tota Picéni Província venerátam, Missa étiam, et Offício próprio celebrári præcépit.

℟. Domus mea Domus oratiónis vocábitur, dicit Dóminus : in ea omnis, qui petit, áccipit : et qui quærit, ínvenit :* Et pulsánti aperiétur.
℣. Pétite, et accipiétis, quærite, et inveniétis. Et. Glória Patri. Et.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus, adoráte Dóminum in aula sancta ejus.
Psalmus. Cantáte Dómino. [125]
Aña. Vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.
Ps. Dóminus regnávit.
Aña. Cantáte Dómino cánticum novum, quia mirabília fecit Dóminus, allelúia.
Ps. Cantáte Dómino.
℣. Hic Domus Dei est, et porta cœli. ℟. Et vocábitur aula Dei, allelúia.
Bened. Fons Evangélii.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 1.

In illo témpore : Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam

viro, cui nomen erat Joseph de domo David, et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

Ex Hom. 1. super Missus.

Uæ est hæc Virgo tam venerábilis, ut salutétur ab Angelo, tam húmilis, ut desponsáta sit fabro? Pulchra permíxtio virginitátis, et humilitátis, nec mediócriter placet Deo illa ánima, in qua et humílitas comméndat virginitátem, et virgínitas exórnat humilitátem; sed quanta putas veneratióne digna est, in qua humilitátem exáltat fecúnditas, et partus cónsecrat virginitátem? Audis vírginem? audis húmilem? laudábilis virtus virgínitas, sed magis necessária humílitas, illa consúlitur, ista præcípitur.

℞. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, * Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

℣. Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis a dómibus ebúrneis, ex quibus te delectavérunt fíliæ regum in honóre tuo. Proptérea.

Bened. Ab hoste malígno.

Ex Hom. 2. sup. eod. loco.

Lectio viij.

MIssus est, inquit, Angelus ad Vírginem, vírginem carne, vírginem mente, vírginem professióne, vírginem dénique, qualem descríbit Apóstolus, mente, et córpore sanctam, nec nóviter, nec fortúito invéntam, sed a sæculo eléctam, ab Altíssimo præcógnitam, et sibi præparátam, ab Angelis servátam, a Pátribus præfigurátam, a Prophétis promíssam, ut pauca loquar de plúribus, quam sibi áliam prædixísse Deus vidétur, quando ad serpéntem ait: inimicítias ponam inter te, et mulíerem? Et si adhuc dúbitas, an de María díxerit, audi quod séquitur: Ipsa cónteret caput tuum; cui hæc serváta victória est, nisi Maríæ?

℞. Beáta es Virgo María Dei Génitrix, quæ credidísti Dómino, perfécta sunt in te, quæ dicta sunt tibi: Ecce exaltáta es super Choros Angelórum: * Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum.

℣. Ave María, grátia plena, Dóminus tecum. Intercéde.

Bened. In omni tribulatióne.

Ex Hom. 3. sup. eod. loco.

Lectio ix.

Et ingréssus Angelus ad eam dixit : Ave grátia plena, Dóminus tecum. Quo ingréssus ad eam? Puto in Sacrárium pudíci cubículi, ubi illa fortássis clauso super se óstio orábat Patrem in abscóndito. Solent Angeli adstáre orántibus, et delectári in his, quos vident leváre puras manus in oratióne. Holocáustum sanctæ devotiónis gaudent se offérre Deo in odórem suavitátis. Maríæ autem oratiónes quantum placúerint in conspéctu Altíssimi, Angelus indicávit, qui ingréssus ad eam tam reverénter salutávit.

℟. Dóminus Deus exaltávit super terram habitatiónem meam, * Et Verbum caro factum est, et habitávit in ea.

℣. Domus mea Domus oratiónis vocábitur. Et Verbum.

Glória Patri. Et.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerdotalis ℣. Dómine diléxi decórem domus tuæ. ℟. Et locum habitatiónis glóriæ tuæ, allelúia.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

Domum tuam Dómine decet sanctitúdo in longitúdinem diérum.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Domus mea Domus oratiónis vocábitur : in ea omnis, qui petit, áccipit : et qui quærit, ínvenit : et pulsánti aperiétur.

Aña. Propter Domum Dómini Dei nostri, quæsívi bona tibi.

Aña. Dómine Deus exaltásti super terram habitatiónem meam.

Aña. Domum majestátis meæ, et locum pedum meórum glorificábo.

Capítulum. Eccli. 24.



In ómnibus réquiem quæsívi, et in hereditáte Dómini morábor. Tunc præcépit, et dixit mihi Creátor ómnium : et qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo.

Hymn. Anguláris fundaméntum, ut ad Laud. Dedicat. Eccles. [161]

℣. Introíbimus in tabernáculum ejus. ℟. Adorábimus in loco, ubi stetérunt pedes ejus, allelúia.

Ad Bened. Aña. Ecce tabernáculum Dei cum homínibus, et habitábit

cum eis, et ipsi pópulus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eórum Deus.

Oratio.

Deus, qui beátæ Maríæ Vírginis Domum per incarnáti Verbi mystérium misericórditer consecrásti, eámque in sinu Ecclésiæ tuæ mirabíliter collocásti : concéde; ut segregáti a tabernáculis peccatórum, digni efficiámur habitatóres Domus sanctæ tuæ. Per eúmdem Dóminum.

AD PRIMAM.

℣. Qui de Vírgine dignátus es nasci.

AD TERTIAM.

Capitul. In ómnibus, ut supra.

℟. Hæc est Domus Dómini fírmiter ædificáta, * Allelúia, allelúia. Hæc.

℣. Bene fundáta est supra firmam petram. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Hæc est.

℣. Domum tuam.

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccli. 24.

Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei herédítas illíus, et in plenitúdine Sanctórum deténtio mea.

℟. Domum tuam Dómine decet sanctitúdo, * Allelúia, allelúia. Domum.

℣. In longitúdinem diérum. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Domum.

℣. Hic Domus Dei.

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. 24.

In platéis sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans odórem dedi, quasi myrrha elécta, dedi suavitátem odóris.

℟. Hic Domus Dei est, et porta cœli, * Allelúia, allelúia. Hic Domus.

℣. Et vocábitur aula Dei. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Hic Domus.

℣. Introíbimus in tabernáculum ejus. ℟. Adorábimus in loco, ubi stetérunt pedes ejus, allelúia.

AD VESPERAS.

Añæ Laud. Ps. de Commúnius Virg. [131]

Capit. Hymn. et ℣. ut in j. Vesp.

Ad Magnificat, Aña. O quam metuéndus est locus iste! Vere non est hic áliud, nisi Domus Dei, et porta cœli.

In Vesp. comm. Feriæ tantum.

DIE XI. DECEMBRIS.
Tertia die infra Octavam
Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis.
Semiduplex.
Ex Bulla Dogmática
Pii Papæ Noni.
Lectio iij.

IPsíssima verba, quibus divínæ Scriptúræ de increáta Sapiéntia loquúntur, ejúsque sempitérnas orígines repræséntant, consuévit (Ecclésia) tum in ecclesiásticis offíciis, tum in sacrosáncta Liturgía adhibére et ad illíus Vírginis primórdia transférre, quæ uno eodémque decréto cum divínæ Sapiéntiæ incarnatióne fúerant præstitúta. Quamvis autem hæc ómnia penes fidéles ubíque prope recépta osténdant, quo stúdio ejúsmodi de Immaculáta Vírginis Conceptióne doctrínam ipsa quoque Románа Ecclésia ómnium Ecclesiárum mater et magístra fúerit prosecúta, tamen illústria hujus Ecclésiæ facta digna plane sunt, quæ nominátim recenseántur, cum tanta sit ejúsdem Ecclésiæ dígnitas atque auctóritas, quanta illi omníno debétur, quæ est cathólicæ veritátis et unitátis centrum, in qua sola inviolabíliter fuit custodíta Relígio, et ex qua tráducem fídei réliquæ omnes Ecclésiæ mutuéntur opórtet.

DIE XII. DECEMBR.
Quarta die infra Octavam
Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis.
Semiduplex.
Ex Bulla Dogmática
Pii Papæ Noni.
Lectio iij.

QUóniam quæ ad cultum pértinent, íntimo plane vínculo cum ejúsdem objécto consérta sunt, neque rata et fixa manére possunt si illud anceps sit et in ambíguo versétur, idcírco Decessóres Nostri Románi Pontífices omni cura Conceptiónis cultum amplificántes, illíus étiam objéctum ac doctrínam declaráre, et inculcáre impensíssime studuérunt. Etenim clare apertéque docuére, festum agi de Vírginis Conceptióne, atque uti falsam et ab Ecclésiæ mente alieníssimam proscripsérunt illórum opinió-

nem qui non Conceptiónem ipsam, sed sanctificatiónem ab Ecclésia coli arbitraréntur et affirmárent.

Vesp. seq. Ps. et comm. præced.

DIE XIII. DECEMBR.

S. Luciæ

Virginis et Martyris.

Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Virginis [117] exceptis hic signatis.

AD VESPERAS.

Aña. Per te Lúcia virgo cívitas Syracusána decorábitur a Dómino Jesu Christo. Psalmi præced.

Capit. Qui gloriátur, de Communi. [117]

℟. Grata facta est a Dómino in certámine, quia apud Dóminum, et apud hómines glorificáta est : in conspéctu príncipum loquebátur sapiéntiam : * Et Dóminus ómnium diléxit eam.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo; Deus in médio ejus, non commovébitur. Et Dóminus.

Glória Patri. Et.

Hymn. Vírginis Proles.

℣. Diffúsa est grátia.

Ad Magnif. Aña. In patiéntia tua possedísti ánimam tuam, Lúcia sponsa Christi : odísti, quæ in mundo sunt, et coruscas cum Angelis : sánguine próprio inimícum vicísti.

Oratio ut infra ad Laudes.

In primo Nocturno, Lect. De Virgínibus. [120]

IN SECUNDO NOCTURNO.

Ex Adone et gestis ejus.

Lectio iv.

Ucia virgo Syracusána, génere et Christiána fide ab infántia nóbilis, una cum matre Eutychia, quæ sánguinis fluxu laborábat, Cátanam ad venerándum corpus beátæ Agathæ venit : quæ ad ejus sepúlcrum cum supplíciter orásset, Agathæ intercessióne matri sanitátem impetrávit. Statim vero matrem exorávit, ut quam dotem sibi datúra esset, Christi paupéribus tríbui paterétur. Ut ígitur Syracúsas rédiit, omnem pecúniam, quam ex facultátibus vénditis redégerat, paupéribus distríbuit.

℟. Pulchra. [124]

Lectio v.

Quod ubi rescivísset is, cui eam paréntes contra vírginis voluntátem despónderant, apud Paschásium Præféctum Lúciam, quod Christiána es-

set, accusávit. Quam ille cum nec précibus, nec minis ad cultum idolórum posset perdúcere : imo tanto magis incénsam vidéret ad celebrándas Christiánæ fídei laudes, quanto magis ipse eam a senténtia avértere conabátur : Cessábunt, inquit, verba, cum ventum erit ad vérbera. Cui virgo : Dei servis verba deésse non possunt, quibus a Christo Dómino dictum est : Cum stetéritis ante reges et præsides, nolíte cogitáre quómodo, aut quid loquámini : dábitur enim vobis in illa hora, quid loquámini : non enim vos estis, qui loquímini, sed Spíritus sanctus, qui lóquitur in vobis.

℟. Spécie tua.

Lectio vj.

QUam cum Paschásius interrogásset : Estne in te Spíritus sanctus? Respóndit : Caste et pie vivéntes templum sunt Spíritus sancti. At ille : Jubébo te ad lupánar duci, ut te Spíritus sanctus déserat. Cui Virgo : Si invítam jússeris violári, cástitas mihi duplicábitur ad corónam. Quare Paschásius ira inflammátus, Lúciam eo trahi jussit : ubi ejus virgínitas violarétur; sed divínitus factum est, ut firma virgo ita consísteret, ut nulla vi de loco dimovéri posset. Quámobrem præféctus circum ipsam, pice, resína ac fervénti óleo perfúsam, ignem accéndi imperávit. Sed cum ne flamma quidem eam læderet, multis torméntis excruciátæ guttur gládio transfígitur. Quo vúlnere accépto, Lúcia prædícens Ecclésiæ tranquillitátem, quæ futúra erat Diocletiáno et Maximiáno mórtuis, Idibus Decémbris spíritum Deo réddidit. Cujus corpus Syracúsis sepúltum, deínde Constantinópolim, postrémo Venétias translátum est.

℟. Veni sponsa.

IN TERTIO NOCTURNO.

Lect. de Homilia Evang. Símile est regnum cœlórum thesáuro, de Communi. [133]

℟. vij. Lúcia virgo quid a me petis, quod ipsa póteris præstáre contínuo? nam et matri tuæ fides tua subvénit, et ecce salva est : * Quia jucúndum Deo in tua virginitáte habitáculum præparásti.

℣. Sicut enim per me cívitas Catanénsium subli-

mátur a Christo, ita per te cívitas Syracusána decorábitur a Dómino. Quia.

℟. viij. Rogávi Dóminum meum Jesum Christum, ut ignis iste non dominétur mihi. * Et impetrávi a Dómino indúcias martyrii mei.

℣. Pro eo, ut me dilígerent, detrahébant mihi : ego autem orábam. Et.

℟. ix. Grata facta est a Dómino in certámine, quia apud Dóminum, et apud hómines glorificáta est : in * conspéctu príncipum loquebátur sapiéntiam : * Et Dóminus ómnium diléxit eam.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo : Deus in médio ejus, non commovébitur. Et Dóminus.

Glória Patri. Et.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerdotalis. ℣. Veni sponsa.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

ORánte sancta Lúcia, appáruit ei beáta Agatha, et consolabátur ancíllam Christi.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Lúcia virgo, quid a me petis, quod ipsa póteris præstáre contínuo matri tuæ?

Aña. Soror mea Lúcia, virgo Deo devóta, quid a me petis, quod ipsa póteris præstáre contínuo matri tuæ?

Aña. Benedíco te Pater Dómini mei Jesu Christi, quia per Fílium tuum ignis exstínctus est a látere meo.

Aña. Per te, Lúcia virgo, cívitas Syracusána decorábitur a Dómino Jesu Christo.

Capit. Hymn. et ℣. de Communi. [129]

Ad Benedictus, Aña. Colúmna es immóbilis Lúcia sponsa Christi, quia omnis plebs te exspéctat, ut accípias corónam regni, allelúia.

Oratio.

EXáudi nos Deus salutáris noster : ut sicut de beátæ Lúciæ Vírginis et Mártyris tuæ festivitáte gaudémus ; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Et fit comm. Oct.

AD VESPERAS.

Añæ Laud. Ps. de Com. A cap. seq. et pro comm. præc. vel ad Magnificat. Aña. Tanto póndere eam fixit Spíritus sanctus, ut virgo Dómini immóbilis permanéret.

DIE XIV. DECEMBR.
S. Spiridionis
Episc. et Conf. Ordinis Nostri. Duplex-minus.

Omnia de Communi unius Confessoris Pontificis, [75] exceptis hic signatis.

Oratio.

SAncti Spiridiónis, Confessóris tui atque Pontíficis, nos Dómine festa tueántur, et sicut ille Religiónis a Prophéta Elía institútæ, oratiónibus, et opéribus fuit fidélis imitátor; ita nos ejus sequéntes vestígia cum eo te pérfrui valeámus. Per Dóminum.

Et fit com. Oct.

IN PRIMO NOCTURNO.

De Epístola prima beáti Pauli Epóstoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 1.

VErbum crucis pereúntibus quidem stultítia est : iis autem, qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim : Perdam sapiéntiam sapiéntium, et prudéntiam prudéntium reprobábo. Ubi sápiens? ubi Scriba? ubi conquisítor hujus sæculi? nonne stultam fecit Deus sapiéntiam hujus mundi? Nam quia in Dei sapiéntia non cognóvit mundus per sapiéntiam Deum : plácuit Deo per stultítiam prædicatiónis salvos fácere credéntes. Quóniam et Judæi signa petunt, et Græci sapiéntiam quærunt. Nos autem prædicámus Christum crucifíxum : Judæis quidem scándalum, Géntibus autem stultítiam : ipsis autem vocátis Judæis, atque Græcis, Christum Dei virtútem, et Dei sapiéntiam : quia quod stultum est Dei, sapiéntius est homínibus : et quod infírmum est Dei, fórtius est homínibus.

℟. Euge serve. [78]

Lectio ij.

VIdéte enim vocatiónem vestram, fratres, quia non multi sapiéntes secúndum carnem, non multi poténtes, non multi nóbiles : sed quæ stulta sunt mundi elégit Deus, ut confúndat sapiéntes : et infírma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia : et ignobília mundi, et contemptibília elégit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt, destrúeret, ut non gloriétur omnis caro in conspéctu ejus. Ex ipso autem vos estis in

Christo Jesu, qui factus est nobis sapiéntia a Deo, et justítia, et sanctificátio, et redémptio : ut quemádmodum scriptum est : Qui gloriátur, in Dómino gloriétur.

℟. Ecce sacérdos.

Lectio iiij. Cap. 2.

Et ego cum venússem ad vos, fratres, veni non in sublimitáte sermónis, aut sapiéntiæ, annúntians vobis testimónium Christi. Non enim judicávi me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifíxum. Et ego in infirmitáte, et timóre, et tremóre multo fui apud vos, et sermo meus, et prædicátio mea non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis, sed in ostensióne spíritus, et virtútis : ut fides vestra non sit in sapiéntia hóminum, sed in virtúte Dei. Sapiéntiam autem lóquimur inter perféctos : sapiéntiam vero non hujus sæculi, neque príncipum hujus sæculi, qui destruúntur : sed lóquimur Dei sapiéntiam in mystério, quæ abscóndita est, quam prædestinávit Deus ante sæcula in glóriam nostram.

℟. Jurávit Dóminus.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv.

Spirídion Tremithúntis urbis Cypri Epíscopus, unus fuit ex iis Confessóribus, qui Maximiáno Imperatóre, déxtero óculo éruto, et siníſtro póplite succíso ad metálla relegáti sunt. Hic, Constantíno Imperatóre, Nicæno Concílio cum interésset, Philósophum Ethnicum Christiánæ religióni insultántem, miro prorsus modo devícit, et ad fidem perdúxit. Sardicénsium Patrum conséssum sua quoque præséntia, ut beátus Athanásius testátur, ornávit. Triphyllum Ledrénsem Epíscopum, virum ómnium suæ ætátis eloquentíssimum, in Synodo orántem, quod símplici divínæ Scriptúræ voce uti dedignátus esset, palam reprehéndit. Intérea beátus Spirídion Ecclésiam sibi commíssam cum sanctíssime régeret, non prophetíæ dono solum, sed miraculórum étiam virtúte clarus éxstitit : nam caritáte fervens, ut innocéntem cápite damnátum liberáret, viam agébat, et torrénte valde exundánte impediebátur. At império

Spiridiónis stetit torrens, et sibi aliísque viatóribus pátuit via.

℟. Pósui adjutórium.[82]

Lectio v.

Quadam nocte cum ad caulas óvium fures veníssent (factus enim Epíscopus, propter singulárem ánimi modéstiam, oves étiam pavit) et manus ímprobas, quo áditum educéndis óvibus fácerent, extendíssent, invisibílibus quibúsdam vínculis restrícti, usque ad lucem velut tráditi tortóribus permansérunt. Cum vero oves ductúrus ad páscua matutínus se ágeret sénior, videt júvenes absque humánis vínculis in caulis pendére districtos. Cumque causam noxæ comperísset, absólvit sermóne, quos méritis vínxerat : et ne eis inánis noctúrna céderet occupátio : tóllite, inquit, o júvenes unum vobis aríetem, ne sine causa venísse videámini, quem mélius prece, quam furto quæsísse convénerat. Antiochíam jussu Constántis Imperatóris proféctus, eúmdem morbo laborántem solo tactu sanávit : ubi cum quidam áulicus illíus sacræ maxíllæ incussísset cólaphum, promptus ad Domínicam legem impléndam ille præbuit et álteram.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Filiam hábuit sanctus Epíscopus Irénem nómine (dúxerat enim ipse cum láicus esset, uxórem, cum qua paucos annos honéste tradúxit) quæ ei cum bene ministrásset, virgo defúncta est. Post ejus óbitum venit quidam dicens, se ei quoddam depósitum commendásse. Rem gestam ignoráverat pater. Perquisítum in tota domo, nusquam, quod poscebátur, invéntum est. Persistébat tamen ille, qui commendáverat, et fletu ac lácrymis perurgébat : vitæ suæ quoque illatúrum se esse exítium, nisi commendáta recíperet, testabátur. Permótus lácrymis ejus senex, ad sepúlcrum fíliæ próperat, atque eam ex nómine clámitat. Tum illa de sepúlchro : Quid vis, ait, Pater? Commendátum inquit, illíus ubi posuísti? At illa locum desígnans, illic, ait, invénies defóssum. Regréssus domum rem sicut fília de sepúlcro respónderat, repértam, trádidit reposcénti. His aliísque

rebus divínitus gestis, clarus prudéntia páriter et Christiána simplicitáte, singularíque erga peregrínos et páuperes pietáte admirándus, cum Ecclésiam Tremithuntínam mirífice gubernásset, plenus diérum obdormívit in Dómino. Ejus corpus, ad quod multa mirácula facta legúntur, longo post témpore ex loco, ubi primum sepultúræ tráditum fúerat, Corcyram delátum pia fidélium veneratióne cólitur. Celebrátur beáti Spiridiónis dies festus apud Græcos prídie Idus Decémbris.

℟. Ecce vir prudens.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo témpore : Respóndens Jesus dixit : Confíteor tibi Pater, Dómine cœli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 10. de Verb. Dom.


Veníte ad me omnes, qui laborátis. Quare enim omnes laborámus, nisi quia sumus hómines mortáles, frágiles, infírmi, lútea vasa portántes, quæ fáciunt ínvicem angústias? Sed si angustiántur vasa carnis, dilaténtur spátia caritátis. Quid ergo dicit: Veníte ad me omnes qui laborátis, nisi ut non laborétis? Dénique promíssio ejus in promptu est, quóniam laborántes vocávit. Quærent forte, qua mercéde vocáti sunt. Et ego vos, inquit, refíciam. Tóllite jugum meum super vos, et díscite a me, non mundum fabricáre, non cuncta visibília et invisibília creáre, non in ipso mundo mirabília fácere, et mórtuos suscitáre : sed quóniam mitis sum, et húmilis corde.

℟. Magnificávit. [85]

Lectio viij.

MAgnus esse vis? a mínimo íncipe. Cógitas magnam fábricam constrúere celsitúdinis? de fundaménto prius cógita humilitátis. Et quantam quisque vult et dispónit superimpónere molem ædifícii, quanto erit majus ædifícium, tanto áltius fodit fundaméntum. Et fábrica quidem cum constrúitur in supérna consúrgit : qui autem fodit

fundaméntum, ad ima déprímitur. Ergo et fábrica ante celsitúdinem humiliátur, et fastígium post humiliatiónem erígitur.

℟. Vir Israelíta.

Lectio ix.

QUod est fastígium construéndæ fábricæ, quam molímur? quo perventúrum est cacúmen ædifícii? Cito dico, usque ad conspéctum Dei. Vidétis quam excélsum est, quanta res est conspícere Deum. Qui desíderat, et quod dico, et quod audit, intélligit. Promíttitur nobis conspéctus Dei, veri Dei, summi Dei. Hoc enim bonum est, vidéntem vidére. Nam qui colunt falsos deos, fácile illos vident : sed eos vident, qui óculos habent, et non vident. Nobis autem promíttitur vísio Dei vivéntis et vidéntis.

℟. Sancte Spirídion.

In Laud., comm. Octav. Vesp. a cap. seq. comm. præcedentis.

DIE XV. DECEMBR.

In Octava

Immaculatæ Concept. B. Mariæ Virginis.

Duplex minus.

Omnia ut in die 483. exceptis hic signatis.

In primo Noct. Lect. ut in die. 484.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Ex Bulla Dogmática Pii Papæ Noni.

Lectio iv.

AB antíquis tempóribus Sacrórum Antístites, Ecclesiástici viri, Reguláres Ordines ac vel ipsi Imperatóres et Reges ab hac Apostólica Sede eníxe efflagitárunt, ut Immaculáta sanctíssimæ Dei Genitrícis Concéptio véluti cathólicæ fídei dogma definirétur. Quæ postulatiónes hac nostra quoque ætáte iterátæ fuérunt, ac potíssimum felícis recordatiónis Gregório Décimo sexto Prædecessóri Nostro, ac Nobis ipsis oblátæ sunt tum ab Epíscopis, tum a Clero Sæculári, tum a Religiósis Famíliis, ac summis Princípibus et fidélibus pópulis. Nos ítaque singulári ánimi Nostri gáudio hæc ómnia probe noscéntes, ac sério considerántes, vix dum, licet immériti, arcáno divínæ Providéntiæ consílio ad hanc sublímem Petri Cáthedram evécti totíus Ecclésiæ gubernácula tractánda suscépimus, nihil certe antíquius habúimus,

quam pro summa Nostra vel a téneris annis erga sanctíssimam Dei Genitrícem Vírginem Maríam veneratióne, pietáte et affédtu ea ómnia perágere, quæ adhuc in Ecclésiæ votis esse póterant, ut beatíssimæ Vírginis honor augerétur, ejúsque prærogatívæ uberióri luce nitérent.

℟. Ego ex ore. 487.

Lectio v.

Itaque plúrimum in Dómino confísi advenísse témporum opportunitátem pro Immaculáta sanctíssimæ Dei Genitrícis Vírginis Maríæ Conceptióne definiénda, quam divína elóquia, veneránda tradítio, perpétuus Ecclésiæ sensus, singuláris cathólicórum Antístitum ac fidélium conspirátio, et insígnia Prædecessórum Nostrórum acta, et Constitutiónes mirífice illústrant atque declárant; rebus ómnibus diligentíssime perpénsis et assíduis fervidísque ad Deum précibus effúsis, mínime cunctándum Nobis esse censúimus suprémo Nostro judício Immaculátam ipsíus Vírginis Conceptiónem sancíre, definíre, atque ita pientíssimis cathólici Orbis desidériis, Nostræque in ipsam Sanctíssimam Vírginem pietáti satisfácere, ac simul in Ipsa Unigénitum Fílium suum Dóminum nostrum Jesum Christum magis atque magis honorificáre, cum in Fílium redúndet quidquid honóris et laudis in Matrem impénditur.

℟. Nihil inquinátum.

Lectio vj.

Quare postquam nunquam intermísimus in humilitáte et jejúnio privátas Nostras et públicas Ecclésiæ preces Deo Patri per Fílium ejus offérre, ut Spíritus sancti virtúte mentem Nostram dirígere et confirmáre dignarétur, imploráto univérsæ cœléstis Cúriæ præsídio, et advocáto cum gemítibus Paráclito Spíritu, eóque sic adspiránte; ad honórem sanctæ et indivíduæ Trinitátis, ad decus et ornaméntum Vírginis Deíparæ, ad exaltatiónem Fídei cathólicæ et Christiánæ Religiónis augméntum, auctoritáte Dómini Nostri Jesu Christi, beatórum Apostolórum Petri et Pauli, ac Nostra declarámus, pronunciámus

et definímus : Doctrínam quæ tenet beatíssimam Vírginem Maríam in primo instánti suæ Conceptiónis fuísse singulári omnipoténtis Dei grátia et privilégio, intúitu meritórum Christi Jesu Salvatóris humáni géneris, ab omni originális culpæ labe præservátam immúnem, esse a Deo revelátam, atque idcírco ab ómnibus fidélibus fírmiter constantérque credéndam. Quaprópter si qui secus ac a Nobis definítum est, quod Deus avértat, præsúmpserint corde sentíre, ii nóverint ac porro sciant se próprio judício condemnátos, naufrágium circa fidem passos esse, et ab unitáte Ecclésiæ defecísse.

℟. Signum magnum.

IN TERTIO NOCTURNO.

Si fuerit Fer. iv. Q. T Lect. tres erunt de Hom. Feriæ cum ℟℟. de Festo.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. I.

IN illo témpore : Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homilía sancti Epiphánii Epíscopi.

Orat. de Laud. S. M. Deiparæ



QUid dicam, aut quid próloquar de præclára et sancta Vírgine? Solo enim Deo excépto cunctis supérior éxstitit; natúra formósior est ipsis Chérubim et Séraphim, et omni exércitu Angélico : cui prædicándæ cœléstis ac terréna lingua mínime súfficit, imo vero nec Angelórum. O beáta Virgo, colúmba pura et Sponsa cœléstis María, cœlum, templum, et thronus Divinitátis, quæ coruscántem in cœlo et in terra solem habes Christum! Nubes lúcida, quæ fulgur de cœlo lucidíssimum ad illuminándum mundum deduxísti Christum. Ave grátia plena Porta Cœlórum, de qua in Cánticis prophéta in decúrsu oratiónis plane et apérte próloquitur inclámans : Hortus conclúsus soror mea Sponsa, hortus conclúsus, fons signátus.

℟. Hortus conclúsus. 489.

Lectio viij.

VIrgo est lílium immaculátum, quæ rosam immarcescíbilem génuit Christum. O sancta Deí-

para, Ovis Immaculáta quæ Verbum ex te incarnátum Agnum Christum peperísti! O Virgo sanctíssima quæ exércitus Angelórum in stupórem deduxísti! Stupéndum est miráculum in cœlis, múlier amícta sole, gestans lucem in ulnis : stupéndum miráculum in cœlis, thálamus Vírginis habens Fílium Dei : stupéndum miráculum in cœlis, Dóminus Angelórum infans Vírginis efféctus est. Angeli accusábant Evam, nunc vero Maríam glória prosequúntur, quæ lapsam Evam eréxit, et Adámum e paradíso dejéctum in cœlos misit. Ipsa enim est cœli et terræ mediátrix, quæ uniónem naturáliter perégit.

℟. Magníficat.

Lectio ix.

GRátia sanctæ Vírginis est imménsa. Hinc Gábriel in primis salútat Vírginem, dicens : Ave, grátia plena, quæ es spléndidum cœlum. Ave, grátia plena, multis virtútibus exornáta Virgo. Ave, grátia plena, quæ es urna áurea cóntinens manna cœléste. Ave, grátia plena, quæ sitiéntes perénnis fontis dulcédine sátias. Ave Sanctíssima Mater Immaculáta, quæ genuísti Christum, qui est ante te. Ave púrpura régia, quæ cœli terræque Regem induísti. Ave liber incomprehénsus, quæ Verbum et Fílium Patris mundo legéndum exhibuísti.

℟. In hoc cognóvi.

In Vesp. comm. seq.

DIE XVI. DECEMBR.

Translatio

S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis,

Virginis Ordinis Nostri.

Duplex minus.

Omnia ut in ejusdem Officio ménstruo, [238] exceptis hic signatis.

AD I. VESPERAS.

Si celebretur post Offic. non Duplex, super Ps. præc. dicitur Ana. **Mirábilis in Magdaléna,** prima de Laud.

Post cap. ℟. **Egredímini fíliæ Sion et vidéte Sponsam in diadémate, quo coronávit eam Sponsus suus, * In die desponsatiónis illíus, et lætítiæ cordis ejus.**

℣. **Collocávit super caput sponsæ suæ corónam spíneam, quæ pósita fuit super caput suum. In die.**

Glória Patri. In die.

Oratio.

DEus, qui in beáta María Magdaléna vírgine insatiábile patiéndi desidérium excitásti, ejúsque corpus contínua mortificatióne et pœniténtia purgátum incorruptiónis dote decorásti : te súpplices exorámus, ut spíritum nostrum ab omni carnis et sæculi corruptióne immúnem custodíre, et demum ad immarcescíbilem vitam perdúcere dignéris. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lectiones de Cant. Cant. In léctulo meo. [240]

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv.

INter virtútes, quæ in sancta María Magdaléna de Pazzis exímiæ fuérunt, præcípue enítuit mundi contémptus, suíque ódium, et abnegátio. Christi enim mortificatiónem in córpore suo circúmferens, multa pati constítuit, ut vita Jesu manifestarétur in carne ejus mortáli. Ideo cœpit, Dei grátia prævénta, a téneris annis delicatióres cibos respúere, dúrius cubáre, párcius dormíre; ómnia sæculi blandiménta sensuúmque illécebras spérnere : seípsam flagéllis cædere, duróque cilício afflígere, ac jugi fere inédia maceráre : in quo propósito totíus vitæ decúrsu constantíssime perseverávit.

℟. Cum adhuc. [241]

Lectio v.

CRevit autem in ea amor crucis et abjectiónis, crescénte ætáte, virésque majóres sumpsit, postquam Carmelitárum institútum ampléxa est. Nam ut árctius sponso suo Christo spinis coronáto unirétur, corónam sibi téxuit multíplici cúspide aculeátam, quam frequénter cápiti imponébat, turpe exístimans sub spinóso cápite membrum esse delicátum. Noctes fere íntegras orándo transigébat, et cum somnus urgéret, non álio utebátur strato, quam vel nuda humo, vel ligno, aut sacco durióri. Sæpius vero a Deo probáta, velut aurum in fornáce, váriis dolóribus, desolatiónibus et tentatiónibus, únicum sibi solátium esse dicébat in quavis córporis et mentis afflictióne se divínæ voluntáti conformáre.

℟. Certámen forte.

Lectio vj.

SIc Deo, Angelis et homínibus spectáculum facta, ea sanctitáte et puritáte resplénduit, ut nihil umquam in ea apparúerit, quod posset offéndere intuéntes. Postquam vero ab hoc sæculo erépta est, multis eam signis et miráculis divína virtus illustrávit. Inter quæ illud contínuum, et adhuc persevérans est, quod ejus corpus puríssimæ ánimæ habitáculum a die óbitus usque nunc nulli corruptióni obnóxium fuit; quamvis diu in loco húmido sepúltum mánserit; e quo effóssum, íntegrum et palpábile, ac miríficum suavissimúmque odórem spirans, repértum est. Cum vero Moniáles, relícto véteri monastério, in quo sancta virgo diem óbiit, ad áliud transmigrárint, ipsum quoque pretiósum pignus Apostólica auctoritáte die sexta Decémbris anno millésimo sexcentésimo vigésimo octávo translátum est, ac ibídem summa fidélium veneratióne cólitur, dono incorruptiónis, aliísque miráculis gloriósum.

℟. Absit mihi.

Ad Vesperas, Añæ Laud. Ps. de Communi unius Virg. [131]a cap. de seq. com. præcedentis.

DIE XVII. DECEMBR.

B. Franci

Confess. Ordinis Nostri.

Duplex minus.

Omnia de Communi unius Confessoris non Pontificis. [93] præter ea quæ hic signantur.

Oratio.

DEus, qui omnipoténtiam tuam parcéndo máxime, et miserándo manifestas: concéde propítius; ut sicut beátum Francum Carmelítam méritis gloriósum ad regna sidérea vocásti; ita nos fácias ejus méritis et précibus a peccatórum nostrórum sórdibus liberári. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lectiones de Script. occurr. quæ si desint, etiam de die præc. legantur de Comm. Justus si morte.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv.



FRancus in Senárum pago nómine Groto, piis et honéstis paréntibus ortus est. Quem mater quasi monstrum infórme, quod paulátim in hóminem formarétur, sibi párere visa

est. Exitus visum confirmávit : paréntibus enim vita functis, multis crimínibus insórduit. Divíno vero consílio inter scélera ipsa excæcátus est : quippe qui óculis in Dei contémptum abuterétur. Cæcitátis autem pœna resipíscens, sancti Jacóbi Compostelláni Ecclésiam laborιósa peregrinatióne invísit, ubi lumen perfécte recépit : álias quoque illústres Orbis Ecclésias, ipsam in primis Romam visitávit; ubi a Gregório Décimo plenáriam peccatórum remissiónem obtínuit. Absolúta vero peregrinatióne (in qua pane dumtáxat, et aqua per quadragésimam, et radícibus herbárum fériis sextis, sabbatísque victitávit) Senam revérsus, vitam in solitúdine aspérrimam, férrea caténa succínctus egit; multósque ad pœniténtiam verbo exemplóque promóvit.

℟. Desidérium. [96]

Lectio vi.

INvíctum Dei athlétam dæmon luxúriæ stímulis urgébat. Die vero quodam acérrime tentátus corpus diris verbéribus afflíxit, ac in spinárum fascem, et aquæ frigidíssimæ fóveam se conjécit; quem strénue pro tuénda castitáte pugnántem beatíssima Virgo admónuit, ut Carmelitáno hábitu, quem ipsi osténdit, induerétur. Francus ergo jussa expletúrus, dum a Príore cœnóbii Senénsis índui parat, hábitus, quo induerétur, ab Angelo palam delátus est. Quem ille in Conversórum statu suscípiens, in monástica disciplína mirífice profécit : corpúsque próprium ádeo austére spirítui subjugávit, ut síngula fere membra cíngulis férreis adstrícta géreret. Cum vero aliquándo féria sexta Christi passiónem alte contemplarétur, Dóminus ea forma, qua cruci affíxus fúerat, e cápite spinis trajécto, et córporis plagis vim sánguinis multam effúndens appáruit, dixítque : Vide, France, quid pátiar pro hómine, qui passióni tantæ mínime gratus est. Quibus ille verbis, visúque in lácrymas resolútus, caténa férrea ad sánguinem usque se verberávit, Christíque crucifíxi effígiem deínceps manu gestáre assuévit.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

Non illum éxtulit crebra beatíssimæ Vírginis ei apparéntis dignátio; quin pótius se in dies asperióri vitæ ratióne, spinárum ac tribulórum íctibus, æstus, frigorísque patiéntia, cásside férrea, gravíque loríca, tamquam pœnæ severíssimæ reum dómuit. Siléntii ádeo tenax fuit, ut pilam plúmbeam semper in ore ferret. Ministéria vilióra, étiam non injúncta, alácriter exercére consuévit. Caritáte plúrimum enítuit. Prophético spíritu, miraculísque in vita obitúque, ac post óbitum splénduit. Die undécima Decémbris anni millésimi ducentésimi nonagésimi primi acúta febre labórans, ad occásum diéi nébulis discússis, quæ lucem obtenebrábant, Carmelitárum cœnóbio miro splendóre velut conflagránte, coram Fratrum orántium cœtu, óculis ac mánibus in cœlum sublátis ánimam efflávit in hæc verba: Pax vobis Fratres, et tu Dómine Jesu Christe áccipe spíritum meum. Statim vero concéntus Angelórum ánimam in cœlum efferéntium audítus est, et splendor ille evánuit. Ac demum a Cleménte Quinto vir sanctus in Beatórum númerum est relátus, Senísque magna pópuli devotióne ejus festívitas celebrátur.

℟. Iste sanctus.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homilia in Evangel. Nemo lucérnam, de Communi. [97]

Vesp. a cap. seq. comm. præc. et pro comm. Fer. Aña. O Sapiéntia.

DIE XVIII. DECEMB.

Exspectationis Partus B. Mariæ V.

Duplex minus. P. C.

Si hoc Festum celebretur post Offic. non Duplex, in j. Vesp. dic. prima Aña Laudum Missus est, super Psalmos præc.

Capitulum. Isa. 11.

Egrediétur virga de radíce Jesse, et flos de radíce ejus ascéndet. Et requiéscet super eum Spíritus Dómini.

℟. Emítte Agnum Dómine Dominatórem terræ, * De Petra desérti ad montem fíliæ Sion.

℣. Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam, et salutáre tuum da nobis. De Petra.

Glória Patri. De Petra.

Hymn. Cónditor alme sí-derum, ut in j. Vesp. Dominicæ j. Adventus. 199.

Versus ultimus Hymnorum non mutatur, sed dicitur ut jacet in unoquoque Hymno, etiam ad Horas.

℣. Ave Maria grátia plena. ℟. Dóminus tecum, allelúia.

Ad Magnificat, Aña. Spíritus sanctus in te descéndet María : ne tímeas, habébis in útero Fílium Dei, allelúia.

Oratio ut infra ad Laudes.

Ad Nunc dimittis, Aña. Veni Dómine.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Ave María, grátia plena : * Dóminus tecum.

Ps. Veníte, exsultémus. 2

Hymn. Verbum supérnum, ut in Dom. j. Adventus. 200.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Ecce Dóminus noster cum virtúte véniet, et illuminábit óculos servórum suórum, allelúia.

Ps. Dómine Dóminus noster. [118]

Aña. Roráte cœli désuper, et nubes pluant justum; aperiátur terra, et gérminet Salvatórem.

Ps. Cœli enárrant. [119]

Aña. Ecce nomen Dómini de longínquo : et cláritas ejus replet orbem terrárum.

Ps. Dómini est terra. [120]

℣. Ex Sion spécies decóris ejus. ℟. Deus noster maniféste véniet, allelúia.

Bened. Benedictióne perpétua.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 7.


ET adjécit Dóminus loqui ad Achaz, dicens : Pete tibi signum a Dómino Deo tuo in profúndum inférni, sive in excélsum supra. Et dixit Achaz : Non petam, et non tentábo Dóminum. Et dixit : Audíte ergo domus David : Numquid parum vobis est, moléstos esse homínibus, quia moléstі estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum. Ecce Virgo concípiet, et páriet fílium, et vocábitur nomen ejus Emmánuel. Butyrum et mel cómedet, ut sciat reprobáre malum, et elígere bonum. Hæc dicit Dóminus.

℟. Non auferétur sceptrum de Juda, et dux de fémore ejus, donec véniat qui mitténdus est : * Et ipse erit exspectátio Géntium.

℣. Pulchrióres sunt óculi ejus vino; et dentes ejus lacte candidióres. Et ipse.

Bened. Unigénitus Dei Fílius.

Lectio ij. Cap. 11.

Et egrediétur virga de radíce Jesse, et flos de radíce ejus ascéndet. Et requiéscet super eum Spíritus Dómini; spíritus sapiéntiæ et intelléctus, spíritus consílii, et fortitúdinis, spíritus sciéntiæ et pietátis : et replébit eum spíritus timóris Dómini. Non secúndum visiónem oculórum judicábit, neque secúndum audítum áurium árguet : sed judicábit in justítia páuperes, et árguet in æquitáte pro mansuétis terræ : et percútiet terram virga oris sui : et spíritu labiórum suórum interfíciet ímpium. Et erit justítia cíngulum lumbórum ejus : Et fides cinctórium renum ejus. Hæc dicit Dóminus.

℟. Oriétur stella ex Jacob : et consúrget homo de Israel, et confrínget omnes duces alienigenárum : * Et erit omnis terra posséssio ejus.

℣. De Jacob erit qui dominábitur, et perdet relíquias civitátis. Et erit.

Bened. Spíritus sancti grátia.

Lectio iij. Cap. 35.

Lætábitur desérta et ínvia, et exsultábit solitúdo, et florébit quasi lílium. Gérminans germinábit, et exsultábit lætabúnda et laudans : glória Líbani data est ei : decor Carméli, et Saron : ipsi vidébunt glóriam Dómini, et decórem Dei nostri. Confortáte manus dissolútas, et génua debília roboráte. Dícite pusillánimis : Confortámini, et nolíte timére : ecce Deus vester ultiónem addúcet retributiónis : Deus ipse véniet, et salvábit vos. Tunc aperiéntur óculi cæcórum, et aures surdórum patébunt. Tunc sáliet sicut cervus claudus, et apérta erit lingua mutórum : quia scissæ sunt in desérto aquæ, et torréntes in solitúdine. Et quæ erat árida, erit in stagnum, et sítiens in fontes aquárum. Hæc dicit Dóminus.

℟. Descéndet Dóminus sicut plúvia in vellus: oriétur in diébus ejus justítia, * Et abundántia pacis.

℣. Et adorábunt eum omnes reges : omnes Gentes sérvient ei. Et.

Glória Patri. Et.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. De Sion exíbit lex, et verbum Dómini de Jerúsalem.

Ps. Eructávit cor. 52.

Aña. Ecce Deus noster, exspectávimus eum, et salvábit nos, allelúia.

Ps. Deus noster. 53.

Aña. Dóminus véniet, occúrrite illi dicéntes : Magnum princípium; et regni ejus non erit finis, Deus, Fortis, Dominátor, Princeps pacis, allelúia.

Ps. Magnus Dóminus. 54.

℣. Egrediétur virga de radíce Jesse. ℟. Et flos de radíce ejus ascéndet, allelúia.

Bened. Deus Pater omnípotens.

Sermo sancti Ildephónsi Archiepíscopi Toletáni.

Ex lib. de Virginitate B. Mariæ.

Lectio iv.

DOmina mea, atque dominátrix mea, dóminans mihi, mater Dómini mei, ancílla Fílii tui, Génitrix factóris mundi, te rogo, te oro, te quæso, ut hábeam spíritum Dómini tui, spiritúmque Fílii tui, necnon et spíritum Redemptóris mei, ut de te vera et digna sápiam, vera et digna loquar, vera et digna quæcúmque sunt, díligam. Tu enim es elécta a Deo, assúmpta a Deo, advocáta a Deo, próxima Deo, adhærens Deo, conjúncta Deo; visitáta ab Angelo, salutáta ab Angelo, benedícta ab Angelo, beatificáta ab Angelo; turbáta in sermóne, attónita in cogitatióne, stupefácta in salutatióne, admiráta in dictórum annuntiatióne.

℟. Ecce Virgo concípiet, et páriet fílium, dicit Dóminus : *Et vocábitur nomen ejus Admirábilis, Deus, Fortis.

℣. Super sólium David, et super regnum ejus sedébit in ætérnum. Et.

Ben. Christus perpétuæ.

Lectio v.

INvenísse te apud Deum grátiam audis, et ne tímeas, jubéris. Unde et tu fidúcia roboráris, cognitióne miraculórum instrúeris, ad novitátem inaudítæ glóriæ provéheris. De prole ab Angelo nuntiáta es : et post fœtum íntegra et pudíca manes. Certa virgínitas nobis propónitur, et nascitúrum ex te sanctum Dei Fílium, tibi ab Angelo evangelizátur : et quæ sit nascéntis Regis poténtia, mirabíliter intimátur. Quómodo fiat, quæris; de orí-

gine intérrogas, de ratióne perscrutáris, de experiéntia requíris, de órdine sciscitáris. Audi inaudítum oráculum, consídera inusitátum opus, animadvérte incógnitum arcánum, atténde invísum factum : Spíritus sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi.

℟. Roráte cœli désuper, et nubes pluant justum : * Aperiátur terra, et gérminet Salvatórem.

℣. Emítte Agnum Dómine Dominatórem terræ, de Petra desérti ad montem fíliæ Sion. Aperiátur.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vj.

Tota invisibíliter Trínitas conceptiónem operábitur in te : sola persóna Fílii Dei in córpore tuo nascitúra carnem assúmet de te. Ideóque quod concipiétur ex te, quod nascétur ex te, quod pródiet ex te, quod germinábitur ex te, quod parturiétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. Erit enim hic magnus, hic Deus virtútum, hic Rex ómnium sæculórum, hic factor ómnium rerum. Ecce beáta tu inter mulíeres, íntegra inter puérperas, Dómina inter ancíllas, Regína inter soróres. Ecce ex hoc beátam te dicent omnes generatiónes, beátam te novérunt omnes cœléstes virtútes, beátam te prædicant omnes vates, beátam te célebrant omnes natiónes. Beáta tu fídei nostræ, beáta tu ánimæ nostræ, beáta dilectióni nostræ, beáta præcóniis et prædicatiónibus meis.

℟. Docébit nos Dóminus vias suas, et ambulábimus in sémitis ejus : *Quia de Sion exíbit lex, et Verbum Dómini de Jerúsalem.

℣. Veníte, ascendámus ad montem Dómini, et ad Domum Dei Jacob. Quia.

Glória Patri. Quia.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Dóminus dabit benignitátem, et terra nostra dabit fructum suum.

Ps. Benedixísti. 95.

Aña. Ecce véniet Deus, et homo de domo David sedére in throno, allelúia.

Ps. Fundaménta. 96.

Aña. Annuntiáte pópulis, et dícite : Ecce Deus Salvátor noster véniet.

Ps. Cantáte. 101.

℣. Egrediétur Dóminus de loco sancto suo. ℟. Véniet ut salvet pópulum suum, allelúia.

Si hoc Festum venerit in Feria iv. Quatuor Temp. Adventus, loco sequentis Homil. leguntur tres Lect. Homil. ejusdem Feriæ iv. cum Responsoriis, quæ hic assignantur.

Bened. Sancti Evangélii léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. I.

In illo témpore : Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri.

In Evang. Lucæ, cap. I. et in Hom. hiem. de Temp. Fer. iv. Q. T. Dec.

Ad Maríam Vírginem Gábriel míttitur, qui Dei fortitúdo nominátur : illum quippe nuntiáre veniébat, qui ad debellándas aéreas potestátes húmilis apparére dignátus est. De quo per Psalmístam dícitur : Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in prælio. Et rursum : Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ. Per Dei ergo fortitúdinem nuntiándus erat, qui virtútum Dóminus, et potens in prælio, contra potestátes aéreas ad bella veniébat. Et ingréssus Angelus ad eam, dixit : Ave grátia plena : Dóminus tecum : Benedícta tu in muliéribus. Bene, grátia plena vocátur, quæ nimírum grátiam, quam nulla ália merúerat, asséquitur, ut ipsum vidélicet grátiæ concípiat et géneret auctórem.

℟. Ave María, grátia plena : Dóminus tecum : * Spíritus sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi : quod enim ex te nascétur Sanctum, vocábitur Fílius Dei. ℣. Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Angelus, dixit ei. Spíritus.

Bened. Dóceat nos Dóminus.

Lectio viij.

Ecce concípies in útero, et páries fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. Jesus, Salvátor sive salutáris interpretátur : cujus sacraméntum nóminis álloquens Joseph Angelus expósuit : Ipse enim (ínquiens) salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum. Non ait

pópulum Israel, sed pópulum suum; hoc est, in unitáte fídei ex præpútio et circumcisióne vocátum : quibus ex divérsa parte vocátis, fíeret unus pastor, et unum ovíle. Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur : et dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus. Idem ergo Fílius Altíssimi, qui in útero virgináli concéptus, et natus est. Idem homo in témpore creátus ex matre, qui Deus est ante témpora natus ex Patre. Si autem idem homo, qui Deus est; omíttat Nestórius, hóminem tantum dícere ex Vírgine natum.

℟. Súscipe verbum, Virgo María, quod tibi a Dómino per Angelum transmíssum est : concípies, et páries Deum páriter et hóminem : * Ut benedícta dicáris inter omnes mulíeres.

℣. Páries quidem fílium, et virginitátis non patiéris detriméntum : efficiéris grávida, et eris mater semper intácta. Ut.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix.

Ideóque et quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. Ad distinctiónem nostræ sanctitátis, Jesus sanctus singuláriter nascitúrus assévitur. Nos quippe, etsi sancti effícimur, non tamen náscimur, quia ipsa natúræ corruptiónis conditióne constríngimur, ut mérito cum Prophéta geméntes sínguli dicámus : Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum, et in delíctis péperit me mater mea. Ille autem solus veráciter sanctus est, qui ut ipsam conditiónem natúræ corruptíbilis vínceret, ex commixtióne carnális cópulæ concéptus non est. Sanctum, inquit, vocábitur Fílius Dei. Quid hic dicis Nestoriáne, qui beátam Maríam Dei negans esse Genitrícem, apérte níteris impugnáre veritátem? Ecce Deum dixit supervéntúrum, Dei Fílium nascitúrum. Quómodo ergo aut Dei Fílius Deus non est, aut quæ Deum édidit, quómodo Theótocos, id est, Dei Génitrix non esse potest?

℟. Emítte Agnum Dómine Dominatórem terræ, * De Petra desérti ad montem fíliæ Sion.

℣. Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam, et salutáre tuum da nobis. De Petra.

Glória Patri. De Petra.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerdot. ℣. Roráte cœli désuper, et nubes pluant justum. ℟. Aperiátur terra, et gérminet Salvatórem, allelúia.

AD LAUDES

et per Horas. Aña

Missus est Gábriel Angelus ad Maríam Vírginem desponsátam Joseph.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Ave María, grátia plena : Dóminus tecum; benedícta tu in muliéribus, allelúia.

Aña. Ne tímeas María, invenísti grátiam apud Dóminum : ecce concípies, et páries fílium, allelúia.

Aña. Dabit ei Dóminus sedem David patris ejus, et regnábit in ætérnum.

Aña. Ecce ancílla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum.

Capitulum. Isaiæ 11.

Egrediétur virga de radíce Jesse, et flos de radíce ejus ascéndet. Et requiéscet super eum Spíritus Dómini.

Hymn. Vox clara, ut in Laud. Dom. j. Adv. 205.

℣. Spíritus sanctus supervéniet in te. ℟. Et virtus Altíssimi obumbrábit tibi, allelúia.

Ad Bened. Aña. Super sólium David, et super regnum ejus sedébit in ætérnum.

Oratio.

Deus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero, Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti : præsta supplícibus tuis; ut qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem Dóminum.

AD PRIMAM.

℣. Qui ventúrus es.

AD TERTIAM.

Capit. Egrediétur.

℟. Tu exsúrgens Dómine, miseréberis Sion, * Allelúia, allelúia. Tu.

℣. Quia tempus miseréndi ejus, quia venit tempus. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Tu.

℣. Roráte cœli désuper.

AD SEXTAM.

Capitulum. Isaiæ 7.

Ecce Virgo concípiet, et páriet fílium, et vocábitur nomen ejus Emmánuel. Butyrum et mel cómedet, ut sciat reprobáre malum, et elígere bonum.

℟. Roráte cœli désuper, et nubes pluant justum, * Allelúia, allelúia. Roráte.

℣. Aperiátur terra, et gérminet Salvatórem. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Roráte.

℣. Emítte Agnum.

AD NONAM.

Capitulum. Isaiæ 45.

Roráte cœli désuper, et nubes pluant justum, aperiátur terra, et gérminet Salvatórem, et justítia oriátur simul : ego Dóminus creávi eum.

℟. Emítte Agnum Dómine Dominatórem terræ, * Allelúia, allelúia. Emítte.

℣. De Petra desérti ad montem fíliæ Sion. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Emítte.

℣. Spíritus sanctus supervéniet in te. ℟. Et virtus Altíssimi obumbrábit tibi, allelúia.

AD II. VESPERAS.

Añæ Laudum, præter ultimam, cujus loco dicitur sequens Aña. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Psalmi de Comm. unius Virg. [131] et loco ultimi Meménto Dómine. 170.

Ad Magníficat, Aña. O Virgo vírginum, quómodo fiet istud : quia nec primam símilem visa es, nec habére sequéntem? Fíliæ Jerúsalem, quid me admirámini? Divínum est mystérium hoc, quod cérnitis.

Fit com. seq. et pro com. Feriæ, Aña. O Adónai.

DIE XIX. DECEMBR.

B. Mariæ ab Angelis Virginis Ordinis Nostri. Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Virginis [117] præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátæ Maríæ Vírgini tuæ angélicis dedísti móribus vívere, præsta nobis fámulis tuis ut ejus imitatióne, carnis superátis illécebris, Angelórum consórtium cónsequi mereámur. Per Dóminum.

In j. Noct. Lect. de Scriptura occurrente.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv.


María ab Angelis Augústæ Taurinórum paréntibus æque pietáte ac nobilitáte conspícuis orta est. Christiánæ disciplínæ præceptiónibus institúta a prima ætátula de se magna ac præclára spopóndit. Quippe a puerílibus ludis ábstinens secretióribus se occultábat cubículis, ut oratióni vacáret atténtius.

Ex lectitándis sacrórum virórum gestis sic exársit severióris vitæ stúdio, ut una cum fratre patérnis ædibus aufúgere, seque desértum in locum conférre proposúerit. Ex recoléndis vero Christi Dómini cruciátibus tanto patiéndi amóre vel a primis annis affécta est, ut jejúniis, vigíliis, omníque asperitátum génere afflictáre corpus instíterit. Adhuc sexénnis nihil magis habébat in votis quam ut sacratíssimo Christi Córpore se refíceret : quod quum primum fuit assecúta, majóres dívini amóris flammas in corde concépit. Quantis expósita perículis innocéntia sit matúre intélligens, claustrórum in látebras se recípere státuit, ut castitátis florem ab omni labe serváret immúnem. Voti compos effécta, læta atque álacris ádvolans ad Religiósas Soróres Ordinis Carmelitárum excalceátas Sanctæ Christínæ Augústæ Taurinórum, sacris véstibus indúta est.

℟. Pulchra fácie. [124]

Lectio v.

Post autem quam solémnia vota nuncupávit, in id incúbuit tota, ut éamet, majóri qua posset religióne, Dómino rédderet : équidem paupertátis custos severíssima, obediéntiam ad miráculum exércuit : castitáte præstitit ádeo, ut éxtimo étiam ex odóre eam quibúscum conversabátur mirabíliter adséreret. Exínde vero grave ac diutúrnum súbiit virtútis experiméntum : síquidem per annos sex, Deo sic volénte, cœlésti quavis jucunditáte ac lúmine cáruit, quibus perfúndi solent ac recreári piórum hóminum mentes. Ad hæc porro multíplici tentatiónum génere ab inférno hoste lacessíta et vexáta, vitam traxit quovis pœnárum génere acerbiórem. Sedáta dénique divíno benefício hac tanta ánimi tempestáte, cœléstibus recreári delíciis ubérrime cœpit, sic ut íntimis abrépta sénsibus perstáret, quóties de Deo cogitáret aut loquerétur. Suprémum Ascetérii moderámen iterátis étiam vícibus invítæ ac reluctánti quum demandátum fuísset, eo semper múnere ita perfúncta est, ut magístra ac dux esset ómnibus ad ineúndam et absolvéndam religiósæ perfectió-

nis viam. Scílicet elucébat in ipsa singuláris ánimi demíssio, præcípua erga Deum cáritas, nunquam intermíssum precatiónis stúdium, accuratíssima legum ómnium observántia, inusitátus sese affligándi ardor; ut reférre viderétur sanctum Aloysium Gonzágam matérno género se próxime attingéntem, qui quidem admirábilem vitæ innocéntiam singulári austeritáte cumulávit.

℟. Spécie tua.

Lectio vj.

Divínæ glóriæ propagándæ studiosíssima, superátis difficultátibus ómnibus, novum sui Ordinis monastérium in Monte Calério excitávit; ac licet absens, sacras vírgines íníbi degéntes ad ómnium virtútum laudem incéndit, eréxit. Caritáte erga próximum ducta gráviter angebátur, tot pérditos hómines in ætérnæ mortis perículo versári; assiduísque précibus et voluntáriis cruciátibus illud a divína cleméntia contendébat, ut ipsi grátiæ cœléstis auxílio in viam possent redíre salútis. Quod caritátis offícium erga ánimas páriter exércuit, quæ piaculári igne torquéntur: quippe et precatiónibus et córporis afflictatiónibus statas eis pœnas contráhere, et in cœléstem beatitátem ingréssum maturáre studébat. Singulári pietátis stúdio beatíssimam Vírginem Dei Matrem, ejúsque sponsum sanctum Joséphum prosecúta est; quibus exorátis pátriam suam ab hostíli incursióne atque ímpetu. liberávit. Divínis autem ditáta charismátibus, prophetíæ dono, discretióne spiríțuum, córdium scrutatióne ac miráculis incláruit. Dénique gravi corrépta morbo, quum præclára edidísset christiánæ patiéntiæ documénta, cœléstes núptias anhélans placidíssime conquiévit in ósculo Dómini die sexta décima Decémbris anni décimi séptimi supra millésimum septingentésimum. Quæ de illíus sanctitáte invalúerat opínio longe multúmque aucta est post pretiósam ejúsdem mortem, accedénte prodigiórum celebritáte, quæ a Deo patráta illíus suffrágio ferebántur. Quibus rite comprobátis, a Pio Nono Pontífice Máximo in beatá-

rum Vírginum númerum adléčta est.

℟. Induit me.

In tertio Nočturno, Lečtiones de Homilia in Evang. Símile erit. [127]

In Vesp. comm. seq. et Feriæ, Aña. O Radix.

DIE XX. DECEMBR.

S. Eusebii

Episcopi et Martyris.

Semiduplex.

Omnia de Comm. unius Martyris [28] præter hic signata.

Oratio.

DEus, qui nos beáti Eusébii Mártyris tui atque Pontíficis ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protečtióne gaudeámus. Per Dóminum nostrum.

In primo Nočturno, Lečt. de Script. occurr. quæ si desint, etiam de die præc. legantur de Communi, A Miléto. [44]

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv.



EUsébius natióne Sardus, Románæ Urbis Lečtor, post Vercellénsis Epíscopus, ad hanc regéndam Ecclésiam mérito est créditus divíno eléčtus judício; nam quem nunquam ante constitúti elečtóres cognóverant, posthábitis cívibus, simul ut vidérunt, et probavérunt, tantúmque intérfuit, ut probarétur, quantum ut viderétur. Primus in Occidéntis pártibus in eádem Ecclésia eósdem Mónachos instítuit esse, quos Cléricos, ut esset in ipsis viris, et contémptus rerum, et accurátio Levitárum. Ariănis impietátibus ea tempestáte per Occidéntem longe latéque tradúčtis, advérsus eas viríliter sic dimicávit, ut ejus invíčta fides Libérium Summum Pontíficem ad vitæ solátium erígeret. Quare hic sciens, in ipso fervére Spíritum Dei, cum ei significásset, ut penes Imperatórem una cum suis legátis patrocínium fídei suscíperet, mox cum illis proféčtus est ad Constántium, apud quem eníxius agens, quidquid legatióne petebátur, obtínuit, ut Episcopórum nempe cœtus celebrarétur.

℟. Desidérium. [35]

Lectio v.

COlléčtum est Medioláni anno sequénti Concílium, ad quod a Constántio invitátum Eu-

sébium, concupitúmque, ac vocátum a Libérii legátis, tantum abest, ut malignántium synagóga Arianórum contra sanctum Athanásium furéntium in suas partes addúceret, ut pótius disérte statim ipse declárans, e præséntibus quosdam sibi compértos hærética labe pollútos, Nicænam imo fidem proposúerit iis subscribéndam, ántequam cétera tractaréntur. Quod Ariánis acérbe irátis negántibus, nedum in Athanásium recusávit ipse subscríbere, quin sancti Dionysii Mártyris, qui decéptus abipsis subscrípserat, captivátam simplicitátem ingeniosíssime liberávit. Quámobrem illi gráviter indignántes, post multas illátas injúrias, exsílio illum mulctárunt; sed sanctus vir excússo púlvere, nec Cæsaris minas véritus, nec enses obstríctos, exsílium véluti sui ministérii offícium accépit, missúsque Scythópolim, famem, sitim, vérbera, divérsaque supplícia perpéssus, pro fide strénue vitam contémpsit, mortem non métuit, corpus carnifícibus trádidit.

℞. Dómine prævenísti.

Lectio vj.

Quanta in eum tunc Arianórum crudélitas fúerit, ac effrons inverecúndia, osténdunt graves lítteræ plenæ róboris, pietátis, ac religiónis, quas e Scythópoli scripsit ad Vercellénsem clerum et pópulum, aliósque finítimos, e quibus étiam est explorátum, ipsórum nec minis, inhumanáque sævítia potuísse unquam eum deterréri, nec serpentína blanda subtilitáte ad eórum societátem perdúci. Hinc in Cappadóciam, postremóque ad superióres Ægypti Thebáidas pro constántia sua deportátus, exsílii rigóres tulit ad mortem usque Constántii, post quam ad gregem suum revérti permíssus, non prius redíre vóluit, quam reparándis fídei jactúris ad Alexandrínam Synodum sese conférret, postque médici præstántis instar péragrans Oriéntis províncias, in fide infírmos ad íntegram valetúdinem restitúeret, eos instítuens in Ecclésiæ doctrína. Inde salubritáte pari digrésso in Illyricum, tandémque in Itáliam deláto, ad ejus réditum lúgubres vestes Itália mu-

távit, ubi postquam Psalmórum ómnium expurgátos a se commentários Orígenis édidit, Eusebiíque Cæsareénsis, quos vérterat de Græco in Latínum, demum tot egrégie factis illústris ad immarcescíbilem glóriæ corónam tantis ærúmnis proméritam sub Valentiniáno et Valénte, Vercéllis migrávit.

℟. Stola jucunditátis.

In tertio Nocturno. Lectiones de Homil. in Evang. **Vidéte, vigiláte, et oráte,** de Communi. [47]

De Vigilia S. Thomæ Apostoli nihil fit, nisi in Missa.

Vesp. seq. Psalmi præc. comm. Fer. Aña. **O Clavis.**

DIE XXI. DECEMBR.

S. Thomæ

Apost. Dupl. minus. P. C.

Omnia de Communi Apostolorum [3] exceptis hic signatis.

AD I. VESPERAS.

Ad Magnificat, Aña. **O Thoma Dídyme, per Christum, quem meruísti tángere, te précibus rogámus altísonis, succúrre nobis míseris, ne damnémur cum ímpiis in advéntu Júdicis.**

Oratio. **Tuum pro nobis,** de Vigil. Apost. [2]

Si hoc Festum transfertur, dicitur in primis Vesperis Oratio **Da nobis,** ut infra ad Laudes.

In primo Nocturno, Lect. **Sic nos exístimet,** de Communi. [7]

IN SECUNDO NOCTURNO.

Sermo sancti Gregórii Papæ.

Homil. 30. in Evang.

Lectio iv.



Criptum est : Spíritus Dómini ornávit cœlos. Ornaménta enim cœlórum sunt virtútes prædicántium. Quæ vidélicet ornaménta Paulus enúmerat, dicens : Alii datur per Spíritum sermo sapiéntiæ, álii sermo sciéntiæ secúndum eúmdem Spíritum, álteri fides in eódem Spíritu, álii grátia sanitátum in uno Spíritu, álii operátio virtútum, álii prophetía, álii discrétio spiríτuum, álii génera linguárum, álii interpretátio sermónum. Hæc autem ómnia operátur unus atque idem Spíritus, dívidens síngulis prout vult. Quot ergo sunt bona prædicántium, tot sunt ornaménta cœlórum. Hinc rursus scriptum est : Verbo Dómini cœli firmáti sunt. Verbum enim

Dómini Fílius est Patris. Sed eósdem cœlos, vidélicet sanctos Apóstolos, ut tota simul sancta Trínitas ostendátur operáta, repénte de sancti Spíritus divinitáte adjúngitur : Et Spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

℟. Vidi conjúnctos. [10]

Lectio v.

Cœlórum ergo virtus de Spíritu sumpta est : quia mundi hujus potestátibus contraíre non præsúmerent, nisi eos sancti Spíritus fortitúdo solidásset. Quales namque doctóres sanctæ Ecclésiæ ante advéntum hujus Spíritus fúerint, scimus : et post advéntum illíus, cujus fortitúdinis facti sint, conspícimus. Certe iste ipse pastor Ecclésiæ, ad cujus sacratíssimum corpus sedémus, quantæ debilitátis, quantæque formídinis ante advéntum Spíritus fúerit, ancílla ostiária requisíta dicat : una enim mulíeris voce percúlsus, dum mori tímuit, vitam negávit. Et pensándum, quia eum comprehénsum Petrus negávit in terra, quem suspénsum latro conféssus est in cruce. Sed vir iste tantæ formídinis, qualis post advéntum Spíritus exsístat, audiámus. Fit convéntus magistrátus, atque seniórum : cæsis denuntiátur Apóstolis, ne in nómine Jesu loqui débeant. Petrus magna auctoritáte respóndet : Obedíre opórtet Deo magis, quam homínibus.

℟. Isti sunt.

Ex Isidoro, de Patribus novi Testamenti.

Lectio vi.

Thomas Apóstolus, qui et Dídymus, Galilæus, post accéptum Spíritum sanctum, in multas províncias proféctus est ad prædicándum Christi Evangélium : Parthis, Medis, Persis, Hyrcánis, et Bactris Christiánæ fídei, et vitæ præcépta trádidit. Postrémo ad Indos se cónferens, eos in Christiána religióne erudívit : qui ad extrémum vitæ, doctrínæque sanctitáte, et miraculórum magnitúdine, cum céteros omnes ad sui admiratiónem, et Jesu Christi amórem commovísset; illíus gentis regem, idolórum cultórem, magis ad iram accéndit : cujus senténtia condemnátus, telísque confóssus, Calamínæ Apostolátus honórem martyrii coróna decorávit.

℟. Fuérunt sine.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. Cap. 20.

In illo témpore : Thomas unus ex duódecim, qui dícitur Dídymus, non erat cum eis, quando venit Jesus. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homilia 26. in Evang.

Quid, fratres caríssimi, quid inter hæc animadvértitis? Numquid casu gestum créditis, ut eléctus ille discípulus tunc deésset, post autem véniens audíret, áudiens dubitáret, dúbitans palpáret, palpans créderet? Non hoc casu, sed divína dispensatióne gestum est. Egit namque miro modo supérna cleméntia, ut discípulus ille dúbitans, dum in Magístro suo vúlnera palpáret carnis, in nobis vúlnera sanáret infidelitátis. Plus enim nobis Thomæ infidélitas ad fidem, quam fides credéntium discipulórum prófuit : quia dum ille ad fidem palpándo redúcitur, nostra mens, omni dubitatióne postpósita, in fide solidátur.

℟. Isti sunt qui. [12]

Lectio viij.

Sic quippe discípulum Dóminus post resurrectiónem suam dubitáre permísit, nec tamen in dubitatióne deséruit : sicut ante nativitátem suam habére Maríam sponsum vóluit, qui tamen ad ejus núptias non pervénit. Nam ita factus est discípulus dúbitans et palpans, testis veræ resurrectiónis, sicut sponsus matris fúerat custos integérrimæ virginitátis. Palpávit autem, et exclamávit : Dóminus meus, et Deus meus. Dicit ei Jesus : Quia vidísti me, credidísti. Cum Paulus Apóstolus dicat : Est autem fides sperandárum substántia rerum, arguméntum non apparéntium : proféćto liquet, quia fides illárum rerum arguméntum est, quæ apparére non possunt. Quæ étenim appárent, jam fidem non habent, sed agnitiónem.

℟. Isti sunt viri.

Lectio ix.

Dum ergo vidit Thomas, dum palpávit, cur ei dícitur : Quia vidísti me, credidísti? Sed áliud vidit, áliud crédidit. A mortáli quippe hómine divínitas vidéri non pótuit. Hóminem ergo vidit,

et Deum conféssus est, dicens : Dóminus meus, et Deus meus. Vidéndo ergo crédidit, qui considerándo verum hóminem, hunc Deum, quem vidére non póterat, exclamávit. Lætíficat valde, quod séquitur : Beáti, qui non vidérunt, et credidérunt. In qua nimírum senténtia nos speciáliter signáti sumus, qui eum, quem carne non vídimus, mente retinémus. Nos signáti sumus, sed si fidem nostram opéribus séquimur. Ille étenim vere credit, qui exércet operándo quod credit.

℟. Cives Apostolórum.

Ad Bened. Aña. Thoma, infer dígitum tuum huc, et mitte in latus meum : et noli esse incrédulus, sed fidélis.

Oratio.

Da nobis, quæsumus Dómine, beáti Apóstoli tui Thomæ solemnitátibus gloriári : ut ejus semper et patrocíniis sublevémur, et fidem cóngrua devotióne sectémur. Per Dóminum.

Pro comm. Adv. Aña. Nolíte timére; quinta enim die véniet ad vos Dóminus Deus noster.

℣. Vox clamántis in desérto.

Si Festum S. Thomæ transferatur, tunc prædicta Aña. Nolíte timére, non transferatur, sed dicatur in Dominica ad Benedictus.

AD VESPERAS.

Añæ, Ps. Capit. Hymn. et ℣. de Communi.

Ad Magnificat, Aña. Quia vidísti me Thoma, credidísti : beáti qui non vidérunt, et credidérunt.

Et fit comm. seq. et Feriæ. Aña. O Oriens.

DIE XXII. DECEMBR.

S. Josaphat

Episcopi et Martyris.

Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Martyris [28] præter sequentia.

Oratio.

Excita, quæsumus Dómine, in Ecclésia tua Spíritum, quo replétus beátus Jósaphat Martyr et Póntifex tuus ánimam suam pro óvibus pósuit : ut, eo intercedénte, nos quoque eódem Spíritu moti ac roboráti, ánimam nostram pro frátribus pónere non vereámur. Per Dóminum .... in unitáte ejúsdem Spíritus.

In primo Noct. Lect. de Script. occ. si desint, etiam de die præc. A Miléto. [44]

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv.

Osaphat Kuncewítius nobílibus et cathólicis paréntibus Vladimíriæ in Volhínia natus, cum puérulus matrem de Christi passióne loquéntem audíret, jáculo a látere imáginis Jesu crucifíxi immísso, vulnus in corde suscépit. Dei amóre incénsus, ádeo oratióni aliísque piis opéribus instáre cœpit, ut provectióribus adolescéntibus exémplo et admiratióni esset. Vicénnis inter claustráles sancti Basilíi alúmnos monásticam régulam proféssus, mirum quos in evangélica perfectióne progréssus fécerit. Nudis pédibus, frigidíssima licet sæviénte regiónis híeme, incedébat : carnes nunquam, vinum non nisi ex obediéntia adhíbuit, asperrimóque cilício ad óbitum usque corpus afflíxit. Castitátis florem, quem ab adolescéntia Vírgini Deíparæ vóverat, inviolátum servávit. Virtútis doctrinæque ejus brevi sic fama percrébuit, ut quamvis júnior, Byténii monastério præféctus sit; mox Vilnénsis Archimandríta, ac demum Archiepíscopus Polocénsis, invítus quidem, sed cathólicis gestiéntibus, fúerit renuntiátus.

℟. Desidérium. [35]

Lectio v.

HAC dignitáte auctus, nihil de prióri vivéndi ratióne remíttens, non nisi divínum cultum et creditárum sibi óvium salútem cordi hábuit. Cathólicæ unitátis ac veritátis strénuus propugnátor, totis víribus adlaborávit ut schismáticos hæreticósque ad communiónem cum beáti Petri Sede redúceret. Summum Pontíficem ejúsque potestátis plenitúdinem ab impudentíssimis impiórum calúmniis et erróribus, qua conciónibus, qua scriptis pietáte ac doctrína refértis deféndere nunquam déstitit. Episcopálem jurisdictiónem et Ecclésiæ bona a láicis usurpáta vindicávit. Incredíbile dictu est quot hæréticos in sinum matris Ecclésiæ revocáverit. Uniónis vero Græcæ Ecclésiæ cum Latína Josaphátum promotórem exstitísse præclaríssimum, étiam pontifícia orácula disérte testántur. Ad hæc, et templi Dei decóri instaurándo, et sacrá-

rum vírginum exstruéndis ædibus, aliísque piis opéribus juvándis, mensæ suæ provéntus ultro erogávit. In páuperes ádeo effúsus, ut cum olim inópiæ cujúsdam víduæ sublevándæ nihil occúrreret, episcopále pállium, seu Omophórion, oppignorári jússerit.

℟. Dómine.

Lectio vj.

Tot cathólicæ fídei increménta perditissimórum hóminum ádeo excitavérunt ódia, ut, conspiratióne ínita, Christi athlétam ad necem quæreren; quam sibi imminére ipse in suo ad pópulum sermóne prænuntiávit. Cum ítaque Vitépscum pastorális visitatiónis grátia proféctus esset, illi archiepiscopáles invádunt ædes; óbvios quosque fériunt ac cædunt. Tum vir mitíssimus quæréntibus sponte occúrrit, eósque amíce compéllans, Filíoli, inquit, quare familiáres meos cæditis? Si quid contra me habétis, ecce adsum. Hinc ímpetu facto, eum verbéribus contúndunt, telis confódiunt, ac demum immáni secúri necátum, in flumen projíciunt; die duodécima Novémbris anni sexcentésimi vicésimi tértii supra millésimum, ætátis ejus quadragésimi tértii. Corpus mirábili luce circumfúsum, ex imo flúminis álveo elátum est. Sanguis Mártyris parricídis ipsis in primis prófuit, qui fere omnes cápitis damnáti, ejuráto schísmate suum scelus detestáti sunt. Cum tantus Præsul plúrimis post óbitum coruscáret miráculis, eum Urbánus Octávus Póntifex Máximus Beatórum honóribus decorávit. Pius nonus tértio Kaléndas Júlias anni millésimi octingentésimi sexagésimi séptimi, cum sæculária Apostolórum Príncipum solémnia celebraréntur, coram Patrum Cardinálium senátu, simúlque adstántibus fere quingéntis, Patriárchis, Metropolítis et Epíscopis cujuscúmque ritus, qui ex toto terrárum orbe convénerant, hunc ecclesiásticæ unitátis adsertórem, primum ex orientálibus, solémni ritu in Vaticána Basílica Sanctórum órdini accénsuit. Cujus Offícium ac Missam Leo Décimus tértius Summus Póntifex ad univérsam exténdit Ecclésiam.

℟. Stola jucunditátis.

IN TERTIO NOCTURNO.
Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.
Lectio vij. Cap. 10.

IN illo témpore : Dixit Jesus Pharisæis : Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.
Hom. 59. in Joannem.

Magnum quiddam, dilectíssimi, magnum, inquam, est Ecclésiæ prælátio; et quæ multa índiget sapiéntia et fortitúdine, qualem Christus propósuit, ut ánimam pro óvibus ponámus, et nunquam illas deserámus : ut lupo generóse resistámus. Hæc enim inter pastórem et mercenárium est differéntia. Alter própriæ, contémptis óvibus, alter sua contémpta, óvium semper salúti invígilat. Pastóris ergo exémplo demonstráto, deceptóres duos méminit; furem mactántem et rapiéntem oves, et mercenárium permittèntem, neque defendéntem commíssas.

℞. Coróna. [38]

Lectio viij.

QUod superióri témpore Ezéchiel his verbis insectátus est : Væ pastóribus Israel : nonne pascébant semetípsos? nonne greges pascúntur a pastóribus? sed illi contrárium faciébant, quod máximæ malítiæ genus est, et plurimórum causa malórum; idcírco, inquit, neque quod abjéctum erat reducébant, neque quod períerat quærébant, neque confráctum alligábant, neque infírmum consolidábant : quóniam se, non gregem pascébant. Idem et Paulus áliis verbis signíficat : omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi.

℞. Glória et honóre.

Lectio ix.

VErum ab utróque se dissidére osténdit Christus : ab illis quidem qui in aliórum perníciem véniunt, cum dicat se proptérea veníssse, ut vitam habérent : ab his autem, qui oves a lupis rapi negligébant, dicéndo se propter eas ánimam pónere, ne oves períreut. Nam cum Judæi ipsum interímere vellent non proptérea déstitit a doctrína, neque credéntes trádidit, sed pérstitit, et pértulit mortem : ídeo frequénter inquit : Ego sum pastor bonus. Quæ cum nullo

niti testimónio videréntur (quod enim póneret ánimam suam non multo post re demonstrátum est; quod autem vitam habérent, et abundántius habérent, eventúrum erat in futúro sæculo) álterum ab áltero confírmat.

℟. Miles Christi.

In Vesp. comm. seq. et Feriæ. Aña. O Rex.

DIE XXIII. DECEMBR.

S. Damasi

Papæ et Conf. Semidupl.

Omnia de Comm. unius Confessoris Pontificis [75] exceptis hic signatis.

AD VESPERAS.

Pro comm. Aña. Dum esset summus Póntifex.

Oratio.

Exáudi Dómine preces nostras et intercedénte beáto Dámaso Confessóre tuo atque Pontífice, indulgéntiam nobis tríbue placátus et pacem. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lectiones de Script. occurr.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Ex Pontificali Romano, Hieronymo, et aliis.

Lectio iv.



Amasus Hispánus, vir egrégius et erudítus in Scriptúris, indícto primo Constantinopolitáno Concílio, nefáriam Eunómii et Macedónii hæresim exstínxit. Idem Ariminénsem convéntum a Libério jam ante rejéctum, íterum condemnávit: in quo (ut scribit sanctus Hierónymus) Valéntis potíssimum et Ursácii fráudibus damnátio Nicænæ fídei conclamáta fuit: et ingemíscens orbis terrárum, se Ariánum esse mirátus est.

℟. Pósui adjutórium. [82]

Lectio v.

Basílicas duas ædificávit, álteram sancti Lauréntii nómine ad theátrum Pompéji, quam máximis munéribus auxit, eíque domos et prædia attríbuit: álteram via Ardeatína ad Catacúmbas. Platóniam étiam, ubi córpora sanctórum Petri et Pauli aliquámdiu jacuérunt, dedicávit, et exornávit elegántibus vérsibus. Idémque prosa et versu scripsit de virginitáte, múltaque ália metro édidit.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

Pœnam taliónis constítuit iis, qui álterum falsi críminis accusássent. Státuit, ut, quod plúribus jam locis erat in usu, Psal-

mi per omnes Ecclésias die noctúque ab altérnis caneréntur; et in fine cujúsque Psalmi dicerétur : Glória Patri, et Fílio, et Spirítui sancto : et ut conféssio Missæ esset exórdium. Ejus jussu sanctus Hierónymus novum Testaméntum Græcæ fídei réddidit. Cum Ecclésiam rexísset annos decem et septem, menses duos, dies vigínti sex, et habuísset Ordinatiónes quinque mense Decémbri, quibus creávit Presbyteros trigínta unum, Diáconos úndecim, Epíscopos per divérsa loca sexagínta duos : virtúte, doctrína ac prudéntia clarus, prope octogenárius, Theodósio senióre imperánte, obdormívit in Dómino, et via Ardeatína una cum matre, et soróre sepúltus est in Basílica, quam ipse ædificáverat. Illíus relíquiæ póstea translátæ sunt in Ecclésiam sancti Lauréntii, ab ejus nómine in Dámaso vocátam.

℟. Ecce vir.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Vigiláte, quia nescítis, de Communi. [88]

In Vesp. ad Magnif. Aña. Dum esset summus.

Pro comm. Fer. Aña. O Emmánuel.



Dominica prima post Octavam Epiphaniæ.

Gloriosissimi Nominis Jesu.

DUPLEX MAJUS S. C.



Ccurrente Dominica Septuagesimæ reponitur hoc Festum quoad Officium in diem 28. Januarii, tamquam in sedem propriam. Ex Decr. S. R. C. 22. Januarii, 1735. et 5. Maii 1736. Unde Festum S. Cyrilli, eo anno transferendum erit in aliam diem: et tunc de S. Agnete secundo fit tantum com. in Laud. et ix. Lectio in Matutino.

Sed advertendum est, quod ubi in hoc Officio adest **Allelúia,** tunc omittendum erit, quia celebratur post Septuagesimam.

AD VESPERAS.

Aña. **Omnis, qui invocáverit nomen Dómini, salvus erit.**

Ps. **Dixit Dóminus, 159.** cum reliquis de Dom. sed loco ultimi, **Crédidi. 164.**

Aña. **Sanctum et terríbile nomen ejus : inítium sapiéntiæ timor Dómini.**

Aña. **Ego autem in Dómino gaudébo, et exsultábo in Deo Jesu meo.**

Aña. **A solis ortu usque ad occásum laudábile nomen Dómini.**

Aña. **Sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.**

Capitulum. Philipp. 2.



Hristus humiliávit semetípsum factus obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltávit illum, et donávit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nómine Jesu omne genu flectátur.

℟. **Benedíctus, qui venit in nómine Dómini,** * **Deus Dóminus, et illúxit nobis, allelúia, allelúia.**

℣. **Lápidem, quem reprobavérunt ædificántes, hic factus est in caput ánguli. Deus.**

Glória Patri. **Deus.**

Hymnus.

JEsu dulcis memória,
Dans vera cordi gáudia :
Sed super mel et ómnia :
Ejus dulcis præséntia.
Nil cánitur suávius,
Nil audítur jucúndius,
Nil cogitátur dúlcius,
Quam Jesus Dei Fílius.
Jesu spes pœniténtibus,
Quam pius es peténtibus,
Quam bonus te quæréntibus,
Sed quid inveniéntibus?
Nec lingua valet dícere,
Nec líttera exprímere,
Expértus potest crédere,
Quid sit Jesum dilígere.
Sis Jesu nostrum gáudium,
Qui es futúrus præmium,
Sit nostra in te glória,
Per cuncta semper sæcula. Amen.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum. ℟. Ex hoc nunc, et usque in sæculum, allelúia.

Ad Magnificat, Ana. Fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus, allelúia.

Oratio ut infra ad Laudes.

Fit comm. Domin. 363.

In fine Hymn. Compl. et Horar. dicitur Glória tibi Dómine, Qui natus es de Vírgine.

Ad Nunc dimittis. Ana. Allelúia : Verbum caro.

AD MATUTINUM.

Invitat. Admirábile nomen Jesu, quod est super omne nomen, * Veníte adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus. 2.

Hymnus.

JEsu Rex admirábilis,
Et triumphátor nóbilis,
Dulcédo ineffábilis,
Totus desiderábilis.
Quando cor nostrum vísitas,
Tunc lucet ei véritas,
Mundi viléscit vánitas,
Et intus fervet cáritas.
Jesu dulcédo córdium,
Fons vivus, lumen méntium,
Excédens omne gáudium,
Et omne desidérium.
Jesum omnes agnóscite,
Amórem ejus póscite :
Jesum ardénter quærite,
Quæréndo inardéscite.
Te nostra Jesu vox sonet,
Nostri te mores éxprimant,
Te corda nostra díligant,
Et nunc, et in perpétuum. Amen.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Dómine Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra.

Ps. Dómine Dóminus noster, cum reliq. de Comm. unius Virg. [118] Psalmus vero iste incipitur a secundo versu : Quóniam eleváta est.

Aña. In nómine Jesu omne genu flectátur, cœléstium, terréstrium, et infernórum.

Ps. Cœli enárrant.

Aña. Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus : mementóte quóniam excélsum est nomen ejus.

Ps. Dómini est terra.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum. ℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum, allelúia.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 3.



Etrus autem et Joánnes ascendébant in templum, ad horam oratiónis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex útero matris suæ, bajulabátur : quem ponébant quotídie ad portam templi, quæ dícitur Speciósa, ut péteret eleemósynam ab introeúntibus in templum. Is cum vidísset Petrum et Joánnem incipiéntes introíre in templum, rogábat ut eleemósynam accíperet. Intuens autem in eum Petrus cum Joánne, dixit : Réspice in nos. At ille intendébat in eos, sperans se áliquid acceptúrum ab eis. Petrus autem dixit : Argéntum et aurum non est mihi : quod autem hábeo, hoc tibi do : In nómine Jesu Christi Nazaréni surge, et ámbula. Et apprehénsa manu ejus déxtera, allevávit eum. Et prótinus consolidátæ sunt bases ejus, et plantæ. Et exsíliens stetit, et ambulábat : et intrávit cum illis in templum, ámbulans, et exsíliens, et laudans Deum.

℟. Ecce concípies, et páries fílium, et vocábis nomen ejus Jesum : * Ipse enim salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum.

℣. Vocátum est nomen ejus Jesus, quod vocátum est ab Angelo, priúsquam in útero conciperétur. Ipse.

Lectio ij.

Et vidit omnis pópulus eum ambulántem, et laudántem Deum. Cognoscébant autem illum, quod ipse erat, qui ad eleemósynam sedébat ad Speciósam portam templi, et impléti sunt stupóre, et éxtasi in eo, quod contígerat illi. Cum tenéret autem Petrum et Joánnem,

cucúrrit omnis pópulus ad eos ad pórticum, quæ appellátur Salomónis, stupéntes. Videns autem Petrus, respóndit ad pópulum : Viri Israelítæ, quid mirámini in hoc, aut nos quid intuémini, quasi nostra virtúte, aut potestáte fecérimus hunc ambuláre? Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus patrum nostrórum glorificávit Fílium suum Jesum, quem vos quidem tradidístis, et negástis ante fáciem Piláti, judicánte illo dimítti. Vos autem sanctum et justum negástis, et petístis virum homicídam donári vobis : auctórem vero vitæ interfecístis, quem Deus suscitávit a mórtuis; cujus nos testes sumus. Et in fide nóminis ejus, hunc, quem vos vidístis, et nostis, confirmávit nomen ejus : et fides, quæ per eum est, dedit íntegram sanitátem istam in conspéctu ómnium vestrum.

℟. Benedíctum est nomen tuum, Deus patrum nostrórum, qui cum irátus fúeris, misericórdiæ recordáberis : * Et in témpore tribulatiónis peccáta dimíttis.

℣. Et benedíctum nomen majestátis tuæ in ætérnum, qui facis mirabília solus. Et in.

Lectio iij. Cap. 4.

Factum est autem in crástinum, ut congregaréntur príncipes eórum, et senióres, et scribæ in Jerúsalem. Et Annas princeps sacerdótum, et Cáiphas, et Joánnes, et Alexánder, et quotquot erant de génere sacerdotáli. Et statuéntes eos in médio, interrogábant : In qua virtúte, aut in quo nómine fecístis hoc vos? Tunc replétus Spíritu sancto Petrus dixit ad eos : Príncipes pópuli, et senióres audíte : Si nos hódie dijudicámur in benefácto hóminis infírmi, in quo iste salvus factus est, notum sit ómnibus vobis, et omni plebi Israel : quia in nómine Dómini nostri Jesu Christi Nazaréni, quem vos crucifixístis, quem Deus suscitávit a mórtuis, in hoc iste adstat coram vobis sanus. Hic est lapis, qui reprobátus est a vobis ædificántibus, qui factus est in caput ánguli : et non est in álio áliquo salus. Nec enim áliud nomen est sub cœlo datum homínibus, in quo opórteat nos salvos fíeri.

℟. Laudábo nomen tuum assídue, * Et collaudábo illud in confessióne.
℣. Lætábor, et exsultábo in te : psallam nómini tuo Altíssime. Et.
Glória Patri. Et.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Mémores erunt nóminis tui Dómine, in omni generatióne, et generatiónem.
Ps. Eructávit. [122]
Aña. Magnificáte Dóminum mecum, et exaltémus nomen ejus in idípsum.
Ps. Deus noster.
Aña. Omnes Gentes quascúmque fecísti, vénient, et adorábunt coram te Dómine, et glorificábunt nomen tuum.
Ps. Fundaménta ejus.
℣. Propter glóriam nóminis tui Dómine, líbera nos. ℟. Et propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum, allelúia.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. 15. in Cant.

Lectio iv.


On otióse Spíritus sanctus nomen sponsi óleo cómparat, cum ita dóceat sponsam ad sponsum clamáre : Oleum effúsum nomen tuum. Oleum enim lucet, pascit, et ungit. Fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolórem : lux, cibus, medicína. Vide idem nunc et de sponsi nómine. Lucet prædicátum, pascit recogitátum, invocátum lenit et ungit. Et percurrámus síngula. Unde putas in toto orbe tanta et tam súbita fídei lux, nisi de prædicáto nómine Jesu? Nonne in hujus nóminis luce Deus nos vocávit in admirábile lumen suum, quibus illuminátis, et in lúmine isto vidéntibus lumen, dicat mérito Paulus : Fuístis aliquándo ténebræ, nunc autem lux in Dómino?
℟. Sperent in te, qui novérunt nomen tuum : * Quóniam non dereliquísti quæréntes te Dómine.
℣. Exsúrge Dómine, ádjuva nos, et líbera nos propter nomen tuum. Quóniam.

Lectio v.

Hoc dénique nomen coram régibus, et géntibus, et fíliis Israel portáre jussus est idem Apóstolus : et portábat nomen tamquam lumen, et illuminábat pátriam, et clamábat ubíque : Nox præcéssit, dies autem appropinquávit. Abjiciámus

ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis : sicut in die honéste ambulémus. Et monstrábat ómnibus lucérnam super candelábrum, annúntians in omni loco Jesum, et hunc crucifíxum. Quómodo lux ista resplénduit, ac perstrínxit cunctórum intuéntium óculos, quando de ore Petri tamquam fulgur egrédiens, claudi uníus corporáles plantas solidávit, et bases; multósque spirituáliter cæcos illuminávit? Numquid non ignem sparsit, cum ait : In nómine Jesu Christi Nazaréni surge, et ámbula?

℟. Confiteámur nómini tuo magno, * Quóniam terríbile, et sanctum est.

℣. Hi in cúrribus, et hi in equis : nos autem in nómine Dómini Dei nostri invocábimus. Quóniam.

Lectio vj.

NEc tantum lux est nomen Jesu, sed est et cibus. An non tóties confortáris, quóties recordáris? Quid æque mentem cogitántis impínguat? Quid ita excercitátos réparat sensus, virtútes róborat, végetat mores bonos, atque honéstos, castas fovet affectiónes? Aridus est omnis ánimæ cibus, si non óleo isto infúnditur; insípidus est, si non hoc sale condítur : si scribas, non sapit mihi, nisi légero ibi Jesum : si dísputes, aut cónferas, non sapit mihi, nisi sonúerit ibi Jesus. Jesus mel in ore, in aure melos : in corde júbilus. Sed est et medicína. Tristátur áliquis nostrum? Véniat in cor ejus Jesus, et inde sáliat in os : et ecce ad exórtum nóminis lumen, núbilum omne díffugit, redit serénum. Lábitur quis in crimen? Currit ínsuper ad láqueum mortis desperándo? Nonne si ínvocet nomen vitæ, conféstim respirábit ad vitam?

℟. Læténtur omnes, qui sperant in te Dómine : in ætérnum exsultábunt, et habitábis in eis, et gloriabúntur in te omnes, * Qui díligunt nomen tuum.

℣. Dómine in lúmine vultus tui ambulábunt, et in nómine tuo exsultábunt tota die. Qui.

Glória Patri. Qui.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus : annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Ps. Cantáte. [125]

Aña. Secúndum nomen tuum Deus, sic et laus tua in fines terræ : justítia plena est déxtera tua.

Ps. Dóminus regnávit.

Aña. Cantáte Deo, psalmum dícite nómini ejus : iter fácite ei, qui ascéndit super occásum, Dóminus nomen illi.

Ps. Cantáte Dómino.

℣. Afférte Dómino glóriam, et honórem. ℟. Afférte Dómino glóriam nómini ejus, allelúia.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 2.

IN illo témpore : Postquam consummáti sunt dies octo, ut circumciderétur puer, vocátum est nomen ejus Jesus. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. I. de Circumcis.

MAgnum et mirábile sacraméntum. Circumcíditur puer, et vocátur Jesus : quid sibi vult ista connéxio? Circumcísio nempe magis salvándi, quam Salvatóris esse vidétur; et Salvatórem circumcídere pótius decet, quam circumcídi. Sed agnósce mediatórem Dei et hóminum, qui ab ipso nativitátis suæ exórdio divínis humána sóciat, ima summis. Náscitur ex mulíere, sed cui fecunditátis fructus sic accédat, ut non décidat flos virginitátis. Pannis invólvitur, sed panni ipsi Angélicis láudibus honoránțur. Abscónditur in præsépio, sed próditur radiánte stella de cœlo. Sic et Circumcísio veritátem suscéptæ probat humanitátis : et nomen, quod est super omne nomen, glóriam índicat majestátis. Circumcíditur tamquam verus Abrahæ fílius : Jesus vocátur tamquam verus Fílius Dei.

℟. Tribulatiónem et dolórem invéni, * Et nomen Dómini invocávi.

℣. Turris fortíssima nomen Dómini, in ipso sperávi, et adjútus sum. Et nomen.

Lectio viij.

NEque enim ad instar priórum, meus iste Jesus nomen vácuum aut ináne portat. Non est in eo magni nóminis umbra, sed véritas. Cœlitus síquidem índitum nomen Evangelísta testátur, quod vocátum est ab Angelo, priúsquam in útero conciperétur. Et atténde verbi profunditátem. Postquam natus est Jesus. Jesus vo-

cátur ab homínibus, qui vocátus est ab Angelo, priúsquam in útero conciperétur. Idem quippe et Angeli Salvátor et hóminis : sed hóminis ab incarnatióne, Angeli ab inítio creatúræ. Vocátum est, ait, nomen ejus Jesus, quod vocátum est ab Angelo. In ore ergo duórum, vel trium téstium stat omne verbum : et ipsum, quod in Prophéta abbreviátum, maniféstius in Evangélio légitur caro factum.

℟. Exspectábo nomen tuum Dómine : * Quóniam bonum est in conspéctu Sanctórum tuórum.

℣. Ut confiteámur nómini sancto tuo, et gloriémur in laude tua. Quóniam.

Lectio ix. de Hom. in Evang. Dom. j. post Oct. Epiph. 366. Si vero tres Lectiones de hac Hom. legi debeant, legitur sequens

Lectio ix.

MErito sane dum circumcíditur puer, qui natus est nobis, Salvátor vocátur : quod vidélicet ex hoc jam cœperit operári salútem nostram, immaculátum illum pro nobis sánguinem fundens. Neque enim jam quærere est Christiánis, cur volúerit Dóminus Christus circumcídi. Propter hoc síquidem circumcísus est, propter quod natus, propter quod passus. Nihil horum propter se, sed ómnia propter eléctos. Nec in peccáto génitus, nec a peccáto circumcísus, nec mórtuus est pro peccáto suo : magis autem propter delícta nostra. Quod vocátum est, inquit, ab Angelo, priúsquam in útero conciperétur. Vocátum plane, non impósitum. Nempe hoc ei Nomen est ab ætérno. A natúra própria habet, ut sit Salvátor : innátum est ei nomen hoc, non índitum ab humána, vel Angélica creatúra.

℟. Benedíctus, qui venit in nómine Dómini,* Deus Dóminus, et illúxit nobis, allelúia, allelúia.

℣. Lápidem, quem reprobavérunt ædificántes, hic factus est in caput ánguli. Deus.

Glória Patri. Deus.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerdotalis ℣. Adjuva nos Deus salutáris noster.

℟. Et propter glóriam nóminis tui líbera nos, allelúia.

AD LAUDES
et per Horas, Aña.

OLeum effúsum nomen tuum, ídeo adolescéntulæ dilexérunt te.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Scitóte, quia Dóminus ipse est Deus, cujus nomen in ætérnum.

Aña. Sitívit ánima mea ad nomen sanctum tuum Dómine.

Aña. Benedíctum nomen glóriæ tuæ sanctum et laudábile, et superexaltátum in sæcula.

Aña. Júvenes et vírgines, senes cum junióribus laudáte nomen Dómini, quia exaltátum est nomen ejus solíus.

Capitulum. Philip. 2.

CHristus humiliávit semetípsum, factus obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltávit illum, et donávit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nómine Jesu omne genu flectátur.

Hymnus.

JEsu decus Angélicum,
In aure dulce cánticum,
In ore mel miríficum,
In corde nectar cœlicum.

Qui te gustant, esúriunt;
Qui bibunt, adhuc sítiunt:
Desideráre nésciunt,
Nisi Jesum, quem díligunt.

O Jesu mi dulcíssime,
Spes suspirántis ánimæ,
Te quærunt piæ lácrymæ,
Te clamor mentis íntimæ.

Mane nobíscum Dómine,
Et nos illústra lúmine,
Pulsa mentis calígine,
Mundum reple dulcédine.

Jesu, flos Matris Vírginis,
Amor nostræ dulcédinis,
Tibi laus, honor nóminis,
Regnum beatitúdinis.
Amen.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cœlum et terram, allelúia.

Ad Benedictus, Aña. Dedit se, ut liberáret pópulum, et acquíreret sibi nomen ætérnum, allelúia.

Oratio.

DEus, qui Unigénitum Fílium tuum constituísti humáni géneris Salvatórem, et Jesum vocári jussísti: concéde propítius; ut cujus sanctum Nomen venerámur in terris, ejus quoque adspéctu perfruámur in cœlis. Per eúmdem Dóminum.

Fit commem. Domin. ut supra, 368.

AD PRIMAM.

℣. Qui de Vírgine dignátus es nasci.

AD TERTIAM.

Capit. Christus humiliávit, ut supra.

℟. Sit nomen Dómini benedíctum, * Allelúia, allelúia. Sit nomen.

℣. Ex hoc nunc, et usque in sæculum. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Sit nomen.

℣. Propter glóriam.

AD SEXTAM.

Capitulum. Philip. 2.

In nómine Jesu omne genu flectátur cœléstium, terréstrium, et infernórum : et omnis lingua confiteátur, quia Dóminus Jesus Christus in glória est Dei Patris.

℟. Propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos * Allelúia, allelúia. Propter.

℣. Et propítius esto peccátis nostris propter nomen tuum. Allelúia, allel.

Glória Patri. Propter.

℣. Afférte Dómino.

AD NONAM.

Capitulum. Col. 3.

Omne quodcúmque fácitis in verbo, aut in ópere, ómnia in nómine Dómini nostri Jesu Christi fácite, grátias agéntes Deo et Patri per ipsum.

℟. Afférte Dómino glóriam et honórem, * Allelúia, allelúia. Afférte.

℣. Afférte Dómino glóriam nómini ejus. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Afférte

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cœlum et terram, allelúia.

AD II. VESPERAS.

Añæ Laudum, Psalmi de Dominica 159. et loco ultimi Lauda Jerúsalem. 183. Capit. Hymn. et ℣. ut in j. Vesperis.

Ad Magnificat, Aña. Vocábis nomen ejus Jesum, ipse enim salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum, allelúia.

Et fit commemoratio Dominicæ. 368.



Officia Passionis D. N. J. C.

MOBILIBUS DIEBUS POST SEPTUAGESIMAM ET NON ULTRA QUADRAGESIMAM RECITANDA. EX DECR. S. R. C. 31. JANUARII 1879.

FERIA TERTIA

post Domin. Septuages.

Orationis D. N. J. C. in Monte Oliveti.

Duplex minus. P. C.

AD VESPERAS.

Aña. Venit Jesus cum discípulis suis in villam, quæ dícitur Gethsémani, et dixit illis : Sedéte hic, donec vadam illuc et orem.

Ps. de Offic. præced.

Capitulum. Matth. 26.

VEnit Jesus ad discípulos suos, et ínvenit eos dormiéntes, et dicit Petro : Sic non potuístis una hora vigiláre mecum? Vigiláte et oráte ut non intrétis in tentatiónem.

℟. Prócidit Jesus in fáciem suam orans et dicens : Pater mi, si possíbile est, tránseat a me calix iste. * Et factus in agonía prolíxius orábat.

℣. Et factus est sudor ejus sicut guttæ sánguinis decurréntis in terram. Et factus.

Glória Patri. Et factus.

Hymnus.

ADspice ut Verbum Patris a supérnis,
Sédibus clemens, et amóre flagrans,
Pérditis culpa génitis medéri
Pergit Adámi.

Flébilem mundi míserans ruínam,
Et volens nostros reparáre casus,
Orat, et prona véniam precátur
Fronte Magíster.

Flúctuat secum tot acérba volvens :
Hunc, ait supplex, cálicem dolóris,
Mi Pater, transfer; tua sed volúntas,
Non mea, fiat.

Cum premat tristis pavor ima cordis,
Déficit languens Dóminus; per artus
Sánguinis sudor fluit, atque guttis
Terra madéscit.

At celer summo véniens Olympo,
Angelus Jesum récreat jacéntem :

Córpori vires rédeunt, novóque
Róbore surgit.
Laus, honor Patri genitæque Proli,
Cui datum nomen super omne nomen,
Et Paracléto decus atque virtus
Omne per ævum.
Amen.

℣. Tristis est ánima mea.
℟. Usque ad mortem.

Ad Magnif. Aña. Pósitis génibus orábat dicens : Pater, si vis, transfer cálicem istum a me; verúmtamen non mea volúntas sed tua fiat.

Oratio ut infra ad Laudes.

In fine Hymn. Completorii et Horarum dic. ℣. Glória tibi Dómine. Qui nos salvásti in Cruce.

Ad Nunc dimittis, Aña. Hoc signum Crucis.

AD MATUTINUM.

Invitat. Christum Jesum in monte Olivárum orántem * Veníte, adorémus.

Ps. Veníte. 2.

Hymn. ut supra ad Vesp.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Ante oratiónem præpara ánimam tuam, et noli esse quasi homo, qui tentat Deum.

Ps. Exáudi Dómine. 13.

Aña. Non impediáris oráre semper, et ne vereáris usque ad mortem justificári.

Ps. Ad te Dómine. 29.

Aña. Omnia quæcúmque petiéritis in oratióne credéntes, accipiétis.

Ps. Voce mea. 178.

℣. Tristis est ánima mea.
℟. Usque ad mortem.

De libro Tobíæ.

Lectio j. Cap. 12.



Bona est orátio cum jejúnio, et eleemósyna magis quam thesáuros auri recóndere; quóniam eleemósyna a morte líberat; et ipsa est quæ purgat peccáta et facit inveníre misericórdiam et vitam ætérnam. Qui autem fáciunt peccátum et iniquitátem, hostes sunt ánimæ suæ. Manifésto ergo vobis veritátem, et non abscóndam a vobis occúltum sermónem. Quando orábas cum lácrymis, et sepeliébas mórtuos, et derelinquébas prándium tuum, et mórtuos abscondébas per diem in domo tua, et nocte sepeliébas eos, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino. Et quia accéptus eras Deo, necésse fuit ut tentátio probáret te.

℟. In ómnibus grátias ágite : * Sine intermissióne oráte.

℣. Hæc est enim volúntas Dei in Christo Jesu in ómnibus vobis. Sine.

De Epístola beáti Jacóbi Apóstoli.

Lectio ij. Cap. 5.

ORáte pro ínvicem, ut salvémini : multum enim valet deprecátio justi assídua. Elías homo erat símilis nobis passíbilis, et oratióne orávit, ut non plúeret super terram, et non pluit annos tres et menses sex. Et rursum orávit, et cœlum dedit plúviam, et terra dedit fructum suum. Fratres mei, si quis ex vobis erráverit a veritáte, et convérterit quis eum, scire debet, quóniam qui convérti fécerit peccatórem ab erróre viæ suæ, salvábit ánimam ejus a morte, et opériet multitúdinem peccatórum.

℟. Cum stábitis ad orándum, * Dimíttite si quid habétis advérsus áliquem.

℣. Ut et Pater vester, qui in cœlis est, dimíttat vobis peccáta vestra. Dimíttite.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio iij. Cap. 5.

CHristus non semetípsum clarificávit, ut Póntifex fíeret : sed qui locútus est ad eum : Fílius meus es tu; ego hódie génui te. Quemádmodum et in álio loco dicit : Tu es Sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech. Qui in diébus carnis suæ preces, supplicationésque ad eum qui possit illum salvum fácere a morte, cum clamóre válido et lácrymis ófferens, exaudítus est pro sua reveréntia. Et quidem cum esset Fílius Dei, dídicit ex iis, quæ passus est, obediéntiam, et consummátus, factus est ómnibus obtemperántibus sibi causa salútis ætérnæ, appellátus a Deo Póntifex juxta órdinem Melchísedech.

℟. Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam, * Dóminus oratiónem meam suscépit.

℣. Clamávi in toto corde meo, exáudi me, Dómine. Dóminus oratiónem.

Glória Patri. Dóminus.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Cum orátis non éritis sicut hypócritæ, qui amant in synagógis, et in ángulis plateárum stantes oráre, ut videántur ab homínibus.

Ps. Júdica me Deus. 58.

Aña. Tu autem, cum oráveris, intra in cubículum

tuum, et clauso óstio, ora Patrem tuum in abscóndito.

Ps. Exáudi Deus oratiónem. 67.

Aña. Factum est autem in illis diébus, éxiit Jesus in montem oráre, et erat pernóctans in oratióne Dei.

Ps. Levávi óculos. 165.

℣. Pater mi, si possíbile est. ℟. Tránseat a me calix iste.

Ex Tractátu sancti Cypriáni Epíscopi et Mártyris.

De Oratione Dom.

Lectio iv.

HEc verbis tantum, sed et factis Dóminus oráre nos dócuit ipse orans frequénter et déprecans, et quid fácere nos oportéret exémpli sui contestatióne demónstrans sicut scriptum est : Ipse autem fuit secédens in solitúdinem, et adórans. Et íterum : Exívit in montem oráre, et fuit pernóctans in oratióne Dei. Quod si ille orábat, qui sine peccáto erat, quanto magis peccatóres opórtet oráre? Et si ille per totam noctem júgiter vígilans contínuis précibus orábat, quanto nos magis in frequentánda oratióne debémus nocte vigiláre? Orábat autem Dóminus, et rogábat non pro se, quid enim pro se ínnocens precarétur? sed pro delíctis nostris, sicut et ipse declárat, cum dicit ad Petrum : Ecce sátanas expetívit, ut vos vexáret quómodo tríticum; ego autem rogávi pro te ne defíciat fides tua. Et póstmodum pro ómnibus Patrem deprecátur dicens : Non pro his autem rogo solis, sed et pro illis, qui creditúri sunt per verbum ipsórum in me, ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.

℟. Simon, Simon, ecce sátanas expetívit vos, ut cribráret sicut tríticum : * Ego autem rogávi pro te, ut non defíciat fides tua.

℣. Et tu aliquándo convérsus, confírma fratres tuos. Ego autem.

Ex commentáriis sancti Ansélmi Epíscopi.

In Epistolam ad Hebræos.

Lectio v. Cap. 5.

SIcut verus Póntifex óbtulit preces : nam in Evangélio sæpe légitur orásse, et máxime apud Lucam, qui Sacerdótis in eo descrípsit persónam. Sed et quidquid ipse egit

in carne, preces et supplicatiónes fuérunt pro homínibus. Tota vita sua Patrem orávit de resurrectióne carnis suæ, ac de nostra salúte, et instánte jam Passióne óbtulit supplicatiónes, id est humíllimas et instantíssimas oratiónes cum summa devotióne cordis et affectióne, quando factus in agonía prolíxius orábat, et factus est sudor ejus sicut guttæ sánguinis decurréntis in terram. Et has preces, supplicationésque óbtulit, id est óbviam tulit Patri per exauditiónem sibi obviánti. Obtulit eas ad eum, qui posset illum a morte salvum fácere, id est resuscitáre, ad eum, quem scivit esse sufficiéntem ut salváret eum, id est immortálem et impassíbilem fáceret, eripiéndo a morte, ut nec ánima remanéret in inférno, nec caro putrésceret in sepúlcro.

℟. Orátio humiliántis se nubes penetrábit : * Et donec propínquet, non consolábitur.

℣. Et non discédet donec Altíssimus adspíciat. Et.

Lectio vj.

Et óbtulit has cum clamóre válido, id est cum intentióne piæ devotiónis vehementíssima et efficacíssima, ut quando prolíxius orábat, et étiam cum lácrymis; quia in illa prolíxa oratióne credéndus est lácrymas effudísse, cum et guttæ sánguinis pro sudóre decúrrerent ab ejus córpore, et exaudítus est, quia quod quæsíerat, accépit in resurrectióne. Exaudítus est, id est, extra númerum aliórum ómnium audítus est, quóniam super omnem creatúram post labóris sui milítiam, a Patre sublimátus est, et hoc pro sui reveréntia, id est secúndum hoc, quod ipse sicut Dei Fílius dignus est reveréntia et veneratióne. Vel pro sua reveréntia in Deum, id est propter quod ipse super ómnia Patrem revéritus est, et honorávit. Sive pro sua reveréntia, id est, sicut sua relígio méruit. Sánguinis quoque ejus effúsio potest intélligi clamor válidus, in quo exaudítus est pro reveréntia ejúsdem passiónis. Reveréntia est, quod sine peccáto passus est sola caritáte.

℟. Fiant aures tuæ auscultántes, et óculi tui apérti, * Ut áudias oratiónem servi tui.

℣. Quam ego oro coram te hódie nocte ac die. Ut. Glória Patri. Ut áudias.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Tribulátio et angústia invenérunt me, mandáta tua meditátio mea est.

Ps. Dómine, quid multiplicáti. 5.

Aña. Sustínui qui simul contristarétur, et non fuit, et qui consolarétur et non invéni.

Ps. Usquequo. 10.

Aña. Adhæsit paviménto ánima mea : vivífica me secúndum verbum tuum.

Ps. Dómine Deus salútis. 97.

℣. Vigiláte et oráte. ℟. Ut non intrétis in tentatiónem.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 22.

IN illo témpore : Egréssus Jesus ibat secúndum consuetúdinem in montem Olivárum. Secúti sunt autem illum et discípuli. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 10. Comment. in Luc. Cap. 22.

TRansfer a me cálicem istum, quasi homo mortem recúsans, quasi Deus senténtiam suam servans. Opórtet enim mori nos sæculo, ut resurgámus Deo; ut juxta divínam senténtiam lex maledictiónis resolúta in terræ limum natúræ fine solvátur. Quod autem ait : Non mea volúntas, sed tua fiat; suam ad hóminem rétulit, Patris ad Divinitátem. Volúntas enim hóminis, temporális : volúntas Divinitátis, ætérna. Non ália volúntas Patris, ália Fílii. Una enim volúntas, ubi una Divínitas. Disce tamen Deo esse subjéctus, ut non quod ipse vis éligas, sed quod Deo scias esse placitúrum.

℟. Veni in altitúdinem maris, * Et tempéstas demérsit me.

℣. Salvum me fac, Deus, quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam. Et tempéstas.

Lectio viij.

DEínde verbórum ipsórum proprietátem considerémus. Tristis est, inquit, ánima mea. Et álibi : Nunc ánima mea turbáta est valde. Non ergo suscípiens, sed suscépta turbátur. Anima enim obnóxia passiónibus, Divínitas líbera. Dénique spíritus promptus, caro autem

infírma. Tristis autem est non ipse, sed ánima. Non est tristis sapiéntia, non divína substántia, sed ánima. Suscépit enim ánimam meam, suscépit corpus meum. Non me feféllit, ut áliud esset, et áliud viderétur. Tristis videbátur, et tristis erat, non pro sua passióne, sed pro nostra dispersióne.

℟. Intret in conspéctu tuo orátio mea, * Inclína aurem tuam ad precem meam.

℣. Quia repléta est malis ánima mea, et vita mea inférno appropinquávit. Inclína.

Lectio ix.

DEnique ait : Percútiam pastórem, et dispergéntur oves gregis. Tristis erat, quia nos párvulos relinquébat. Céterum, quam constánter se morti obtúlerit, consequéntia declárant : quandóquidem quæréntibus occúrrit, turbátos confirmávit, trépidos provocávit, proditórem ósculi dignatióne suscépit. Nec illud distat a vero, si tristis erat pro persecutóribus suis, quos sciébat immánis sacrilégii pœnas datúros. Et ídeo dixit : Transfer hunc cálicem a me. Non quia Deus, Dei Fílius, mortem timébat, sed quia nec malos pro se períre volébat.

℟. Prócidit Jesus in fáciem suam orans et dicens : Pater mi si possíbile est, tránseat a me calix iste ; * Et factus in agonía prolíxius orábat.

℣. Et factus est sudor ejus sicut guttæ sánguinis decurréntis in terram. Et.

Glória Patri. Et factus.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerd. ℣. Verba mea áuribus pércipe Dómine.
℟. Et intéllige clamórem meum.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

VEnit Jesus cum discípulis suis in villam, quæ dícitur Gethsémani, et dixit illis : Sedéte hic, donec vadam illuc, et orem.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Et assúmpto Petro, et duóbus fíliis Zebedæi, cœpit contristári et mœstus esse.

Aña. Tunc ait illis : Tristis est ánima mea usque ad mortem : sustinéte hic, et vigiláte mecum.

Aña. Et progréssus pusíllum, prócidit in fáciem suam, orans et dicens :

Pater mi, si possíbile est, tránseat a me calix iste.

Aña. Pater mi, si non potest hic calix transíre, nisi bibam illum, fiat volúntas tua.

Capitulum. Matth. 26.


Enit Jesus ad discípulos suos, et ínvenit eos dormiéntes, et dicit Petro : Sic non potuístis una hora vigiláre mecum? Vigiláte et oráte, ut non intrétis in tentatiónem.

Hymnus.

Venit e cœlo Mediátor alto,
Quem sacri dudum cecinére vates :
Parce mœróri, lacrymísque amáris,
Fília Sion.

Attulit mortem vetus hortus, unde
Culpa prodívit : novus iste vitam
Hortus en affert, ubi nocte Jesus
Pérmanet orans.

Víndicem placat Genitóris iram :
Réprimit forti jaciénda dextra
Fúlmina : occúrrit scéleri expiándo
Sponte Redémptor.

Sic teret duros láqueos avérni,
Et diu clausam reserábit aulam,
Nos ad ætérni révocans beáta
Gáudia regni.

Laus, honor Patri, genitæque Proli
Cui datum nomen super omne nomen,
Et Paracléto decus atque virtus,
Omne per ævum.
Amen.

℣. Factus est sudor ejus.
℞. Sicut guttæ sánguinis.

Ad Benedictus, Aña. Factus in agonía prolíxius orábat : Et factus est sudor ejus sicut guttæ sánguinis decurréntis in terram.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui in horto, verbo et exémplo nos oráre docuísti ad tentatiónum perícula superánda, concéde propítius, ut nos oratióni semper inténti, ejus copiósum fructum cónsequi mereámur. Qui vivis.

AD PRIMAM.

℣. Qui nos salvásti in Cruce.

AD TERTIAM.

Capit. Venit Jesus, ut supra.

℞. Tristis est * Anima mea. Tristis.

℣. Usque ad mortem. Anima.

Glória Patri. Tristis.

℣. Pater mi.

AD SEXTAM.

Capitulum. Luc. 21.

Vigiláte ítaque, omni témpore orántes, ut digni habeámini fúgere ista ómnia quæ futúra sunt, et stare ante Fílium hóminis.

℟. Pater mi, * Si possíbile est. Pater.

℣. Tránseat a me calix iste. Si possíbile.

Glória Patri. Pater mi.

℣. Vigiláte et oráte.

AD NONAM.

Capitulum. Matth. 5.

ORáte pro persequéntibus et calumniántibus vos, ut sitis fílii Patris vestri, qui in cœlis est.

℟. Vigiláte, * Et oráte. Vigiláte.

℣. Ut non intrétis in tentatiónem. Et oráte.

Glória Patri. Vigiláte.

℣. Factus est sudor ejus.

℟. Sicut guttæ sánguinis.

AD VESPERAS.

Añæ Laudum, Psalmi de Dominica, et loco ultimi Crédidi. 164.

Capit. Hymnus, et ℣. ut in primis Vesperis.

Ad Magnif. Aña. Ecce appropinquávit hora, et Fílius hóminis tradétur in manus peccatórum.

FERIA TERTIA

post Dominic. Sexages.

Commem. Passionis D. N. J. C.

Duplex minus. P. C.

AD VESPERAS.

Aña. Cálicem salutáris accípiam et nomen Dómini invocábo.

Psalmi de Offic. præc.

Capitulum. Philip. 2.

FRatres, Hoc enim sentíte in vobis, quod et in Christo Jesu, qui, cum in forma Dei esset, non rapínam arbitrátus est, esse se æquálem Deo : sed semetípsum exinanívit, formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus, et hábitu invéntus ut homo. Humiliávit semetípsum factus obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis.

℟. Crucem tuam adorámus, Dómine, sanctámque recólimus passiónem : * Ecce enim propter lignum venit gáudium in univérso mundo.

℣. Deus misereátur nostri, et benedícat nobis, illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri. Ecce enim.

Glória Patri. Ecce enim.

Hymnus.

MŒréntes óculi spárgite lácrymas,
Et luctu résonent íntima córdium,
Illátas réfero Númini ab ímpiis
Pœnas, et fera vúlnera.

Accíncta heu! gládiis turba satéllitum
Arréptum Dóminum fústibus ímpetit;
Nunc cædit cólaphis, nunc quatit hórridis
Divínum caput íctibus.

Haud finis scéleri: tráditur ímprobo
Christus carnífici; nec mora, bárbarus
In Regem súperum non timet ímpio
Ausu, vértere déxteram.

Audíte, o pópuli: Numen amábile,
Manánte ex húmeris úndique sánguine,
Lictóris rábidi sústinet ímpetum,
Et vocem premit ínnocens.

Quis non illácrymet? Jam nova cóndidit
Torménta indómitæ gentis iníquitas;
Infígit cérebro proh dolor! ésferis
Sertum vépribus ásperum.

Heu crimen! tráhitur fúnibus ímprobis
Funésti Dóminus supplícii ad locum;
Illic oppétiit fúnere, spíritum
Patri restítuens suo.

Passo pro míseris tam fera vúlnera,
In terris résonet débita glória;
Sacrúmque assídue Nomen in æthera
Humánum genus ésferat.
Amen.

℣. Oblátus est quia ipse vóluit. ℟. Et livóre ejus sanáti sumus.

Ad Magnificat, Aña. O vos omnes, qui transítis per viam, atténdite, et vidéte, si est dolor sicut dolor meus.

Oratio ut infra ad Laudes.

Ad Complet. et per Horas in fine Hymn. dicitur

℣. Glória tibi Dómine, Qui nos salvásti in Cruce.

Ad Nunc dimittis, Aña. Hoc signum Crucis.

AD MATUTINUM.

Invit. Christum Regem crucifíxum * Veníte, adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus. 2.

Hymnus.

ADspice, infámi Deus ipse ligno
Pendet, effúso mádidus cruóre,
Adspice, immíti manus alma clavo
Fínditur alte.

Hunc, velut pravi scéleris minístrum,
Inter indígnos médium latrónes
Cerne : crudélis fuit ista [gentis
Dira volúntas.

Pallet heu! vultus; caput ecce lassum
Fléctitur : clausis óculis Redémptor
Spíritum sacro méritis onústum
Fundit ab ore.

O cor, æs durum súperas, geméndo
Ni scelus tergas; tua culpa Christum
Stípiti affíxit : tua culpa morti
Súbdidit atræ.

Sit Deo ætérnum decus omne in ævum
Qui pius nostri géneris Redémptor,
Críminis labem míseris nocéntem
Sánguine tersit.
Amen.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Adstitérunt reges terræ, et príncipes convenérunt in unum advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Ps. Quare fremuérunt. 4.

Aña. Multiplicáti sunt, qui tríbulant me, multi insúrgunt advérsum me.

Ps. Dómine quid multiplicáti. 5.

Aña. Divisérunt sibi vestiménta mea, et super vestem meam misérunt sortem.

Ps. Deus Deus meus. 126.

℣. Oblátus est, quia ipse vóluit. ℟. Et livóre ejus sanáti sumus.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 5. et 6.

Omméndat caritátem suam Deus in nobis : quóniam cum adhuc peccatóres essémus, secúndum tempus, Christus pro nobis mórtuus est : multo ígitur magis nunc justificáti in sánguine ipsíus, salvi érimus ab ira per ipsum. Si enim, cum inimíci essémus, reconciliáti sumus Deo per mortem Fílii ejus, multo magis reconciliáti, salvi érimus in vita ipsíus. Non solum autem, sed et gloriámur in Deo per Dóminum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliatiónem accépimus. Si enim, uníus delícto mors regnávit per unum : multo magis abundántiam grátiæ, et donatiónis, et justítiæ accipiéntes, in vita regnábunt per unum Jesum Christum.

℟. Vínea mea elécta, ego te plantávi, dicit Dó-

minus, et tu facta es mihi nimis amára; * Quia parásti crucem Salvatóri tuo.

℣. Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? respónde mihi. Quia parásti.

Lectio ij.

IGitur, sicut per uníus delíctum, in omnes hómines in condemnatiónem, sic et per uníus justítiam, in omnes hómines in justificatiónem vitæ. Sicut enim, per inobediéntiam uníus hóminis, peccatóres constitúti sunt multi : ita et per uníus obeditiónem justi constituéntur multi. Lex autem subintrávit, ut abundáret delíctum : ubi autem abundávit delíctum, superabundávit grátia. Ut sicut regnávit peccátum in mortem, ita et grátia regnet per justítiam in vitam ætérnam, per Jesum Christum Dóminum nostrum.

℟. Ego edúxi te de Ægypto, demérso Pharaóne in mare rubrum, et ante te præívi in colúmna nubis. * Et tu me tradidísti princípibus sacerdótum, et me duxísti ad prætórium Piláti.

℣. Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? respónde mihi. Et tu me tradidísti.

Lectio iij.

QUid ergo dicémus? Permanébimus in peccáto, ut grátia abúndet? Absit : qui enim mórtui sumus peccáto, quómodo adhuc vivémus in illo? An ignorátis, quia quicúmque baptizáti sumus in Christo Jesu, in morte ipsíus baptizáti sumus? Consepúlti enim sumus cum illo, per Baptísmum, in mortem : ut quómodo Christus surréxit a mórtuis per glóriam Patris; ita et nos in novitáte vitæ ambulémus. Si enim complantáti facti sumus similitúdini mortis ejus; simul et resurrectiónis érimus. Hoc sciéntes, quia vetus homo noster simul crucifíxus est, ut destruátur corpus peccáti, et ultra non serviámus peccáto. Qui enim mórtuus est, justificátus est a peccáto. Si autem mórtui sumus cum Christo, crédimus quia simul étiam vivémus cum Christo.

℟. Ego propter te flagellávi Ægyptum cum primogénitis suis; * Et tu me flagellátum tradidísti, qui tamquam agnus, co-

ram tondénte se, obmútui, et non apérui os meum.

℣. Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? respónde mihi. Et tu me flagellátum.

Glória Patri. Et tu.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Inimíci mei dixérunt mala mihi, quando moriétur, et períbit nomen ejus?

Ps. Beátus qui intélligit super egénum. 49.

Aña. Aliéni insurrexérunt in me, et fortes quæsiérunt ánimam meam.

Ps. Deus in nómine tuo salvum me. 131.

Aña. Conculcavérunt me inimíci mei tota die, advérsum me omnes cogitatiónes eórum in malum.

Ps. Miserére mei Deus, quóniam. 62.

℣. Próprio Fílio suo non pepércit Deus. ℟. Sed pro nobis ómnibus trádidit illum.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Sermo 41. de Passione Domini. Lectio iv.



Dmonet nos, fratres caríssimi, ad solemnitátem Domínicæ Passiónis dies ipse, in quo eam nec muta eleménta tacuérunt. Célebret eam lux fídei, linguis hóminum, quam conclamavérunt étiam siléntia tenebrárum. Hódie Dóminus noster in statéra crucis prétium nostræ salútis appéndit, et una morte univérsum mundum, sicut ómnium Cónditor, ita ómnium Reparátor absólvit. Indubitánter enim credámus, quod totum mundum redémit, qui plus dedit, quam totus mundus valéret. Méritum enim redémptæ mercédis dígnitas insígnis prétii supergréssa est. Inter redémptum et rediméntem dispensátio fuit, compensátio non fuit. Qui ergo non habébat peccáta própria, digne delévit aliéna. Solus hic pia víctima pro ómnibus cécidit, ut omnes leváret. Et quia débitum solus non hábuit, rectè fœnus misericórdiæ pro debitóribus erogávit.

℟. Ego propter te Chananæórum reges percússi, et dedi tibi sceptrum regále; * Et tu dedísti cápiti meo spíneam corónam, et percussísti arúndine caput meum.

℣. Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? respónde mihi. Et tu dedísti cápiti meo.

Lectio v.

Perpénde inter hæc, qui talem pro nobis dedit pecúniam, qualem a nobis sit exactúrus usúram. In hac ítaque die fides prophéticæ annuntiatiónis impléta est, ita dicéntis : Corpus meum dedi percutiéntibus : et genas meas velléntibus; fáciem meam non avérti a fœditáte sputórum. Suscépit mala nostra, ut tribúeret bona sua. Hinc intelligámus, quantum hóminem dilígere dignátus sit ante culpam, quem sic díligit post ruínam. Agnósce, homo, quantum váleas et quantum débeas : et dum tantam redemptiónis tuæ pérspicis dignitátem, ipse tibi indícito peccándi pudórem. Ecce, pro ímpio píetas flagellátur, pro stulto sapiéntia illúditur, pro mendáce véritas necátur, damnátur justítia pro iníquo, misericórdia affícitur pro crudéli, pro mísero replétur sincéritas acéto, inebriátur felle dulcédo, addícitur innocéntia pro reo, móritur vita pro mórtuo.

℟. Ego duxi te per desértum quadragínta annis, et manna cibávi te; * Et tu me cecidísti álapis, et flagéllis. ℣. Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? respónde mihi. Et tu me.

Lectio vj.

Expávit scelus hóminum natúra rerum, et quem creatúra rebéllis non agnóscit, eum mundi Dóminum tremens terra testátur, et cœli Regem sol fúgiens confitétur. Clámyde coccínea indúitur, quia sánguine Mártyrum suórum Ecclésiæ corpus ornátur. Coróna spínea cápiti ejus impónitur, quia púnctio peccatórum nostrórum, quorum remissióne Redemptóris glória strúitur, áridis tríbulis comparátur. Studeámus nunc e divérso, ut membrórum vita cápitis sit coróna. Quod vero sitíre se in cruce pósitus dicit, fidem incrédulæ gentis concupíscit. Sed e contra acétum malítiæ pórrigunt, quia vinum sapiéntiæ, quod a Deo accéperant, peccándo corrúperant. Velum templi scínditur, quia Synagóga honóre nudátur, observátio antíqua dissólvitur, Ecclésiæ únitas præmonstrátur. Monuménta aperiúntur, quia mortis jura jure superántur.

℟. Ego exaltávi te magna virtúte : * Et tu me suspendísti in patíbulo crucis, in qua expándi manus meas ad pópulum non credéntem et contradicéntem.

℣. Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? respónde mihi. Et tu.

Glória Patri. Et tu.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Fílii hóminum dentes eórum arma, et sagíttæ, et lingua eórum gládius acútus.

Ps. Miserére mei Deus, miserére mei. 63.

Aña. Intendérunt arcum rem amáram, ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Ps. Exáudi Deus oratiónem. 67.

Aña. Factus sum sicut homo sine adjutório inter mórtuos liber.

Ps. Dómine Deus salútis meæ. 97.

℣. Factus est obédiens usque ad mortem. ℟. Mortem autem crucis.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo témpore : Sciens Jesus, quia ómnia consummáta sunt, ut consummarétur scriptúra, dixit : Sítio. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 84. in c. 19. Joann.

SCiens Jesus ómnia consummáta, ait, Sítio : étiam hoc verbo prophetíam implens. Tu autem adstántium pravitátem intéllige; nam licet innúmeros habeámus inimícos, qui nos gravíssime persecúti sint, cum tamen intérimi eos vidémus, fléctimur misericórdia. Hi vero nil moti, magis efferántur, et irrídent, acetúmque in spóngia pórrigunt, ut bibat tamquam reus : nam propter hoc hyssópum ádditur, quo gustáto, mórtuus est. Vides quam non perturbáte, et quam poténter ómnia transigéntem? Quod et prósequens osténdit; cum enim ómnia consummáta essent, inclináto cápite, quod affíxum non erat, trádidit spíritum, hoc est exspirávit.

℟. Ego te potávi aqua salútis de petra : * Et tu me potásti felle, et acéto.

℣. Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? respónde mihi. Et tu.

Lectio viij.

ATqui non post inclinátum caput exspirátur; sed post exspiratiónem

caputinclinátur. Hic autem contra áccidit, per quod osténdit eum Evangelísta esse ómnium Dóminum. Judæi autem camélum devorántes, et cúlicem excolántes, tantum nefas ausi, de die consúltant : Quóniam Parascéve erat, ut non remanérent in cruce córpora sábbato, rogavérunt Pilátum, ut frangeréntur eórum crura. Vides quanti sit véritas? Per ea, quæ illi fáciunt, prophetía implétur; ália enim ex hoc manifestáta est. Venérunt ergo mílites, et aliórum fregérunt crura, non Christi; sed ad Judæórum grátiam conciliándam latus ejus láncea aperuérunt, et mórtuo adhuc insúltant. O péssimam voluntátem, ac scelestíssimam!

℟. Ego ante te apérui mare : * Et tu aperuísti láncea latus Salvatóri tuo, qui redémit mundum in sánguine suo.

℣. Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? respónde mihi. Et tu.

Lectio ix.

Noli tamen perturbári, dilectíssime : quæ enim malo illi ánimo patrárunt, veritáti consentiébant. Prophetía hinc impléta est, ínquiens : Vidébunt, in quem transfixérunt. Neque hoc tantum, sed non creditúris fuit fídei arguméntum, ut Thomæ, et qui cum eo erant. Ad hæc et arcánum mystérium consummátum est, exívit enim sanguis, et aqua. Non casu, et simplíciter hi fontes scaturiérunt; sed quóniam ex ambóbus Ecclésia constitúta est. Sciunt hoc initiáti, per aquam enim regeneráti, sánguine, et carne nutríti sunt. Hinc mystéria ortum habent, ut quóties ad admirándum cálicem accédis, tamquam ab ipso látere háuriens accédas.

℟. Crucem tuam adorámus, Dómine, sanctámque recólimus passiónem : * Ecce enim propter lignum venit gáudium in univérso mundo.

℣. Deus misereátur nostri, et benedícat nobis, illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri. Ecce enim.

Glória Patri. Ecce enim.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerd. ℣. Adorámus te, Christe, et benedícimus tibi. ℟. Quia per mortem tuam redemísti mundum.

AD LAUDES
et per Horas, Aña.

Qui flagellátus tota die, et castigátio mea in matutínis.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Veni ad montem myrrhæ et ad collem thuris; tamquam agnus ad occisiónem ductus obmútui, et non apérui os meum.

Aña. Fodérunt manus meas, et pedes meos, dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Aña. Consolántem me quæsívi et non invéni : dedérunt in escam meam fel, et in siti mea potavérunt me acéto.

Aña. Cum accepísset Jesus acétum dixit : Consummátum est, et inclináto cápite, emísit spíritum.

Capitulum. Philipp. 2.


Ratres, Hoc enim sentíte in vobis quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapínam arbitrátus est esse se æquálem Deo, sed semetípsum exinanívit, formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus, et hábitu invéntus ut homo. Humiliávit semetípsum factus obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Hymnus.

Sævo dolórum túrbine
Jactátur, atris óbrutus
Pœnis, acérba sústinens,
Redémptor affíxus cruci.

Pedes, manúsque horríbili
Clavi cruéntant vúlnere,
Cor, vultus, artus, péctora
Sacro redúndant sánguine.

Flet, orat, et clamans obit :
Cor Matris ictum cóncidit :
Heu, Mater! Heu Fili! dolor
Ingráta frangat péctora.

Montes, sepúlcra, sáxaque
Scindúntur; arva, flúmina,
Rupes et æquor cóntremunt,
Templíque velum scínditur.

Sol, luna, cœlum, sídera
Plangunt, et orbis íngemit :
O vos viri, vos párvuli,
Nuptæ, puéllæ plángite.

Adstáte mœréntes cruci,
Pedes beátos úngite,
Laváte fletu, térgite
Comis, et ore lámbite.

Tu caritátis víctima,
Ut nostra tollas crímina,
Nobis salúbri pérficis
Adoptiónem sánguine.
Nostra ergo pax, et gáudium
Sis vita, Jesu, et præmium;
Sis ductor, et lux in via,
Merces, coróna in Pátria.
Amen.

℣. Ipse passus est propter iniquitátes nostras. ℟. Et attrítus est propter scélera nostra.

Ad Benedictus, Aña. Ad Jesum autem cum venissent, ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura, sed unus mílitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui humáno géneri, ad imitándum humilitátis exémplum, Salvatórem nostrum carnem súmere, et crucem subíre fecísti : concéde propítius; ut, sicut solémnem commemoratiónem Passiónis ejus celebrámus, ita et patiéntiæ ipsíus habére documénta, et resurrectiónis consórtia mereámur. Per eúmdem Dóminum.

AD PRIMAM.

℣. Qui nos salvásti in cruce.

AD TERTIAM.

Capit. Fratres, ut supra.

℟. Oblátus est, * Quia ipse vóluit. Oblátus.

℣. Et livóre ejus sanáti sumus. Quia ipse.

Glória Patri. Oblátus.

℣. Próprio Fílio.

AD SEXTAM.

Capitulum. Zach. 13.

Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum tuárum? Et dicet? His plagátus sum in domo eórum, qui diligébant me.

℟. Próprio Fílio suo * Non pepércit Deus. Próprio Fílio.

℣. Sed pro nobis ómnibus trádidit illum. Non.

Glória Patri. Próprio.

℣. Factus est.

AD NONAM.

Capitulum. Is. 53.

Generatiónem ejus quis enarrábit? Quia abscíssus est de terra vivéntium, propter scelus pópuli mei percússi eum.

℟. Factus est obédiens * Usque ad mortem. Factus est

℣. Mortem autem crucis. Usque.

Glória Patri. Factus est.

℣. Ipse passus est propter iniquitátes nostras.

℟. Et attrítus est propter scélera nostra.

AD VESPERAS.

Añæ Laudum, Psalm. **Crédidi. 164. Ad Dóminum. 164. Eripe me. 177. Dómine clamávi. 177. Voce mea. 178.**

Capit. Hymnus et ℣. ut in j. Vesperis.

Ad Magnif. Aña. **Depónens Joseph Corpus Jesu invólvit síndone, et pósuit eum in monuménto excíso : fuit planctus magnus in illa die. Mulíeres autem sedéntes contra sepúlcrum dolébant, sicut doléri solet in morte primogéniti.**

DIE XIV. JANUARII.

S. Hilarii

Episcopi, Conf. et Doct.

Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Conf. Pont. [75] exceptis hic signatis.

AD I. VESPERAS.

Ad Magnif. Aña. **O Doctor,** de Comm. Doct. [90]

Oratio. **Deus, qui pópulo,** de eodem Comm. [90]

Deinde comm. S. Felicis Martyris, Aña. **Iste sanctus.** ℣. **Glória et honóre.** de Comm. unius Mart. [29]

Oratio.

Concéde, quæsumus omnípotens Deus, ut ad meliórem vitam Sanctórum tuórum exémpla nos próvocent, quátenus quorum solémnia ágimus, étiam actus imitémur. Per Dóminum nostrum.

In primo Nocturno, Lect. de Script. occurr. Sed si venerit in Quadrag. **Sapiéntiam,** de Communi Doctorum. [90]

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv.



Ilárius in Aquitánia nóbili génere natus, doctrína et eloquéntia excélluit. Qui primum in matrimónio, quasi mónachi vitam egit: deínde propter singuláres virtútes Pictavórum Epíscopus creátur : quod munus Episcopále sic gessit, ut a fidélibus summam laudem consequerétur. Quo témpore, cum terróribus, bonórum spoliatióne, exsílio et omni crudelitáte Constántius Imperátor Cathólicos vexáret, nisi ad Ariánas partes transírent, Hilárius tamquam firmíssimum murum se Ariánis oppónens, illórum furórem in se concitávit. Itaque multis petítus insídiis, tandem dolo Saturníni Arelaténsis Epíscopi, de Synodo Biterrénsi in Phrygiam relegátus est : ubi mórtuum suscitávit, et libros duóde-

cim scripsit de Trinitáte contra Ariános.

℟. Pósui adjutórium. [82]

Lectio v.

Quadriénnio post coácto Concílio ad Seleucíam Isáuriæ urbem, Hilárius adésse compúlsus est : ac deínde Constantinópolim proféctus, ubi extrémum fídei perículum animadvértit, tribus libéllis públice datis, audiéntiam Imperatóris popóscit ut de fide cum adversáriis coram disputáret. Verum cum Ursácius et Valens Ariáni Epíscopi, quos Hilárius scriptis confutárat, præséntis eruditiónem pertiméscerent : Constántio persuasérunt, ut spécie honóris eum in suum Episcopátum restitúeret. Tunc Hilárium e prælio hæreticórum reverténtem, ut inquit sanctus Hierónymus, Galliárum Ecclésia compléxa est : quem ad Episcopátum secútus est Martínus, qui póstea Turonénsi præfuit Ecclésiæ; tantúmque illo Doctóre profécit, quantum ejus póstea sánctitas declarávit. ℟. Amávit eum.

Lectio vj.

Magna deínceps tranquillitáte Pictavórum Ecclésiam administrávit : Galliámque univérsam addúxit, ut Arianórum impietátem condemnáret. Multos libros scripsit mira eruditióne, quos omnes sanctus Hierónymus ad Lætam, sine ulla erróris suspicióne legi posse testátur illis verbis : Hilárii libros inofſénso decúrrat pede. Migrávit in cœlum Idibus Januárii, Valentiniáno, et Valénte Imperatóribus, anno post Christum natum trecentésimo sexagésimo nono. Eum a multis Pátribus, et Concíliis insígnem Ecclésiæ Doctórem nuncupátum, atque uti talem in áliquot Diœcésibus cultum, tandem instánte Synodo Burdegalénsi Pius Nonus Póntifex Máximus ex Sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto univérsæ Ecclésiæ Doctórem declarávit, et confirmávit, ac ipsíus festo die Missam, et Offícium de Doctóribus ab ómnibus recitári jussit.

℟. Ecce vir prudens.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vos estis sal terræ. Quod

si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi.

Comment. in Matth. c. 5.

Os estis sal terræ : quod si sal infatuátum fúerit, ad níhilum valet id quod saliétur. Sal, ut árbitror, terræ nullum est : quómodo ergo Apóstolos sal terræ nuncupávit? Sed propríetas est quæerénda dictórum, quam et Apostolórum offícium, et ipsíus salis natúra monstrábit. Sal est in se uno cóntinens aquæ et ignis eleméntum, et hoc ex duóbus est unum.

℟. Magnificávit. [85]

Quando hoc Festum transfertur, et debent legi tres Lectiones de hac Homilia, sequens Lectio dividatur in octavam et nonam.

Lectio viij.

Hic ígitur in omnem usum humáni géneris efféctus, incorruptiónem corpóribus, quibus fúerit aspérsus, impértit, et ad omnem sensum condíti sapóris aptíssimus est. Apóstoli autem sunt rerum cœléstium prædicatóres, et æternitátis velut satóres, immortalitátem ómnibus corpóribus, quibus eórum sermo aspérsus fúerit, conferéntes. Mérito ígitur sal terræ nuncupáti sunt, per doctrínæ virtútem saliéndi modo æternitáti córpora reservántes.

¶ Sed natúra salis semper éadem est, nec immutári unquam potest. Verum quia conversióni homo súbjacet; et solus beátus, qui usque ad finem in ómnibus Dei opéribus permánserit : ídeo eos sal terræ nuncupátos monet in tráditæ sibi potestátis virtúte persístere, ne infatuáti nihil sáliant, et ipsi, sensu accépti sapóris amísso, vivificáre corrúpta non possint, et projécti de Ecclésiæ promptuáriis, cum his, quos salíerint, pédibus incedéntium proterántur.

℟. Vir Israelíta.

Pro sancto Felíce Presbytero et Mártyre.

Lectio ix.

Felix Nolánus Présbyter, cum in idóla veheméntius inveherétur, ab infidélibus várie vexátus, in cárcerem conjícitur. Unde ab Angelo nocte edúctus, quærere jussus est Maximiánum Nolæ Epíscopum : qui cum sénio conféctus desperáret

se ferre posse supplícia persequéntium, se abdíderat in silvam. Quo cum Felix, Deo duce, pervenísset, sanctum Epíscopum, humi jacéntem pene mórtuum videt : quem recreátum, ac sublátum in húmeros, apud fidélem víduam reficiéndum curávit. Sed cum is íterum idolórum cultóres impietátis argúeret, facto in ipsum ímpetu, fúgiens in angústo duórum paríetum intervállo se occultávit. Qui áditus cum repénte araneárum telis pertéxtus visus esset, némini recéntis látebræ suspiciónem relíquit. Inde ígitur evádens Felix, in ædibus piæ mulíeris tres menses látuit. Cum vero Dei Ecclésia requiéscere cœpísset, Nolam rédiens, multísque ibi vitæ exémplis, et doctrínæ præcéptis, miraculísque ad Christi fidem convérsis, cònstánter étiam recusáto ejus urbis Episcopátu, obdormívit in Dómino, sepultúsque est prope Nolam in loco, quem in Pincis appellábant.

℞. Sancte Hilári.

In Laudibus commem. S. Felicis, Aña. Nisi granum.

℣. Magna est. [40]

Oratio ut supra.

Vesp. a cap. seq. comm. præc.

DIE XV. JANUARII.

S. Pauli

primi Eremitæ. Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Confessoris non Pontificis [93] præter ea quæ hic signantur.

Oratio. Deus, qui, de Communi. [94]

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Ex D. Hieronymo.

Lectio iv.

Aulus Eremitárum auctor et magíster, apud inferiórem Thebáidem natus, cum quíndecim esset annórum, orbátus paréntibus est. Qui póstea declinándæ causa persecutiónis Décii et Valeriáni, et Deo libérius inserviéndi, in erémi spelúncam se cóntulit : ubi palma ei victum et vestítum præbénte, vixit ad centésimum et décimum tértium annum : quo témpore ab António nonagenário, Dei admónitu invísitur. Quibus inter se, cum ántea non nos-

sent, próprio nómine consalutántibus, et multa de regno Dei colloquéntibus, corvus, qui ántea semper Paulo dimidiátum panem attúlerat, íntegrum détulit.

℟. Desidérium. [96]

Lectio v.

Post corvi discéssum, Eja, inquit Paulus, Dóminus nobis prándium misit, vere pius, vere miséricors. Sexagínta jam anni sunt, cum accípio quotídie dimídii panis fragméntum, nunc ad advéntum tuum milítibus suis Christus duplicávit annónam. Quare cum gratiárum actióne ad fontem capiéntes cibum, ubi tantísper recreáti sunt, íterum grátiis de more Deo actis, noctem in divínis láudibus consumpsérunt. Dilúculo Paulus de morte, quæ sibi instáret, ádmonens Antónium, hortátur, ut pállium, quod ab Athanásio accéperat, ad involvéndum suum corpus afférret. Quo ex itínere rédiens ille, vidit inter Angelórum choros, inter Prophetárum et Apostolórum cœtus, Pauli ánimam in cœlum ascéndere.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

Cumque ad ejus cellam pervenísset, invénit génibus complicátis, erécta cervíce, extensísque in altum mánibus, corpus exánime : quod pállio obvólvens, hymnósque et Psalmos ex christiána traditióne decántans, cum sárculum, quo terram fóderet, non habéret; duo leónes ex interióre erémo, rápido cursu ad beáti senis corpus ferúntur : ut fácile intelligerétur, eos, quo modo póterant, plorátum édere : qui certátim terram pédibus effodiéntes, fóveam, quæ hóminem cómmode cáperet, effecérunt. Qui cum abiíssent, Antónius sanctum corpus in eum locum íntulit : et injécta humo, túmulum ex christiáno more compósuit : túnicam vero Pauli, quam in sportæ modum ex palmæ fóliis ille sibi contexúerat, secum áuferens, eo vestítu diébus solémnibus Paschæ et Pentecóstes, quoad vixit, usus est.

℟. Iste sanctus.

In tertio Nocturno, Lect. de Hom. in Evang. **Confíteor tibi Pater,** ut in Festo S. Spiridionis. **510.**

In Vesp. comm. seq.

DIE XVI. JANUARII.
S. Marcelli
Papæ et Martyris.
Semiduplex.

Omnia de Comm. unius Martyris [28] exceptis, quæ hic sunt propria.

Oratio.

Preces pópuli tui, quæsumus Dómine, cleménter exáudi : ut beáti Marcélli Mártyris tui, atque Pontíficis méritis adjuvémur, cujus passióne lætámur. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Script. occurr.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv.

Marcéllus Románus a Constántio et Galério usque ad Maxéntium Pontificátum gessit. Cujus hortátu Lucína matróna Romána, bonórum suórum Dei Ecclésiam fecit herédem. Aucto in Urbe fidélium número, ad eórum utilitátem, ad baptísmum pœniténtiámque dandam eis, qui christiánam religiónem suscíperent, et ad Mártyrum sepultúram, novos Títulos instítuit, et quasi álteras diœcéses distríbuit. Quibus rebus ira incénsus Maxéntius, Marcéllo grávia supplícia minátur, nisi depósito Pontificátu, idólis immoláret.
℟. Desidérium. [35]

Lectio v.

Qui cum insánas hóminis voces neglígeret, misit eum in catábulum, ut bestiárum, quæ públice alebántur, curam sustinéret. Ubi Marcéllus assíduis jejúniis, et précibus novem menses vitam duxit : paróchias, quas præsens non póterat, vísitans per epístolas. Inde eréptus a cléricis, hospítio recípitur a beáta Lucína : in cujus ædibus Ecclésiam dedicávit, quæ hódie título sancti Marcélli nominátur : in qua et Christiáni orábant, et ipse beátus Marcéllus prædicábat.
℟. Dómine.

Lectio vj.

Quibus cógnitis Maxéntius in eam Ecclésiam catábuli béstias transférri, et a Marcéllo custodíri jubet : ubi loci fœditáte multísque ærúmnis afflíctus obdormívit in Dómino. Cujus corpus in cœmetério Priscíllæ, via Salária, a beáta Lucína sepúltum est décimo séptimo Kaléndas Februárii. Sedit annos quinque, mensem unum, dies vigínti quinque. Scripsit

epístolam ad Epíscopos Antiochénæ províncíæ de primátu Románæ Ecclésiæ, quam caput Ecclesiárum appellándam demónstrat. Ubi étiam illud scriptum est, nullum Concílium jure celebrári, nisi ex auctoritáte Románi Pontíficis. Ordinávit mense Decémbri Romæ Presbyteros vigínti quinque, Diáconos duos, Epíscopos per divérsa loca vigínti unum.

℟. Stola jucunditátis.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. Evang. Si quis vult post me veníre, de Communi. [43]

Vesp. seq. Ps. et com. præc.

DIE XVII. JANUARII.

S. Antonii

Abbatis et Confessoris.

Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Conf. non Pont. [93] exceptis quæ hic notantur.

Oratio. Intercéssio nos, de Communi. [94]

In primo Nocturno, Lect. Justus si morte, de Communi. [94]

IN SECUNDO NOCTURNO.

Ex S. Athanasio.

Lectio iv.



Ntónius Ægyptius, nobílibus et Christiánis paréntibus natus, quibus adoléscens orbátus est, cum ingréssus ecclésiam ex Evangélio audivísset : Si vis perféctus esse, vade, et vende ómnia quæ habes, et da paupéribus : tamquam ea sibi dicta essent, sic Christo Dómino obtemperándum existimávit. Itaque véndita re familiári, pecúniam omnem paupéribus distríbuit. Quibus solútus impediméntis, cœléstis vitæ genus in terris cólere instítuit. Sed cum in periculósum illud certámen descénderet, ad fídeï præsídium, quo erat armátus, adhibéndum sibi putávit subsídium reliquárum virtútum, quarum tanto stúdio incénsus fuit, ut quemcúmque vidéret áliqua virtútis laude excelléntem, illum imitári studéret.

℟. Desidérium. [96]

Lectio v.

Nihil ígitur eo continéntius, nihil vigilántius erat. Patiéntia, mansuetúdine, misericórdia, humilitáte, labóre ac stúdio divinárum Scripturárum superábat omnes. Ab hæreticórum, et schismaticórum hóminum, máxime Arianórum congréssu et collóquio sic abhorrébat, ut ne prope quidem ad eos accedéndum díce-

ret. Humi jacébat, cum eum necessárius somnus occupásset. Jejúnium autem ádeo cóluit, ut salem tantúmmodo ad panem adhibéret, sitim aqua exstíngueret; neque se ante solis occásum cibo, aut potu recreábat, sæpe étiam bíduum cibo abstinébat : sæpíssime in oratióne pernoctábat. Cum talis tantúsque Dei miles evasísset Antónius, sanctíssimum júvenem hostis humáni géneris váriis tentatiónibus aggréditur : quas ille jejúnio et oratióne vincébat. Nec vero frequens de sátana triúmphus secúrum reddébat Antónium, qui diáboli innumerábiles artes nocéndi nóverat.

℟. Amávit.

Lectio vj.

Itaque cóntulit se in vastíssimam Ægypti solitúdinem : ubi quotídie ad Christiánam perfectiónem profíciens, dæmones (quorum tanto erant acrióres ímpetus, quanto Antónius ad resisténdum fórtior evadébat) ita contémpsit, ut illis exprobráret imbecillitátem : ac sæpe discípulos suos éxcitans ad pugnándum contra diábolum, docénsque quibus armis vincerétur : Mihi crédite, dicébat, fratres, pertiméscit sátanas piórum vigílias, oratiónes, jejúnia, voluntáriam paupertátem, misericórdiam et humilitátem, máxime vero ardéntem amórem in Christum Dóminum, cujus único sanctíssimæ crucis signo debilitátus áufugit. Sic autem dæmónibus erat formidolósus, ut multi per Ægyptum ab illis agitáti, invocáto nómine Antónii liberaréntur. Tántaque erat ejus fama sanctitátis, ut per lítteras se ejus oratiónibus Constantínus Magnus, et fílii commendárent. Qui aliquándo quintum et centésimum annum agens, cum innumerábiles sui Institúti imitatóres habéret, convocátis mónachis, et ad perféctam Christiánæ vitæ régulam instrúctis, sanctitáte et miráculis clarus migrávit in cœlum décimo sexto Kaléndas Februárii.

℟. Iste sanctus.

In tertio Nocturno, Lectiones de Hom. S. Hier. in Evang. Ecce nos relíquimus, ut in Communi. [101]

Vesp. a capit. seq. com. præc.

DIE XVIII. JANUARII.

Cathedræ S. Petri,

qua Romæ primum sedit.
Duplex minus. P. C.

Omnia de Comm. unius Conf. Pont. [75] exceptis hic signatis.

Quando hoc Festum celebratur post Festum non duplex, in j. Vesp. super Psalmos de Officio præc. dic. Aña. Tu es Petrus et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.

Capit. Ecce sacérdos, de Communi. [75]

℟. Petre amas me? Tu scis Dómine, quia amo te : * Pasce oves meas.

℣. Simon Joánnis díligis me plus his? Tu scis Dómine, quia amo te. Pasce oves meas.

Glória Patri. Pasce.

Hymnus. Elpis.

JAm bone pastor Petre clemens áccipe
Vota precántum, et peccáti víncula
Resólve tibi potestáte trádita,
Qua cunctis cœlum verbo claudis, áperis.
Sit Trinitáti sempitérna glória,
Honor, potéstas, atque jubilátio
In unitáte, cui manet impérium,
Ex tunc, et modo per ætérna sæcula. Amen.

℣. Exáltent eum in ecclésia plebis. ℟. Et in cáthedra seniórum laudent eum, allelúia.

Ad Magnificat, Aña. Tu es pastor óvium, princeps Apostolórum, tibi tráditæ sunt claves regni cœlórum.

Oratio ut infra ad Laudes.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Tu es pastor óvium princeps Apostolórum : * Tibi trádidit Deus claves regni cœlórum.

Ps. Veníte, exsultémus. 2.

Hymn. Jam bone pastor, ut supra.

IN PRIMO NOCTURNO.

Incipit Epístola prima beáti Petri Apóstoli.

Lectio j. Cap. I.

PEtrus Apóstolus Jesu Christi, eléctis ádvenis dispersiónis Ponti, Galátiæ, Cappadóciæ, Asiæ, et Bithyniæ secúndum præsciéntiam Dei Patris, in sanctificatiónem Spíritus, in obediéntiam, et aspersiónem sánguinis Jesu Christi : Grátia vobis, et pax multiplicétur. Benedíctus Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui secúndum misericórdiam suam magnam rege-

nerávit nos in spem vivam, per resurrectiónem Jesu Christi ex mórtuis, in hereditátem incorruptíbilem, et incontaminátam, et immarcescíbilem, conservátam in cœlis in vobis, qui in virtúte Dei custodímini per fidem in salútem, parátam revelári in témpore novíssimo.

℟. Euge serve. [78]

Lectio ij.

IN quo exsultábitis módicum nunc si opórtet contristári in váriis tentatiónibus : ut probátio vestræ fídei multo pretiósior auro, quod per ignem probátur, inveniátur in laudem, et glóriam, et honórem in revelatióne Jesu Christi : quem cum non vidéritis, dilígitis : in quem nunc quoque non vidéntes créditis : credéntes autem exsultábitis lætítia inenarrábili, et glorificáta, reportántes finem fídei vestræ salútem animárum.

℟. Ecce sacérdos.

Lectio iij.

DE qua salúte exquisiérunt atque scrutáti sunt Prophétæ qui de futúra in vobis grátia prophetavérunt : scrutántes in quod, vel quale tempus significáret in eis Spíritus Christi; prænúntians eas, quæ in Christo sunt passiónes, et posterióres glórias : quibus revelátum est, quia non sibimetípsis, vobis autem ministrábant ea, quæ nunc nuntiáta sunt vobis per eos, qui evangelizavérunt vobis, Spíritu sancto misso de cœlo, in quem desíderant Angeli prospícere.

℟. Jurávit.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Sermo sancti Leónis Papæ.

Ex Serm. 1. in natali Apost. Petri e Pauli.

Lectio iv.

CUm duódecim Apóstoli, accépta per Spíritum sanctum ómnium locutióne linguárum, imbuéndum Evangélio mundum distribútis sibi terrárum pártibus suscepíssent, beatíssimus Petrus princeps Apostólici órdinis ad arcem Románi destinátur Impérii, ut lux veritátis, quæ in ómnium Géntium revelabátur salútem, efficácius se ab ipso cápite per totum mundi corpus effúnderet. Cujus autem natiónis hómines in hac tunc urbe non essent? aut quæ

usquam gentes ignorárent, quod Roma didicísset?

℟. Pósui adjutórium.[82]

Lectio v.

Hic conculcándæ philosophíæ opiniónes, hic dissolvéndæ erant terrénæ sapiéntiæ vanitátes, hic confutándi dæmonum cultus, hic ómnium sacrilegiórum impíetas destruénda, ubi diligentíssima superstitióne habebátur colléctum, quidquid usquam fúerat vanis erróribus institútum. Ad hanc ergo urbem tu beatíssime Petre Apóstole veníre non métuis: et consórte glóriæ tuæ Paulo Apóstolo, aliárum adhuc Ecclesiárum ordinatiónibus occupáto, silvam istam freméntium bestiárum, et turbulentíssimæ profunditátis océanum constántior, quam cum supra mare graderéris, ingréderis.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

Jam pópulos, qui ex circumcisióne credíderant, erudíeras: jam Antiochénam Ecclésiam, ubi primum Christiáni nóminis dígnitas est orta, fundáveras: jam Pontum, Galátiam, Cappadóciam, Asiam atque Bithyniam légibus Evangélicæ prædicatiónis impléveras: nec aut dúbius de provéctu óperis, aut de spátio tuæ ignárus ætátis, trophæum crucis Christi Románis árcibus inferébas: quo te divínis præordinatiónibus anteíbant et honor potestátis, et glória passiónis.

℟. Ecce vir.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 16.

In illo témpore: Venit Jesus in partes Cæsaréæ Philíppi: et interrogábat discípulos suos, dicens: Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 3. in Matth.



Ulchre intérrogat: Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? quia qui de Fílio hóminis loquúntur, hómines sunt: qui vero divinitátem ejus intélligunt, non hómines, sed dii appellántur. At illi dixérunt: Alii Joánnem Baptístam, álii autem Elíam. Miror quosdam intérpretes causas errórum inquírere singulórum, et disputatiónem

longíssimam téxere, quare Dóminum nostrum Jesum Christum, álii Joánnem putáverint, álii Elíam, álii Jeremíam, aut unum ex Prophétis : cum sic potúerint erráre in Elía et Jeremía, quómodo Heródes errávit in Joánne, dicens : Quem ego decollávi Joánnem, ipse surréxit a mórtuis, et virtútes operántur in eo.

℟. Magnificávit. [85]

Quando Cathedra S. Petri Antiochena mensis Februarii venerit extra Quadrages. sequens Lectio dividatur pro octava et nona : et idem fiat, quando propter Septuages. transfertur hæc Cathedra Romana.

Lectio viij.

Vos autem, quem me esse dícitis?' Prudens lector atténde, quod ex consequéntibus, textúque sermónis, Apóstoli nequáquam hómines, sed dii appellántur. Cum enim dixísset : Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? subjécit : Vos autem quem me esse dícitis? Illis, quia hómines sunt, humána opinántibus, vos qui estis dii, quem me esse existimátis? Petrus ex persóna ómnium Apostolórum profitétur : Tu es Christus Fílius Dei vivi. Deum vivum appéllat ad distinctiónem eórum deórum, qui putántur dii, sed mórtui sunt.

¶ Respóndens autem Jesus dixit ei : Beátus es Simon Bar-Jona. Testimónio de se Apóstoli reddit vicem. Petrus díxerat : Tu es Christus Fílius Dei vivi : mercédem recépit vera conféssio : Beátus es Simon Bar-Jona. Quare? Quia non revelávit tibi caro et sanguis, sed revelávit Pater. Quod caro et sanguis reveláre non pótuit, Spíritus sancti grátia revelátum est. Ergo ex confessióne sortítur vocábulum : quod revelatiónem ex Spíritu sancto hábeat, cujus et fílius appellándus sit. Síquidem Bar-Jona in nostra lingua sonat fílius colúmbæ.

℟. Vir Israelíta.

Sed si prædicta Lectio in Festo Cathedræ fuerit nona, hic dicatur

℟. Petre, ut infra.

Si Festum Cathedræ celebretur in Dominica, nona Lectio legitur de Homilia Dom. omissa Lect. S. Priscæ, quod et in similibus observetur.

Pro sancta Prisca Vírgine et Mártyre.

Ex gestis per Notar. S. R. E. conscriptis.

Lectio ix.

PRisca, nóbilis virgo Romána, trédecim annos nata, Cláudio Imperatóre, Christiánæ fídei accusáta, ejúsdem jussu ducta ad Apóllinis templum, ut idólis immoláret, cum rem detestarétur, cólaphis cæsa, in cárcerem tráditur : atque inde emíssa, cum in fídei constántia perseveráret, afffécta verbéribus, ferventíque ádipe delibúta, rursus in cárcerem inclúditur. Post tríduum in amphitheátrum prodúcta, leóni objícitur, qui suæ feritátis oblítus, humíliter se ad ejus pedes abjécit. Quæ póstea in ergástulo tríduum inédia afflícta, in equúleo suspénditur, et úngulis férreis excarnificáta in rogum injícitur, unde étiam mirabíliter evásit incólumis. Dénique extra urbem cápite abscísso virginitátis palmam martyrii coróna cumulávit. Cujus corpus via Ostiénsi, décimo ab urbe milliário, a Christiánis décimo quinto Kaléndas Februárii sepelítur.

℟. Petre amas me? Tu scis Dómine quia amo te, * Pasce oves meas.
℣. Simon Joánnis díligis me plus his? Tu scis Dómine, quia amo te. Pasce.
Glória Patri. Pasce.

Te Deum laudámus. 20. Sacerd. ℣. Elégit eum.

AD LAUDES.

Hymnus.

QUodcúmque vinclis super terram strínxeris,
Erit in astris religátum fórtiter,
Et quod resólvis in terris arbítrio,
Erit solútum super cœli rádium :
In fine mundi judex eris sæculi.
Glória Patri per imménsa sæcula :
Sit tibi Nate, decus, et impérium,
Honor, potéstas, sanctóque Spirítui :
Sit Trinitáti salus indivídua
Per infiníta sæculórum sæcula. Amen.

℣. Tu es Petrus. ℟. Et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, allelúia.

Ad Benedictus, Aña. Quodcúmque ligáveris super terram, erit ligá-

tum et in cœlis : et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in cœlis, dicit Dóminus Simóni Petro.

Oratio.

DEus, qui beáto Petro Apóstolo tuo, collátis clávibus regni cœléstis, ligándi atque solvéndi Pontifícium tradidísti : concéde; ut intercessiónis ejus auxílio, a peccatórum nostrórum néxibus liberémur. Qui vivis et regnas.

Deinde fit commem. S. Priscæ, Aña. Símile est regnum. ℣. Elégit eam, de Communi. [130]

Oratio.

DA, quæsumus omnípotens Deus : ut, qui beátæ Priscæ Vírginis et Mártyris tuæ natalítia cólimus : et ánnua solemnitáte lætémur, et tantæ fídei proficiámus exémplo. Per Dóminum.

AD VESPERAS.

Hymn. et ℣. ut in primis Vesperis.

Ad Magnif. Aña. Solve jubénte Deo, terrárum Petre caténas, qui facis, ut páteant cœléstia regna beátis.

Et fit comm. seq. Aña. Dum esset. [76]

DIE XIX. JANUARII.

S. Dionysii

Papæ et Confess. Ordinis Nostri. Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Conf. Pontif. [75] præter ea, quæ hic propria ponuntur.

Oratio.

MIsericórdiæ tuæ remédiis, quæsumus Dómine, vítia nostra curéntur : ut beáti Dionysii Confessóris tui atque Pontíficis pia intercessióne ad cœléstia desidéria transeámus. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv.

DIonysius imitátus sanctíssimos illos monástici institúti duces, qui ædificátis sibi cásulis prope fluénta Jordánis, et turbis urbium derelíctis, herbis agréstibus victitábant, Anachoréticam, seu monásticam, et vere prophéticam vitam aliquámdiu egit : inde ad summum Pontificátum assúmptus, Valeriáno, et Galliéno Imperatóribus Ecclésiam gubernávit. Hic in causa Dionysii Alexandríni (quem quasi de

fide non recte sentiéntem Pentapolitáni quidam Epíscopi ad ipsum detúlerant) Romæ coégit Concílium, ubi eum suæ doctrínæ ratiónem réddere jussum, dijudicáta tandem ejus innocéntia, absólvit.

℟. Pósui. [82]

Lectio v.

SAbéllii hæresim emergéntem éditis commentáriis profligávit, médiam, ac plane régiam sternens viam, qua contráriæ illæ hæreses, Sabéllii scílicet, et Arii confutaréntur. Paulum quoque Samosaténum hæresiárcham, dúplici Antiochíæ coácto Concílio, condemnávit. Cum autem sub Galiéno pax Ecclésiæ ad tempus réddita fuísset, sédulus hic Póntifex cœmetéria et ecclésias, quæ pastóribus, sæviénte Valeriáni persecutióne, orbátæ fúerant, Presbyteris divísit. ℟. Amávit.

Lectio vj.

PAróchias et Diœcéses foris instítuit, alíaque permúlta Ecclésiæ utília sanxit. Tandem vero, pro Ecclésia Dei advérsus hæréticos, et persecutóres plúrimis labóribus exantlátis, felíciter migrávit ad Dóminum, cum sedísset annos úndecim, menses tres, et dies quatuórdecim, sepultúsque est in cœmetério Callísti via Appia. Fecit Ordinatiónes duas mense Decémbri, quibus creávit Presbyteros duódecim, Diáconos sex, Epíscopos per divérsa loca septem.

℟. Ecce vir.

In tertio Nocturno, Lect. de Hom. in Evang. Homo quidam, de Comm. [85]

Vesp. a capit. seq. comm. præced. Aña. Dum esset.

DIE XX. JANUARII.
SS. Fabiani et Sebastiani Mart.

Duplex minus.

Omnia de Communi plurimorum Martyrum [56] præter hic signata.

AD VESPERAS.

Nisi præcedat Festum duplex, Aña. Sebastiánus, prima Laud. Ps. præced. Capit. Sancti per fidem.

℟. Beátus es, et bene tibi erit, egrégie Christi Martyr Sebastiáne :* Quia cum Sanctis gaudébis, et cum Angelis exsultábis in ætérnum.

℣. Beátus es tu Christi Martyr Sebastiáne, et benedíctus sermo oris tui. Quia.

Glória Patri. Quia.

Hymn. Sanctórum. [56]
℣. Lætámini. [57]
Ad Magnif. Aña. Elégit Dóminus virum sanctum suum, et claritátem visiónis ætérnæ dedit illi. Celebrémus solemnitátem beáti Sebastiáni Mártyris. Gáudium sit in cœlo, et in terra, allelúia.

Oratio ut infra ad Laudes.

AD MATUTINUM.

Invitat. Regem regum Dóminum, veníte, adorémus :* Quia ipse est coróna sanctórum Mártyrum.

Ps. Veníte, exsultémus. 2.
Hymn. Ætérna. [58]

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Sebastiánus Mediolanénsium pártium civis, quem perfúderat Deus grátia, ab ómnibus amabátur.

Ps. Beátus vir, cum reliq. de Comm. [58]

Aña. Erat enim in sermóne verax, in judício justus.

Ps. Quare fremuérunt.

Aña. Christo quotídie sédulum exhibébat offícium; erat enim verus Dei cultor.

Ps. Dómine quid.
℣. Lætámini. [60]
Lectiones. Justórum ánimæ, de Communi. [60]

℟. j. Sebastiánus Dei cultor studióse curábat sub abscónsa chlámyde sanctórum ánimas confortáre :* Spem promíttens, et glóriam cónsequi sempitérnam.
℣. Christo quotídie sédulum exhibébat offícium, et Christianórum ánimas confortábat. Spem.

℟. ij. Sebastiánus vir christianíssimus, * Quem occultábat militáris hábitus, et chlámydis suæ obumbrábat adspéctus.
℣. Quem perfúderat Deus grátia, ab ómnibus amabátur. Quem.

℟. iij. Erat namque in sermóne verax, in judício justus, in consílio próvidus, in bonitáte conspícuus, * In univérsa morum honestáte præclárus.
℣. In commísso quoque fidélis, in intervéntu strénuus. In univérsa.
Glória Patri. In.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Ad hoc tantum sub chlámyde Christi mílitem tegébat abscónditum, ut Deo rédderet ánimas, quas diábolus conabátur auférre.

Ps. Dómine, quis. [61]

Aña. Claríssimis quotídie viris Marcelliáno, et Marco suadébat blandi-

ménta mundi respúere, et momentánea tormentórum génera non formidáre. Ps. Consérva me.

Aña. Sebastiánus vir christianíssimus, quem occultábat militáris hábitus, et chlámydis suæ obumbrábat adspéctus.

Ps. Dómini est terra.

℣. Exsúltent justi. [63]

Ex Pontif. Romano.

Lectio ix.



FAbiánus Románus a Maximíno usque ad Décium regens Ecclésiam, septem Diáconis regiónes divísit, qui páuperum curam habérent. Tótidem Subdiáconos creávit, qui res gestas Mártyrum, a septem notáriis scriptas, collígerent. Idem státuit, ut quotánnis Féria quinta in Cœna Dómini, vétere combústo, Chrisma renovarétur. Dénique decimotértio Kaléndas Februárii in persecutióne Décii, martyrio coronátus, in cœmetério Callísti via Appia sepelítur, cum sedísset annos quíndecim, dies quátuor. Hic fecit Ordinatiónes quinque mense Decémbri, quibus creávit Presbyteros vigínti duos, Diáconos septem, Epíscopos per divérsa loca úndecim.

℟. Christo quotídie sédulum exhibébat offícium : * Et Christianórum ánimas, quas in torméntis vidébat defícere, confortábat.

℣. Erat namque in sermóne verax, in judício justus, in univérsa morum honestáte præclárus. Et Christianórum.

Lectio v.

SEbastiánus ex patre Narbonénsi, matre Mediolanénsi natus, ob géneris nobilitátem, et virtútem Diocletiáno carus fuit. Dux primæ cohórtis, Christiános, quorum fidem clam colébat, ópera et facultátibus adjuvábat : et qui ex eis tormentórum vim reformidáre videbántur, cohortatióne sic confirmábat, ut pro Jesu Christo multi se ultro tortóribus offérrent. In illis fuére Marcus et Marcelliánus fratres, qui Romæ in custódia erant apud Nicóstratum, cujus uxor Zoe vocem, quam amíserat, Sebastiáni oratióne recuperávit. Quibus Diocletiáno delátis, Sebastiánum accérsit, et veheméntius objurgátum, ómnibus artifíciis a Christi fide conátur avértere. Sed cum nihil nec pollicéndo,

nec terréndo profíceret, ad palum alligátum sagíttis confígi jubet.

℟. Zoe uxor Nicóstrati dixit beáto Sebastiáno : Beátus es tu, et benedíctus sermo oris tui, * Per Jesum Christum Dóminum nostrum.

℣. Benedícti, qui ómnibus, quæ locútus es, credunt. Per Jesum.

Lectio vj.

Quem ómnium opinióne mórtuum, nocte sancta múlier Iréne sepeliéndi grátia jussit auférri : sed vivum repértum, domi suæ curávit. Itaque paulo post confirmáta valetúdine, Diocletiáno óbviam factus, ejus impietátem libérius accusávit. Cujus adspéctu cum ille primum obstupuísset quod mórtuum créderet, rei novitáte, et acri Sebastiáni reprehensióne excandéscens, eum támdiu virgis cædi imperávit, donec ánimam Deo rédderet. Ejus corpus in cloácam dejéctum, Lucína a Sebastiáno in somnis admónita, ubi esset, et quo loco humári vellet, ad Catacúmbas sepelívit, ubi sancti Sebastiáni nómine célebris ecclésia est ædificáta.

℟. Egrégie Christi Martyr Sebastiáne, princeps, ac propagátor sanctissimórum præceptórum, ecce nomen tuum in libro vitæ cœléstis adscríptum est : * Et memoriále tuum non derelinquétur in sæcula.

℣. Sócius enim factus es supernárum Virtútum, quæ et in cœlis spíritum tuum suscepérunt. Et. Glória Patri. Et.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Ut vidit Sebastiánus athlétas Dei imménso certáminis póndere fatigári, dixit : O fortíssimi mílites Christi, nolíte per mísera blandiménta corónas depónere sempitérnas.

Ps. Beáti, quorum. [64]

Aña. Sebastiánus dixit Marcelliáno et Marco : Non vos sedúcant blandiménta mulíerum.

Ps. Exsultáte justi.

Aña. Nolíte timére : non separabúntur a vobis, sed vadunt in cœlum paráre vobis sidéreas mansiónes.

Ps. Deus venérunt.

℣. Justi autem. [67]

Lectiones de Homilia in Evang. Descéndens Jesus de monte. [67]

℟. vij. Elégit Dóminus virum de plebe, et claritátem visiónis ætérnæ dedit illi. Celebrémus

solemnitátem Sebastiáni Mártyris. * Gáudium sit in cœlo, et in terra.

℣. Beátus es, et bene tibi erit, egrégie Christi martyr Sebastiáne, quia cum Sanctis gaudébis, et cum Angelis exsultábis in ætérnum. Gáudium.

℟. viij. In isto loco promíssio verax est, et peccatórum remíssio : * Splendor, et lux perpétua, et sine fine lætítia, quam méruit Christi Martyr Sebastiánus.

℣. Nolíte timére : non separabúntur a vobis, sed vadunt in cœlum paráre vobis sidéreas mansiónes. Splendor.

℟. ix. Beátus es, et bene tibi erit, egrégie Christi Martyr Sebastiáne :* Quia cum Sanctis gaudébis, et cum Angelis exsultábis in ætérnum.

℣. Beátus es tu Christi Martyr Sebastiáne, et benedíctus sermo oris tui. Quia.

Glória Patri. Quia.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerdot. ℣. Exsultábunt sancti. [68]

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

SEbastiánus Dei cultor studióse curábat sub abscónsa chlámyde sanctórum ánimas confortáre, spem promíttens, et glóriam cónsequi sempitérnam.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Si ego verus Christi servus sum, et si vera sunt ómnia, quæ hæc múlier ex ore meo audívit, et crédidit, apériat os ejus, qui apéruit os Zacharíæ Prophétæ Dómini.

Aña. Ad hanc vocem Christi Mártyris Sebastiáni íllico apértum est os uxóris Nicóstrati.

Aña. Zoe uxor Nicóstrati dixit beáto Sebastiáno : Beátus es tu, et benedíctus sermo oris tui.

Aña. Sanctus Sebastiánus dixit Nicóstrato : Salvátor noster pro peccatóribus exhibére dignátus est suam præséntiam.

Capit. Sancti per fidem.

Hymnus. Rex glorióse.

℣. Mirábilis Deus. [69]

Ad Bened. Aña. Beátus es, et bene tibi erit, egrégie Christi Martyr Sebastiáne, quia cum Sanctis gaudébis, et cum Angelis exsultábis in ætérnum.

Oratio.

INfirmitátem nostram réspice omnípotens Deus : et quia pondus própriæ actiónis gravat,

beatórum Mártyrum tuórum Fabiáni et Sebastiáni intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

AD VESPERAS.

Añæ Laud. Ps. de Communi. [70]

A capit. fiat de seq. et pro commem. præced. vel ad Magnificat, Aña. **Egrégie Christi Martyr Sebastiáne, princeps et propagátor sanctissimórum præceptórum, ecce nomen tuum in libro vitæ cœléstis adscríptum est : et memoriále tuum non derelinquétur in sæcula.**

DIE XXI. JANUARII.

S. Agnetis

Virginis et Martyris.

Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Virginis [117] præter hic signata.

Si Festum S. Agnetis celebretur post Festum non duplex, in j. Vesp. dicitur Aña. **Pósuit signum in fáciem meam, ut nullum, præter eum, amatórem admíttam.**

Psalmi de Offic. præced.

Capit. **Qui gloriátur.**

℟. **Mel; et lac ex ejus ore suscépi : * Et sanguis ejus ornávit genas meas.**

℣. **Cujus pulchritúdinem sol, et luna mirántur : ipsi soli servo fidem. Et sanguis.**

Glória Patri. **Et sanguis.**

Hymn. **Vírginis Proles.**

℣. **Diffúsa est. [118]**

Ad Magnif. Aña. **Beáta Agnes in médio flammárum expánsis mánibus orábat : Te déprecor, veneránde, colénde, Pater metuénde, quia per sanctum Fílium tuum minas evási sacrílegi tyránni, et carnis spurcítias immaculáto calle transívi : et ecce vénio ad te, quem amávi, in quem crédidi, quem quæsívi, quem semper optávi.**

Oratio ut infra ad Laudes.

AD MATUTINUM.

Invitat. **Agnum sponsum vírginum, * Veníte, adorémus Dóminum Jesum Christum.**

Ps. **Veníte. 2.**

Hymn. **Vírginis. [117]**

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. **Discéde a me pábulum mortis, quia jam ab álio amatóre prævénta sum.**

Ps. **Dómine Dóminus noster,** cum reliquis de Comm. [118]

Aña. **Annulo suo subarrhávit me Dóminus meus Jesus Christus : et tam-**

quam sponsam decorávit me coróna.

Ps. Cœli enárrant.

Aña. Déxteram meam, et collum meum cinxit lapídibus pretiósis : trádidit áuribus meis inæstimábiles margarítas.

Ps. Dómini est terra.

℣. Diffúsa est. [120]

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 51.

Onfitébor tibi Dómine Rex, et collaudábo te Deum Salvatórem meum. Confitébor nómini tuo, quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne, a láqueo linguæ iníquæ, et a lábiis operántium mendácium, et in conspéctu adstántium factus es mihi adjútor. Et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus, præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, et de portis tribulatiónum, quæ circumdedérunt me : a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuáta : de altitúdine ventris ínferi, et a lingua coinquináta, et a verbo mendácii, a rege iníquo, et a lingua injústa.

℟. Diem festum sacratíssimæ vírginis celebrémus : quáliter passa sit beáta Agnes ad memóriam revocémus. Tértio décimo ætátis suæ anno mortem pérdidit, et vitam invénit : * Quia solum vitæ diléxit auctórem.

℣. Ingréssa Agnes turpitúdinis locum, Angelum Dómini præparátum invénit. Quia.

Lectio ij.

LAudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum, et vita mea appropínquans erat in inférno deórsum. Circumdedérunt me úndique, et non erat, qui adjuváret. Respíciens eram ad adjutórium hóminum, et non erat. Memoráta sum misericórdiæ tuæ Dómine, et operatiónis tuæ, quæ a sæculo sunt : quóniam éruis sustinéntes te Dómine, et líberas eos de mánibus Géntium.

℟. Déxteram meam, et collum meum cinxit lapídibus pretiósis : trádidit áuribus meis inæstimábiles margarítas : * Et circúmdedit me vernántibus, atque coruscántibus gemmis.

℣. Pósuit signum in fáciem meam, ut nullum præter eum amatórem admíttam. Et.

Lectio iij.

Exaltásti super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecáta sum. Invocávi Dóminum Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, et in témpore superbórum sine adjutório. Laudábo nomen tuum assídue, et collaudábo illud in confessióne, et exaudíta est orátio mea. Et liberásti me de perditióne, et eripuísti me de témpore iníquo. Proptérea confitébor, et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dómini.

℟. Amo Christum, in cujus thálamum introíbo : cujus mater virgo est : cujus pater féminam nescit : cujus mihi órgana modulátis vócibus cantant : * Quem cum amávero, casta sum : cum tetígero, munda sum : cum accépero, virgo sum.

℣. Mel et lac ex ejus ore suscépi : et sanguis ejus ornávit genas meas. Quem.

Glória Patri. Quem.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Induit me Dóminus cyclade auro texta, et imménsis monílibus ornávit me.

Ps. Eructávit. [122]

Aña. Mel et lac ex ejus ore suscépi, et sanguis ejus ornávit genas meas.

Ps. Deus noster.

Aña. Christus circúmdedit me vernántibus, atque coruscántibus gemmis pretiósis.

Ps. Fundaménta ejus.

℣. Spécie tua. [124]

Ex Ambr. mon. et sancto Ambrosio Episc. in lib. de virg. lib. 1. in init.

Lectio iv.



Agnes Románа virgo nóbili génere nata, trédecim annórum, a præfécti urbis fílio, qui ejus amóre flagrábat, magnis munéribus tentátur, an sibi núbere velit. Quæ se præstantióri despónsam respóndit, nec addúci posse, ut fidem fálleret, quam ei dedísset. At ille insána cupiditáte stimulátus, cum pretiosióra ei in síngulas preces offérret múnera, et ingéntes pollicerétur divítias; iis contémptis, et irrísis ómnibus virgo : Discéde, inquit, a me pábulum mortis, fomes peccáti;

nam multo uberióra et præclarióra mihi déferens, me nobílior ille prior occupávit sponsus : is ánnulo dato sibi desponsávit : is collum ac déxteram meam fulgéntibus, ac sempitérnis gemmis ornávit : quem ego et amans casta, et tangens munda, et accípiens virgo sum. Ea repúlsa furens præfécti fílius, rem ad Symphrónium patrem détulit. Is indígne ferens, quemquam fílio suo præférri, cum a suis quæsísset, quinam ille esset, cui Agnes se despónsam díceret : intelléxit Agnétem a prima ætáte Christiánam ádeo mágicis ártibus addíctam, ut sponsum suum esse Christum sibi persuádeat.

℟. Omnípotens, adoránde, colénde et treménde, benedíco te, quia per Fílium tuum unigénitum evási minas hóminum impiórum :* Et spurcítias diáboli impollúto calle transívi.

℣. Te confíteor lábiis : te corde, et totis viscéribus concupísco : quia evási minas hóminum impiórum. Et spurcítias.

Lectio v.

Quo audíto, præféctus vírginem una cum paréntibus accérsit; eámque monet, ut negléctа Christianórum superstitióne honestíssimam fílii sui conditiónem accíperet. Quæ cum virum et Dóminum suum esse Christum affirmáret, paréntes hortátur præféctus, ut puéllam de illa mente dedúcant. Postrídie ejus diéi ipse vocat Agnétem, et frustra adhíbito omni persuadéndi artifício, jubet puéllam, si virgínitas tantópere ei placéret, cum virgínibus Vestálibus vívere, sin minus, cum scortis vitam ágere. Cui illa : Nec divínum honórem Vestæ, inquit, habére volo, quæ nihil áliud est, nisi lígneum, aut lapídeum simulácrum : et si virginitátem meam in discrímen addúxeris, mecum hábeo custódem córporis mei Angelum Dómini, qui me inviolátam servábit. Quibus verbis furóre inflammátus Symphrónius, vírginem ad scorta duci jubet.

℟. Ipsi sum desponsáta, cui Angeli sérviunt : cujus pulchritúdinem sol, et luna mirántur : * Ipsi soli servo fidem : ipsi me tota devotióne commítto.

℣. Déxteram meam, et collum meum cinxit lapídibus pretiósis : trádidit

áuribus meis inæstimábiles margarítas. Ipsi.

Lectio vj.

QUo cum eam violatúrus præféĉti fílius esset ingréssus, vidit ipsam claríssima luce circumfúsam : sed nihilóminus in insánia persevérans, contínuo cóncidit mórtuus. Qui mox oratióne vírginis revivíscens, pródiit in públicum, exclámans, templa deórum esse dæmonum domicília. Quare idolórum ignomínia magnópere commóti pontífices, Agnétem apud Symphrónium magicárum cantiónum accúsant. Qui etsi vírginem libénter absolvísset, tamen pontíficum calúmniam véritus, causæ cognitiónem Aspásio vicário dedit. Is in ardéntem rogum puéllam ínjici ímperat : quam divísa in duas partes flamma non áttigit : imo vero, oránte ipsa, exstínĉtus est ignis. Quo faĉto usque ádeo Aspásius ira concitátus est, ut eam secúri pércuti jubéret duodécimo Kaléndas Februárii. Cujus corpus paréntes in suo prædio via Nomentána sepeliérunt.

℟. Induit me Dóminus vestiménto salútis, et induménto lætítiæ circúmdedit me : * Et tamquam sponsam decorávit me coróna.

℣. Trádidit áuribus meis inæstimábiles margarítas, et circúmdedit me vernántibus, atque coruscántibus gemmis. Et.

Glória Patri. Et.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Ipsi sum desponsáta, cui Angeli sérviunt : cujus pulchritúdinem sol, et luna mirántur

Ps. Cantáte. [125]

Aña. Cujus pulchritúdinem sol, et luna mirántur : ipsi soli servo fidem.

Ps. Dóminus regnávit.

Aña. Ipsi soli servo fidem : ipsi me tota devotióne commítto.

Ps. Cantáte Dómino.

℣. Adjuvábit. [127]

Leĉt. de Homilia Evang. Símile erit regnum cœlórum decem. [127]

℟. vij. Jam corpus ejus córpori meo sociátum est, et sanguis ejus ornávit genas meas, * Cujus mater virgo est : cujus pater féminam nescit.

℣. Ipsi sum desponsáta, cui Angeli sérviunt : cujus pulchritúdinem sol, et luna mirántur. Cujus.

℟. viij. Pulchra fácie, sed púlchrior fide, beáta es

Agnes virgo; réspuens mundum, lætáberis cum Angelis : * Intercéde pro ómnibus nobis.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Intercéde.

℟. ix. Mel et lac ex ejus ore suscépi : * Et sanguis ejus ornávit genas meas.

℣. Cujus pulchritúdinem sol, et luna mirántur : ipsi soli servo fidem. Et.

Glória Patri. Et.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerd. ℣. Veni sponsa.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

INgréssa Agnes turpitúdinis locum, Angelum Dómini præparátum invénit.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Mecum enim hábeo custódem córporis mei, Angelum Dómini.

Aña. Pósuit signum in fáciem meam, ut nullum, præter eum, amatórem admíttam.

Aña. Benedíco te Pater Dómini mei Jesu Christi, quia per Fílium tuum ignis exstínctus est a látere meo.

Aña. Congaudéte mecum, et congratulámini : quia cum his ómnibus lúcidas sedes accépi.

Capit. Qui gloriátur. [129]

Hymn. Jesu, coróna.

℣. Elégit eam.

Ad Benedictus, Aña. Stans beáta Agnes in médio flammárum expánsis mánibus orábat ad Dóminum : Omnípotens, adoránde, colénde, et treménde, benedíco te, et glorífico nomen tuum in ætérnum.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas : concéde propítius; ut qui beátæ Agnétis Vírginis et Mártyris tuæ solémnia cólimus, ejus apud te patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

AD VESPERAS.

Añæ Laudum, Psalmus Dixit Dóminus, cum reliquis de Communi. [131]

A capit. fit de seq. et pro comm. præcedentis, vel ad Magnificat, Aña. Ecce quod concupívi, jam vídeo; quod sperávi, jam téneo : illi sum juncta in cœlis, quem in terris pósita tota devotióne diléxi.

DIE XXII. JANUARII.
S. Anastasii
Martyris Ordinis Nostri.
Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Martyr. [28] præter hic signata.

Oratio.

DEus, in te sperántium virtus, qui de Carméli solitúdine ad obtinéndam martyrii palmam beátum Anastásium evocásti : quæsumus; ut ad salutárium tolerántiam passiónum, ejúsdem accendámur exémplis. Per Dóminum.

In j. Noćturno, Lećtiones de Scriptura occurrente.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv.

ANastásius Persa, adoléscens in milítia Chósroæ regis adscríptus, cum Domínicæ Crucis, quæ tunc in Pérsidem deláta mirículis coruscábat, mystérium nosse cúperet, dićtúmque ei fuísset, Dei Fílium in ea pependísse; tanto est incénsus fídei Christiánæ desidério, ut fugátis ab Heraclíi exércitu Persis, relíćta milítia, primum Hierápoli apud Christiánum Persam argentárium aliquámdiu mánserit, deínde Jerosólymam proféćtus, ibi ab Elía Presbytero in Christi fide instrúćtus, a Modésto, Jerosolymitánæ Sedis Præsule baptizári, et mutáto nómine, ob Domínicæ resurrećtiónis veneratiónem, Anastásius appellári volúerit. Elápsis vero oćtogínta diébus, quibus non licébat eos, qui illumináti fúerant, égredi, monásticum hábitum sumpsit. Transáćtis póstea in monastério summa cum laude septem annis, per visum agnóscens mártyrem se futúrum, in civitátem ad festum Resurrećtiónis celebrándum venit, et Diacónium ingréssus magístro suo arcánum apéruit, a quo et perbenígne dimíssus est.

℟. Desidérium. [35]

Lectio v.

DIéspolim ígitur, et Charízim, et ad cétera veneránda loca oratiónis grátia profiscíscens, Cæsaréam demum pervénit. Ubi cum in templo Deíparæ duóbus diébus constitísset, atque inde ad Ecclésiam sanćtæ Euphémiæ pérgeret, Persárum magos præstígiis occupá-

tos videt. Quos cum ab erróre, zelo religiónis cóncitus, revocáre vellet, ab iis comprehénsus, tres dies sine cibo, et potu in cárcere detinétur. Hinc ad prætórium ductus, Marzabánæ eórum duci præsentátur. Qui plúribus verbis illíus constántia tentáta, vínculis férreis collum ei, atque álterum pedem in ergástulo circumcíngi, et ut ingéntes lápides ferat, præcipit. Eo loco a Persis, eorúmque duce plúrimum exagitátus, humi póstmodum exténditur, et diríssime verberátur. At in fídei confessióne persevérans, et mágica sacrifícia éxsecrans, íterum atque íterum in cárcerem redúcitur; ubi duo Mónachi Jerosólymis missi eum invisérunt, et ad martyrium properántem incitárunt. Matutínos quoque hymnos decántans, Angélica est visitatióne consolátus.

℟. Dómine prævenísti.

Lectio vj.

Marzabánas autem cum nihil profíceret, rem ad Chósroam regem détulit, cujus jussu Anastásius in Pérsidem míttitur, ubi várie étiam tentátus, et verbéribus non semel cæsus, lápide gravíssimi pónderis ad álterum pedem appénso, áltera manu duárum horárum spátio suspénditur. Sed cum in torméntis constántior eváderet, magistrátus regi persuádet, ne ejus constántiæ ámplius in régiæ majestátis dédecus perículum fáciat. Quare áliis septuagínta Christiánis regis jussu coram ipso ad martyrium præmíssis, Deo grátias agens, ipse decollátus est; et ut eum jam interféctum esse osténderent, carnífices sacrum caput ad regem déferunt. Cujus córporis relíquias mónachus Cæsaréa véniens, línteo a fíliis Jesdin mutuáto involútas secum détulit, et in sancti Sérgii monastério honorífice pósuit. Postrémo Romam delátæ, in monastério ad aquas Sálvias collocátæ sunt.

℟. Stola jucunditátis.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homilia in Evangelium. Si quis venit ad me, de Communi. [46]

Vesperæ a capitulo de sequenti.

DIE XXIII. JANUAR.
Desponsationis B. Mariæ V. cum S. Joseph.
Duplex minus P. C.
AD I. VESPERAS.
Si non præcedat Festum duplex, Aña. j. Laud. **Desponsátio.** Ps. præc.
Capitulum. Eccli. 24.

Go quasi vitis fructificávi suavitátem odóris, et flores mei fructus honóris et honestátis. Ego Mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei.
℟. Stirps Jesse virgam prodúxit, vírgaque florem : * Et super hunc florem requiéscet Spíritus almus.
℣. Virgo Dei Génitrix virga est, flos Fílius ejus. Et super.
Glória Patri. Et super.
Hymnus. **Ave maris stella.** [186]
℣. Desponsátio est hódie sanctæ Maríæ Vírginis. ℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias, allelúia.
Ad Magnificat, Aña. **Gloriósæ Vírginis Maríæ Desponsatiónem digníssimam recolámus, cujus Dóminus humilitátem respéxit, quæ Angelo nuntiánte concépit Redemptórem mundi.**
Oratio ut infra ad Laudes.
Deinde fit comm. S. Joseph ante alias quascumque comm. etiam Festi duplicis, aut Dominicæ, per Añam. **Exsúrgens Joseph a somno, fecit sicut præcépit ei Angelus Dómini, et accépit cónjugem suam.**
℣. **Constítuit eum dóminum domus suæ.** ℟. **Et príncipem omnis possessiónis suæ, allelúia.**
Oratio ut infra ad Laudes.
Postea com. S. Anastasii.
In fine Hymnorum Completorii et Horarum dicitur **Glória tibi Dómine, Qui natus es.**
Ad Nunc dimittis, Aña. **Allelúia : Sancta;** sed si venerit post Septuag. Aña. **Sub tuum præsídium.**
AD MATUTINUM.
Invitatorium. **Desponsatiónem Vírginis Maríæ celebrémus : * Christum ejus Fílium adorémus Dóminum.**
Ps. **Veníte, exsultémus. 2.**
Hymnus. **Quem terra,** de Officio B. M. V. [187]
IN PRIMO NOCTURNO.
Aña. **Hódie desponsáta est beáta Virgo María ex**

progénie David, per quam salus mundi credéntibus appáruit.

Ps. Dómine Dóminus noster, cum reliquis de Comm. unius Virg. [118]

Aña. Beatíssimæ Vírginis Maríæ Desponsatiónem devotíssime celebrémus : ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum.

Ps. Cœli enárrant.

Aña. Quando desponsáta est Virgo sacratíssima, tunc illuminátus est mundus : stirps beáta, radix sancta, et benedíctus fructus ejus.

Ps. Dómini est terra.

℣. Sancta Dei. [187]

Bened. Alma Virgo.

Incípiunt Cántica Canticórum.

Lectio i. Cap. 1.



Sculétur me ósculo oris sui : quia melióra sunt úbera tua vino, fragrántia unguéntis óptimis. Oleum effúsum nomen tuum : ídeo adolescéntulæ dilexérunt te. Trahe me : post te currémus in odórem unguentórum tuórum. Introdúxit me rex in cellária sua : exsultábimus, et lætábimur in te, mémores úberum tuórum super vinum; recti díligunt te. Nigra sum, sed formósa, fíliæ Jerúsalem, sicut tabernácula Cedar, sicut pelles Salomónis.

℟. Hódie desponsáta est beáta Virgo María ex progénie David, per quam salus mundi credéntibus appáruit : * Cujus vita gloriósa lucem dedit sæculo.

℣. Beatíssimæ Vírginis Maríæ Desponsatiónem devotíssime celebrémus. Cujus vita.

Ben. Nos cum prole pia.

Lectio ij.

Nolíte me consideráre quod fusca sim, quia decolorávit me sol : fílii matris meæ pugnavérunt contra me, posuérunt me custódem in víneis : víneam meam non custodívi. Indica mihi, quem díligit ánima mea, ubi pascas, ubi cubes in merídie, ne vagári incípiam post greges sodálium tuórum. Si ignóras te, o pulchérrima inter mulíeres, egrédere, et abi post vestígia gregum, et pasce hœdos tuos juxta tabernácula pastórum. Equitátui meo in cúrribus Pharaónis assimilávi te amíca mea. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut túrturis : collum tuum sicut monília.

℟. Beatíssimæ Vírginis Maríæ Desponsatiónem devotíssime celebrémus : * Ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum.

℣. Cum jucunditáte Desponsatiónem beátæ Maríæ celebrémus. Ut ipsa.

Bened. Sancta Dei Génitrix.

Lectio iij.

OUrénulas áureas faciémus tibi vermiculátas argénto. Dum esset rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suum. Fascículus myrrhæ diléctus meus mihi, inter úbera mea commorábitur. Botrus Cypri diléctus meus mihi, in víneis Engáddi. Ecce tu pulchra es amíca mea, ecce tu pulchra es, óculi tui columbárum. Ecce tu pulcher es dilécte mi, et decórus. Léctulus noster flóridus : tigna domórum nostrárum cédrina, laqueária nostra cypréssina.

℟. Solem justítiæ Regem paritúra suprémum : * Stella María maris hódie desponsáta est Joseph.

℣. Cérnere divínum lumen, gaudéte fidéles. Stella María.

Glória Patri. Stella.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Hódie desponsáta est Virgo María ex sémine Abrahæ, lætántur Archángeli, exsúltant omnes Sancti, et congáudet omnis mundus.

Ps. Eructávit cor. [122]

Aña. Dignum namque est, ut ei cum summa devotióne famulémur, per quam nobis virginitátis insígnia pullulárunt.

Ps. Deus noster.

Aña. Benedícta et venerábilis est sancta María Virgo Dei Génitrix, cujus Desponsatiónem celebrámus, ut intercéssio ipsíus sit pro nobis ad Dóminum.

Ps. Fundaménta ejus.

℣. Post partum. [189]

Bened. Précibus suæ Matris.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Ex Hom. 2. sup. Missus.

Lectio iv.


OPortébat a príncipe mundi aliquámdiu celári divíni consílii sacraméntum : non quod Deus, si palam opus fácere vellet, impedíri posse ab illo metúeret; sed quia ipse, qui non solum poténter, sed étiam sapiénter quæcúmque vóluit, fecit, sicut in ómnibus opéribus

suis quasdam rerum, vel témporum congruéntias propter órdinis pulchritúdinem serváre consuévit : ita in hoc quoque tam magnífico ópere suo, nostræ vidélicet reparatiónis, non tantum poténtiam suam, sed et prudéntiam osténdere vóluit.

℟. Gloriósæ Vírginis Maríæ Desponsatiónem digníssimam recolámus : * Cujus Dóminus humilitátem respéxit, quæ Angelo nuntiánte concépit Redemptórem mundi.

℣. Hódie desponsáta est beáta Virgo María ex progénie David. Cujus.

Ben. Jesus Maríæ Fílius.

Lectio v.

Convéniens ergo erat, ut suáviter quoque ómnia, cœléstia scílicet et terréna dispóneret quátenus et illinc dejíciens inquiétum, réliquos in pace firmáret, et hic debellatúrus ínvidum, nobis prius suæ humilitátis et mansuetúdinis valde necessárium exémplum relínqueret; sicque mirábili fíeret moderámine sapiéntiæ, ut et suis suávis, et hóstibus fortis apparéret.

℟. Desponsátio tua, Dei Génitrix Virgo, gáudium annuntiávit univérso mundo : ex te enim ortus est Sol justítiæ, Christus Deus noster : * Qui solvens maledictiónem, dedit benedictiónem : et confúndens mortem, donávit nobis vitam sempitérnam.

℣. Dignum namque est, ut ei cum summa devotióne famulémur, per quam nobis virginitátis insígnia pullulárunt. Qui.

Bened. Fílius Vírginis Maríæ.

Lectio vj.

Quid enim prodésset, diábolum a Deo vinci, nobis manéntibus supérbis? Necessário ígitur desponsáta est María Joseph, quando per hoc et a cánibus sanctum abscónditur, et a sponso virgínitas comprobátur, et Vírginis tam verecúndiæ párcitur, quam famæ providétur. Quid sapiéntius? Quid dígnius divína providéntia? Uno tali consílio secrétis cœléstibus et admíttitur testis, et exclúditur hostis, et íntegra servátur fama Vírginis matris.

℟. Ad nutum Dómini nostrum ditántis honórem : * Sicut spina rosam, génuit Judæa Maríam.

℣. Ut vítium virtus operíret, grátia culpam. Sicut. Glória Patri. Sicut.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Desponsátio est hódie sanctæ Maríæ Vírginis, cujus pulchritúdinem respéxit Deus, et visitávit humilitátem suam.

Psalmus. Cantáte Dómino. [125]

Aña. Ista est speciósa elécta a Dómino, cujus Desponsatiónem celebrémus, ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum.

Ps. Dóminus regnávit.

Aña. Felix namque es, sacra Virgo María, quæ et Genitrícis dignitátem obtinuísti, et virginálem pudicítiam non amisísti.

Ps. Cantáte Dómino.

℣. Speciósa facta. [190]

Bened. Fons Evangélii.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. I.

CUm esset desponsáta mater Jesu María Joseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu sancto. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. I. Comment. in cap. I. Matth.



QUare non de símplici Vírgine, sed de desponsáta concípitur? Primum, ut per generatiónem Joseph orígo Maríæ monstrarétur : secúndo, ne lapidarétur a Judæis, ut adúltera : tértio, ut in Ægyptum fúgiens habéret solátium. Martyr Ignátius étiam quartam áddidit causam, cur a desponsáta concéptus sit : Ut partus, ínquiens, ejus celarétur diábolo, dum eum putat non de vírgine, sed de uxóre generátum.

℟. Desponsátio gloriósæ Vírginis Maríæ ex sémine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David : * Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

℣. Desponsátio est hódie sanctæ Maríæ Vírginis. Cujus.

Ben. Ab hoste malígno.

Lectio viij.

ANtequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu sancto. Non ab álio invénta est, nisi a Joseph, qui pene licéntia maritáli futúræ uxóris ómnia nóverat. Quod autem dícitur : Antequam convenírent; non séquitur, ut póstea convénerint : sed Scriptúra, quod factum non sit, osténdit.

℟. Corde et ánimo Christo canámus glóriam, * In

hac sacra solemnitáte præcélsæ Genitrícis Dei Maríæ.

℣. Omnes in unum congregáti collaudémus Dóminum Jesum Christum. In hac.

Bened. In omni tribulatióne.

Lectio ix.

Joseph autem vir ejus, cum esset justus, et nollet eam tradúcere, vóluit occúlte dimíttere eam. Si quis fornicáriæ conjúngitur, unum corpus effícitur; et in lege præcéptum est, non solum reos, sed et cónscios críminum obnóxios esse peccáti. Quómodo Joseph, cum crimen celáret uxóris, justus scríbitur? Sed hoc testimónium Maríæ est, quod Joseph sciens illíus castitátem, et admírans quod evénerat, celat siléntio, cujus mystérium nesciébat.

℟. Stirps Jesse virgam prodúxit, vírgaque florem: * Et super hunc florem requiéscet Spíritus almus.

℣. Virgo Dei Génitrix virga est, flos Fílius ejus. Et super hunc.

Glória Patri. Et super.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerd. ℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

Desponsátio gloriósæ Vírginis Maríæ ex sémine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Desponsátio est hódie sanctæ Maríæ Vírginis, cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Aña. Regáli ex progénie María exórta refúlget: cujus précibus nos adjuvári mente et spíritu devotíssime póscimus.

Aña. Corde et ánimo Christo canámus glóriam in hac sacra solemnitáte præcélsæ Genitrícis Dei Maríæ.

Aña. Cum jucunditáte Desponsatiónem beátæ Maríæ celebrémus: ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum.

Capitulum. Eccli. 24.



EGo quasi vitis fructificávi suavitátem odóris: et flores mei fructus honóris, et honestátis. Ego Mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei.

Hymn. O gloriósa. [192]

℣. Elégit eam.

Ad Benedictus, Aña. Desponsatiónem hodiérnam perpétuæ Vírginis Genitrícis Dei Maríæ solémniter celebrémus : qua celsitúdo throni procéssit, allelúia.

Oratio.

Supplicatiónem servórum tuórum Deus miserátor exáudi : ut qui in Desponsatióne Dei Genitrícis et Vírginis Maríæ congregámur, ejus intercessiónibus a te de instántibus perículis eruámur. Per eúmdem Dóminum.

Et fit comm. S. Joseph per Añam. Ipse Jesus erat incípiens quasi annórum trigínta; ut putabátur fílius Joseph.

℣. Plantátus in domo Dómini. ℟. In átriis domus Dei nostri, allelúia.

Oratio.

Sanctíssimæ Genitrícis tuæ Sponsi, quæsumus Dómine, méritis adjuvémur : ut, quod possibílitas nostra non óbtinet, ejus nobis intercessióne donétur. Qui vivis.

Ad Horas, Capit. et ℟. ut in Offic. B. M. V. in Sabb. [193]

AD VESPERAS.

Añæ Laudum, Ps. de Comm. unius Virg. [131]

Capit. Hymn. et ℣. ut in j. Vesp.

Ad Magnificat, Aña. Desponsátio tua, Dei Génitrix Virgo, gáudium annuntiávit univérso mundo : ex te enim ortus est Sol justítiæ, Christus Deus noster : qui solvens maledictiónem, dedit benedictiónem : et confúndens mortem, donávit nobis vitam sempitérnam.

Et fit comm. S. Joseph per Añam. Ecce fidélis servus, et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam.

℣. Constítuit eum dóminum domus suæ. ℟. Et príncipem omnis possessiónis suæ, allelúia.

Deinde fit comm. seq.

DIE XXIV. JANUAR

S. Timothei Episcopi et Mart. Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Mart. [28] exceptis hic signatis.

Oratio. Infirmitátem.

In j. Noct. Lect. de Script. occurr.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv. Triumphális, de Communi. [34]

Ex Isidoro et Metaph.

Lectio v.

Timótheus Lystris in Lycaónia natus, ex patre Gentíli, et matre Judæa, Christiánam

colébat religiónem, cum in ea loca venit Paulus Apóstolus. Qui fama commótus, quæ de Timóthei sanctitáte percrebúerat, ipsum adhíbuit sócium suæ peregrinatiónis : sed propter Judæos, qui se ad Christum convérterant, sciéntes Timóthei patrem esse Gentílem, eum circumcídit. Cum ígitur ambo Ephesum veníssent, ibi ordinátus est Epíscopus ab Apóstolo, ut eam Ecclésiam gubernáret.

℟. Dómine prævenísti.

Lectio vj.

AD quem Apóstolus duas Epístolas scripsit, álteram Laodicéa, álteram Roma : quibus in pastorális offícii cura confirmátus, cum sacrifícium, quod uni Deo debétur, fíeri dæmonum simulácris ferre non posset, pópulum Ephesínum Diánæ in ejus celebritáte immolántem, ab illa impietáte removére conátus, lapídibus óbrutus est; ac pene mórtuus a Christiánis ereptus, et in montem óppido vicínum delátus, nono Kaléndas Februárii obdormívit in Dómino.

℟. Stola jucunditátis.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 21.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Pónite in córdibus vestris non præmeditári quemádmodum respondeátis. Et réliqua.

Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri.

In cap. 21. Lucæ.



APérte Dóminus membris suis quasi infirmántibus dicit : Nolíte terréri, nolíte pertiméscere. Vos ad certámen accéditis, sed ego prælior : vos verba éditis, sed ego sum, qui loquor. Tradémini autem a paréntibus. Minórem dolórem mala íngerunt, quæ ab extráneis inferúntur : plus vero in nobis ea torménta sæviunt, quæ ab illis pátimur, de quorum méntibus præsumebámus, quia cum damno córporis mala nos crúciant amíssæ caritátis.

℟. Coróna áurea. [38]

Lectio viij.

SEd quia dura sunt, quæ prædicúntur de afflictióne mortis, prótinus consolátio súbditur de gáudio resurrectiónis, cum dícitur : Et capíllus de cápite vestro non períbit.

Scimus quia caro incísa dolet, capíllus non dolet incísus. Ait ergo Martyribus suis : Cur timétis, ne péreat quod incísum dolet, quando et illud in vobis períre non potest, quod incísum non dolet? Aliter capíllus de cápite discipulórum Dómini non períbit, quia non solum fórtia quæque gesta, vel dicta sanctórum, de quibus dícitur : Dóminus custódit ómnia ossa eórum : sed et volátilis, ut ita dicam, ac tenuíssima cogitatiónum fidélium superfícies, quæ de occúlta cordis radíce, quasi de cérebro cæsáries exit, apud justum júdicem conserváta, digna mercéde donábitur.

℟. Glória et honóre.

Lectio ix.

In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras. Idcírco posséssio ánimæ in virtúte patiéntiæ pónitur, quia radix ómnium custósque virtútum patiéntia est. Per patiéntiam vero possidémus ánimas nostras, quia dum nobis ipsis dominári díscimus, hoc ipsum incípimus possidére quod sumus. Sic enim cónditi mirabíliter sumus, ut rátio ánimam, et ánima possídeat corpus. Jus vero ánimæ a córporis possessióne repéllitur, si non prius ánima a ratióne possidétur. Custódem ígitur conditiónis nostræ patiéntiam Dóminus esse monstrávit, qui in ipsa nos possidére nosmetípsos dócuit. Patiéntia autem vera est, aliéna mala æquanímiter pérpeti, contra eum quoque, qui mala írrogat, nullo dolóre movéri.

℟. Miles Christi.

Vesp. a cap. seq. comm. præcedentis.

DIE XXV. JANUARII.
Conversionis S. Pauli Apostoli.

Duplex minus. P. C.

Omnia de Comm. Apostolorum [3] exceptis hic signatis.

AD VESPERAS.

Nisi præcedat Festum duplex, super Ps. præced.

Aña. Sancte Paule Apóstole, prædicátor veritátis, et Doctor Géntium, intercéde pro nobis ad Deum, qui te elégit.

Capitulum. Act. 9.



Saulus adhuc spirans minárum et cædis in discípulos Dómini, accéssit ad príncipem sacerdótum, et pétiit ab eo epístolas in

Damáscum ad Synagógas : ut si quos invenísset hujus viæ viros ac mulíeres, vinctos perdúceret in Jerúsalem.

℟. Magnus sanctus Paulus vas electiónis, vere digne est glorificándus : * Qui et méruit thronum duodécimum possidére.

℣. A Christo de cœlo vocátus, et in terram prostrátus, ex persecutóre efféctus est vas electiónis. Qui et méruit.

Glória Patri. Qui.

Hymnus. Elpis.

Doctor egrégie Paule mores ínstrue,
Et mente polum nos transférre sátage,
Donec perféctum largiátur plénius,
Evacuáto, quod ex parte gérimus.
Sit Trinitáti sempitérna glória,
Honor, potéstas atque jubilátio
In unitáte, cui manet impérium
Ex tunc, et modo per ætérna sæcula. Amen.

℣. Tu es vas electiónis, sancte Paule Apóstole. ℟. Prædicátor veritátis in univérso mundo, allelúia.

Ad Magnificat, Aña. Celebrémus Conversiónem sancti Pauli Apóstoli, quia hódie ex persecutóre efféctus est vas electiónis : ídeo gaudent Angeli, et colláudant in cœlis Fílium Dei.

Oratio ut infra ad Laudes.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Laudémus Dóminum Jesum Christum, * In Conversióne Doctóris Géntium.

Ps. Veníte. 2.

Hymn. Doctor egrégie, ut supra.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Saulus adhuc spirans minárum et cædis in discípulos Dómini, accéssit ad príncipem sacerdótum, et pétiit ab eo epístolas in Damáscum ad Synagógas : ut si quos invenísset hujus viæ viros ac mulíeres, vinctos perdúceret in Jerúsalem.

Ps. Cœli enárrant. [4]

Aña. Ibat ígitur Saulus fúria invéctus, dirúmque toto péctore virus efflábat, et sanctórum sánguinem sine intermissióne sitiébat.

Ps. Benedícam.

Aña. Saule, Saule, quid me perséqueris? Quis es Dómine? Ego sum Jesus, quem tu perséqueris : durum est tibi contra stímulum calcitráre.

Ps. Eructávit.

℣. In omnem terram. [7]

De Actibus Apostolórum.
Lectio j. Cap 9.

SAulus adhuc spirans minárum et cædis in discípulos Dómini, accéssit ad príncipem sacerdótum, et pétiit ab eo epístolas in Damáscum ad Synagógas : ut si quos invenísset hujus viæ viros ac mulíeres, vinctos perdúceret in Jerúsalem. Et cum iter fáceret, cóntigit ut appropinquáret Damásco : et súbito circumfúlsit eum lux de cœlo. Et cadens in terram audívit vocem dicéntem sibi : Saule, Saule, quid me perséqueris? Qui dixit : Quis es Dómine? Et ille : Ego sum Jesus, quem tu perséqueris : durum est tibi contra stímulum calcitráre.

℟. Qui operátus est Petro in Apostolátum, operátus est et mihi inter Gentes : et cognovérunt grátiam, * Quæ data est mihi.

℣. Grátia Dei sum id, quod sum : et grátia ejus in me vácua non fuit. Quæ.

Lectio ij.

ET tremens ac stupens dixit : Dómine; quid me vis fácere? Et Dóminus ad eum : Surge, et ingrédere civitátem, et ibi dicétur tibi, quid te opórteat fácere. Viri autem illi, qui comitabántur cum eo, stabant stupefácti, audiéntes quidem vocem, néminem autem vidéntes. Surréxit autem Saulus de terra, apertísque óculis nihil vidébat. Ad manus autem illum trahéntes, introduxérunt Damáscum. Et erat ibi tribus diébus non videns, et non manducávit, neque bibit.

℟. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi : * In réliquo repósita est mihi coróna justítiæ.

℣. Scio cui crédidi, et certus sum, quia potens est depósitum meum serváre in illum diem. In.

Lectio iij.

ERat autem quidam discípulus Damásci nómine Ananías : et dixit ad illum in visu Dóminus : Ananía. At ille ait : Ecce ego, Dómine. Et Dóminus ad eum : Surge, et vade in vicum, qui vocátur Rectus : et quære in domo Judæ Saulum nómine Tharsénsem : ecce enim orat. (Et vidit virum Ananíam nómine introeúntem, et imponéntem

sibi manus ut visum recípiat.) Respóndit autem Ananías : Dómine, audívi a multis de viro hoc, quanta mala fécerit sanctis tuis in Jerúsalem : et hic habet potestátem a princípibus sacerdótum alligándi omnes, qui ínvocant nomen tuum. Dixit autem ad eum Dóminus : Vade, quóniam vas electiónis est mihi iste, ut portet nomen meum coram Géntibus, et régibus, et fíliis Israel.

℟. Repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die, * Justus judex.

℣. Scio cui crédidi, et certus sum, quia potens est depósitum meum serváre in illum diem. Justus.

Glória Patri. Justus.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Saulus autem tremens ac stupens dixit ad Jesum : Dómine, quid me vis fácere? Et Dóminus ad eum : Surge, et ingrédere civitátem, et ibi dicétur tibi, quid te opórteat fácere.

Ps. Omnes Gentes. [8]

Aña. Ad manus autem illum trahéntes, introduxérunt Damáscum. Et erat ibi tribus diébus non videns, et non manducávit, neque bibit.

Ps. Exáudi Deus.

Aña. Ananía vade, et quære Saulum : ecce enim orat : quóniam vas electiónis est mihi iste, ut portet nomen meum coram Géntibus, et régibus, et fíliis Israel.

Ps. Exáudi Deus.

℣. Constítues eos. [10]

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 35. de Sanctis.

Lectio iv.



Hodie de Actibus Apostolórum léctio hæc pronuntiáta est : ubi Paulus Apóstolus ex persecutóre Christianórum annuntiátor factus est Christi. Prostrávit enim Christus persecutórem, ut fáceret Ecclésiæ Doctórem; percútiens eum, et sanans; occídens, et vivíficans : occísus agnus a lupis, et fáciens agnos de lupis. Ita enim in præclára prophetía cum Jacob Patriárcha benedíceret fíliis suis (præséntes tangens, futúra prospíciens) prædíctum erat, quod in Paulo cóntigit. Erat autem Paulus, sicut ipse testátur, de tribu Bénjamin. Cum autem Jacob benedícens fílios

suos, venísset ad benedicéndum Bénjamin, ait de illo : Bénjamin lupus rapax.

℟. Damásci præpósitus gentis Arétæ regis custodiébat civitátem, ut me comprehénderet; et per fenéstram in sporta dimíssus sum per murum : * Et sic effúgi manus ejus in nómine Dómini.

℣. Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi scit quod non méntior. Et sic.

Lectio v.

Quid ergo? lupus rapax semper? Absit. Sed qui mane rapit prædam, ad vésperam dívidit escas. Hoc in Apóstolo Paulo implétum est, quia et de illo dictum erat. Jam, si placet, audiámus illum mane rapiéntem, ad vésperam escas dividéntem. Mane et véspere pósita sunt pro eo, ac si diceréiur, prius et póstea. Sic ergo accipiámus : Prius rápiet, póstea dívidet escas. Atténdite raptórem. Saulus, inquit, accéptis epístolis a princípibus sacerdótum ibat, ut ubicúmque inveníret Christiános, ad sacerdótes attráheret, et addúceret, útique puniéndos.

℟. Mihi vívere Christus est, et mori lucrum : * Absit gloriári nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi.

℣. Per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. Absit.

Lectio vj.

Ibat spirans et anhélans cædes : hoc est, mane rápiens. Nam et quando lapidátus est Stéphanus primus martyr pro nómine Christi, evidéntius áderat et Saulus : et sic áderat lapidántibus, ut non ei suffíceret si tantum suis mánibus lapidáret. Ut enim esset in ómnium lapidántium mánibus, ipse ómnium vestiménta servábat, magis sæviens omnes adjuvándo, quam suis mánibus lapidándo. Audívimus, mane rápiet : videámus ad vésperam quáliter dívidat escas. Voce Christi prostrátus de cœlo, et accípiens désuper interdíctum jam sæviéndi, cécidit in fáciem suam, prius prosternéndus, póstea erigéndus : prius percutiéndus, póstea sanándus.

℟. Tu es vas electiónis, sancte Paule Apóstole, prædicátor veritátis in univérso mundo : * Per

quem omnes Gentes cognovérunt grátiam Dei.

℣. Intercéde pro nobis ad Deum, qui te elégit. Per quem.

Glória Patri. Per quem.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Saule frater, Dóminus misit me Jesus, qui appáruit tibi in via, qua veniébas, ut vídeas, et impleáris Spíritu sancto.

Ps. Confitébimur. [10]

Aña. Sub manu Ananíæ cecidérunt ab óculis ejus tamquam squamæ, et visum recépit; et surgens baptizátus est. Et cum accepísset cibum, confortátus est.

Ps. Dóminus regnávit.

Aña. Saulus, qui et Paulus, magnus prædicátor, a Deo confortátus convalescébat, et confundébat Judæos.

Ps. Dóminus regnávit.

℣. Nimis honoráti. [12]

Lectiones de Homilia S. Hieronymi Presbyt. in Evang. Ecce nos relíquimus ómnia, ut in Comm. Abbatum. [101]

℟. vij. Scio cui crédidi, et certus sum, quia potens est depósitum meum serváre, * In illum diem justus judex.

℣. Repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus. In illum diem.

℟. viij. Sancte Paule Apóstole, prædicátor veritátis, et Doctor Géntium, * Intercéde pro nobis ad Deum, qui te elégit.

℣. Ut digni efficiámur grátia Dei. Intercéde.

℟. ix. Magnus sanctus Paulus vas electiónis, vere digne est glorificándus : * Qui et méruit thronum duodécimum possidére.

℣. A Christo de cœlo vocátus, et in terram prostrátus, ex persecutóre efféctus est vas electiónis. Qui et méruit.

Glória Patri. Qui.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerd. ℣. Dedísti hereditátem. [12]

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

A Christo de cœlo vocátus, et in terram prostrátus, ex persecutóre efféctus est vas electiónis.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Ingréssus Paulus in synagógas, prædicábat Jesum, quóniam hic est Fílius Dei.

Aña. Saulus autem multo magis convalescébat in Christo, et confundébat Judæos.

Aña. Tu es vas electiónis, sancte Paule Apóstole, prædicátor veritátis in univérso mundo.

Aña. Magnus sanctus Paulus vas electiónis, vere digne est glorificándus : qui et méruit thronum duodécimum possidére.

Capitulum. Act. 9.

SAulus adhuc spirans minárum et cædis in discípulos Dómini, accéssit ad príncipem sacerdótum, et pétiit ab eo epístolas in Damáscum ad Synagógas : ut si quos invenísset hujus viæ viros ac mulíeres, vinctos perdúceret in Jerúsalem.

Hymn. Ætérna. [13]

℣. Tu es vas electiónis, sancte Paule Apóstole.

℟. Prædicátor veritátis in univérso mundo, allelúia.

Ad Bened. Aña. Vos, qui secúti estis me, sedébitis super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israel, dicit Dóminus.

Oratio.

DEus, qui univérsum mundum beáti Pauli Apóstoli prædicatióne docuísti : da nobis, quæsumus; ut qui ejus hódie Conversiónem cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Capit. Saulus adhuc, ut supra ad Laudes

℟. In omnem terram. [13]

AD SEXTAM.

Capitulum. Act. 9.

VAde Ananía, quóniam vas electiónis est mihi iste, ut portet nomen meum coram Géntibus, et régibus, et fíliis Israel.

℟. Constítues eos. [13]

AD NONAM.

Capitulum. Act. 9.

ET ábiit Ananías, et introívit in domum : et impónens ei manus dixit : Saule frater, Dóminus misit me Jesus, qui appáruit tibi in via, qua veniébas, ut vídeas, et impleáris Spíritu sancto.

℟. Nimis honoráti. [14]

℣. Annuntiavérunt.

AD VESPERAS.

Añæ Laudum, Psal. de Communi. [14]

Capit. Saulus adhuc.

Hymn. Doctor egrégie.

℣. Tu es vas, ut in j. Vesp.

Ad Magnif. Aña. Cum autem plácuit ei, qui me segregávit ex útero matris meæ, et vocávit per grá-

tiam suam, ut reveláret Fílium suum in me, ut evangelizárem illum in Géntibus : contínuo non acquiévi carni, et sánguini, neque veni Jerosólymam ad antecessóres meos Apóstolos.

Et fit comm. seq.

DIE XXVI. JANUARII.

S. Polycarpi

Episcopi et Martyris.

Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Mart. [28] præter hic signata.

Oratio. **Deus, qui nos beáti**, de Communi. [29]

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv. et v. de Communi. **Triumphális.** [34]

Ex libro sancti Hierónymi Presbyteri de Scriptóribus Ecclesiásticis.

Lectio vj.



Olycárpus, Joánnis Apóstoli discípulus, et ab eo Smyrnæ Epíscopus ordinátus, totíus Asiæ princeps fuit : quippe qui nonnúllos Apostolórum, et eórum, qui víderant Dóminum, magístros habúerit, et víderit. Hic propter quasdam super die Paschæ quæstiónes, sub Imperatóre Antoníno Pio, Ecclésiam in Urbe regénte Anicéto, Romam venit, ubi plúrimos credéntium, Marciónis et Valentíni persuasióne decéptos, redúxit ad fidem. Cumque ei fortúito óbviam fuísset Márcion, et díceret : Cognóscis nos? respóndit : Cognósco primogénitum diáboli. Póstea vero regnánte Marco Antoníno et Lúcio Aurélio Cómmodo, quarta post Nerónem persecutióne, Smyrnæ sedénte procónsule, et univérso pópulo in amphitheátro advérsus eum personánte, igni tráditus est. Scripsit ad Philippénses valde útilem epístolam, quæ usque hódie in Asiæ convéntu légitur.

℟. Stola jucunditátis.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nihil est opértum, quod non revelábitur : et occúltum, quod non sciétur. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi.

Comm. in Matth. cap. 10.

Ominus diem judícii osténdit, quæ abstrúsam voluntátis nostræ consciéntiam prodet : et ea quæ nunc occúlta existimántur, luce cognitiónis públicæ déteget. Igitur non minas, non consília, non potestátes insectántium monet esse metuéndas : quia dies judícii nulla hæc fuísse atque inánia revelábit. Et quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine : et quod in aure audítis, prædicáte super tecta. Non légimus Dóminum sólitum fuísse nóctibus sermocinári, et doctrínam in ténebris tradidísse : sed quia omnis sermo ejus carnálibus ténebræ sunt, et verbum ejus infidélibus nox est.

℟. Coróna áurea. [38]

Lectio viij.

Itaque id quod a se dictum est, cum libertáte fídei et confessiónis vult esse loquéndum. Idcírco quæ in ténebris dicta sunt, prædicári jussit in lúmine : ut, quæ secréto áurium commíssa sunt, super tecta, id est, excélso loquéntium præcónio audiántur. Constánter enim Dei ingerénda cognítio est, et profúndum doctrínæ Evangélicæ secrétum in lúmine prædicatiónis Apostólicæ revelándum, non timéntes eos, quibus cum sit licéntia in córpora, tamen in ánimam jus nullum est : sed timéntes pótius Deum, cui perdéndæ in gehénna et ánimæ et córporis sit potéstas.

℟. Glória et honóre.

Lectio ix.

Nolíte timére eos, qui occídunt corpus. Nullus ígitur córporum nostrórum casus est pertimescéndus, neque ullus interiméndæ carnis admitténdus est dolor : quando pro natúræ suæ atque oríginis conditióne resolúta, in substántiam spirituális ánimæ refundátur. Et quia doctrínis tálibus confirmátos opórtet líberam confiténdi Dei habére constántiam; étiam conditiónem, qua tenerémur, adjécit : negatúrum se eum Patri in cœlis, qui se homínibus in terra negásset : eum porro qui conféssus coram homínibus se fuísset, a se in cœlis confiténdum : qualésque nos nóminis sui te-

stes homínibus fuissémus, tali nos apud Deum Patrem testimónio ejus usúros. ℟. Miles Christi.

Vesp. a capit. seq. com. præced.

DIE XXVII. JANUAR.

S. Joannis Chrysostomi

Episc. Conf. et Doctoris.
Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Conf. Pont. [75] exceptis, quæ hic propria notantur.

IN I. VESPERIS.

Ad Magnificat, Aña. O Doctor, de Communi Doctorum. [90]

Oratio.

Ecclésiam tuam, quæsumus Dómine, grátia cœléstis amplíficet : quam beáti Joánnis Chrysóstomi, Confessóris tui atque Pontíficis illustráre voluísti gloriósis méritis et doctrínis. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lectiones de Script. occurr. In Quadrag. Sapiéntiam, de Comm. Doct. [90]

IN SECUNDO NOCTURNO.

Ex Histor. tripart. et Metaphr. Lectio iv.

Joánnes Antiochénus, propter áureum eloquéntiæ flumen cognoménto Chrysóstomus, a forénsibus et sæculáribus stúdiis ad divínas lítteras summa cum ingénii et indústriæ laude se cóntulit. Itaque sacris initiátus, ac Présbyter Antiochénæ Ecclésiæ factus, mórtuo Nectário, Arcádii Imperatóris ópera, invítus Constantinopolitánæ Ecclésiæ præfícitur. Quo suscépto pastoráli múnere, depravátos mores, et nobiliórum hóminum vivéndi licéntiam veheméntius objurgáre cœpit. Qua ex libertáte magnam multórum súbiit invídiam. Apud Eudóxiam étiam, quod eam propter Callítropæ víduæ pecúniam, et altérius víduæ agrum reprehendísset, gráviter offéndit. ℟. Pósui adjutórium. [82]

Lectio v.

Quare áliquot Episcopórum acto Chalcédone convéntu, quo ipse vocátus ire nóluit, quod nec legítimum concílium, nec públicum esse díceret; niténte in primis ipsa contra Chrysóstomum Eudóxia, ejícitur in exsílium : sed paulo post propter ejus desidérium seditióne pópuli facta, admirábili civitátis plausu ab exsílio revocátur. Verum cum

pérditos mores increpáre non desísteret, et ad argénteam Eudóxiæ státuam in foro sanctæ Sophíæ ludos fíeri prohibéret : conspiratióne inimicórum Episcopórum íterum exsuláre cógitur, víduis et egéntibus ómnibus commúnis paréntis ejectiónem lugéntibus. In exsílio Chrysóstomus incredíbile est et quanta mala perpéssus sit, et quam multos ad Jesu Christi fidem convérterit.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

Verum dum Concílio Romæ hábito, decréto Innocéntii Primi Pontíficis restitúitur, a milítibus, qui eum custodiébant, miris in itínere malis et calamitátibus affícitur. Cumque per Arméniam ducerétur; sanctus Basilíscus martyr, in cujus templo ántea oráverat, noctu sic eum affátus est : Joánnes frater, crástinus dies nos loco conjúnget. Quare postrídie sumpto Eucharistíæ sacraménto, seque crucis signo múniens, ánimam Deo réddidit, décimo octávo Kaléndas Octóbris. Quo mórtuo horríbilis grando Constantinópoli cécidit, et quatríduo Augústa cessit e vita. Ejus corpus insígni pompa et hóminum multitúdine celebrátum, Theodósius Arcádii fílius Constantinópolim portándum, et honorífice sepeliéndum curávit, sexto Kaléndas Februárii; cujus étiam relíquias venerátus, paréntum suórum véniam pétiit : quod deínde Romam translátum, in Basílica Vaticána cónditum est. Multitúdinem, pietátem, ac splendórem conciónum, ceterorúmque ejus scriptórum, interpretándi étiam ratiónem, et inhæréntem senténtiæ sacrórum librórum explanatiónem, omnes admirántur : dignúmque exístimant, cui Paulus Apóstolus, quem ille mirífice cóluit, scribénti et prædicánti multa dictásse videátur.

℟. Ecce vir.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5.

In illo témpore : Docébat Jesus discípulos suos, dicens : Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 15. in Matth.

Atténdite quid díxerit, Vos estis sal terræ : per quod osténdit, quam necessário ista præcípiat. Non enim de vestra, inquit, tantúmmodo vita, sed de univérso orbe vobis rátio reddénda est. Non ad duas quippe urbes, aut decem, aut vigínti, neque ad unam gentem vos mitto, sicut mittébam Prophétas : sed ad omnem terram prorsus ac mare, totúmque mundum, et hunc váriis crimínibus opprésum.

℟. Magnificávit. [85]

Lectio viij.

Dicéndo enim, Vos estis sal terræ : osténdit univérsam hóminum infatuátam esse natúram, et peccatórum vi corrúptam : et idcírco illas ab eis virtútes requírit, quæ máxime ad multórum salútem procurándam necessáriæ sunt, atque útiles. Nam qui mansuétus est ac modéstus, et miséricors et justus, non intra se tantúmmodo hæc recte facta conclúdit, verum in aliórum quoque utilitátem præclároS hos fáciet efflúere fontes. Igitur qui corde mundo est, atque pacíficus, et persecutiónem pro veritáte pátitur, nihilóminus in commúne cómmodum vitam instítuit.

℟. Vir Israelíta.

Lectio ix.

Ne ígitur putétis, inquit, ad lévia vos ducéndos esse certámina, neque exiguárum rerum vobis ineúndam esse ratiónem, Vos estis sal terræ. Quid ígitur? Ipsíne putrefácta medicáti sunt? Nequáquam : neque enim fíeri potest, ut ea, quæ jam corrúpta sunt, salis perfricatióne reparéntur. Non ergo hoc fecérunt, sed ante renováta, sibíque trádita, atque ab illa jam putrédine liberáta, aspergébant sale, et in ea novitáte conservábant, quam a Dómino suscéperant. Liberáre quippe a putrédine peccatórum, Christi virtútis est : ut autem ad illa íterum non revertántur, Apostolórum curæ est ac labóris.

℟. Sancte Joánnes Chrysóstome.

Vesperæ a capitulo de sequenti.

DIE XXVIII. JANUAR.
S. Cyrilli
Episc. Conf. et Doct.
Ord. Nostri. Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Conf. Pont. [75] exceptis hic signatis.

IN I. VESPERIS.

Ad Magnificat, Aña. O Doctor, de Communi Doctorum. [90]

Oratio.

Supérni lúminis Pater, qui mentem beáti Cyrílli Confessóris tui atque Pontíficis, ut Genitrícis Fílii tui semper Vírginis Maríæ honórem ab hæreticórum nébulis vindicáret, veræ fídei et sapiéntiæ luce illustráre dignátus es : ipso interveniénte concéde : ut errántium corda ad veritátis tuæ rédeant unitátem, et in tua simus voluntáte concórdes. Per eúmdem Dóminum.

Et fit comm. præced. ac S. Agnetis secundo, Aña. Beáta Agnes in médio flammárum expánsis mánibus orábat : Te déprecor, veneránde, colénde, Pater metuénde, quia per sanctum Fílium tuum minas evási sacrílegi tyránni, et carnis spurcítias immaculáto calle transívi : et ecce vénio ad te, quem amávi, in quem crédidi, quem quæsívi, quem semper optávi.

℣. Diffúsa est grátia. [118]

Oratio.

Deus, qui nos ánnua beátæ Agnétis Vírginis et Mártyris tuæ solemnitáte lætíficas : da, ut quam venerámur offício, étiam piæ conversatiónis sequámur exémplo. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lectiones de libro Ecclesiastici, Sapiéntiam, de Communi Doct. [90]

IN SECUNDO NOCTURNO.

Ex Niceph. et Trit. et aliis.

Lectio iv.



Cyríllus Epíscopus Alexandrínus, claris paréntibus ortus, Theóphili item Epíscopi Alexandríni ex fratre nepos, a quo adoléscens Athénas studiórum causa missus, cum plúrimum profecísset, ad Joánnem Epíscopum Jerosolymitánum, ut Christiánæ vitæ perfectióne imbuerétur, se cóntulit. Cujus consuetúdine confirmátus, in Carmélum montem secédens, ibi cum áliquot piis homínibus illic degéntibus cœléstem vitam in terris aliquámdiu egit.

Alexandríam deínde in pátriam revérsus, Présbyter illíus Ecclésiæ ordinátus est : et paulo post Theóphilo Epíscopo ejus pátruo defúncto, in ejus locum, pari ómnium consénsu, suffféctus est.

℟. Pósui adjutórium. [82]

Lectio v.

Epíscopus factus, totum se Episcopális sollicitúdinis curæ dedit : in primis, ut ab infidélium erróribus áream suam purgáret. Judæos tunc témporis Alexandríam pravis móribus labefactántes, inde éxpulit; Nestoriános quoque hæréticos insectátus est. Quare Cœlestíni Primi legátus in Concílio Ephesíno decrétus, pestíferum illórum dogma pénitus delévit : et beátam Vírginem Maríam Dei Matrem vere esse confirmávit.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

Verum humáni géneris, et ejúsdem Dei Genitrícis, antíquus hostis, per Joánnem Sacrénsem, Imperatóris vices Ephesi geréntem, plúrimas ei persecutiónes excitávit. Quibus divínitus superátis, Alexandríam revérsus, multas epístolas per Ægyptum, ut relíquias hæresis Nestoriánæ exstirpáret, misit. Multa scripsit, plurimúmque pro Ecclésiæ Cathólicæ defensióne laborávit : cujus sermónibus tota fere Syria in divínis Offíciis útitur. Demum cum illam Ecclésiam multis annis sancte gubernásset, sénio conféctus, spíritum Deo réddidit quinto Kaléndas Februárii, Theodósio et Valentiniáno imperántibus.

℟. Ecce vir.

IN TERTIO NOCTURNO.

Lect. de Hom. in Evang. Vos estis sal terræ, de Communi Doct. [91]

Si Lectio ix. de Homilia legenda non sit, legitur

Pro sancta Agnéte.

Ex D. Ambr. Sermo 90.

Lectio ix.

Cum paréntes sanctæ Agnétis vigilárent ad túmulum ejus, vidérunt exércitum vírginum prætereúntem cum ingénti lúmine : quæ omnes erant indútæ cycládibus auro textis. Inter quas vidérunt beátam Agnétem, et ad déxteram ejus agnum nive candidiórem. Quæ stans dixit eis : Vidéte, ne me quasi mórtuam lugeá-

tis : sed congaudéte mecum, quia cum his ómnibus lúcidas sedes accépi. Et pertransívit. Cum autem hæc vísio divulgáta narrarétur Constántiæ vírgini fíliæ Constantíni, quæ plena erat ulcéribus : spe recuperándæ sanitátis, venit ad túmulum Mártyris. Repentíno ígitur somno arrépta, vidit beátam Agnétem dicéntem sibi : Constánter age Constántia. Evígilans autem sanam pénitus se invénit : ac proptérea a patre pétiit, ut Basílica sanctæ Agnéti construerétur : et sibi illic mausoléum collocári præcépit. Cucúrrit hæc opínio, et quotquot credéntes ad túmulum pervenísent, ab omni infirmitáte sanabántur.

℟. Sancte Cyrílle.

AD LAUDES.

Pro comm. S. Agnetis, Aña. Stans beáta Agnes in médio flammárum expánsis mánibus orábat ad Dóminum : Omnípotens, adoránde, colénde, et treménde, benedíco te, et glorífico nomen tuum in ætérnum.

℣. Elégit eam. [130]

Vesperæ a capit. seq. comm. præc.

DIE XXIX. JANUAR.

S. Francisci Salesii

Episc. Conf. et Doct.
Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Conf. Pont. [75] exceptis hic signatis.

IN I. VESPERIS.

Ad Magnif. Aña. O Doctor, de Comm. Doct. [90]

Oratio.

DEus, qui ad animárum salútem beátum Francíscum Confessórem tuum atque Pontíficem, ómnibus ómnia factum esse voluísti : concéde propítius ; ut caritátis tuæ dulcédine perfúsi, ejus dirigéntibus mónitis, ac suffragántibus méritis, ætérna gáudia consequámur. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lectiones Sapiéntiam, de Communi Doct. [90]

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv.



FRancíscus in óppido Salésio, unde famíliæ cognómen, piis et nobílibus paréntibus natus, a téneris annis futúræ sanctitátis indícia præbuit, morum innocéntia, et gravitáte. Adoléscens liberálibus disciplínis erudítus, mox Philosophíæ, ac Theolo-

gíæ Parísiis óperam dedit, et ne quid sibi deésset ad ánimi cultúram, juris utriúsque láuream summa cum laude Patávii obtínuit. In sacra æde Lauretána perpétuæ virginitátis votum, quo pridem Parísiis se obstrínxerat, innovávit : a cujus virtútis propósito nullis umquam dæmonum fráudibus, nullis sénsuum illécebris pótuit dimovéri.

℟. Pósui adjutórium. [82]

Lectio v.

Recusáta in Sabáudiæ Senátu amplíssima dignitáte, clericáli milítiæ nomen dedit : tum sacerdótio initiátus, et Genevénsis Ecclésiæ præpositúram adéptus, ejus múneris partes ádeo perfécte explévit, ut eum Granérius Epíscopus vindicándis ab hæresi Calviniána Chaballicénsibus, aliísque Genévæ finítimis pópulis, divíni verbi præcónem destinárit. Quam expeditiónem álacri ánimo suscípiens, aspérrima quæque perpéssus est, sæpe ab hæréticis conquisítus ad necem, variísque calúmniis et insídiis vexátus. Sed inter tot discrímina, et agónes, insuperábilis ejus constántia semper enítuit : Deíque ope protéctus septuagínta duo míllia hæreticórum ad Cathólicam fidem reduxísse dícitur, inter quos multi nobilitáte et doctrína insígnes numerántur.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

Mortuo Granério, qui eum sibi Coadjutórem decérni curáverat, Epíscopus consecrátus, sanctitátis suæ rádios circumquáque diffúdit, zelo Ecclesiásticæ disciplínæ, pacis stúdio, misericórdia in páuperes, omníque virtúte conspícuus. Ad divíni cultus augméntum novum Ordinem Sanctimoniálium instítuit, a Visitatióne beátæ Vírginis nuncupátum, sub Régula sancti Augustíni, cui áddidit Constitutiónes, sapiéntia, discretióne, et suavitáte mirábiles. Suis étiam scriptis cœlésti doctrína refértis, Ecclésiam illustrávit, quibus iter ad Christiánam perfectiónem tutum et planum demónstrat. Annum dénique agens quinquagésimum quintum, dum e Gállia Annésium regréditur, post sacrum in die sancti Joánnis Evangelístæ Lugdúni celebrátum, gravi morbo

corréptus, sequénti die migrávit in cœlum, anno Dómini millésimo sexcentésimo vigésimo secúndo. Ejus corpus Annésium delátum, in ecclésia moniálium dicti Ordinis honorífice cónditum fuit, cœpítque statim miráculis claréscere. Quibus rite probátis, ab Alexándro Séptimo Pontífice Máximo in Sanctórum númerum relátus est, assignáta ejus festivitáti die vigésima nona Januárii, et a Summo Pontífice Pio Nono ex Sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto, universális Ecclésiæ Doctor fuit declarátus.

℟. **Ecce vir prudens.**

In tertio Nocturno, Lectiones de Hom. in Evang. **Vos estis sal terræ,** de Communi Doct. [91]

In Vesp. comm. seq. per Añam et ℣. et Oration. **Deus, qui inter cétera,** de Comm. unius Virg. [118]

DIE XXX. JANUARII.

S. Martinæ

Virg. et Mart. Semidupl.

Omnia de Comm. unius Virg. **[117]** præter hic signata.

Si ob aliquam causam Vesperæ primæ, aut secundæ sint de sancta Martina, in iis dicatur Hymn. **Martínæ célebri,** usque ad **Non illam crúcians,** addendo ultimum versum **A nobis ábigas,** et Hymnus Matutini incipiatur a **Non illam crúcians;** alias ad Matutinum, dicatur integer ut jacet.

AD MATUTINUM.

Hymnus.

Martínæ célebri pláudite nómini
Cives Romúlei, pláudite glóriæ:
Insígnem méritis dícite Vírginem,
Christi dícite Mártyrem.

Hæc dum conspícuis orta paréntibus
Inter delícias, inter amábiles
Luxus illécebras, dítibus áffluit
Faustæ munéribus domus:

Vitæ despíciens cómmoda, dédicat
Se rerum Dómino, et munífica manu
Christi paupéribus distríbuens opes,
Quærit præmia cœlitum.

Non illam crúcians úngula, non feræ,
Non virgæ horríbili vúlnere cómmovent;
Hinc lapsi e Súperum sédibus Angeli
Cœlésti dape récreant.

Quin et depósita sævítie leo
Se rictu plácido prójicit ad pedes :
Te, Martína, tamen dans gládius neci
Cœli cœtibus ínserit.

Te thuris rédolens ara vapóribus,
Quæ fumat, précibus júgiter ínvocat,
Et falsum périmens auspícium, tui
Delet nóminis ómine.

A nobis ábigas lúbrica gáudia
Tu, qui Martyribus dexter ades, Deus
Une et Trine : tuis da fámulis jubar,
Quo clemens ánimos beas.
Amen.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv.

Martína virgo Romána, patre consulári, illústri génere nata, téneris adhuc annis orbáta paréntibus, Christiánæ pietátis ardóre succénsa, divítias, quibus affluébat, mira in páuperes liberalitáte distríbuit. Sub Alexándro príncipe, cum deos inánes cólere juberétur, immáne fácinus summa libertáte detestátur. Quaprópter íterum atque íterum afflécta verbéribus, uncis, úngulis férreis, testárum fragméntis laceráta, acutíssimis gládiis membrátim concísa, ádipe fervénti perúncta, demum in amphitheátro damnátur ad béstias, a quibus illæsa divínitus evádens, in ardéntem rogum injécta, incólumis pari benefício servátur.

℟. Pulchra fácie. [124]

Lectio v.

Ex ejus tortóribus nonnúlli, miráculi novitáte corrépti, Dei adspiránte grátia, Christi fidem ampléxi, post cruciátus gloriósam martyrii palmam cápitis abscissióne promeruére. Ad ejúsdem preces nunc terræmótibus exórtis, nunc ígnibus e cœlo tonánte delápsis, deórum templa prostráta sunt, et simulácra consúmpta. Intérdum ex vulnéribus lac cum sánguine erúpit, splendórque nitidíssimus, ac suavíssimus odor e córpore emanávit : intérdum sublímis régia in sede divínis láudibus una cum cœlítibus interésse visa est.

℟. Spécie tua.

Lectio vj.

Hisce prodígiis, ejúsque in primis constántia, ácriter permótus judex, caput vírgini amputári præcépit : qua perémpta, auditáque de cœlo voce, qua ad Súperos evocabátur, urbs tota contrémuit, ac multi idolórum cultóres ad Christi fidem convérsi sunt. Sacrum Martínæ corpus, sedénte sancto Urbáno Primo, martyrio afféctum, Urbáno Octávo Pontífice Máximo, in pervetústa ejúsdem Ecclésia, ad Mamertínum cárcerem, in Capitolíni clivi radícibus, cum sanctórum Mártyrum Concórdii, Epiphánii, et sociórum corpóribus repértum, eódem loco in meliórem formam redácto, atque decéntius ornáto, magno pópuli concúrsu, totíus Urbis lætítia, solémni ritu ac pompa repósitum est. ℟. Veni sponsa.

In iij. Nocturno, Lect. de Hom. in Evang. Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, de Comm. [127]

AD LAUDES.

Hymnus.

Tu natále solum prótege, tu bonæ
Da pacis réquiem Christíadum plagis;
Armórum strépitus, et fera prælia
In fines age Thrácios :
Et regum sócians ágmina sub crucis [éxime,
Vexíllo, Sólymas néxibus
Vindéxque innócui sánguinis, hósticum
Robur fúnditus érue.
Tu nostrum cólumen, tu decus ínclytum,
Nostrárum obséquium réspice méntium;
Romæ vota libens éxcipe, quæ pio
Te ritu canit et colit.
A nobis ábigas lúbrica gáudia
Tu, qui Martyribus dexter ades, Deus
Une et Trine : tuis da fámulis jubar,
Quo clemens ánimos beas.
Amen.

Vesp. seq. Ps. et comm. præced.

DIE XXXI. JANUARII.

S. Petri Nolasci

Confessoris. Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Conf. non Pont. [93] præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui in tuæ caritátis exémplum, ad fidélium redemptiónem sanctum Petrum Ecclésiam tuam nova prole fecundáre divínitus docuísti:

ipsíus nobis intercessióne concéde, a peccáti servitúte solútis, in cœlésti pátria perpétua libertáte gaudére. Qui vivis.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv.

PEtrus Noláscus, Recáudi prope Carcasónam in Gállia nóbili génere natus, singulári erga próximum caritáte excélluit. Cujus virtútis præságium fuit, quod cum adhuc in cunábulis vagíret infans, exámen apum ad eum convolávit, et favum mellis in ejus déxtera constrúxit. Adoléscens paréntibus orbátus, Albigénsium hæresim, quæ tunc in Gállia grassabátur, éxsecrans, divéndito património, in Hispániam secéssit, et apud beátam Vírginem Montis Serráti, votum, quo pridem se obstrínxerat, exsólvit. Tum Barcinónam pergens, cum Christi fidélibus ab hóstium servitúte rediméndis omnem pecúniam consumpsísset, seípsum pro iis liberándis venum ire, aut in illórum víncula súffici cúpere dictitábat.

℟. Desidérium. [96]

Lectio v.

QUam gratum Deo fúerit hoc sancti viri desidérium, súbsequens declarávit evéntus : nam noctu oránti, et de Christianórum in captivitáte degéntium subísdio multa ánimo volvénti beáta Virgo appárens, Fílio suo sibíque acceptíssimum fore suggéssit, si ad sui honórem Religiosórum Ordo instituerétur, quibus præcípue esset cura, captívos ab infidélium tyránnide liberáre. Huic cœlésti mónito íllico obtémperans, una cum sancto Raymúndo de Pénnafort, et Jacóbo primo rege Aragóniæ, de eádem re a Dei Genitríce ipsa nocte præmónitis, Religiónem beátæ Maríæ de Mercéde Redemptiónis Captivórum instítuit : Sodálibus suis quarto voto obstríctis, manéndi in pignus sub paganórum potestáte, si pro Christianórum liberatióne opus fúerit.

℟. Amávit.

Lectio vj.

EDito virginitátis voto, illibátam perpétuo castitátem servávit. Patiéntia, humilitáte, abstinéntia, ceteríśque virtúti-

bus mirabíliter enítuit. Prophetíæ dono illústris futúra prædíxit : inter quæ máxime celebrátur, quod Jacóbus rex Valéntiam a Mauris occupátam expugnáverit, accépta prius ab eo obtinéndæ victóriæ securitáte. Angeli Custódis, ac Deíparæ Vírginis frequénti apparitióne recreabátur. Sénio tandem conféctus, de imminénti morte cértior factus, in morbum íncidit, sanctísque reféctus Sacraméntis, fratres suos ad caritátem erga captívos cohortátus, et Psalmum, Confitébor tibi Dómine in toto corde meo, devotíssime récitans, ad illa verba, Redemptiónem misit Dóminus pópulo suo, spíritum Deo réddidit média nocte Vigíliæ Nativitátis Dómini, anno millésimo ducentésimo quinquagésimo sexto. Cujus festivitátem Alexánder Séptimus die trigésima prima Januárii celebrári præcépit.

℟. Iste sanctus.

In tertio Nocturno, Lectiones de Hom. in Evang. Nemo lucérnam, ut in Communi. [97]

Vesperæ a capitulo sequentis, commemoratio præcedentis.

Festa Februarii.

DIE I. FEBRUARII.
S. Ignatii
Episcopi et Martyris.

Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Mart. [28] exceptis hic notatis.

Oratio. Deus, qui nos, de Communi. [29]

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Ex libro sancti Hierónymi Presbyteri de Scriptóribus Ecclesiásticis.

Lectio iv.



Gnátius Antiochénæ Ecclésiæ tértius post Petrum Apóstolum Epíscopus, commovénte persecutiónem Trajáno, damnátus ad béstias, Romam vinctus míttitur. Cumque návigans Smyrnam venísset, ubi Polycárpus audítor Joánnis, Epíscopus erat, scripsit unam epístolam ad Ephésios, álteram ad Magnesiános, tértiam ad Trallénses, quartam ad Romános : et inde egrédiens, scripsit ad Philadélphios, et ad Smyrnæos, et própriam ad Polycárpum, comméndans illi Antiochénsem Ecclésiam:

in qua et de Evangélio, quod nuper a me translátum est super persóna Christi ponit testimónium.

℟. Desidérium. [35]

Lectio v.

Dignum autem vidétur, quia tanti viri fécimus mentiónem, et de Epístola ejus, quam ad Romános scribit, pauca pónere. De Syria usque ad Romam pugno ad béstias in mari et in terra, nocte diéque ligátus cum decem leopárdis, hoc est milítibus, qui me custódiunt; quibus et cum beneféceris, pejóres fiunt. Iníquitas autem eórum mea doctrína est : sed non idcírco justificátus sum. Utinam fruar béstiis, quæ mihi sunt præparátæ : quas et oro mihi velóces esse ad intéritum, et ad supplícia, et állici ad comedéndum me: ne, sicut et aliórum Mártyrum, non áudeant corpus attíngere : Quod si veníre nolúerint, ego vim fáciam, ego me urgébo, ut dévorer. Ignóscite mihi filíoli : quid mihi prosit, ego scio.

℟. Dómine.

Lectio vj.

Nunc incípio Christi esse discípulus, nihil de his, quæ vidéntur, desíderans, ut Jesum Christum invéniam. Ignis, crux, béstiæ, confráctio óssium, membrórum divísio, et totíus córporis contrítio, et tota torménta diáboli in me véniant : tantum ut Christo fruar. Cumque jam damnátus esset ad béstias, et ardóre patiéndi rugiéntes audíret leónes, ait : Fruméntum Christi sum, déntibus bestiárum molar, ut panis mundus invéniar. Passus est anno undécimo Trajáni. Relíquiæ córporis ejus Antiochíæ jacent extra portam Daphníticam in cœmetério.

℟. Stola jucunditátis.

In tertio Nocturno, Lectiones de Hom. in Evang. Nisi granum, de Communi. [38]

Vesp. seq. comm. præc.



Die ii. Februarii.

Purificationis B. Mariae V.

DUPLEX MAJUS. S.C.

AD VESPERAS.

Antiphona.

O Admirábile commércium! Creátor géneris humáni, animátum corpus sumens, de Vírgine nasci dignátus est : et procédens homo sine sémine, largítus est nobis suam Deitátem.

Ps. Dixit Dóminus. 159.

Aña. Quando natus es ineffabíliter ex Vírgine, tunc implétæ sunt Scriptúræ : sicut plúvia in vellus descendísti, ut salvum fáceres genus humánum : te laudámus Deus noster.

Ps. Confitébor. 159.

Aña. Rubum, quem víderat Móyses incombústum, conservátam agnóvimus tuam laudábilem virginitátem : Dei Génitrix intercéde pro nobis.

Ps. Beátus vir. 160.

Aña. Germinávit radix Jesse, orta est stella ex Jacob, Virgo péperit Salvatórem : te laudámus Deus noster.

Ps. De profúndis. 169.

Aña. Ecce María génuit nobis Salvatórem : quem Joánnes videns exclamávit, dicens : Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi.

Psalmus. Meménto Dómine. 170.

Capitulum. Malach. 3.

ECce ego mitto Angelum meum, et præparábit viam ante fáciem meam. Et statim véniet ad templum suum Dominátor, quem vos quæritis, et Angelus testaménti, quem vos vultis.

℞. Christi Virgo dilectíssima, virtútum operátrix, opem fer míseris : * Súbveni Dómina clamántibus ad te júgiter.

℣. Quóniam peccatórum mole prémimur, et non est, qui ádjuvet. Súbveni.

Glória Patri. Súbveni.

Hymnus.

QUod chorus Vatum venerándus olim
Spíritu sancto cécinit replétus :

In Dei factum Genitríce constat
Esse María.
Hæc Deum cœli, Dominúmque terræ
Virgo concépit, peperítque Virgo,
Atque post partum méruit manére
Invioláta.
Quem senex justus Símeon in ulnis
In domo sumpsit Dómini, gavísus,
Hoc quod optávit, próprio vidére
Lúmine Christum.
Tu libens votis, pétimus, precántum
Regis ætérni Génitrix favéto,
Clara quæ celsi rénitens olympi
Regna petísti.
Sit Deo nostro decus et potéstas,
Sit salus perpes, sit honor perénnis :
Qui poli summa résidet in arce
Trinus et unus.
Amen.

℣. Respónsum accéperat Símeon a Spíritu sancto. ℟. Non visúrum se mortem, nisi prius vidéret Christum Dómini, allelúia.

Ad Magnificat, Aña. Cum indúcerent púerum Jesum paréntes ejus, accépit eum Símeon in ulnas suas, et benedíxit Deum, et dixit : Nunc dimíttis, Dómine, servum tuum in pace.

Oratio ut infra ad Laudes.

Glória tibi Dómine, Qui natus es de Vírgine, dicatur in fine Hymn. Compl. et Horar.

Ad Nunc dimittis, Aña. Ecce compléta. 190.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Ecce venit ad templum sanctum suum Dominátor Dóminus : * Gaude, et lætáre Sion occúrrens Deo tuo.

Ps. Veníte, exsultémus. 2.

Hymn. Quem terra, de Officio B. M. V. [187]

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.

Ps. Dómine Dóminus noster, cum reliq. de Communi unius Virg. [118] excepto Ps. Magnus Dóminus, ut infra.

Aña. Sicut myrrha elécta odórem dedísti suavitátis sancta Dei Génitrix.

Ps. Cœli enárrant.

Aña. Speciósa facta es, et suávis in delíciis tuis, sancta Dei Génitrix.

Ps. Dómini est terra.

℣. Sancta Dei. [187]

Bened. Alma Virgo vírginum.

De libro Exodi.

Lectio j. Cap. 13.

LOcútus est Dóminus ad Móysen, dicens : Sanctífica mihi omne primogénitum, quod áperit vulvam in fíliis Israel, tam de homínibus, quam de juméntis : mea sunt enim ómnia. Et ait Móyses ad pópulum : Cum introdúxerit te Dóminus in terram Chananæi, sicut jurávit tibi et pátribus tuis, et déderit tibi eam : separábis omne quod áperit vulvam Dómino, et quod primitívum est in pecóribus tuis : quidquid habúeris masculíni sexus, consecrábis Dómino. Primogénitum ásini mutábis ove : quod si non redémeris, interfícies. Omne autem primogénitum hóminis de fíliis tuis, prétio rédimes.

℟. Adórna thálamum tuum Sion, et súscipe Regem Christum : * Quem Virgo concépit, Virgo péperit, Virgo post partum, quem génuit, adorávit.

℣. Accípiens Símeon púerum in mánibus, grátias agens benedíxit Dóminum. Quem Virgo.

Bened. Nos cum prole pia.

De libro Levítici.

Lectio ij. Cap. 12.

LOcútus est Dóminus ad Móysen, dicens : Lóquere fíliis Israel, et dices ad eos : Múlier, si suscépto sémine pepérerit másculum, immúnda erit septem diébus, juxta dies separatiónis ménstruæ. Et die octávo circumcidétur infántulus : ipsa vero trigínta tribus diébus manébit in sánguine purificatiónis suæ. Omne sanctum non tanget, nec ingrediétur in Sanctuárium, donec impleántur dies purificatiónis suæ. Sin autem féminam pepérerit, immúnda erit duábus hebdomádibus, juxta ritum fluxus ménstrui, et sexagínta sex diébus manébit in sánguine purificatiónis suæ.

℟. Postquam impléti sunt dies purgatiónis Maríæ secúndum legem Móysi, tulérunt Jesum in Jerúsalem, ut sísterent eum Dómino : * Sicut scriptum est in lege Dómini : Quia omne masculínum adapériens vulvam, sanctum Dómino vocábitur.

℣. Obtulérunt pro eo Dómino par túrturum, aut duos pullos columbárum. Sicut.

Bened. Sancta Dei Génitrix. Lectio iij.

Cumque expléti fúerint dies purificatiónis suæ, pro fílio, sive pro fília, déferet agnum anniculum in holocáustum, et pullum colúmbæ, sive túrturem pro peccáto ad óstium tabernáculi testimónii, et tradet sacerdóti, qui ófferet illa coram Dómino, et orábit pro ea, et sic mundábitur a proflúvio sánguinis sui. Ista est lex pariéntis másculum, aut féminam. Quod si non invénerit manus ejus, nec potúerit offérre agnum, sumet duos túrtures, vel duos pullos columbárum, unum in holocáustum, et álterum pro peccáto : orabítque pro ea sacérdos, et sic mundábitur.

℟. Obtulérunt pro eo Dómino par túrturum, aut duos pullos columbárum, * Sicut scriptum est in lege Dómini.

℣. Postquam impléti sunt dies purgatiónis Maríæ secúndum legem Móysi, tulérunt Jesum in Jerúsalem, ut sísterent eum Dómino. Sicut.

Glória Patri. Sicut.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Spécie tua, et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, et regna.

Ps. Eructávit. [122]

Aña. Adjuvábit eam Deus vultu suo : Deus in médio ejus, non commovébitur.

Ps. Deus noster. [123]

Aña. Suscépimus Deus misericórdiam tuam in médio templi tui.

Ps. Magnus Dóminus. 54.

℣. Post partum Virgo invioláta. [189]

Bened. Précibus suæ Matris.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 13. de Tempore. post initium.

Lectio iv.



Sic olim prædíctum est : Mater Sion dicet : Homo et homo natus est in ea : et ipse fundávit eam Altíssimus. O omnipoténtia nascéntis! O magnificéntia de cœlo ad terram descendéntis! Adhuc in útero portabátur, et ex útero matris a Joánne Baptísta salutabátur. In templo præsentabátur, et a Simeóne sene famóso, annóso, probáto, coronáto agnoscebátur. Tunc cognóvit, tunc adorávit, tunc dixit : Nunc Dómine dimíttis servum tuum in

pace : quia vidérunt óculi mei salutáre tuum.

℟. Símeon justus, et timorátus exspectábat consolatiónem Israel : * Et Spíritus sanctus erat in eo. ℣. Respónsum accéperat Símeon a Spíritu sancto, non visúrum se mortem, nisi prius vidéret Christum Dómini. Et.

Bened. Jesus Maríæ Fílius.

Lectio v.

Differebátur exíre de sæculo, ut vidéret natum, per quem cónditum est sæculum. Agnóvit infántem senex, factus est in púero puer. Innovátus in ætáte, qui plenus erat pietáte. Símeon senex ferébat Christum infántem, Christus regébat Simeónis senectútem. Dictum ei fúerat a Dómino, quod non gustáret mortem, nisi vidéret Christum Dómini natum. Natus est Christus, et implétum est desidérium senis in mundi ipsíus senectúte. Ipse ad senem hóminem venit, qui mundum inveterátum invénit.

℟. Respónsum accéperat Símeon a Spíritu sancto, non visúrum se mortem, nisi prius vidéret Christum Dómini. Et benedíxit Deum et dixit : * Nunc dimíttis servum tuum in pace, quia vidérunt óculi mei salutáre tuum Dómine. ℣. Cum indúcerent púerum Jesum paréntes ejus, ut fácerent secúndum consuetúdinem legis pro eo : accépit eum Símeon in ulnas suas, et dixit. Nunc.

Bened. Fílius Vírginis Maríæ.

Lectio vj.

In isto quidem sæculo diu esse nolébat, et Christum in hoc sæculo vidére cupiébat : cantans cum Prophéta, et dicens : Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam, et salutáre tuum da nobis. Dénique, ut novéritis ita esse istíus lætítiam, conclúsit, dicens : Nunc dimíttis servum tuum in pace : quia vidérunt óculi mei salutáre tuum. Prophétæ cecinérunt Conditórem cœli et terræ in terra cum homínibus futúrum : Angelus nuntiávit Creatórem carnis et spíritus in carne ventúrum : salutávit Joánnes ex útero in útero Salvatórem : Símeon senex Deum agnóvit infántem.

℟. Cum indúcerent púerum Jesum paréntes ejus,

accépit eum Símeon in ulnas suas, et benedíxit Deum, et dixit : * Nunc dimíttis Dómine servum tuum in pace.

℣. Suscípiens Símeon púerum in mánibus, exclamávit, et dixit. Nunc.

Glória Patri. Nunc.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Hæc est, quæ nescívit thorum in delícto : habébit fructum in respectióne animárum sanctárum.

Ps. Cantáte. [125]

Aña. Gaude María Virgo, cunctas hæreses sola interemísti in univérso mundo.

Ps. Dóminus regnávit.

Aña. Post partum, Virgo, invioláta permansísti : Dei Génitrix intercéde pro nobis.

Ps. Cantáte.

℣. Speciósa facta. [190]

Bened. Fons Evangélii.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 2.

IN illo témpore : Postquam impléti sunt dies purgatiónis Maríæ secúndum legem Móysi, tulérunt Jesum in Jerúsalem, ut sísterent eum Dómino, sicut scriptum est in lege Dómini. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

Comment. lib. 2. in Luc.



ET ecce homo erat in Jerúsalem, cui nomen Símeon, et homo iste justus et timorátus, exspéctans consolatiónem Israel. Non solum ab Angelis, et Prophétis, et a pastóribus, sed étiam a senióribus, et justis generátio Dómini accépit testimónium. Omnis ætas, et utérque sexus eventorúmque mirácula fidem ádstruunt. Virgo génerat, stérilis parit, mutus lóquitur, Elísabeth prophétat, Magus adórat, útero clausus exsúltat, vídua confitétur, justus exspéctat.

℟. Suscípiens Jesum in ulnas suas Símeon exclamávit, et dixit : * Tu es vere lumen ad illuminatiónem Géntium, et glóriam plebis tuæ Israel.

℣. Símeon in mánibus infirmitátem accépit : sed majestátem intus agnóvit, et dixit. Tu es.

Ben. Ab hoste malígno.

Lectio viij.

ET bene justus, qui non suam, sed pópuli grátiam requirébat, cúpiens ipse corpóreæ vínculis fragilitátis exsólvi, sed exspéctans vidére

promíssum : sciébat enim, quia beáti óculi, qui eum vidérent. Et ipse accépit eum in ulnas suas, et benedíxit Deum, et dixit : Nunc dimítte servum tuum Dómine, secúndum verbum tuum in pace. Vide justum, velut corpóreæ cárcere molis inclúsum, velle dissólvi, ut incípiat esse cum Christo. Dissólvi enim, et cum Christo esse, multo mélius est.

℟. Senex púerum portábat, puer autem senem regébat : * Quem Virgo concépit, Virgo péperit, Virgo post partum, quem génuit, adorávit.

℣. Accípiens Símeon púerum in mánibus, grátias agens, benedíxit Dóminum. Quem Virgo.

Bened. In omni tribulatióne.

Lectio ix.

SEd qui vult dimítti, véniat in templum, véniat in Jerúsalem, exspéctet Christum Dómini, accípiat in mánibus Verbum Dei, compleᴄtátur opéribus velut quibúsdam suæ fídei bráchiis : tunc dimittétur, ut non vídeat mortem, qui víderit vitam. Vides, úberem in omnes grátiam, Dómini generatióne diffúsam, et prophetíam incrédulis negátam esse, non justis. Ecce et Símeon prophétat in ruínam et resurreᴄtiónem plurimórum venísse Dóminum Jesum Christum : ut justórum iniquorúmque mérita discérnat, et pro nostrórum qualitáte factórum, judex verus et justus aut supplícia decérnat, aut præmia.

℟. Christi Virgo dilectíssima, virtútum operátrix, opem fer míseris : * Súbveni Dómina clamántibus ad te júgiter.

℣. Quóniam peccatórum mole prémimur, et non est, qui ádjuvet. Súbveni. Glória Patri. Súbveni.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerdot. ℣. Accípiens Símeon púerum in mánibus. ℟. Grátias agens, benedíxit Dóminum, allelúia.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

SImeon justus, et timorátus exspectábat consolatiónem Israel, et Spíritus sanctus erat in eo.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Respónsum accéperat Símeon a Spíritu sancto, non visúrum se mortem, nisi prius vidéret Christum Dómini.

Aña. Induxérunt púerum Jesum in templum, ut fácerent secúndum consuetúdinem legis pro eo.

Aña. Accépit Símeon púerum in ulnas suas, et benedíxit Deum.

Aña. Obtulérunt pro eo Dómino par túrturum, aut duos pullos columbárum.

Capitulum. Malach. 3.

Cce ego mitto Angelum meum, et præparábit viam ante fáciem meam. Et statim véniet ad templum suum Dominátor, quem vos quæritis, et Angelus testaménti, quem vos vultis.

Hymn. O gloriósa, ut in Officio B. M. V. [192]

℣. Elégit eam.

Ad Bened. Aña. Senex púerum portábat, puer autem senem regébat, quem Virgo péperit, et post partum Virgo permánsit : ipsum, quem génuit, adorávit.

Quando hæc Aña dicitur pro comm. Octav.

℣. Elégit eam Deus.

Sed in Festo Virginis aut Matronæ ℣. Speciósa facta es.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, majestátem tuam súpplices exorámus : ut sicut Unigénitus Fílius tuus hodiérna die, cum nostræ carnis substántia in templo est præsentátus, ita nos fácias purificátis tibi méntibus præsentári. Per eúmdem Dóminum.

AD PRIMAM.

℣. Qui de Vírgine dignátus es nasci.

AD TERTIAM.

Capit. Ecce ego, ut supra.

℟. Sancta Dei Génitrix. [193]

AD SEXTAM.

Capitulum. Malach. 3.

Ipse enim quasi ignis conflans, et quasi herba fullónum : et sedébit conflans, et emúndans argéntum, et purgábit fílios Levi.

℟. Post partum. [193]

AD NONAM.

Capitulum. Malach. 3.

Et colábit eos quasi aurum, et quasi argéntum : et erunt Dómino offeréntes sacrifícia in justítia.

℟. Speciósa facta es.

℣. Elégit eam. [193]

AD VESPERAS.

Añæ Laudum, Ps. Capit. Hymn. et ℣. ut in j. Vesp.

Ad Magnif. Aña. Homo erat in Jerúsalem, cui nomen Símeon, et homo iste justus, et timorátus, ex-

spéctans consolatiónem Israel, et Spíritus sanctus erat in eo.

Quando hæc Aña dicitur pro comm. Oct. ℣. Respónsum accéperat Símeon a Spíritu sancto. ℟. Non visúrum se mortem, nisi prius vidéret Christum Dómini.

INFRA OCTAVAM
Purificationis B. Mariæ Virginis.
AD MATUTINUM.

Invitat. Hymnus, Aña prima primi Nocturni, et Psalmi, ut in die : ℣. et ℟. de Festo secundum ordinem dierum et Nocturnorum.

Lectio prima et secunda de Scriptura occurrente, tertia vero, quæ infra assignatur.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerd. ℣. **Accípiens Símeon.**

Ad Laudes et ad Vesperas prima Aña Laudum, reliqua, et ad Horas, ut in die.

Dominica infra Oct. fit comm. Oct. per Añas de utrisque Vesp. et Laud.

Si dies aliqui hujus Octavæ, et sequentis S. Andreæ Corsini, supersint adveniente Quadrages. nihil fit de ipsis a die Cinerum inclusive, ne commemoratio quidem; sed ante illam celebretur dies octava, si fieri potest.

DIE III. FEBRUARII.
Prima die infra Octavam
Purificationis.
Semiduplex.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.
Serm. 20. de Temp.
Serm. 16. in natali Dom.

Lectio iij.


Xsúltent vírgines, Virgo péperit Christum. Nihil in ea, quod vóverat, putent exterminátum, mansit Virgo post partum. Exsúltent víduæ, infántem Christum vídua Anna cognóvit. Exsúltent conjugátæ, nascitúrum Dóminum Jesum Christum Elísabeth maritáta prophetávit. Nullus gradus prætermíssus est, de quo non habéret testimónium salus ómnium.

Vesperæ de S. Andrea.

DIE IV. FEBRUARII.
S. Andreæ Corsini
Episcopi et Confessoris Ordinis Nostri.
Duplex majus S. C.

Omnia ut in Officio ejus menstruo [222] exceptis hic signatis.

AD I. VESPERAS

Antiphona.

Vocábo servum meum, et potestátem dabo in manu ejus, et erit in sólium glóriæ.

Ps. Dixit Dóminus, cum reliquis de Dom. 159. et loco ultimi Lauda Jerúsalem. 183.

Aña. Opera mánuum ejus véritas et judícium : laudátio ejus manet in sæculum sæculi.

Aña. Divítiæ salútis sapiéntia et sciéntia, timor Dómini est thesáurus ejus.

Aña. Ipse portábit glóriam, et sedébit, et erit sacérdos super sólio suo.

Aña. Eleemósyna quasi signáculum cum ipso, et grátiam quasi pupíllam conservábit.

Capitulum. Ecce sacérdos. [222]

℟. Spíritu magno vidit última, consolátus est lugéntes, osténdit futúra, et abscóndita. * Quæsívit bona genti suæ, et fecit pacem.

℣. Adjúvit páuperem de inópia, et pósuit sicut oves famílias. Quæsívit.

Glória Patri. Quæsívit.

Hymnus. Andréam grádibus. ℣. Ora pro nobis.

Ad Magnif. Aña. Natus est. Oratio. Deus qui in Ecclésia, ut in Officio menstruo.

In primo Nocturno, Lectiones de libro Job. Quando procedébam, ut in Offic. menstr. [224]

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv.



Ndréam Floréntiæ ex nóbili Corsinórum família natum, paréntes précibus a Deo impetrárunt, et beátæ Vírgini spopondérunt. Qualis autem futúrus esset, divíno præságio, ántequam nascerétur, osténsum est; nam mater grávida sibi visa est per quiétem lupum edidísse, qui ad Carmelitárum ædem pergens, in ipso templi vestíbulo statim in agnum convérsus est. Adoléscens pie, et ingénue educátus, cum sensim ad vítia declináret, sæpe a matre increpátus fuit. Ubi autem cognóvit se paréntum voto Deíparæ Vírgini dicátum fuísse, Dei amóre succénsus, deque visu matris admónitus, Carmelitárum institútum ampléxus est, in quo váriis tentatiónibus a dæmone vexátus, nunquam tamen pótuit a Religiónis propósito dimovéri. Mox

Lutétiam missus, eménso studiórum currículo, et láurea donátus, in pátriam revocátur, suíque Ordinis regímini in Etrúria præfícitur.

℟. In médio. [226]

Lectio v.

INtérea Fesulána Ecclésia suo viduáta Pastóre, eum sibi Epíscopum elégit, quo múnere se indígnum æstimans, diu látuit ignótus, donec púeri voce mirabíliter loquéntis próditus, et extra urbem invéntus, ne divínæ contradíceret voluntáti, Episcopátum suscépit. Ea dignitáte auctus, humilitáti, quam semper colúerat, impénsius incúbuit, et pastoráli sollicitúdini misericórdiam, in páuperes liberalitátem, oratiónis assiduitátem, vigílias, aliásque virtútes adjúnxit, et spíritu étiam prophético clarus fuit, ádeo ut ejus sánctitas ab ómnibus celebrarétur.

℟. Non se ipsum.

Lectio vj.

HIs permótus Urbánus Quintus, ad sedándas Bonóniæ turbas Andréam legátum misit: quo in múnere multa perpéssus, cívium ódia, quæ ad interneciónem exárserant, summa prudéntia restínxit; tum restitúta tranquillitáte ad própria revérsus est. Nec multo post assíduis labóribus, et voluntária carnis maceratióne conféctus, óbitus die a beáta Vírgine sibi prædícto, ad cœléstia regna migrávit anno Dómini millésimo trecentésimo septuagésimo tértio, ætátis suæ septuagésimo primo. Quem Urbánus Octávus multis, magnísque miráculis clarum Sanctórum número adscrípsit. Ejus corpus Floréntiæ in Ecclésia sui Ordinis quiéscit, et máxima cívium veneratióne cólitur, quibus non semel in præsénti discrímine præsídio fuit. Clemens vero Duodécimus Póntifex Máximus ejúsdem Sancti sui consanguínei solemnitátem, Carmelitárum Ordinem in dies benefíciis cumulándo, sub ritu dúplici majóri secúndæ classis cum Octáva celebrári cleméntíssime indúlsit.

℟. Cum turba multa.

In tertio Nocturno, Lectiones de Hom. in Evangelium **Homo quidam péregre,** de Communi unius Confessoris Pontificis. [85]

Ad ij. Vesp. Aña Laudum, Psalmi de Dominica, et loco ultimi, **Meménto Dómine David. 170.**

Capit. Hymn. et ℣. ut in j. Vesp.

Ad Magnif. Aña. **Hic est fratrum amátor. [229]**

Et fit com. seq. et Oct. Pur.

Infra Octavam S. Andreæ Corsini, fit de ea com. in Laud. per Añam, quæ habetur ad Benedictus. et in Vesp. per Añam, quæ habetur ad Magnificat de ij. Vesp. Festi, exceptis Vesp. Sabbati, in quibus dicitur Aña, quæ habetur ad Magnificat in primis Vesp.

DIE V. FEBRUARII.

S. Agathæ

Virginis et Martyris.

Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Virginis **[117]** præter hic signata.

AD I. VESPERAS.

Si non præcedat Festum duplex, Aña. **Quis es tu, qui venísti ad me curáre vúlnera mea? Ego sum Apóstolus Christi : nihil in me dúbites fília.**

Psalmi de Offic. præced.

Capit. **Qui gloriátur.**

℟. **Gaudeámus omnes in Dómino diem festum celebrántes sub honóre Agathæ Vírginis : * De cujus passióne gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei.**

℣. **Agatha ingréssa cárcerem, benedicébat Dóminum. De cujus.**

Glória Patri. De cujus.

Hymn. **Vírginis Proles.**

℣. **Diffúsa est. [118]**

Ad Magnif. Aña. **Agatha lætíssime, et gloriánter ibat ad cárcerem : et quasi ad épulas invitáta agónem suum Dómino précibus commendábat.**

Oratio ut infra ad Laudes.

AD MATUTINUM.

Invitat. **Agnum sponsum Vírginum, * Veníte, adorémus Dóminum Jesum Christum.**

Ps. **Veníte, exsultémus. 2.**

Hymn. **Vírginis Proles.**

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. **Ingénua sum, et speĉtábilis, ut omnis parentéla mea testátur.**

Ps. **Dómine Dóminus noster. [118]**

Aña. **Summa ingenúitas est ista, in qua Christi sérvitus comprobátur.**

Ps. **Cœli enárrant.**

Aña. **Ancílla Christi sum; ídeo me osténdo servílem habére persónam.**

Ps. **Dómini est terra.**

℣. **Diffúsa est grátia.**

Lect. tres de libro Ecclesiastici Confitébor tibi Dómine Rex, ut supra in Festo S. Agnetis. 588.

℟. j. Agatha lætíssime et gloriánter ibat ad cárcerem : * Et quasi ad épulas invitáta agónem suum Dómino précibus commendábat.

℣. Nobilíssimis orta natálibus, ab ignóbili gaudens trahebátur ad cárcerem. Et quasi.

℟. ij. Quis es tu, qui venísti ad me curáre vúlnera mea? Ego sum Apóstolus Christi, nihil in me dúbites fília : * Ipse me misit ad te, quem dilexísti mente, et puro corde.

℣. Nam et ego Apóstolus ejus sum, et novi medicínam. Ipse me.

℟. iij. Dum abscinderétur beátæ Agathæ mamílla, dixit ad júdicem : * Impie, crudélis, et dire tyránne, non es confúsus amputáre in fémina, quod in matre ipse suxísti?

℣. Ego enim hábeo mamíllam íntegram intus in ánima mea, quam ab infántia Dómino consecrávi. Impie.

Glória Patri. Impie.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Agatha sancta dixit : Si feras mihi promíttis, audíto Christi nómine mansuéscunt.

Ps. Eructávit. [122]

Aña. Si ignem adhíbeas, rorem mihi salvíficum de cœlo Angeli ministrábunt.

Ps. Deus noster.

Aña. Nisi diligénter perféceris corpus meum a carnifícibus attrectári, non potest ánima mea in paradísum Dómini cum palma intráre martyrii.

Ps. Fundaménta ejus.

℣. Spécie tua.

Ex gestis ejus, Adone, et Metaph. Lectio iv.

AGatha virgo in Sicília nobílibus paréntibus nata, quam Panormitáni et Catanénses civem suam esse dicunt, in persecutióne Décii Imperatóris Cátanæ gloriósi martyrii corónam consecúta est. Nam cum pari pulchritúdinis, et castitátis laude commendarétur, Quintiánus Sicíliæ prætor, ejus amóre captus est. Sed cum, tentáta modis ómnibus ejus pudicítia, Agatham in suam senténtiam perdúcere non posset, Christiánæ superstitiónis nómine comprehénsam, Aphrodísiæ cuídam mu-

líeri depravándam tradit. Quæ Aphrodísiæ consuetúdine cum de constántia coléndæ Christiánæ fídei, et servándæ virginitátis, removéri non posset; núntiat illa Quintiáno, se in Agatha óperam pérdere. Quare ille ad se vírginem addúci jubet, et : Nonne, inquit, te pudet nóbili génere natam, húmilem et servílem Christianórum vitam ágere? Cui Agatha : Multo præstántior est Christiána humílitas, et sérvitus, regum ópibus ac supérbia.

℟. Ipse me curávit, qui per Apóstolum suum Petrum in custódia me confortávit : pro eo, quod jussa sum suspéndi in equúleo propter fidem castitátis. * Adjuva me Dómine Deus meus in tortúra mamillárum meárum.

℣. Vidísti Dómine agónem meum, quómodo pugnávi in stádio : sed quia nólui obedíre mandátis príncipum, jussa sum in mamílla torquéri. Adjuva.

Lectio v.

Quámobrem irátus prætor hanc ei optiónem dat, velítne pótius venerári deos, an vim tormentórum subíre. At illa constans in fide, primum cólaphis cæsa míttitur in cárcerem : unde postrídie edúcta, cum in senténtia permanéret, admótis candéntibus láminis in equúleo torquétur : tum ei mamílla abscínditur. Quo in vúlnere Quintiánum appéllans virgo : Crudélis, inquit, tyránne, non te pudet amputáre in fémina, quod ipse in matre suxísti? Mox conjécta in víncula, sequénti nocte a sene quodam, qui se Christi Apóstolum esse dicébat, sanáta est. Rursum evocáta a prætóre, et in Christi confessióne persevérans, in acútis téstulis, et candéntibus carbónibus ei subjéctis volutátur.

℟. Ego autem adjúta a Dómino, perseverábo in confessióne ejus, * Qui me salvam fecit, et consolátus est me.

℣. Grátias tibi ago Dómine Jesu Christe, qui misísti ad me Apóstolum tuum. Qui.

Lectio vj.

Quo témpore ingénti terræmótu urbs tota contrémuit : ac duo paríetes corruéntes, Silvínum et Falcónium íntimos prætóris familiáres oppressérunt. Quare vehe-

ménter commóta civitáte, véritus pópuli tumúltum Quintiánus, Agatham semimórtuam clam redúci ímperat in cárcerem. Quæ sic Deum precáta : Dómine, qui me custodísti ab infántia, qui abstulísti a me amórem sæculi, qui me carníficum torméntis superiórem præstitísti, áccipe ánimam meam. Ea in oratióne migrávit in cœlum, Nonis Februárii : cujus corpus a Christiánis sepelítur.

℟. Vidísti Dómine, et spectásti agónem meum, quómodo pugnávi in stádio : sed quia nólui obedíre mandátis príncipum, * Jussa sum in mamílla torquéri.

℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Jussa.

Glória Patri. Jussa.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Mens mea solidáta est, et in Christo fundáta.

Ps. Cantáte. [125]

Aña. Vidísti Dómine agónem meum, quómodo pugnávi in stádio : sed quia nólui obedíre mandátis príncipum, jussa sum in mamílla torquéri.

Ps. Dóminus regnávit.

Aña. Propter fidem castitátis jussa sum in mamílla torquéri : ádjuva me Dómine Deus in tortúra mamillárum meárum.

Ps. Cantáte Dómino.

℣. Adjuvábit eam.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo témpore : Accessérunt ad Jesum Pharisæi, tentántes eum, et dicéntes : Si licet hómini dimíttere uxórem suam quacúmque ex causa? Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 63 in Matth.



DOminus noster, quia ad perpétuam hortári virginitátem grave esse videbátur, a necessitáte legis in cupiditátem virginitátis impéllit. Posse autem nos perpétuam serváre continéntiam osténdit, dicens : Sunt eunúchi qui ex ventre matris ita nati sunt : et qui ab homínibus facti sunt : et qui seípsos castravérunt propter regnum cœlórum. His ómnibus ad optándam eligendámque virginitátem indúcit.

℟. Qui me dignátus est ab omni plaga curáre, et mamíllam meam meo pé-

ctori restitúere, * Ipsum ínvoco Deum vivum.

℣. Medicínam carnálem córpori meo nunquam exhíbui : sed hábeo Dóminum Jesum Christum, qui solo sermóne restáurat univérsa. Ipsum.

Lectio viij.

Possíbile namque id esse homínibus, hoc fere modo confírmat. Cógita tecum, si aut a natúra eunúchus esses, aut injúria hóminum sic efféctus, quid fáceres, cum et hujúsmodi voluptáte caréres, et nullam caréndo mercédem consequeréris? Grátias ígitur Deo agas, quia magna præmia, rutilantésque corónas habébis, si ita vives, quemádmodum sine áliquo illi præmio : imo vero multo facílius, tútius, atque jucúndius : tum quia spe retributiónis corroboráris, tum quia consciéntia virtútis gaudes.

℟. Beáta Agatha ingréssa cárcerem expándit manus suas ad Dóminum, et dixit : Dómine, qui me fecísti víncere torménta carníficum, * Jube me Dómine ad tuam misericórdiam perveníre.

℣. Grátias tibi ago Dómine Jesu Christe, qui me fecísti víncere ferrum, et ignem, et víncula. Jube me.

In Quadrag. omittatur ix. Lectio cujuscumque Festi occurrentis etiam Duplicis majoris j. classis, et ejus loco dicitur Evang. et Hom. Feriæ, et fit semper comm. Feriæ in utrisque Vesp. et Laud.

Lectio ix.

Cum ergo de iis eunúchis díxerit, qui nisi étiam ipsi mente se contíneant, frustra et incássum tales sunt; ac de iis, qui ut cœlos nanciscántur, se cóntinent, subjúnxit rursus, dicens : Qui potest cápere, cápiat. Ita magis ánimat, atque incéndit : vel quia magnitúdinem virtútis osténdit, vel quia inæstimábili misericórdia sua nóluit rem intra necessitátem legis conclúdere : et ad hæc possíbile id esse monstrat, ut eligéndi cupíditas créscere possit.

℟. Gaudeámus omnes in Dómino diem festum celebrántes sub honóre Agathæ vírginis : * De cujus passióne gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei.

℣. Agatha ingréssa cárcerem, benedicébat Dóminum. De cujus.

Glória Patri. De cujus.

Te Deum laudámus. 20. Sacerd. ℣. Veni sponsa Christi. [129]

AD LAUDES

et per Horas. Aña.

Quis es tu, qui venísti ad me curáre vúlnera mea? Ego sum Apóstolus Christi : nihil in me dúbites fília.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Medicínam carnálem córpori meo nunquam exhíbui : sed hábeo Dóminum Jesum Christum, qui solo sermóne restáurat univérsa.

Aña. Grátias tibi ago Dómine Jesu Christe, quia memor es mei, et misísti ad me Apóstolum tuum curáre vúlnera mea.

Aña. Benedíco te Pater Dómini mei Jesu Christi, quia per Apóstolum tuum mamíllam meam meo péctori restituísti.

Aña. Qui me dignátus est ab omni plaga curáre, et mamíllam meam meo péctori restitúere, ipsum ínvoco Deum vivum.

Capit. Hymn. et ℣. de Communi. [129]

Ad Benedictus. Aña. Stans beáta Agatha in médio cárceris, expánsis mánibus orábat ad Dóminum : Dómine Jesu Christe, magíster bone, grátias tibi ago, qui me fecísti víncere torménta carníficum : jube me Dómine ad tuam immarcescíbilem glóriam felíciter perveníre.

Oratio.

Deus, qui inter cétera potentiæ tuæ mirácula, étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti : concéde propítius; ut qui beátæ Agathæ Vírginis et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Comm. Octav. Purific. B. M. V. et S. Andreæ.

AD VESPERAS.

Aña Laud. Ps. Dixit Dóminus, cum reliq. de Communi. [131]

A cap. fit de seq. et pro comm. præc. vel ad Magnificat, dicitur

Aña. Paganórum multitúdo fúgiens ad sepúlcrum Vírginis, tulérunt velum ejus contra ignem, ut comprobáret Dóminus, quod a perículis incéndii, méritis beátæ Agathæ Mártyris suæ, eos liberáret.

Comm. Octavar. Purific. et S. Andreæ, ac SS. Vedasti et Amandi Episc. et Conf. Aña. Fulgébunt justi. ℣. Lætámini.

Oratio. Deus, qui nos, de Communi plurim. Confessorum. [104]

DIE VI. FEBRUARII.

Beatæ Archangelæ Girlani

Virginis, Ordinis Nostri. Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Virg. [117] præter sequentia. Oratio.

DEus, qui beátam Archángelam Vírginem in benedictiónibus dulcédinis prævéntam heróicis ditásti virtútibus; ipsa interveniénte concéde, ut dono grátiæ tuæ muníti in terris, Beatórum choris sociári mereámur in cœlis. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Script. occurr. Sed si in Quadragesima celebretur, Lectiones de Communi : quod per totam Quadrag. observabitur in Festis proprias Lectiones non habentibus.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv.

ARchángela in sæculo Eleonóra honésto génere, parénte Joánne Girláni Tridíni in Monte Ferráto orta est. Puérula moniálibus sancti Benedícti instituénda trádita, singulári in Deum pietáte et caritáte in próximum, quantæ futúra esset sanctitátis íllico osténdit. Nihil enim pueríle cógitans, grávia ac sublímia meditabátur ánimo, quæ sursum sunt únice sapiébat. Domum revocáta a patre, atque ad núptias illécta, non modo in propósito virginitátis Deo consecrándæ perseverávit, sed duas étiam soróres germánas, Maríam et Scholásticam, felíciter in eámdem senténtiam addúxit, eo quidem éxitu, ut religiónis, et virtútum sócias habére merúerit. Tandem non sine manifésto Dei nutu ad Parménse Ordinis beatíssimæ Vírginis de Monte Carmélo monastérium convolávit, ubi reguláris disciplínæ studiosíssima, exsúltans ad curréndas perfectiónis vias, ipsas provectióres in virtútum palæstra brevi superávit. Cumque paucos post annos de moderatríce eligénda agerétur in eam moniálium suffrágia conspirárunt.

℟. Pulchra fácie. [124]

Lectio v.

EO in múnere, facis ad instar super candelábrum pósitæ, exímia

Archángelæ sánctitas luculéntius enítuit : cum ipsa perfectíssime, ac longe præstántius quam céteræ, in se exprímeret illud Apóstoli : múlier innúpta et virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore et spíritu. Quare paulo post munus eídem concréditum fuit novi regéndi ascetérii ab insígni pietáte príncipum Gonzága Mántuæ excitáti. Huc digréssa pusíllum gregem ita excóluit, ut brevi in amplam beátæ Vírginis famíliam créverit. Soróribus tanta præíbat humilitáte, suavitáte morum et patiéntia, ut eam non solum Matrem, sed quasi Angelum e cœlo demíssum veneraréntur. Disciplínæ reguláris et pietátis erga sacrum beátæ Vírginis Scapuláre observantíssima, alúmnas edocébat véstium exteriórum mundítiem, sine interióri cordis puritáte, esse spernéndam; satagebátque ut quemádmodum títulus monastério ínerat sanctæ Maríæ de Paradíso, ita ipsa et soróres, vitam degéntes in terris, conversatiónem habérent in cœlis.
℟. Spécie tua.

Lectio vj.

In fídei mystériis assídue recoléndis non semel in éxtasim eláta visa est. Miris étiam prodígiis sanctitátem sponsæ suæ Deus, ut fertur, non raro osténdit, eámque ætáte floréntem, sed cœlo matúram ad præmium vocávit. Assíduis quippe labóribus, jejúniis, et aspérrima córporis castigatióne attríta, cum nondum triénnium Mántuæ explevísset, gravíssimo corrépta morbo, suprémum sibi imminére diem ubi intelléxit, colléctas soróres sapientíssimis mónitis cohortáta, ut in cœpto perfectiónis trámite pérgerent alácriter, Ecclésiæ sacraméntis muníta, óculis in Christi crucifíxi effígiem inténtis, et consuéta sibi verba ingéminans : Jesus amor meus; placidíssime ánimam efflávit octávo Kaléndas Februárii anno salútis millésimo quadringentésimo nonagésimo quarto. Públicum ecclesiásticum cultum ab immemorábili témpore beátæ Archángelæ delátum a Sacra Rítuum Congregatióne recógnitum, Summus Póntifex Pius Nonus appro-

bávit, et offícium in ejus honórem recitári cleménter indúlsit.

℟. Induit me.

IN TERTIO NOCTURNO.

Lect. de Hom. in Evang. Símile erit regnum cœlórum, de Communi. [127]

Nisi legi debeat Lectio ix. de aliqua Homilia, legatur :

Pro sanctis Vedásto et Amándo Epíscopis et Confessóribus.

Lectio ix.



Edástus témpore Clodovéi Francórum regis, quem ipse, ántequam ad Episcopátum assumerétur, in fide instrúxerat, a sancto Remígio Epíscopus consecrátus, quadragínta annis Atrebaténsi Ecclésiæ, magna vitæ sanctitáte, et miraculórum glória clarus præfuit. Ad cujus quoque mérita declaránda e cœlo colúmna ædibus ægrotántis illucéscens illíus óbitum præsignávit. Amándus vero Epíscopus illústri génere in Aquitánia natus, monásticæ vitæ disciplínam puer ampléxus, paréntis rogátu ab ea dimovéri nullo modo pótuit. Cumque annis quíndecim mira abstinéntia in monastério vixísset, peregrinatiónis deínde causa Romam proféctus est. At cœlésti admónitu in Gálliam revérsus, ibi multis in locis fidem prædicávit. Complúres hábuit discípulos sanctitátis laude præstántes : innumerábiles ab impietáte ad Christiánæ religiónis cultum perdúxit. Dénique in tota vita sanctíssime versátus, fideíque causa multis labóribus pie perfúnctus, Heraclío Imperatóre, quiévit in Dómino, anno sexcentésimo vigésimo.

In Laud. fit comm. Octavarum, et SS. Vedasti, et Amandi, Aña. Sint lumbi. ℣. Mirábilis. [115]

Oratio. Deus, qui nos. de Communi. [116]

Vesp. a cap. seq. comm. praec. et Octavarum.

DIE VII. FEBRUARII.

S. Romualdi

Abbatis et Confessoris

Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Conf. non Pont. [93] exceptis quæ hic habentur.

Oratio. Intercéssio, de Communi. [94]

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv.

Omuáldus Ravénnæ in Æmília ex illústri família Sérgio patre natus, cum interfuísset altercatióni, qua violéntus pater propínquum suum interfécit, cum quo de prati possessióne litigábat; ita sibi peccásse visus est, ut ad Classénse beáti Apollináris monastérium, ut mos erat illis tempóribus, quadragínta diérum pœnam subíerit voluntáriam more homicidárum. Cum intérea crebris unius Convérsi sermónibus incitátus, et semel atque íterum viso beáto Apollinári in ejus Ecclésia per noctem, ut pollicebátur Convérsus, mónachus efféctus est : atque ita delectátus arcta vita, et via angústa, quæ ducit ad cœlum, ut ad Marínum, de cujus sanctitáte et severitáte disciplínæ percrebúerat fama, in Venetiárum fines conténderit, ut eo magístro uterétur.

℟. Desidérium. [96]

Lectio v.

JAm quanta fúerit inédia, quam multa pertúlerit ab homínibus, qui summis illíus virtútibus invidébant, quam sæpe appetítus a diábolo insídiis, et apérta étiam pugna, non fácile explicátu sit. Princípibus quidem ac régibus tanto in honóre erat, ut ab illis inviserétur, auxílium, consílium, præcépta ejus sæpe deposcéntibus : quámobrem principátum multi cum erémo, fulgórem púrpuræ cum vili túnica persæpe mutárunt. Humilitátem, si quisquam álius, obníxe sequebátur : sic assídue sacrárum meditatiónum dulcédine pérfruens, ut a perénnibus lácrymis vix temperáret : et inter hæc læta semper fácie, ut exhilaráret intuéntes. Flagrábat étiam cupiditáte martyrii : quam ob causam in Pannóniam proféctus est. Verum admónitu advérsæ valetúdinis, qua afflictabátur, cum progrederétur; levabátur, cum redíret, revérti cógitur.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

NOn cáruit prophetíæ spíritu, non grátia curatiónum : mirácula tamen ejus quis brevi compéndio enárret? Nautas e

naufrágio líberat; ignem précibus exstínguit : cæsam árborem, et jam præcípitem ruínam minántem, in divérsam partem convértit, signo crucis objécto : sacra mystéria, a quibus abstinébat, celebráre in éxtasi jubétur; scalæ visu ex ima terra cœlum vértice pertingéntis, ut de Jacob Patriárcha légitur, per quam ascendéntes intuebátur, descendentésque mónachos albénti veste, Religiónis perfectiónem, ejúsque hábitum designári mirabíliter agnóscit. His atque áliis opéribus, virtútibus, miráculis, plenus diérum bonórum, quibus plácuit Deo, cum centum egísset annos in máximo rigóre vitæ; centésimo vigésimo ætátis suæ, Domínicæ Incarnatiónis millésimo vigésimo séptimo migrávit ad Dóminum. Ejus corpus quinquénnio postquam mandátum est terræ, repértum est íntegrum : ac póstea in Ecclésia sancti Blásii Ordinis Camaldulénsis in óppido Fabriáni, ubi étiam nunc quiéscit, honorífice cónditum est; multa ínterim mirabília faciénte Deo ad ejus sepúlcrum, ut justi viri in terris inter hómines ætérna memória vivat, cujus sancta ánima cum Beátis ómnibus in perpétuas æternitátes regnábit in cœlo.

℟. Iste sanctus.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homilia sancti Hieronymi Presbyteri in Evang. Ecce nos relíquimus, de Communi. [101]

Commem. Octavarum.

Vesp. a capit. de seq. commem. præc. et Octavarum.

DIE VIII. FEBRUAR.

S. Joannis de Matha

Conf. Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Conf. non Pont. [93] exceptis hic signatis.

Oratio.

DEus, qui per sanctum Joánnem, Ordinem Sanctíssimæ Trinitátis ad rediméndum de potestáte Saracenórum captívos cœlitus institúere dignátus es : præsta, quæsumus; ut ejus suffragántibus méritis, a captivitáte córporis, et ánimæ, te adjuvánte liberémur. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv.

JOánnes de Matha, Ordinis Sanctíssimæ Trinitátis Redemptiónis Captivórum Institútor, Falcóne in Província natus est, paréntibus pietáte, et nobilitáte conspícuis. Studiórum causa Aquas Séxtias, mox Parísios proféctus, confectóque Theologíæ currículo, Magistérii láuream adéptus, doctrínæ et virtútum splendóre enítuit. Quibus motus Parisiénsis Antístes, ad sacrum Presbyterátus órdinem præ humilitáte reluctántem promóvit eo consílio, ut in ea civitáte cómmorans sapiéntia et móribus studiósæ juventúti prælucéret. Cum autem in sacéllo ejúsdem Epíscopi, ipso cum áliis adstánte, primum Deo Sacrum offérret, cœlésti favóre méruit recreári. Nam Angelus cándida, et fulgénti veste indútus, cui in péctore crux rúbei et cærúlei colóris assúta erat, bráchiis cancellátis, et super duos captívos ad látera pósitos, Christiánum unum, álterum Maurum, exténsis appáruit. Qua visióne in éxtasim raptus, intelléxit prótinus vir Dei, se ad rediméndos ab infidélibus captívos destinári.

℟. Desidérium. [96]

Lectio v.

QUo vero matúrius in re tanti moménti procéderet, in solitúdinem secéssit, ibíque divíno nutu factum est, ut Felícem Valésium in ipsa erémo jam multis annis degéntem repérerit, cum quo ínita societáte, se per triénnium in oratióne, et contemplatióne, omniúmque virtútum stúdio exércuit. Cóntigit autem, ut dum secum de rebus divínis prope fontem colloqueréntur, cervus ad eos accésserit, crucem inter córnua gerens, rúbei et cærúlei colóris. Cumque Felix ob rei novitátem mirarétur, narrávit ei Joánnes visiónem in prima Missa hábitam : et exínde fervéntius oratióni incumbéntes, ter in somnis admóniti, Romam profiscísci decrevérunt, ut a Summo Pontífice novi Ordinis pro rediméndis captívis institutiónem impetrárent. Eléctus fúerat eo témpore Innocéntius Tértius : qui illis benígne accéptis, dum secum de

re propósita delíberat, in festo sanctæ Agnétis secúndo, Lateráni inter Missárum solémnia, ad sacræ Hóstiæ elevatiónem Angelus ei cándida veste, cruce bicolóri, spécie rediméntis captívos appáruit. Quo viso Póntifex Institútum approbávit, et novum Ordinem Sanctíssimæ Trinitátis Redemptiónis Captivórum vocári jussit, ejúsque professóribus albas vestes cum cruce rúbei et cærúlei colóris præbuit.

℟. Amávit.

Lectio vj.

Sic stabilíto Ordine, sancti fundatóres in Gálliam rediérunt, primóque cœnóbio Cervi frígidi in diœcési Meldénsi constrúcto, ad ejus régimen Felix remánsit, et Joánnes Romam cum áliquot sóciis revérsus est, ubi Innocéntius domum, ecclésiam, et hospitále sancti Thomæ de Formis in Monte Cœlio eis donávit, cum multis reddítibus et possessiónibus. Datis quoque lítteris ad Miramolínum regem Marróchii, opus redemptiónis felíci auspício inchoátum fuit. Tum ad Hispánias, sub jugo Saracenórum magna ex parte oppréssas, Joánnes proféctus est, regúmque, príncipum, atque aliórum fidélium ánimos ad captivórum, et páuperum commiseratiónem commóvit. Monastéria ædificávit, hospitália eréxit, magnóque lucro animárum plures captívos redémit. Romam tandem revérsus, sanctísque opéribus incúmbens, assíduis labóribus attrítus, et morbo conféctus, ardentíssimo Dei et próximi amóre exæstuans ad extrémum devénit. Quare frátribus convocátis, eísque ad opus redemptiónis cœlitus præmonstrátum efficáciter cohortátis, obdormívit in Dómino sexto décimo Kaléndas Januárii, anno salútis millésimo ducentésimo décimo tértio : ejúsque corpus in ipsa ecclésia sancti Thomæ de Formis condígno honóre tumulátum fuit.

℟. Iste sanctus.

In tertio Nocturno. Lectiones de Homilia in Evang. Nemo lucérnam, de Communi. [97]

In Laud. fit commem. Octavarum.

Vesp. a capit. seq. com. præc. et Oct. S. Andreæ.

DIE IX. FEBRUARII.
In Octava
Purificationis
B. Mariæ Virginis.
Duplex minus.

A capitulo omnia ut in die festo, 625. sed si Octava celebretur post Officium non duplex, in j. Vesp. prima Aña Laudum. Psalmi de Officio prec.

IN PRIMO NOCTURNO.

De Cánticis Canticórum.

Lectio j. Cap. 5.

Djúro vos fíliæ Jerúsalem, si invenéritis diléctum meum, ut nuntiétis ei, quia amóre lángueo. Qualis est diléctus tuus ex dilécto, o pulchérrima mulíerum? qualis est diléctus tuus ex dilécto, quia sic adjurásti nos? Diléctus meus cándidus, et rubicúndus, eléctus ex míllibus. Caput ejus aurum óptimum, comæ ejus sicut élatæ palmárum, nigræ quasi corvus. Oculi ejus sicut colúmbæ super rívulos aquárum, quæ lacte sunt lotæ, et résident juxta fluénta pleníssima.

℟. Adórna. 627.

Lectio ij. Cap. 6.

Diléctus meus descéndit in hortum suum ad aréolam arómatum, ut pascátur in hortis, et lília cólligat. Ego dilécto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília. Pulchra es amíca mea, suávis, et decóra sicut Jerúsalem, terríbilis ut castrórum ácies ordináta. Avérte óculos tuos a me, quia ipsi me avoláre fecérunt. Capílli tui sicut grex caprárum, quæ apparuérunt de Gálaad. Dentes tui sicut grex óvium, quæ ascendérunt de lavácro, omnes geméllis fœtibus, et stérilis non est in eis.

℟. Postquam.

Lectio iij.

Una est colúmba mea, perfécta mea : una est matris suæ, elécta genitríci suæ. Vidérunt eam fíliæ, et beatíssimam prædicavérunt : regínæ et concubínæ, et laudavérunt eam. Quæ est ista, quæ progréditur, quasi auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta? Descéndi in hortum nucum, ut vidérem poma convállium, et inspícerem si floruísset vínea, et germinássent mala púnica. Nescívi : ánima mea conturbávit me, propter quadrígas Amínadab. Revértere, re-

vértere, Sunamítis : revértere, revértere, ut intueámur te. ℟. Obtulérunt.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. 1. de Purificat.

Lectio iv.



Hodie templi Dóminum, in templum Dómini Virgo mater indúcit. Joseph quoque sistit Dómino non suum, sed ejus Fílium diléctum, in quo ei bene complácuit. Agnóscit justus, quem exspectábat. Anna quoque vídua confitétur. Ab his quátuor primo hodiérna procéssio celebráta est, quæ póstmodum exsultatióne univérsæ terræ in omni loco, et ab omni Gente celebrarétur. Nec sane mirum si tunc parva fuit, quandóquidem parvus erat qui suscipiebátur. Nullum ibi locum peccátor hábuit, omnes justi, omnes sancti, omnes fuére perfécti. Sed numquid hos tantum salvábis Dómine, cum multiplicáveris misericórdiam tuam Deus?

℟. Símeon justus. 629.

Lectio v.

In secúnda jam processióne præeunt turbæ, turbæ sequúntur, nec Virgo portat, sed asellus. Néminem ítaque dedignátur, nec ipsos, qui computruérunt tamquam juménta in stércore suo. Non dedignátur, inquam, sed si Apostólica vestiménta non desint, si doctrína eórum, si morum justítia, si obediéntia, si cáritas coopériat multitúdinem peccatórum, ex hoc jam processiónis suæ glória non censébit indígnos. Magis vero et ipsam, quæ tam paucis colláta vidétur, nobis quoque ab ipso inveníre est reservátum. Quidni reserváret pósteris, quam et prærogávit antíquis? David rex et Prophéta exsultávit ut vidéret diem istum, et vidit, et gavísus est. Alióquin si non víderat, unde psallébat : Suscépimus, inquit, Deus, misericórdiam tuam in médio templi tui?

℟. Respónsum.

Lectio vj.

Suscépit hanc misericórdiam Dómini David, suscépit Símeon, suscépimus et nos, et quicúmque sunt præordináti ad vitam : síquidem Christus heri, et hódie, et in ætérnum. In médio enim templi misericórdia est : non in ángulo, aut diversório, quia non est accé-

ptio personárum apud Deum. In commúni pósita est, offértur ómnibus, et nemo illíus expers, nisi qui rénuit. Derivántur aquæ tuæ foras, Dómine Deus, nihilóminus tamen fons tuus tibi próprius est, et non bibit aliénus ex eo. Qui tuus est, non vidébit mortem donec víderit Christum Dómini, ut secúrus dimittátur in pace. Quidni dimittátur in pace : qui Christum Dómini habet in péctore? Ipse enim est pax nostra, qui per fidem hábitat in córdibus nostris.

℟. Cum indúcerent.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 2.

In illo témpore : Postquam impléti sunt dies purgatiónis Maríæ secúndum legem Móysi, tulérunt Jesum in Jerúsalem, ut sísterent eum Dómino, sicut scriptum est in lege Dómini. Et réliqua.

Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri.

Ex Comment. in Luc.

Et venit in spíritu in templum. Signíficat eum eádem spíritus grátia, qua olim ventúrum præcognóverat, étiam nunc veniéntem, et jam jamque a se vidéndum cognovísse Salvatórem. Et cum indúcerent púerum Jesum paréntes ejus. Magna quidem Dómini poténtia, sed non minor claret humílitas, ut qui cœlo terráque non cápitur, grandævi hóminis gestétur totus in ulnis.

℟. Suscípiens. 630.

Lectio viij.

Sed et trópice accépit Símeon Christum, veteránus infántem, ut dóceat nos exúere véterem hóminem qui corrúmpitur cum áctibus suis, et renovátos spíritu mentis nostræ indúere eum, qui secúndum Deum creátus est in justítia, sanctitáte et veritáte, hoc est, deponéntes mendácium, loqui veritátem, et cétera, quæ ad novi hóminis statum pértinent, ore, corde et ópere perfícere.

℟. Senex púerum.

Lectio ix.

Accipit sénior justus secúndum legem, et timorátus púerum Jesum in ulnas suas, ut signíficet justítiam óperum, quæ ex lege erat (quis enim nésciat, ópera per manus et

bráchia solére figurári?) húmili quidem, sed salutári fídei Evangélicæ grátia mutándam. Accipit sénior infántem Christum, ut insínuet hoc sæculum, quasi sénio jam, et longæva ætáte deféssum, ad innocéntiam, et (ut ita díxerim) infántiam Christiánæ conversatiónis reditúrum, et sicut áquilæ juventútem illíus esse renovándam.

℟. Christi Virgo.

In Laud. commem. Oct. S. Andreæ.

In Vesp. comm. seq. et Oct. S. Andreæ.

DIE X. FEBRUARII.
S. Scholasticæ

Virg. Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Virginis [117] præter hic signata.

Oratio.

Deus, qui ánimam beátæ Vírginis tuæ Scholásticæ, ad ostendéndam innocéntiæ viam, in colúmbæ spécie cœlum penetráre fecísti; da nobis ejus méritis, et précibus ita innocénter vívere, ut ad ætérna mereámur gáudia perveníre. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Ex libro secúndo Dialogórum sancti Gregórii Papæ.

Lectio iv. Cap. 33.


Cholástica venerábilis Patris Benedícti soror, omnipoténti Dómino ab ipso infántiæ témpore dedicáta, ad eum semel per annum veníre consuéverat; ad quam vir Dei non longe extra jánuam in possessióne monastérii descendébat. Quadam vero die venit ex more, atque ad eam cum discípulis venerábilis ejus descéndit frater, qui totum diem in Dei láudibus, sacrísque collóquiis ducéntes, incumbéntibus jam noctis ténebris, simul accepérunt cibum. Cumque adhuc ad mensam sedérent, et inter sacra collóquia tárdior se hora protráheret, éadem sanctimoniális fémina soror ejus eum rogávit, dicens : Quæso te, ut ista nocte me non déseras, ut usque mane de cœléstis vitæ gáudiis loquámur. Cui ille respóndit : Quid est quod lóqueris, soror? manére extra cellam nullátenus possum. Tanta vero erat cœli serénitas, ut nulla in áere

nubes apparéret. Sanctimoniális autem fémina, cum verba fratris negántis audivísset, insértas dígitis manus super mensam pósuit, et caput in mánibus omnipoténtem Dóminum rogatúra declinávit. Cumque leváret de mensa caput, tanta coruscatiónis, et tonítrui virtus, tántaque inundátio plúviæ erúpit, ut neque venerábilis Benedíctus, neque Fratres, qui cum eo áderant, extra loci limen, quo conséderant, pedem movére potúerint.

℟ Pulchra fácie. [124]

Lectio v.

Sanctimoniális quippe fémina caput in mánibus declínans, lacrymárum flúvium in mensam fúderat, per quas serenitátem áeris ad plúviam traxit. Nec paulo tárdius post oratiónem inundátio illa secúta est, sed tanta fuit conveniéntia oratiónis et inundatiónis, ut de mensa caput jam cum tonítruo leváret : quátenus unum idémque esset moméntum, et leváre caput, et plúviam depónere. Tunc vir Dei inter corúscos, et tonítruos, atque ingéntis plúviæ inundatiónem, videns se ad monastérium non posse remeáre, cœpit cónqueri contristátus dicens : Parcat tibi omnípotens Deus, soror, quid est, quod fecísti? Cui illa respóndit : Ecce rogávi te, et audíre me noluísti; rogávi Deum meum, et audívit me : modo ergo, si potes, egrédere, et me dimíssa ad monastérium recéde. Ipse autem exíre extra tectum non valens, qui remanére sponte nóluit in loco, mansit invítus. Sicque factum est, ut totam noctem pervígilem dúcerent, atque per sacra spiritális vitæ collóquia, sese vicária relatióne satiárent.

℟. Spécie tua.

Lectio vi.

Cumque die áltero éadem venerábilis fémina ad cellam própriam recessísset, vir Dei ad monastérium rédiit. Cum, ecce, post tríduum in cella consístens, elevátis in áera óculis, vidit ejúsdem soróris suæ ánimam de córpore egréssam in colúmbæ spécie cœli secréta penetráre. Qui, tantæ ejus glóriæ congáudens, omnipoténti Deo in hymnis et láudibus grátias réddidit, ejúsque óbitum Frátribus denuntiávit. Quos étiam

prótinus misit, ut ejus corpus ad monastérium deférrent, atque in sepúlcro, quod sibi ipsi paráverat, pónerent. Quo facto cóntigit, ut quorum mens una semper in Deo fúerat, eórum quoque córpora nec sepultúra separáret.

℟. Induit me Dóminus.

In iij. Noct. Lect. de Homil. in Evang. **Símile erit regnum cœlórum decem**, de Comm. [127]

In Laud. fit comm. Oct. Vesp. a cap. seq. comm. præc.

DIE XI. FEBRUARII.

In Octava

S. Andreæ Corsini.

Duplex minus.

Omnia ut in Officio ejusdem menstruo, [222] sed si non præcedat Festum duplex, in j. Vesp. prima Aña Laudum **Diléxit Andréam.**

Psalmi de Officio præc.

Post capit. ℟. **Spíritu magno**, ut in Offic. [228]

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occur.

In ij. et iij. Noct. Lect. de Offic. menstr.

Ad Vesp. Añæ Laudum, Ps. de Dom. et loco ultimi **Meménto Dómine David.** 170. A cap. fit de seq. et com. præc.

DIE XII. FEBRUARII.

S. Euphrosynæ

Virginis Ordinis Nostri.

Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Virg. [117] præter ea, quæ hic sunt propria.

Oratio.

Deus, qui sanctam Euphrósynam Vírginem ad sanctitátis stúdium mirabíliter excitásti, et in eódem júgiter direxísti : fac nos ejus méritis, et intercessióne, perfécta caritáte fervéntes. Per Dóminum nostrum.

In j. Noct. Lect. de Epist. ad Cor. **De Virgínibus.** [120]

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv.

Euphrósyna virgo Alexandríæ témpore Theodósii junióris nata est, patre Paphnútio, non tantum natálibus sed et pietáte claro, qui cum líberos suscípere non posset, jejúniis, et oratiónibus, aliísque piis opéribus júgiter inténtus, tandem aliquándo ejus, quod summópere cupiébat, divína miseratióne efféctum obtinére méruit, filiámque procreávit, cui divíno inspiránte número, Euphrósynæ nomen impó-

it, summam illam quasi ræságiens lætítiam, quam on coelo tantum, sed et undo pia fília, per vitæ ınctitátem, allatúra erat. t revéra vixdum nata ıcrum Prophétæ dictum dímplens, ab ipsis pene ıcunábulis jugum Dómii portáre dídicit. In ipsa ueríтia, nihil pueríle geens, sed ad solidióris virútis ápicem ardentióri túdio in dies adspírans, Deo pia cum simplicitáte lie ac nocte serviébat, ıliéna prorsus ab iis vouptátibus, quas lúbrica lla ætas plus nímio sæpius proséquitur. Solitúdinis étiam amans, æquálium consórtia fugiébat, nisi forte eárum, quas divíno succénsas amóre comperísset.

℟. Pulchra fácie. [124]

Lectio v.

Dum ergo Spíritus sancti repléta fervóre, coeptum virtútis iter alacrióri ánimo proséquitur, sponsionémque Christo facit, se nullum, præter eum, amatórem admissúram, sed ei, quem mente cóleret, étiam carnis integritáte adhæsúram : ecce pater, cui terréna adhuc sapiénti única fília cordi erat, de ea in matrimónium collocánda cogitáre coepit. Ex plúribus ítaque, qui ejus núptias ambiébant nobílibus, unus elígitur : sponsália contrahúntur, celebrándis núptiis status dies condícitur. Quid ínterim fáciet virgo perpétuæ virginitátis conservándæ desidério flagrans, tot inter láqueos domésticos páriter et extráneos? Si recusáre cupit, patérna reveréntia non pátitur; si fugam meditátur, sexus obstat. Stare domi, minus secúrum : foras prógredi, minus honéstum. Tot inter dúbia, ad oratiónem virgo confúgit, exímium virginitátis florem illi ipsi commendans, cujus mater virgo est, cujus pater féminam nescit. Nec fidéli sponsæ défuit sponsus ipse fidélis, dum viríle prorsus ac generósum ejus menti fácinus inspirávit, quo sub hábitu aliéno, et mundum páriter ac dæmonem elúderet.

℟. Spécie tua.

Lectio vj.

Divíno ítaque animáta consílio, ut quæ Patriárchæ illíus exémplo benedictiónem præærípere gestiébat, abjéctis pró-

priis, quæ virginitátem pródere póterant, vestiméntis virílibus indúitur, cum quibus ad quoddam Religiosórum monastérium accúrrens, instántius rogáre cœpit, ut in númerum fratrum adsciscerétur, sub Smarágdi nómine, et sexum celans, et consílium. Adscíta ítaque, vix credi potest quam brevi témpore, et qualem in omni virtútum génere progréssum fécerit. Nihil ea continéntius, nihil vigilántius erat. Obediéntiæ in primis addícta, patiéntia étiam, mansuetúdine, misericórdia, humilitáte, aliísque virtútibus, præ cunctis eminébat. At vero priscus ille humáni géneris hostis, se a puélla elúdi ægre ferens, postquam váriis ártibus pium ejus propósitum impedíre conátus, óperam se pérdere conspéxit, ad ália convértitur, eximiámque, quæ in ejus córpore elucébat pulchritúdinem, fratrum óculis sæpius objíciens, effécit tandem ut apud monastérii præféctum ágerent, ut ipsa seórsim ab áliis, in cella sub unius fratris magistério dégeret. Quod cum ipsa quam libentíssime accepísset, in illo recéssu trigínta et octo annos, soli Deo, sibíque vacans, exégit, ómnibus incógnita manens : donec, sub vitæ finem, a patre tantæ rei néscio, Deo id providénte, visitáta, eídem miránti prorsus et stupénti, quæ esset, apéruit, beatissimámque statim ánimam Deo réddidit.

℟. Induit me.

In iij. Noct. Lect. de Homilia in Evang. Accessérunt ad Jesum Pharisæi, ut in Festo S. Agathæ. 639.

Vesp. a capit. seq. comm. præced.

DIE XIII. FEBRUARII.

S. Telesphori

Papæ et Mart. Ordinis Nostri. Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Martyris [28] præter ea, quæ hic signantur.

Oratio.

DEus, qui sanctum Telésphorum e desérto ad suprémum Ecclésiæ tuæ régimen, et martyrii triúmphum evocásti : largíre nobis, quæsumus; ut ómnia advérsa, pro tui nóminis glória, húmili corde sustinéntes, cœléstis glóriæ palmam obtinére valeámus. Per Dóminum.

In j. Noct. Lect. de Script. occurr. sed in Quadragesima de Actibus Apost. A Miléto, ut in Communi. [44]

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv.

TElésphorus natióne Græcus, anachoréticum institútum ampléxus, cum vitæ sanctimónia, clarissimísque scientiárum rádiis fulgéret, post dura solitúdinis certámina, ad sacrosánctum summi Pontificátus sólium, unánimi ómnium appláusu, evéctus est : in quo, tamquam super candelábrum pósitus, eam sparsit vitæ et morum claritátem, quæ suprémæ quadráret dignitáti. Firmándæ in Ecclésia disciplínæ studiósus, vária cóndidit decréta, et inter cétera, ut septem hebdómades íntegras ante sanctum Pascha omnes clérici, in sortem Dómini vocáti, jejunárent, et hymnis, vigíliis ac oratiónibus Dómino inhærére diu noctúque studérent : quia, ait, sícuti discréta esse debet vita clericórum a laicórum conversatióne, ita in jejúnio debent esse distíncti : et sicut isti familiáres dicúntur Dómini Salvatóris, ita móribus et sanctitáte debent esse discréti.

℞. Desidérium. [35]

Lectio v.

QUadragesimále étiam jejúnium, Apostólica ordinatióne institútum, ob divérsam Ecclesiárum consuetúdinem, pontifícia constitutióne perpétuo stabilívit : item ordinávit, ut in Nativitáte Dómini tres Missæ ab unoquóque sacerdóte celebraréntur : prima, média nocte, dum Christus in Béthlehem natus est : áltera, illucescénte auróra, quando in præsépio a pastóribus est adorátus : tértia vero, ipsa hora diéi tértia, quando nobis dies redemptiónis illúxit; et in eis hymnum Angélicum, Glória in excélsis, recitári jussit. Réliquo vero témpore prohíbuit Missárum celebratiónes fíeri ante horam tértiam, qua et Christus crucifíxus, et Spíritus sanctus super Apóstolos légitur descendísse.

℞. Dómine prævenísti.

Lectio vj.

NEdum scripto, et doctrína per semetípsum, sed et per minístros pietáte ac doctrína

conspícuos, quaquavérsum per orbem terrárum ablegátos, commíssum sibi ovíle pastor vigilantíssimus curávit, et pervérsa hæreticórum dógmata représsit : Valentíni in primis docéntis Christum Salvatórem ita ex beáta Vírgine natum, ut tamen nihil ex ea carnis accéperit, sed per ipsam dumtáxat, velut per canálem, cœlésti carne indútus transíerit : et Marciónis duos deos, unum bonum, álterum malum asseréntis, carnísque resurrectiónem negántis : dumque fídei Christi prædicándæ et propagándæ fervénter incúmberet, a tumultuánte gentílium pópulo, idolorúmque sacerdótibus, quibus invísus erat, captus, abscissióne cápitis, martyrii palmam adéptus, juxta corpus beáti Petri in Vaticáno sepúltus est, postquam sedísset annos úndecim, menses octo, et dies vigínti septem. Fecit Ordinatiónes quátuor, in quibus creávit Presbyteros duódecim, Diáconos octo, Epíscopos per divérsa loca trédecim.

℟. Stola jucunditátis.

In iij. Noct. Lect. de Hom. in Evang. **Si quis venit ad me,** de Communi. [46]

Vesp. a cap. seq.

DIE XIV. FEBRUAR.

S. Petri Thomæ

Episcopi et Mart. Ordinis Nostri. Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Martyris [28] præter hic signata.

Oratio.

Sancti Petri Thomæ Mártyris tui atque Pontíficis, quæsumus Dómine, méritis et intercessióne placátus, véniam delictórum nobis tríbue, et ab omni pestiléntiæ morbo nos líberos esse concéde. Per Dóminum.

Et fit comm. præc. et S. Valentini Martyr. Ant. **Qui odit ánimam.** ℣. **Justus ut palma,** de Communi unius Martyr. [29]

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut qui beáti Valentíni Mártyris tui natalítia cólimus, a cunctis malis imminéntibus, ejus intercessióne liberémur. Per Dóminum.

In j. Noct. Lectiones de Scriptura occurr. sed in Quadrag. de Actibus Apostolorum **A Miléto,** ut in Communi. [44]

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv.

PEtrus Thomas in Aquitánia natus, cum ab infántia litterárum stúdio déditus esset, et exímia pietáte ac præcípua erga beatíssimam Vírginem devotióne nitéret, in Condomiénsi cœnóbio hábitum sacræ, et antíquæ Religiónis Deíparæ Vírginis Maríæ de Monte Carmélo suscépit, ubi professióne emíssa, jejúniis, vigíliis, meditatióne et oratióne omnes sénsuum appetítus refrænándos esse cénsuit, ne régulæ suæ præscríptum vel léviter transilíret. Sacérdos Lutétiam ab obediéntia studiórum grátia missus, ádeo supra condiscípulos profécit, ut brevi témpore Theologíæ láuream summa cum laude sit adéptus : qua decorátus, oratiónibus fórtius insístens, magno ómnium virtútum progréssu vitæ sanctimónia in dies concrescébat.

℟. Desidérium. [35]

Lectio v.

TAnta fuit ejus erga Deum, et beatíssimam Vírginem devótio et fidúcia, ut omnes suas actiónes in Deum et Dei Matrem dirígeret, et quacúmque premerétur necessitáte, ad ipsam beatíssimam Vírginem confúgeret. Unde cum in cujúsdam monastérii visitatióne de illíus paupérie sublevánda ánxius esset, ad sólitum et tutíssimum Vírginis patrocínium accúrrens, ab ea audíre méruit : Ne tímeas, Petre, ómnia tibi necessária adjiciéntur. Altera die Sacro peráсto, mercátor quidam áureos decem, qui tunc erant necessárii, in eleemósynam largítus est, et exínde ómnia necessária sibi divínitus subministrári expértus est. Pro sui Ordinis perpétua conservatióne et augménto frequéntes ad Deum, et beatíssimam Vírginem oratiónes fundens, intímaque inter orándum edens suspíria, ipsa nocte Pentecóstes, cum id instántius postuláret, a beatíssima Vírgine mirábili hoc respónso dignátus est : Confídito, Petre; Relígio enim Carmelitárum in finem usque sæculi est perseveratúra; Elías namque ejus Institútor jam olim étiam a Fílio meo id impetrávit.

℟. Dómine prævenísti.

Lectio vj.

PActénsis Epíscopus, et non multo post Constantinopolitánus Patriárcha creátur : ex quo ad Orientálium oras ánimum convértens, sacrum Dómini sepúlcrum, Carmelíque Montem, mente et desidério frequénter visitábat. Sed commissárum sibi óvium salútis zelo ultra modum flagrans, diútius detinéri impátiens, mox ad iter sese accínxit. Legátus Apostólicæ Sedis pro tránsitu ad terram sanctam missus, multum consílio, et singulári sua prudéntia, sanctum illud opus promóvit : sæpiúsque cum rege conflíctui præsens, non semel victóriam ab hoste reportávit. At dum Religiónis Cathólicæ propagándæ, et contra infidéles propugnándæ, conátu fórtius instáret, telis infidélium, vulnéribus multis inflíctis, confóditur. Ita felíciter Christi Martyr, plenus diérum et bonórum óperum, multis conscríptis volumínibus, óbiit octávo Idus Januárii, die et hora a se præsignátis, anno millésimo trecentésimo sexagésimo sexto, cujus corpus Famagústæ delátum, ibídem honorífice cólitur. Cláruit vir Dei sicut in vita, ita et post mortem, multis miráculis : cujus patrocínium illíus loci íncolæ, singuláriter contra epidemíæ et pestiléntiæ morbum, cum devotióne et fructu implórant.

℟. Stola jucunditátis.

IN TERTIO NOCTURNO.

Lect. de Hom. in Evang. Si quis venit, de Communi. [46]

Extra Quadrag. vel in Dominica, dicitur

Pro sancto Valentíno Mártyre.

Ex gestis ejus. Lectio ix.



Alentínus Présbyter Cláudio Imperatóri interrogánti, cur non sua amicítia deos venerándo, fruerétur, respóndit : Si scires glóriam Dei, tu quoque idóla respúeres, et Deum verum, qui in cœlis est, adoráres. Tunc quidam, qui assistébat : Quid (inquit) oblóqueris de altitúdine deórum nostrórum? Respóndit Valentínus : Dii vestri hómines fuérunt míseri, et immundítia pleni. Cumque ácriter fídei suæ ratiónem rédderet, et líbere idololatríam refélleret, Cláudius ad-

stántibus dixit : Viri Románi audíte quam sapiénter lóquitur homo iste. Tum Calphúrnius præféctus Imperatóri: Sedúctus es (inquit) Imperátor. Mutátum enim Cláudii cor fuit. At præféctus Valentínum Astério trádidit, ut verbis móllibus illum infléćteret. Is eum duxit in domum suam, ubi martyr sic orávit : Jesu Christe, qui es verum lumen, illúmina domum istam : ut omnes te agnóscant, et credant in te. Audiens hæc Astérius, dixit : Miror te dicéntem, quod Christus est lumen. Et quidem si per eum illumináveris fíliam meam diu cæcam, quidquid petíeris, præstábo. Quam cum Valentínus illuminásset, Astérius cum uxóre, et tota família, confráctis idólis baptizáti sunt. Id áudiens Imperátor divérsis illos supplíciis jussit intérimi, Valentínum vero fústibus cæsum decollári. ℟. Miles Christi.

In Laud. comm. S. Valentini. Aña. Iste cognóvit. ℣. Justus ut palma, de Communi. [40]

Oratio. Præsta, quæsumus, ut supra in Vesp. Vesp. a capit. seq.

DIE XV. FEBRUARII.
S. Apolloniæ
Virginis et Martyris.

Duplex minus.

Omnia de Communi unius Virginis [117] exceptis hic signatis.

Oratio.

Deus, qui nos ánnua beátæ Apollóniæ Vírginis et Mártyris tuæ solemnitáte lætíficas : da, ut quam venerámur offício, étiam piæ conversatiónis sequámur exémplo. Per Dóminum.

Comm. præc. et SS. Faustini, et Jovitæ Fratrum Martyrum. Aña. Hæc est vera fratérnitas.

℣. Lætámini in Dómino.

Oratio. Deus, qui nos ánnua, de Communi plurimorum Martyrum. [57]

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurr. sed in Quadragesima De Virgínibus, ut in Communi. [120]

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv. et v. de Sermone Quóniam hódie, de Communi. [124]

Ex S. Dion. Alex. apud Euseb. lib. 6. Histor. cap. 34.

Lectio iv.


Pollónia virgo Alexandrína, sub Décio Imperatóre, cum ingravescénte jam

ætáte ad idóla sisterétur, ut eis veneratiónem adhibéret, illis contémptis, Jesum Christum verum Deum coléndum esse prædicábat. Quámobrem omnes ei contúsi sunt, et evúlsi dentes: ac nisi Christum detestáta deos cóleret, accénso rogo combustúros vivam mináti sunt ímpii carnífices. Quibus illa se quamvis mortem pro Jesu Christi fide subitúram, respóndit. Itaque comprehénsa, ut comburerétur, cum paulísper, quasi delíberans quid agéndum esset, stetísset; ex illórum mánibus elápsa, álacris in ignem sibi parátum majóri Spíritus sancti flamma intus accénsa, se injécit. Unde brevi consúmpto córpore, puríssimus spíritus in cœlum ad sempitérnam martyrii corónam evolávit, quinto Idus Februárii.

℟. Veni sponsa.

IN TERTIO NOCTURNO.

Lect. de Homilia in Evang. Símile erit regnum cœlórum decem, de Communi. [127]

Si fuerit in Quadrages. Lectio nona de Homilia Feriæ occurr.

Extra Quadrag. vel in Dominica dicitur

Pro sanctis Faustíno et Jovíta Martyribus.

Ex gestis eorum. et Adone.

Lectio ix.



Austínus et Jovíta fratres nóbiles Brixiáni, in multis Itáliæ úrbibus, quo vincti sæviénte Trajáni persecutióne ducebántur, acerbíssima supplícia perpéssi, fortes in Christiánæ fídei confessióne perstitérunt. Nam Bríxiæ diu vínculis constrícti, feris étiam objécti, in ignémque conjécti, et a béstiis et a flamma íntegri, et incólumes serváti sunt : inde vero eísdem caténis colligáti, Mediolánum ducti sunt : ubi eórum fides tentáta exquisitíssimis torméntis, tamquam igne aurum, in cruciátibus magis enítuit. Póstea Romam missi, ab Evarísto Pontífice in fide roboráti, ibi quoque crudelíssime torquéntur. Dénique Neápolim perdúcti, in ea étiam urbe várie cruciáti, vinctis mánibus, pedibúsque in mare demergúntur. Sed inde per Angelos mirabíliter erépti sunt. Multos et constántia in torméntis, et miraculórum virtúte ad Christi fidem converté-

runt. Postrémo redúcti Bríxiam, inítio suscépti ab Adriáno Impérii, secúri percússi, illústrem martyrii corónam accepérunt.

℟. Regnum mundi.

In Laud. com. SS. Faustini et Jovitæ, Aña. Istórum est enim. ℣. Mirábilis Deus. Oratio. Deus, qui nos ánnua. [69]

Vesp. a capit. de seq. com. præc.

DIE XVI. FEBRUAR.

Commemorationis Sanctorum,

quorum Corpora, vel Reliquiæ asservantur in Ecclesiis Ordinis Nostri. Duplex minus.

Omnia de Communi plurimorum Martyrum [56] exceptis hic signatis.

Oratio.

DEus, qui hanc sacrosánctam Ecclésiam tot voluísti Sanctórum decorári Relíquiis : concéde nobis fámulis; ut quorum memóriam venerámur in terris, eórum consórtio perfruámur in cœlis. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lectiones de Script. occurr. In Quadragesima vero Justórum ánimæ, de Communi. [60]

IN SECUNDO NOCTURNO.

Ex Tractátu sancti Joánnis Damascéni de Fide Orthodóxa.

Lib. 16. cap. 4. Lectio iv.

Hristus Dóminus Sanctórum Relíquias velut salutíferos fontes præbuit, ex quibus plúrima ad nos benefícia manant, suavissimúmque unguéntum prófluit. Nec vero quisquam huic sermóni fidem détrahat; nam si aqua in desérto ex áspera, et sólida rupe, atque ex ásini maxílla ad sedándam Sampsónis sitim, Deo ita volénte, prosíliit; erítne, cur cuíquam incredíbile videátur, ex Mártyrum relíquiis suáve unguéntum scaturíre? Mínime certe iis quidem, quibus Dei poténtia, honórque, quo Sanctos suos áfficit, perspéctus, et explorátus est. Atque illud quidem véteri lege comparátum erat, ut quisquis mórtuum contigísset, immúndus censerétur; verum hi in mortuórum número mínime habéndi sunt.

℟. Sancti tui. [63]

Lectio v.

EX quo enim ípsamet vita, ac vitæ Auctor inter mórtuos adscríptus

est, eos, qui in spe resurrectiónis, fidéque erga eum, diem extrémum clausérunt, mórtuos haudquáquam appellámus. Qui enim mórtuum corpus mirácula édere queat? Per ea dæmones expellúntur, morbi profligántur, ægróti sanántur, cæci prospíciunt, leprósi mundántur, tentatiónes, ac mœróres discutiúntur : ac dénique omne donum óptimum a Patre lúminum, eórum ópera ad eos, qui fide mínime dúbia póstulant, descéndit. Quid non labóris suscípias, ut patrónum quemdam nanciscáris, qui te mortáli regi ófferat, ac tuo nómine ad eum verba fáciat? An non ígitur hi honorándi sunt, qui totíus humáni géneris patrónos se profiténtur; ac Deo nostra causa súpplicant?

℟. Vérbera carníficum.

Lectio vj.

Honorándi certe, et quidem ita, ut in eórum nómine Deo templa exstruámus, dona offerámus, eórum memóriam colámus, atque in ea spirituáliter oblectémur; quo nimírum lætítia nostra iis, a quibus invitámur, cóngruat; ne, dum eos cólere et demeréri studémus, offendámus pótius, et irritémus. Quibus enim rebus Deus cólitur, iísdem quoque servi ipsíus oblectántur; quibus autem Deus offénditur, iísdem étiam ipsíus mílites offendúntur. Quocírca in psalmis, et hymnis, et cánticis spirituálibus, et compunctióne, et eórum, qui in egestáte versántur, commiseratióne, (quibus obséquiis Deus potíssimum conciliátur) Sanctos colámus, státuas ipsis ac visíbiles imágines erigámus, imo ipsi virtútibus eórum imitándis hoc consequámur, ut vivæ eórum státuæ atque imágines simus. ℟. O constántia.

In tertio Noct. Lect. de Homil. in Evang. **Descéndens Jesus,** de Comm. [67]

Vesp. a cap. seq. comm. præced.

DIE XVII. FEBRUAR.

S. Vincentii

Martyris. Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Martyris [28] præter hæc propria.

AD VESPERAS.

Si non præcedat Festum duplex, Aña. **Assúmptus ex equúleo,** prima de Laud. Ps. præced.

Capit. **Beátus vir.** [28]

℟. Christi miles pretiósus Levíta Vincéntius ut tribúnal sponte rogum conscéndit intrépidus : * Cujus salis crepitántis per corpus minútiæ sparsim ibant, atque prunæ vernabántur sánguine.
℣. Inter hæc manet immótus ille Dei fámulus, orans Christum in sublíme eréctis lumínibus. Cujus.
Glória Patri. Cujus salis.
Hymnus et ℣. de Communi. [28]
Ad Magnif. Aña. Sacram hujus diéi solemnitátem húmili celebrémus devotióne : qua invíctus Christi martyr Vincéntius, tyránno devícto, insígnem victóriæ palmam cœlo gaudens íntulit.
Oratio. Adésto, ut infra ad Laudes.

AD MATUTINUM.

Invit. Christum Jesum, qui in Vincéntio vicit mundum, * Veníte, adorémus.
Ps. Veníte, exsultémus. 2.
Hymn. Deus tuórum.

IN PRIMO **NOCTURNO.**

Aña. Sanctus Vincéntius a pueritia stúdiis litterárum tráditus, supérna sibi providénte cleméntia, gémina sciéntia efficacíssime cláruit.
Ps. Beátus vir, cum reliquis de Communi. [29]
Aña. Sanctitáte quoque insígnis Diacónii arce suscépta, vices Pontíficis diligénter exsequebátur.
Ps. Quare fremuérunt.
Aña. Valérius ígitur Epíscopus, et Levíta Vincéntius, spe fruéndi victória divínitus subníxi, in confessióne Deitátis alácriter cucurrérunt.
Ps. Dómine quid.
℣. Glória et honóre.
Lectiones de Scriptura occurrente; in Quadrag. Fratres, debitóres sumus, de Communi. [31]
℟. j. Sacram hujus diéi solemnitátem húmili celebrémus devotióne : qua invíctus Christi Martyr Vincéntius, tyránno devícto, * Insígnem victóriæ palmam cœlo gaudens íntulit.
℣. Perácto ígitur passiónis suæ venerándo triúmpho, Angelórum cœtibus comitátus. Insígnem.
℟. ij. Sanctus Vincéntius Christi Martyr, supérna providénte cleméntia, quæ sibi eum prævidébat vas electiónis futúrum, * Gémina sciéntia efficacíssime cláruit.
℣. Sanctitáte quoque insígnis Diacónii arce suscépta, vices Pontíficis diligénter exsequebátur. Gémina.

℟. iij. Levíta Vincéntius dixit beáto Valério : Si jubes, Pater sancte, respónsis júdicem aggrédiar. Jam tibi, fili caríssime, divíni verbi curam commíseram, * Nunc quoque pro fide, qua adstámus, respónsa commítto.

℣. Tibi enim gémina sciéntia pollénti, ac supérni amóris igne fervénti, cœléstis olim doctrínæ ministérium delegávi. Nunc quoque.

Glória Patri. Nunc.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Tanto namque felicióres se esse credébant, quanto acrióra tyránni supplícia pia longanimitáte certássent evíncere.

Ps. Cum invocárem. [33]

Aña. Levíta Vincéntius, dixit beáto Valério : Si jubes, Pater sancte, respónsis júdicem aggrédiar.

Ps. Verba mea áuribus.

Aña. Jam tibi, fili caríssime, divíni verbi curam commíseram : nunc quoque pro fide, qua adstámus, respónsa commítto.

Ps. Dómine Dóminus.

℣. Posuísti Dómine.

Lectio iv.



Incéntius, Oscæ in Hispánia citerióre natus a prima ætáte stúdiis déditus, sacras lítteras a Valério Cæsaraugustáno Epíscopo dídicit : cujus étiam partes suscépit prædicándi Evangélium, quod Epíscopus, propter linguæ impediméntum, prædicatiónis offício fungi non póterat. Ea re ad Daciánum, Provínciæ a Diocletiáno et Maximiáno præpósitum, deláta, Vincéntius Cæsaraugústæ compreh énditur, et una cum Valério Epíscopo grávibus caténis vinctus, ad Daciánum Valéntiam addúcitur; ubi eos in tetro ac fœtido cárcere inclúsos, inédia, squalóre, vínculis férreis a collo ad manus pendéntibus dire afflígi fecit.

℟. Ecce jam in sublíme agor, et omnes príncipes tuos, sæculo áltior, tyránne, despício; nolo glóriam meam mínuas, nec damna ínferas laudi : * Parátus sum enim ad ómnia torménta pro Salvatóris nómine sustinénda.

℣. Insúrge ergo, et toto malignitátis spíritu debaccháre : vidébis me Dei virtúte plus posse, dum tórqueor, quam possis ipse, qui torques. Parátus sum.

Lectio v.

ILlis inde póstea ad se perdúctis, Daciánus exístimans diutúrna cárceris maceratióne afflíctos fácile in suam senténtiam descensúros, Epíscopum interpéllat, cur religiónis spécie, jussis Imperatórum adversétur : cui cum Valérius miti et compósito sermóne respondére viderétur; Vincéntius ad Epíscopum convérsus : Cur, inquit, tyránnum hunc, Pater, humíliter allóqueris? Clama voce magna, et Dei poténtiam implóra, ut supérbia hóminis istíus comprimátur. Quibus verbis excandéscens Daciánus, Epíscopum inde abdúci jubet, et mox afférri ad se ómnia tormentórum génera, et illis sanctum Diáconum crudéliter torquéri. Quare verbéribus et equúleo tortus, in cratícula impósitus prunis ardéntibus suppósitis, ac férreis úngulis excarnificátus, candentibúsque láminis exústus, arvínæ guttis, et crepitánte sale respérsus, cum nulla aut tormentórum vi, aut acerbitáte, vel lenitáte verbórum a propósito deterréri posset, íterum dúcitur in cárcerem stratum testáceis fragméntis, ut ejus nudum corpus somno oppréssum, a subjéctis étiam testárum acúleis torquerétur.

℟. Assúmptus ex equúleo Levíta Vincéntius, atque ad patíbulum raptus, tortóres suos pene prævéniens, * Moras carníficum arguéndo, ad pœnam alácriter properábat.

℣. Intrépidus ítaque Dei athléta candéntis ferri máchinam ultro conscéndit. Moras.

Lectio vj.

VErum illo in tenebricósa inclúso custódia, claríssimus splendor obórtus totum cárcerem illustrávit. Quæ lux cum omnes, qui áderant, summa admiratióne affecísset, res a custóde cárceris ad Daciánum defértur, qui edúctum in molli cúlcitra cóllocat, ut aliquántulum recreátus ácrius dénuo torquerétur : aut si amóto páululum carnífice ánimam quiétus exhaláret, non occísus, sed mórtuus dicerétur. Intérea eum cœléstis aula súscipit, atque ita ignis, ferri, tortórum immanitáte superáta, victor ad cœléstem martyrii corónam advolávit,

undécimo Kaléndas Februárii. Cujus corpus, cum projéctum esset inhumátum, corvus et a volúcribus, et a lupo, únguibus, rostro, alis mirabíliter deféndit. Qua re cógnita Daciánus illud in altum mare demérgi jubet. Sed inde étiam divínitus ejéctum ad littus, Christiáni sepéliunt.

℟. Beátus Dei athléta Vincéntius horréndo clausus ergástulo cárceris, Psalmum Deo et hymnum, Angelórum frequéntia relevátus, lætus dicébat : * Quorum vallátus catérva, venerándo fovebátur obséquio, et mulcebátur allóquio.

℣. Dantur ergo laudes Deo Altíssimo; et resonánte órgano vocis Angélicæ, moduláta suávitas procul diffúnditur. Quorum.

Glória Patri. Quorum.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Beátus Vincéntius, cujus mens jam cónscia corónæ, dixit Daciáno : Háctenus a te hábitus sermo de negánda fide perorávit.

Ps. In Dómino. [36]

Aña. Nefárium tamen apud Christianórum prudéntiam esse cognósce, Deitátis cultum abnegándo blasphemáre.

Ps. Dómine quis.

Aña. Profitémur enim Christiánæ religiónis nos esse cultóres, ac unius veri Dei permanéntis in sæcula fámulos, et testes.

Ps. Dómine in virtúte.

℣. Justus ut palma.

Lectiones de Homilia in Evang. Si quis vult post me veníre, de Communi. [43]

℟. vij. Agnósce, o Vincénti invictíssime, pro cujus nómine fidéliter decertásti, * Ipse tibi corónam præparátam servat in cœlis, qui te fecit victórem in pœnis.

℣. Esto ígitur jam secúrus de præmio, quia mox, depósito ónere carnis, nostro eris addéndus collégio. Ipse tibi.

℟. viij. Gloriósus Dei amícus Vincéntius Jesu Dómini confessióne fundátus, inter tormentórum supplícia stetit impertérritus; * Ac demum triumpháli morte insígnis, cœlos petívit sánguine laureátus.

℣. Felíci commércio pro terrénis cœléstia, pro peritúris ætérna commútans. Ac demum.

℟. ix. Christi miles pretiósus Levíta Vincéntius

ut tribúnal sponte rogum conscéndit intrépidus : Cujus salis crepitántis per corpus minútiæ sparsim ibant, atque prunæ vernabántur sánguine.

℣. Inter hæc manet immótus ille Dei fámulus, orans Christum in sublíme eréctis lumínibus. Cujus. Glória Patri. Cujus salis. Te Deum laudámus. [20]

Sacerd. ℣. Stola jucunditátis.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

Assúmptus ex equúleo Levíta Vincéntius, atque ad patíbulum raptus, moras carníficum arguéndo, ad pœnam alácriter properábat.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. [21]

Aña. Intrépidus ítaque candéntis ferri máchinam ultro conscéndit : ac manens immótus, eréctis in cœlum lumínibus Dóminum precabátur.

Aña. Agnósce, o Vincénti invictíssime, quia pro cujus nómine fidéliter decertásti, ipse tibi corónam præparátam servat in cœléstibus.

Aña. Hinc horréndo cárceris clausus ergástulo Dei athléta, Angelórum venerándo fovebátur obséquio, et mulcebátur allóquio.

Aña. Dantur ergo laudes Deo Altíssimo, et resonánte órgano vocis Angélicæ, moduláta suávitas procul diffúnditur.

Capit. Hymn. et ℣. de Communi. [40]

Ad Bened. Aña. Egrégius Dei Martyr Vincéntius diris tormentórum supplíciis pro Christo alácriter superátis, ac felícis pugnæ agóne constánter expléto, tandem pretiósam resolútus in mortem, cœlo triúmphans spíritum réddidit.

Oratio.

Adésto, quæsumus Dómine, supplicatiónibus nostris; ut qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus, beáti Vincéntii Mártyris tui intercessióne liberémur. Per Dóminum.

AD VESPERAS.

Añæ Laudum: Psalmi, Capit. Hymn. et ℣. de Communi.

Ad Magnif. Aña. Ecce jam in sublíme agor, et omnes príncipes tuos sæculo áltior, tyránne, despício, parátus ad ómnia pro Salvatóris nómine sustinénda.

Et fit comm. sequentis.

DIE XVIII. FEBR.
S. Simeonis
Episcopi et Martyris.
Simplex.

Omnia de Comm. unius Mart. [28] exceptis quæ hic signantur.

Oratio. **Infirmitátem,** de Communi. [29].

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrag. de Actibus Apostolorum. **A Miléto,** de Communi. [44]

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv. et v. de Sermone sancti Augustini. **Triumphális,** de Communi. [34]

Ex Euseb. et Histor. Ecclesiast. Lectio vj.

Simeon, fílius Cléophæ post Jacóbum próximus Jerosólymis ordinátus Epíscopus, Trajáno Imperatóre apud Atticum consulárem est accusátus, quod Christiánus esset, et Christi propínquus. (Comprehendebántur enim omnes eo témpore, quicúmque ex génere David orti essent.) Quare multis cruciátus torméntis, eódem passiónis génere, quod Salvátor noster subíerat, affícitur, mirántibus ómnibus, quod homo ætáte conféctus (erat enim centum et vigínti annórum) acerbíssimos crucis dolóres fórtiter constantérque paterétur.

℟. **Stola jucunditátis.**

In tertio Noct. Lect. de Homil. in Evang. **Si quis venit ad me,** de Communi. [46]

Vesperæ a capitulo de sequenti, commemoratio præcedentis.

DIE XIX. FEBRUAR.
S. Raymundi de Pennafort
Confess. Semiduplex.

Omnia de Comm. unius Conf. non Pont. [93] præter hic signata.

Oratio.

Deus, qui beátum Raymúndum pœniténtiæ sacraménti insígnem minístrum elegísti, et per maris undas mirabíliter traduxísti : concéde; ut ejus intercessióne dignos pœniténtiæ fructus fácere, et ad ætérnæ salútis portum perveníre valeámus. Per Dóminum.

In primo Nocturno. Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrag. vero **Justus si morte,** de Communi. [94]

SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv.

BEátus Raymúndus Barcinonénsis, ex nóbili família de Pennafort, Christiánæ Religiónis rudiméntis imbútus, adhuc párvulus exímia ánimi et córporis índole magnum áliquid portendere visus est. Nam adoléscens humanióres litteras in pátria proféssus, Bonóniam se cóntulit, ubi pietátis offíciis, ac Pontifício civilíque Juri sédulo incúmbens, et Doctóris láurea insignítus, ibídem sacros Cánones magna cum hóminum admiratióne est interpretátus. Ejus virtútum fama percrebrescénte, Berengárius Barcinonénsis Epíscopus cum Roma suam ad Ecclésiam redíret, eum conveniéndi causa Bonóniam iter instítuit, et tandem summis précibus, ut secum in pátriam reverterétur, obtínuit. Mox ejúsdem Ecclésiæ canonicátu et præpositúra ornátus, univérso clero et pópulo, integritáte, modéstia, doctrína, et morum suavitáte præfúlsit, ac Deíparæ Vírginis, quam singulári pietátis afféctu venerabátur, honórem et cultum semper pro víribus auxit.

℟. Desidérium. [96]

Lectio v.

ANnum círciter quintum supra quadragésimum agens, in Ordine Fratrum Prædicatórum solémni emíssa professióne, ut novus miles, in omni virtútum génere, sed præcípue in caritáte erga egénos, et máxime captívos ab infidélibus deténtos se exércuit. Unde cum ejus hortátu sanctus Petrus Noláscus (cujus ipse confessiónes audiébat) suas opes piíssimo huic óperi conférret, tum eídem, tum beáto Raymúndo, et Jacóbo primo Aragóniæ regi appárens beatíssima Virgo, gratíssimum sibi, et Unigénito Fílio suo fore dixit, si in suum honórem instituerétur Ordo Religiosórum, quibus captívos ex infidélium tyránnide liberándi cura incúmberet. Quare collátis inter se consíliis, Ordinem beátæ Maríæ de Mercéde Redemptiónis captivórum fundavérunt, cui beátus Raymúndus certas vivéndi leges præscrípsit ad ejúsdem Ordinis vocatiónem accommodatíssimas, quarum ap-

probatiónem áliquot post annos a Gregório Nono impetrávit, et dictum sanctum Petrum primum Generálem Ordinis Magístrum suis ipse mánibus hábitu eódem indútum creávit.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

AB eódem Gregório Romam accersítus, et Capelláni, ac Pœnitentiárii, et Confessárii sui múnere decorátus; ejúsdem jussu, Romanórum Pontíficum decréta, in divérsis Concíliis et Epístolis sparsa, in unum Decretálium volúmen redégit. Archiepiscopátum Tarraconénsem ab ipso Pontífice sibi oblátum constantíssime recusávit, et totíus Ordinis Prædicatórum generále Magistérium, quod per biénnium sanctíssime administráverat, sponte dimísit. Jacóbo Aragóniæ regi sacræ Inquisitiónis offícii suis in regnis instituéndi auctor fuit. Multa patrávit mirácula, inter quæ illud claríssimum, quod ex ínsula Baleári majóri Barcinónem reversúrus, strato super aquas pállio, centum sexagínta milliária sex horis confécerit, et suum cœnóbium jánuis clausis fúerit ingréssus. Tandem prope centenárius, virtútibus et méritis cumulátus, obdormívit in Dómino anno salútis millésimo ducentésimo septuagésimo quinto, quem Clemens Octávus in Sanctórum númerum rétulit.

℟. Iste sanctus.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homilia in Evang. **Nemo lucérnam,** de Communi. [97]

In Vesp. commem. sequentis.

DIE XX. FEBRUARII.

S. Mauri

Abbatis et Confessoris.
Simplex.

Omnia de Comm. unius Confessoris non Pontificis [93] exceptis quæ hic habentur.

Oratio. **Intercéssio,** de Communi. [94]

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente, sed in Quadrag. **Justus, si morte,** de Communi. [94]

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv. de Sermone S. Joannis Chrysostomi. **Beáti Mauri,** ut in Communi. [96]

Ex Fausto ejus condiscipulo et S. Gregorio.

Lectio v.

BEátus Maurus senatório génere ortus, sancto Benedícto regulári instructióne imbuéndus duodénnis tráditur. Sub quo mirum in modum profíciens, magístri sui cœpit esse adjútor, et miraculórum ejus cooperátor. Nam cum præceptóris sui jussu, púero cuídam in aqua periclitánti succúrreret, super undas vadens, ac rédiens, ipsum liberávit. Quod signum beátus Benedíctus ejus adscrípsit obediéntiæ.
℟. Amávit eum.

Lectio vj.

HIc solo rústico sacco in Quadragésima utebátur, ac bis tantum in hebdómada comedébat. Cum autem longo post témpore Auréliam, quo a sancto Benedícto missus fúerat, pervenísset, nóbili viro Floro locum dante pro monastério construéndo, et Theodobérto Francórum rege opem ferénte, in honórem beáti Martíni juxta Lígerim consecrári fecit Ecclésiam. In qua vir sanctus plenus bonis opéribus, ac miráculis coruscans, migrávit ad Dóminum ætátis suæ anno septuagésimo secúndo.
℟. Iste sanctus.

In tertio Nocturno, Lectiones de Hom. S. Hieronymi Presbyteri in Evangelium **Ecce nos relíquimus,** ut in Communi Abbatum. [101]

Vesperæ a capitulo de sequenti, commemoratio præcedentis.

DIE XXI. FEBRUAR.

S. Blasii

Episcopi et Martyris.

Simplex.

Omnia de Comm. unius Mart. [28] exceptis hic signatis.

Oratio. **Deus, qui nos,** de Communi. [29]

In j. Noct. Lect. de Script. occurrente, sed in Quadrag. de Actibus Apostolorum **A Miléto,** de Communi. [44]

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lect. iv. et v. de Serm. S. Augustini Episcopi **Triumphális,** ut in Communi. [34]

Ex Metaph. et Adone.

Lectio vj.



Lásius, Sebáste in Arménia, cum virtútum laude floréret, ejúsdem civitátis Epí-

scopus elígitur. Qui, quo témpore Diocletiánus insatiábilem crudelitátem in Christiános exercébat, se in spelúncam ábdidit montis Argæi : ubi támdiu látuit, dum ab Agricolái præsidis milítibus venántibus deprehénsus, et ad præsidem ductus, ejus jussu conjéctus est in víncula. Quo in loco multos ægrótos sanávit, qui ad Blásium, ejus fama sanctitátis addúcti, deferebántur. In illis puer fuit, qui desperáta a médicis salúte, transvérsa spina fáucibus inhæénte, ánimam agébat. Prodúctus autem ad præsidem Blásius semel et íterum cum nec blandítiis, nec minis addúci posset, ut diis sacrificáret; primum virgis cæsus, deínde in equúleo férreis pectínibus dilaniátus est : postrémo dempto cápite, illústre fídei testimónium Christo Dómino dedit, tértio Nonas Februárii.

℟. Stola jucunditátis.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homilia in Evang. Vidéte, vigiláte, de Communi. [47]

Vesp. seq. Ps. tantum præced.

DIE XXII. FEBRUAR.

Cathedræ S. Petri Antiochenæ.

Duplex minus. P. C.

Omnia ut in Cathedra Romana mensis Januarii, 576. exceptis Lectionibus secundi Nocturni.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 15. de Sanctis.

Lectio iv.



INstitútio solemnitátis hodiérnæ a senióribus nostris Cáthedræ nomen accépit : ídeo quod primus Apostolórum Petrus hódie Episcopátus cáthedram suscepísse referátur. Recte ergo Ecclésiæ natálem sedis illíus colunt, quam Apóstolus pro Ecclesiárum salúte suscépit, dicénte Dómino : Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.

℟. Pósui adjutórium. [82]

Lectio v.

PEtrum ítaque fundaméntum Ecclésiæ Dóminus nominávit : et ídeo digne fundaméntum hoc Ecclésia colit, supra quod Ecclesiástici ædifícii altitúdo consúrgit. Un-

de conveniénter Psalmus, qui lectus est, dicit : Exáltent eum in Ecclésia plebis : et in cáthedra seniórum laudent eum. Benedíctus Deus, qui beátum Petrum Apóstolum in Ecclésia exaltári præcépit : quia dignum est, ut fundaméntum hoc in Ecclésia honorétur, per quod ad cœlum conscénditur.

℞. Amávit eum.

Lectio vj.

QUod natális ergo Cáthedræ hódie cólitur, sacerdotále honorátur offícium. Sibi hoc Ecclésiæ ínvicem præstant : quia tanto necésse plus habet Ecclésia dignitátis, quanto sacerdotále offícium plus honóris. Cum solemnitátem hanc Ecclésiis mérito religiósa observátio introdúxerit, miror cur apud quosdam infidéles hódie tam perniciósus error incréverit, ut super túmulos defunctórum cibos et vina cónferant, quasi egréssæ de corpóribus ánimæ carnáles cibos requírant.

℞. Ecce vir prudens.

In Vesperis commemoratio sequentis.

DIE XXIII. FEBRUAR.

S. Petri Damiani

Episc. Conf. et Doctoris.

Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Conf. Pont. [75] exceptis, quæ hic signantur.

AD VESPERAS.

Ad Magnificat, Aña. O Doctor, de Communi Doctorum. [90]

Oratio.

COncéde nos quæsumus, omnípotens Deus, beáti Petri Confessóris tui atque Pontíficis mónita, et exémpla sectári; ut per terréstrium rerum contémptum ætérna gáudia consequámur. Per Dóminum nostrum.

In j. Noct. Lect. de Scriptura occurrente, in Quadrag. vero Fidélis sermo, de Communi. [78]

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv.



PEtrus Ravénnæ honéstis paréntibus natus, adhuc lactens a matre numerósæ prolis pertæsa abjícitur, sed doméstice mulíeris ópera semivívus excéptus ac recreátus, genitríci ad humanitátis sensum revocátæ rédditur. Utróque orbátus parénte, tamquam vile mancípium sub áspe-

ra fratris tutéla duram servitútem exércuit. Religiónis in Deum, ac pietátis erga patrem egrégium tunc spécimen dedit; invéntum síquidem forte nummum non própriæ inédiæ sublevándæ, sed sacerdóti, qui divínum sacrifícium ad illíus expiatiónem offérret, erogávit. A Damiáno fratre, a quo uti fertur cognoméntum accépit, benígne recéptus, ejus cura lítteris erudítur : in quibus brevi tantum profécit, ut magístris admiratióni esset. Quum autem liberálibus sciéntiis floréret et nómine, eas cum laude dócuit. Interim ut corpus ratióni súbderet sub móllibus véstibus cilícium adhíbuit, jejúniis, vigíliis, et oratiónibus solérter insístens. Calénte juvénta dum carnis stímulis ácriter urgerétur, insultántium libídinum faces rigéntibus flúvii mersus aquis noctu exstinguébat; tum venerabília quæque loca obíre, totúmque Psaltérium recitáre consuéverat. Ope assídua páuperes levábat, quibus frequénter pastis convívio, própriis ipse mánibus ministrábat.

℟. Pósui adjutórium. [82]

Lectio v.

PErficiéndæ magis vitæ causa in Avellanénsi Eugubínæ diœcésis cœnóbio Ordini Monachórum sanctæ Crucis Fontis Avellánæ a beáto Ludúlpho sancti Romuáldi discípulo fundáto nomen dedit. Non ita multo post in monastérium Pomposiánum, mox in cœnóbium sancti Vincéntii Petræ Pertúsæ ab Abbáte suo missus, utrúmque ascetérium verbo sacro, præcláris institutiónibus, et móribus excóluit. Ad suos revocátus post præsidis óbitum Avellanitárum famíliæ præfícitur, quam novis váriis in locis exstrúctis domicíliis, et sanctíssimis institútis ita auxit, ut alter ejus Ordinis parens, ac præcípuum ornaméntum jure sit hábitus. Salutárem Petri sollicitúdinem ália quoque divérsi institúti cœnóbia, Canonicórum convéntus, et pópuli sunt expérti. Urbináti diœcési non uno nómine prófuit : Theuzóni Epíscopo in causa gravíssima assédit, ipsúmque in recte administrándo Episcopátu consílio et ópera juvit. Divinórum contemplatióne, córporis macera-

tiónibus, ceterísque spectátæ sanctimóniæ exémplis excélluit. His motus Stéphanus Nonus Póntifex Máximus eum licet invítum et reluctántem Sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardinálem creávit, et Ostiénsem Epíscopum. Quas Petrus dignitátes splendidíssimis virtútibus, et consentáneis Episcopáli ministério opéribus gessit.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

Difficíllimo témpore Románæ Ecclésiæ, Summísque Pontifícibus doctrína, legatiónibus, alíisque suscéptis labóribus mirífice ádfuit. Advérsus Nicolaitárum et Simoníacam hæreses ad mortem usque strénue decertávit. Hujúsmodi depúlsis malis Mediolanénsem Ecclésiæ Románæ conciliávit. Benedícto, et Cadalóo falsis pontifícibus fórtiter réstitit. Henrícum quartum Germániæ regem ab iníquo uxóris divórtio detérruit: Ravennátes ad débita Románo Pontífici obséquia revocátos, sacris restítuit. Canónicos Velitérnos ad sanctióris vitæ leges compósuit. In província præsértim Urbináte vix ulla fuit Episcopális Ecclésia, de qua Petrus non sit bene méritus; Eugubínam, quam aliquándo créditam hábuit, multis levávit incómmodis: álias álibi, quando opórtuit, perínde curávit, ac si suæ essent tutélæ commíssæ. Cardinalátu, et Episcopáli dignitáte depósitis, nihil de prístina juvándi próximos sedulitáte remísit. Jejúnium sextæ fériæ in honórem sanctæ Crucis Jesu Christi: horárias beátæ Dei Genitrícis preces, ejúsque die sábbato cultum propagávit. Inferéndæ quoque sibi verberatiónis morem ad patratórum scélerum expiatiónem provéxit. Demum sanctitáte, doctrína, miráculis, et præclárе actis illústris, dum e Ravennáte Legatióne redíret, Favéntiæ octávo Kaléndas Mártii migrávit ad Christum. Ejus corpus ibídem apud Cisterciénses multis miráculis clarum frequénti populórum veneratióne cólitur. Ipsum Faventíni non semel in præsénti discrímine propítium expérti, Patrónum apud Deum delegérunt: Leo vero Duodécimus Póntifex

Máximus Offícium, Missámque in ejus honórem tamquam Confessóris Pontíficis, quæ alíquibus in diœcésibus, atque in Ordine Camaldulénsium jam celebrabántur, ex Sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto, áddita Doctóris qualitáte, ad univérsam exténdit Ecclésiam.

℟. Ecce vir prudens.

In iij. Noct. Homilia in Evang. **Vos estis sal terræ,** de Communi Doctorum. [91]

Lect. ix. nisi celebretur in Quadragesima. aut nisi fuerit annus bissextilis, ut infra dicetur, de Vigilia S. Mathiæ Apost. Hom. in Evang. **Ego sum vitis vera,** de Communi. [1]

In Laud. comm. Vigil. Aña et ℣. de Psalt. Oratio. **Tuum pro nobis,** de Communi. [2]

In Quadrag. de Vigilia nihil fit nisi in Missa.

Vesp. a cap. seq. comm præced.

DIE XXIV. vel XXV. FEBRUARII.

S. Mathiæ Apostoli.

Duplex minus. P. C.

Omnia de Comm. Apostolorum, [3] exceptis his. quæ hic sunt propria.

AD VESPERAS.

Oratio. **Tuum pro nobis,** de Communi. [2]

Si Festum transferatur, dicatur in j. Vesp. Oratio. **Deus, qui beátum,** ut infra ad Laudes.

In Anno Bissextili Festum sancti Mathiæ celebratur die xxv. Februarii, nisi Feria iv. Cinerum aut Dominica ipsa die evenerit. quia tunc transfertur. Jejunium vero et Vigilia in anno Bissextili fit xxiv. Februarii, nisi fuerit Dominica, quia tunc anteponitur in præcedenti Sabbato.

IN PRIMO NOCTURNO.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 1.

IN diébus illis exsúrgens Petrus in médio fratrum dixit : (erat autem turba hóminum simul fere centum vigínti) Viri fratres, opórtet impléri Scriptúram, quam prædíxit Spíritus sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eórum, qui comprehendérunt Jesum : qui connumerátus erat in nobis, et sortítus est sortem ministérii hujus. Et hic quidem possédit agrum

de mercéde iniquitátis, et suspénsus crépuit médius : et diffúsa sunt ómnia víscera ejus.

℟. Ecce ego. [7]

Lectio ij.

Et notum factum est ómnibus habitántibus Jerúsalem, ita ut appellarétur ager ille, lingua eórum, Hacéldama, hoc est, ager sánguinis. Scriptum est enim in libro Psalmórum : Fiat commorátio eórum desérta, et non sit, qui inhábitet in ea : et episcopátum ejus accípiat alter. Opórtet ergo ex his viris, qui nobíscum sunt congregáti in omni témpore, quo intrávit, et exívit inter nos Dóminus Jesus, incípiens a baptísmate Joánnis usque in diem, qua assúmptus est a nobis, testem resurrectiónis ejus nobíscum fíeri unum ex istis.

℟. Tóllite jugum.

Lectio iij.

Et statuérunt duos, Joseph, qui vocabátur Bársabas, qui cognominátus est Justus, et Mathíam. Et orántes dixérunt : Tu Dómine, qui corda nosti ómnium, osténde, quem elégeris ex his duóbus unum accípere locum ministérii hujus, et Apostolátus, de quo prævaricátus est Judas, ut abíret in locum suum. Et dedérunt sortes eis, et cécidit sors super Mathíam : et annumerátus est cum úndecim Apóstolis.

℟. Dum stetéritis.

IN SECUNDO NOCTURNO.

De Expositióne sancti Augustíni Epíscopi super Psalmum octogésimum sextum.

Lectio iv.



Undaménta ejus in móntibus sanctis, díligit Dóminus portas Sion. Quare sunt fundaménta Apóstoli et Prophétæ? Quia eórum auctóritas portat infirmitátem nostram. Quare sunt portæ? Quia per ipsos intrámus ad regnum Dei. Prædicant enim nobis : et cum per ipsos intrámus, per Christum intrámus. Ipse est enim jánua. Et cum dicúntur duódecim portæ Jerúsalem, et una porta Christus, et duódecim portæ Christus, quia in duódecim portis Christus : et ídeo duodenárius númerus Apostolórum. Sacraméntum magnum hujus duodenárii significátio est número. Sedébitis, inquit, super duódecim sedes, ju-

dicántes duódecim tribus Israel.

℟. Vidi conjúnctos. [10]

Lectio v.

Si duódecim sellæ ibi sunt, non est ubi sédeat tértius décimus Paulus Apóstolus, et non erit quómodo júdicet : et ipse se judicatúrum dixit, non hómines tantum, sed et ángelos. Quos ángelos, nisi apóstatas ángelos? Nescítis, inquit, quia ángelos judicábimus? Respondéret ergo turba : Quid te jactas judicatúrum? Ubi sedébis? Duódecim sedes dixit Dóminus duódecim Apóstolos : unus cécidit Judas, in locum ipsíus sanctus Mathías ordinátus est : implétus est duodenárius númerus sédium : Primo locum ínveni, ubi sédeas, et sic te mináre judicatúrum. Duódecim ergo sedes quid sibi velint, videámus. Sacraméntum est cujúsdam universitátis, quia per totum orbem terrárum futúra erat Ecclésia, unde vocátur hoc ædifícium ad Christi compágem. ℟. Isti sunt.

Lectio vj.

Et ídeo quia úndique venítur ad judicándum, duódecim sedes sunt : sicut quia úndique intrátur in illam civitátem, duódecim portæ sunt. Non solum ergo illi duódecim, et Apóstolus Paulus : sed quotquot judicatúri sunt, propter significatiónem universitátis ad sedes duódecim pértinent : quemádmodum quotquot intrábunt, ad duódecim portas pértinent. Partes enim mundi quátuor sunt, Oriens, Occidens, Aquilo et Merídies. Istæ quátuor partes assídue nominántur in Scriptúris. Ab istis quátuor ventis, sicut dicit Dóminus in Evangélio, a quátuor ventis se collectúrum eléctos suos : ab ómnibus ergo istis quátuor ventis vocátur Ecclésia. Quómodo vocátur? Undique in Trinitáte vocátur. Non vocátur nisi per Baptísmum, in nómine Patris, et Fílii, et Spíritus sancti. Quátuor ergo ter ducta duódecim inveniúntur.

℟. Fuérunt sine queréla.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Tóllite jugum meum super vos, quia mitis sum, et húmilis corde.

Ps. Confitébimur. [10]

Aña. Jugum enim meum

suáve est, et onus meum leve, dicit Dóminus.

Ps. Dóminus regnávit, exsúltet.

Aña. Custodiébant testimónia ejus, et præcépta ejus, quæ dedit illis.

Ps. Dóminus regnávit, irascántur.

℣. Nimis honoráti sunt.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo témpore respóndens Jesus dixit : Confíteor tibi Pater, Dómine cœli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus, et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 18. in Matth.



QUod hic, Confíteor, dixit, idem valet, quod grátias ago. Non ergo, quia sapiéntes non cognovérunt, gaudet; sed quia párvuli percepérunt. Ita et Divus Paulus dicit : Grátias ago Deo meo, quóniam fuístis servi peccáti. Obedístis autem ex corde, in quam tráditi estis, formam doctrínæ. Non ítaque et Paulus proptérea gaudet, quia erant servi peccáti, sed quia cum essent hujúsmodi, veritátis cultóres facti sunt.

℟. Isti sunt, qui. [12]

Lectio viij.

CUm autem sapiéntes díxerit, non illam veram sapiéntiam laudábilem intélligit : sed hanc, quæ sæculári doctrína præstátur. Idcírco étiam non dixit : Stultis revelásti, sed Párvulis : quasi non formátis adhuc, sed simplícibus. Ita osténdit, non indígne illos, sed jure his rebus fuísse privátos : ac per ómnia nos docet flatum supérbiæ omníno esse fugiéndum ac simplicitátem amplexándam. Cum autem audis : Omnia sibi a Patre trádita : nihil humáno more factum suspicéris. Quæ díctio, ne duos ingénitos arbitrári quis possit, pósita est, Fílius enim Dóminus ómnium nóscitur.

℟. Isti sunt viri.

In Quadrages. omittatur nona Lectio, et loco ejus legatur Homilia Quadrag.

Lectio ix.

CUm autem per ea, quæ dicúntur, confirmásset eos, atque in desidérium sui attraxísset, omnipoténtia sua aliquáliter monstráta; tunc ad se vocat, dicens : Veníte

ad me omnes, qui laborátis. Et quómodo in superióribus dicébat angústam esse jánuam, et árduam tribulatiónibus viam, quando vidélicet desídia et ignávia dissolútus es : ita quando quæ dicta sunt, perféceris, leve tunc ásserit onus : quod magnitúdine étiam retributiónis leve appellátur. Ita autem quæ dicta sunt, perfícies ánimo, si hùmilitáte sincéra, si mansuetúdine vera, si moderatióne íntegra te commúnies.

℟. Cives Apostolórum.

AD LAUDES.

Oratio.

Deus, qui beátum Mathíam Apostolórum tuórum collégio sociásti : tríbue, quæsumus; ut ejus interventióne, tuæ circa nos pietátis semper víscera sentiámus. Per Dóminum.

Hæc Oratio dicitur etiam ad Horas et ij. Vesperas.

AD VESPERAS.

Añæ, Ps. Cap. Hymn. et ℣. de Communi.

Ad Magnificat, Aña. In regeneratióne cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israel, dicit Dóminus.

Et fit comm. sequentis.

In Anno Bissextili intercalatur dies xxiv. Februarii, unde Festum S. Mathiæ celebratur die 25. Februarii; Festum S. Avertani die 26. Februarii; Festum S. Margaritæ de Cortona die 27. Februarii; Festum S. Dorotheæ die 28. Februarii et Festum S. Titi die 29. Februarii.

DIE XXV. FEBRUAR.

S. Avertani

Conf. Ordinis Nostri.

Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Conf. non Pont. [93] exceptis, quæ hic notantur.

Oratio.

Da nobis, quæsumus Dómine, beáti Avertáni Confessóris tui vitam religiósam sub vexíllo Genitrícis tuæ Maríæ de Monte Carmélo perfécte sectári: ejúsque intercedéntibus méritis in omni perfectióne firmári. Qui vivis et regnas.

In j. Noct. Lect. de Script. occ. sed in Quadrag. Justus si morte, de Comm. [94]

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv.



Anctus Avertánus, gloriósum germen Montis Carméli, Lemóvicis in Gállia paréntibus módicis fortúna, sed virtúte ditíssimis or-

tus, ab infántia Deum timére, et Deíparam cólere dídicit. In adolescéntia accénsus desidério se in Religióne Deo víctimam consecrándi, támdiu oratiónibus, et jejúniis sibi divínum beneplácitum indicári efflagitávit, donec ab Angelo mónitus fúerit, ut beátæ Vírginis Maríæ de Monte Carmélo Institútum amplecterétur : statímque ad Lemovicénse monastérium convolávit, ubi postquam sacro Religiónis hábitu donátus fuit, non paucis horis in éxtasi raptus mansit. Ad se revérsus tanto cum fervóre executióni mandávit ea, quæ mente concéperat, ópera virtútum, ut cunctis frátribus palmam præríperet, eósque in sui amórem et admiratiónem allíceret. Abjectíssima monastérii offícia ingénti alacritáte amplectebátur, et ad quæcúmque Superiórum impéria non tam properábat, quam currébat : ita ut ab ómnibus obediéntiæ fílius passim nuncuparétur.

℟. Desidérium. [96]

Lectio v.

Sibi Christum et magnum Elíam Prophétam sui Ordinis fundatórem in exémplar paupertátis proposúerat, ejúsque studiosíssimus fuit, et piaculáre arbitrabátur, nedum pecúnias tetigísse, sed et eas nominásse; quin et ab eárum adspéctu, véluti a peste óculos avertébat. Páuperum inópiam sublátis sibi aliméntis sublevábat, et pro salúte peccatórum in mille mortes se parátum ire demonstrábat. In oratiónis, et contemplatiónis exercítio, abjécta próprii córporis cura, íntegros sæpe dies transigébat ; idque tali spíritus alienatióne, ut subínde, magno étiam excitáto strépitu, vix ad se redíre posset. In quibúsdam anni festivitátibus nocte média solébat colles monastério vicínos génibus flexis conscéndere, supra lápides bráchiis expánsis, et lacrymántibus óculis oráre, pectúsque saxo usque ad sánguinem contúndere, donec illucésceret : cui ista orándi flectendíque assidúitas ita callum génibus obdúxerat, ut pellis ipsi in génibus adínstar ferri obduráta conspicerétur.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

Ut desidérium sibi cœlitus immíssum sanctæ peregrinatiónis compléret, a Superióribus licéntiam, et beátum Romæum sui Ordinis in sócium impetrávit, simúlque ómnium Sanctórum solemnitáte concelebráta, iter suum aggréssi sunt. Verum cum superátis ímbrium, niviúmque rigóribus, prærúpta Alpium transivíssent, ob pestiléntiæ luem in fínibus Itáliæ grassántem, ab ómnibus civitátibus exclúsi fuérunt, et étiam a Lucénsi, ad cujus portas infírmus appúlerat Avertánus, qui in xenodochío sancti Petri majóris ad urbis mœnia sito caritatíve recéptus, aliquámdiu cum morbo luctátus est, et tandem a Christo cum beatíssima Vírgine María, magna Angelórum stipánte catérva, visitátus, et ad remuneratiónem labórum evocátus, omnibúsque Ecclésiæ Sacraméntis munítus, felícis vitæ cursum felicióri fine consummávit; cujus corpus, ob plúrima mox ejus intercessióne patráta mirácula, magna cum solemnitáte sepúltum fuit in ecclésia hospitális, et inde póstea solémni processióne ad urbis ædem primáriam, cum córpore beáti Romæi, ibídem paulo post defúncti, delátum est : ubi summa veneratióne eórum relíquiæ in eádem arca custodiúntur. ℟. Iste sanctus.

In tertio Nocturno, Lectiones. de Homilia in Evangelium **Nemo lucérnam.** [97]

In Vesperis commemoratio sequentis.

DIE XXVI. FEBRUAR.

S. Margaritæ de Cortona. Semiduplex.

Omnia de Comm. unius Matronæ [134] præter hic signata.

Oratio.

Deus, qui fámulam tuam Margarítam de perditiónis via ad salútis trámitem misericórditer deduxísti : eádem nobis miseratióne concéde; ut, quam prius errántem sectári non erubúimus, mox pœniténtem ímpigre sequi gloriémur. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lectiones de Script. occurrente, in Quadrag. **Mulíerem fortem,** de Communi. [135]

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv.

Argaríta, a loco dormitiónis, Cortonénsis appelláta, Laviáni in Túscia ortum hábuit. Primis adolescéntiæ suæ annis mundi voluptátibus capta in Montis Politiáni civitáte vanam, et lúbricam vitam duxit : sed cum amásium ab hóstibus fœde transfóssum indício canis in fóvea sub strue lignórum tumulátum fortúito reperísset, íllico facta est manus Dómini super eam : quæ magno culpárum suárum mœróre tacta, éxiit foras, et flevit amáre. Itaque Laviánum revérsa crine detónso, negléćto cápite, pulláque veste contécta, erróribus suis, mundíque illécebris núntium misit; inque ædibus Deo sacris fune ad collum alligáto, humi procúmbens, ab ómnibus, quos ántea móribus suis palam offénderat, véniam exorávit. Mox Cortónam profécta in cínere, et cilício a se læsam Dei majestátem placáre stúduit; donec post triennále virtútum experiméntum a Frátribus Minóribus spirituális vitæ dúcibus Tértii Ordinis hábitum impetrávit. Uberes exínde lácrymæ ei familiáres fuérunt, atque ima suspíria, tanta ánimi contritióne ducta, ut diu elínguis consísteret. Léctulum nuda humus, cervícal lapis aut lignum porréxit, atque ita noctes insómnes in cœléstium meditatióne tráhere consuévit, nullum ámplius pravum desidérium perpéssa, dum bonus spíritus prómptior infírmam carnem ad subeúndos labóres erigébat.

℟. Audi fília. [137]

Lectio v.

A Dæmone insídiis funestísque conátibus lacessíta, múlier fortis hostem ex verbis detéctum semel atque íterum invícta répulit. Ad eludéndum vanæ glóriæ lenocínium, quo a malo spíritu petebátur, prætéritos mores suos per vicos, et platéas alta voce accusáre non déstitit, omni supplício se ream inclámans : nec nisi a confessário detérrita in speciósam fáciem olim impúri amóris causam sævíre abstínuit, ægre ferens suam formam longa carnis maceratióne non aboléri. Quibus, aliísque magnæ pœniténtiæ

arguméntis suórum críminum labe expiáta, atque ita de se triumphátrix, ut sensus plane omnes a mundi illécebris custodíret, digna facta est, quæ sæpe Dómini consuetúdine fruerétur. Ejúsdem quoque Christi, et Vírginis Matris dolórum, quod ipsa ardénter expetíerat, párticeps facta, cunctis sénsibus destitúta, et vere mórtua intérdum visa est. Ad eam proínde véluti ad perfectiónis magístram ex díssitis étiam regiónibus plúrimi conveniébant : ipsa vero cœlésti, quo erat perfúsa lúmine, córdium secréta, consciéntias hóminum, imo et peccáta in remótis licet pártibus Deum offendéntium cum dolóre, et lácrymis détegens, summáque in Deum, et próximum caritáte fervens ingéntem animárum fructum operáta est. Ægris ad se veniéntibus salútem, obséssis a dæmone liberatiónem impetrávit. Púerum defúnctum, lugénte matre, ad vitam redúxit. Imminéntes bellórum tumúltus assíduis orationíbus sedávit. Dénique summæ pietátis opéribus vivos, et mórtuos sibi deméruit. ℟. Spécie tua.

Lectio vj.

Tot sanctis opéribus occupáta, de rigóre, quo assídue corpus suum exercébat, nihil remísit, neque a stúdio cœléstia meditándi se avélli passa est, in utróque vitæ génere plane admiránda, utrámque sorórem Magdalénam, et Martham réferens. Tandem pro se Dóminum orans, ut ex hac valle lacrymárum sursum in cœléstem pátriam revocarétur, exaudíta est orátio ejus, die atque hora dormitiónis ei patefáctis. Méritis ítaque, et labóribus plena, ac cœléstibus donis cumuláta cœpit córporis víribus destítui, perque dies decem, et septem nullo cibo, sed divínis tantum collóquiis reféċta est : tum, sanctíssimis Ecclésiæ Sacraméntis rite suscéptis, vultu hílari, atque óculis in cœlum convérsis octávo Kaléndas Mártias anno ætátis quinquagésimo, suæ conversiónis vigésimo tértio, humánæ vero salútis millésimo ducentésimo nonagésimo séptimo, felix migrávit ad Sponsum. Corpus in hanc usque diem végetum, incorrúptum illæsum, et suáviter

olens summa religióne cólitur in ecclésia Fratrum Minórum, quæ jam ab eádem Margaríta appellátur. Miráculis contínuo flóruit; quibus permóti Románi Pontífices ad augéndum ejus cultum plúrima liberáliter indulsérunt. Benedíctus vero Décimus tértius in festo Pentecóstes die sexta décima Maii anni millésimi septingentésimi vigésimi octávi solémnem ejus Canonizatiónem religiosíssime celebrávit.

℟. In sanctitáte.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homilia in Evangelium Símile est regnum cœlórum thesáuro, de Communi unius Virginis. [133]

IN LAUDIBUS.

Ad Bened. Aña. Ut cognóvit, resípuit Seráphici Ordinis Magdaléna, dimíssa sunt ei peccáta multa, quia diléxit multum.

IN II. VESPERIS.

Ad Magnificat, vel pro comm. Aña. Ego dilécto meo, et ad me convérsio ejus : invéni quem díligit ánima mea, ténui eum, nec dimíttam.

Et fit commemoratio sequentis.

DIE XXVII. FEBR.

S. Dorotheæ

Virg. et Mart. Simplex.

Omnia de Comm. unius Virginis, [117] præter hic posita.

Oratio. Indulgéntiam, de Communi. [118]

In primo Nocturno, Lectiones de Script. occurr. in Quadrag. vero De Virgínibus. [120]

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv. et v. de Sermone Quóniam hódie, de Communi. [124]

Ex Adone.

Lectio vj.



Orothéa virgo, ex Cæsaréa Cappadóciæ, propter Christi confessiónem ab Aprício præside comprehénsa, Chrystæ et Callístæ soróribus, quæ a fide defécerant, trádita est, ut eam a propósito removérent. Sed contra factum est : nam eas Dorothéa ad cultum christiánæ religiónis redúxit, propter quam étiam martyrium suscepérunt. Quare virgo equúleo diu torta, et palmis cæsa, ad extrémum cápitis damnáta, duplicátam virginitátis et martyrii palmam accépit.

℟. Veni sponsa.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homilia in Evang. Símile est regnum cœlórum thesáuro, de Communi. [133]

Vesp. seq. Ps. et com. præc.

DIE XXVIII. FEBR.

S. Titi

Episcopi et Confessoris.
Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Conf. Pontif. [75] præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Titum Confessórem tuum atque Pontíficem apostólicis virtútibus decorásti; ejus méritis, et intercessióne concéde, ut juste, et pie vivéntes in hoc sæculo, ad cœléstem pátriam perveníre mereámur. Per Dóminum.

Lect. j. Noct. de Script. occurr. In Quadrag. Fidélis sermo, de Comm. [78]

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv.

Titum Creténsium Epíscopum vix Pauli Apóstoli verbo christiánæ fídei sacraméntis, mysteriísque excúltum, ea sanctitátis luce Ecclésiæ tunc vagiénti effulsísse compértum est, ut inter ejúsdem Doctóris géntium discípulos merúerit cooptári. Adscítus in partem óneris prædicatiónis, ádeo evangelizándi ardóre, et fidelitáte Paulo éxstitit carus, ut ipse cum venísset Tróadem propter Evangélium Christi testátus sit, non habuísse réquiem spirítui suo, eo quod Titum fratrem suum ibi non invénerit. Et paulo post Macedóniam petens, rursus suam in eum caritátem ita éxprimit : Sed qui consolátur húmiles, consolátus est nos Deus in advéntu Titi.

℟. Pósui adjutórium. [82]

Lectio v.

Quámobrem Corínthum ab Apóstolo missus, ea sapiéntia, et lenitáte legatiónis hujus múnere functus est, quæ præsértim de fidélium pietáte eleemósynas colligéndas ad sublevándam Ecclésiæ Hebræórum inópiam spectábat, ut Corínthios non solum in Christi fide continúerit, sed étiam desidérium, fletum, æmulatiónem inter eos pro Paulo, qui illos primus instítuit, excitáverit. Ad effundéndum ínterim inter gentes linguis, locísque distínctas divíni verbi

semen, plúribus terra maríque itinéribus reléctis, magnáque ánimi firmitáte pro crucis trophæo curis laboribúsque exantlátis, una cum duce Paulo Cretæ ínsulam áppulit. Cum porro huic Ecclésiæ Epíscopus ab ipso Apóstolo deléctus esset, dubitándum non est, quin in eo múnere ita versátus sit, ut juxta ipsíus Pauli præceptóris mónita, se ipsum præbúerit exémplum bonórum óperum in doctrína, in integritáte, in gravitáte.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

ITaque tamquam lucérna inter eos, qui in idololatríæ, et mendaciórum ténebris, véluti in umbra mortis, sedébant religiónis jubar diffúdit. Tráditur eum inter Dálmatas, ut crucis vexíllum explicáret, strénue consudásse. Tandem meritórum, et diérum plenus quarto supra nonagésimum anno prídie Nonas Januárii pretiósa justórum morte obdormívit in Dómino, et sepúltus est in Ecclésia, ubi ab Apóstolo miníster fúerat constitútus. Hujus nomen a sancto Joánne Chrysóstomo, et a sancto Hierónymo præcípue commendátum, Martyrológio Románo eádem die inscríptum légitur; verum pro ejus die festo cum Offício et Missa in cathólico Orbe recoléndo ab utróque clero, primam insequéntem diem líberam Summus Póntifex Pius Nonus assignávit.

℟. Ecce vir prudens.

In tertio Noct. Lectiones de Homilia in Evang. Designávit Dóminus, de Comm. Evangelist. [20]

In Vesp. com. sequentis.

Festa Martii.

DIE I. MARTII.
S. Albini

Episcopi et Confessoris.
Simplicissimum.

Omnia de Comm. unius Conf. Pont. [75]

Oratio. Da, quæsumus, de Communi. [76]

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

Lectio iij.

ALbínus nobílibus ortus natálibus, adoléscens relíctis paréntibus mónachus effícitur in monastério Trajecténsi, ubi tantum profécit, ut trigésimo quinto vitæ suæ anno unánimi

voto in Abbátem eléctus sit. Qui tamquam lucérna super candelábrum pósitus, vigínti quinque annis, illud monastérium summa cum laude gubernávit. Post, cum ad Andegavénsem regéndam Ecclésiam unánimi ómnium voluntáte postularétur, etsi plúrimum repúgnans, onus tamen, ne Dei voluntáti resístere viderétur, coáctus súbiit. Epíscopus factus, totum se in eleemósynam páuperum, defensiónem cívium, visitatiónem languéntium, ac redemptiónem captivórum impéndit. Miráculis étiam cláruit, in quibus júvenem defúnctum précibus suscitávit, et cæcum signo crucis illuminávit. Cum autem annos vigínti, et menses sex Episcopátum rexísset, anno ætátis suæ octuagésimo, bonis opéribus plenus, in pace quiévit.

DIE III. MARTII.

B. Jacobini de Canepaciis

Confess. Ordinis Nostri.
Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Conf. non Pont. [93] præter ea, quæ hic adnotantur.

Oratio.

Largíre nobis quæsumus Dómine, beáto Jacobíno Confessóre tuo intercedénte, oratiónis ac pœniténtiæ spíritum : ut præclára ejus exémpla sectántes glóriam assequámur ætérnam. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lectiones de Script. occurr. in Quadrag. Justus, de Communi. [94]

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv.



Jacobínus de Canepáciis paupéribus, sed ingénua morum honestáte conspícuis paréntibus, anno millésimo quadringentésimo trigésimo octávo, in vico Plaschæ, intra fines Vercellénsis diœcéseos natus est. Ab ipsa adolescéntia, pie institútus, simul deínde crevit ætáte, et virtútibus, præsértim vero pietáte in Deíparam, in cujus obséquium Religióso alícui Ordini, ei peculiáriter devóto nomen dare constítuit. At omni stúdio sátagens, ut vocatiónem suam certam fáceret, præter assíduas preces, córporis mortificatiónem, jejúnia, afflictatiónes adhíbuit. Tum demum inter

Láicos Carmelítas cooptári pétiit, et obtínuit.

℟. Desidérium. [96]

Lectio v.

In ipso tirocínio, et præsértim postquam Deo solémnia vota nuncupávit, austeritátes omnes, véluti certum sibi patrimónium, adlégit. Quátuor cujúsque hebdómadæ fériis solo pane et aqua jejunábat, ac diébus festis, et féria quinta hoc unum a pœniténtiis levámen admittébat, ut impénsius et multis continénter horis oratióni vacáret, vel ante sanctíssimum Eucharistíæ Sacraméntum, vel ad aram Vírginis Deíparæ. Moderatóris nutu ad eleemósynas corrogándas deputátus, munus hoc diutíssime exércuit, eámque exhíbuit humilitátem, pietátem, ac caritátis zelum, ut omnes ad sequénda Sanctórum vestígia suis mónitis inflammáret.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

Labóribus, sénio et infirmitátibus consúmptus Jacobínus Vercéllis apud suos, septuagésimo ætátis anno, quinto Nonas Mártii, ipso, quo natus fúerat die, lætus in ósculo Dómini obdormívit. Mortáli hac cum ætérna vita vix commutáta; sepúlcrum ejus, plúribus a Deo patrátis prodígiis, incláruit. Ara Deo, in ejúsdem honórem erígitur, et effígiem rádiis redimítam fidéles voti cómpotes, expriméndam curárunt. Cultum eídem Beáto a remotíssimis annis ad hæc usque témpora delátum, Gregórius Papa Décimus sextus ex Sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto, ratum hábuit, atque in ejus honórem Offícium, et Missam agi benígnus indúlsit.

℟. Iste sanctus.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homilia in Evang. Nemo lucérnam, de Communi. [97]

Vesp. a cap. seq. comm. præc.

DIE IV. MARTII.
B. Romæi

Conf. Ordinis Nostri.

Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Conf. non Pont. [93] præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Romæum cum fámulo tuo Avertáno peregrinán-

tem per sémitas justítiæ deduxísti; concéde, ut intercessiónis ejus auxílio muníti ad cœléstem pátriam perducámur. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente, in Quadrages. Justus si morte, de Communi. [94]

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv.

ROmæus natióne Italus, sæculi perícula pertiméscens, spretis ejus illécebris, Deo illum vocánti ad religiósæ vitæ statum páruit, et Ordini beátæ Maríæ Vírginis de Monte Carmélo nomen dedit; quo ingréssus exsultávit ut gigas ad curréndam viam, et in virtútum palæstra sese impénso stúdio exercébat. Eo témpore sanctus Avertánus Dei Spíritu actus quum sacram ad pia loca peregrinatiónem auspicarétur, Romæum pietáte præfulgéntem sibi cómitem adjúngi exoptávit, eúmque a superióribus obtínuit.

℟. Desidérium. [96]

Lectio v.

INcredíbile dictu est quam alácriter se utérque viæ commíserit. Peregrinatiónis ærúmnas, rerúmque inópiam forti, constantíque ánimo tolerárunt : perícula, immo et vitæ discrímina, ea præsértim tempestáte itinerántibus óbvia, divína ope freti, superárunt. Cœléstium rerum meditatióni inténti, Sanctorúmque gesta mente revolvéntes, ac sese æmulántes mútuo, et excitántes ad perfectióra, sanctum propósitum perficiébant.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

VIro devotiónis afféctu religiosíssima quæque loca obíbant, potíssimum vero quæ Romæ sunt Príncipum Apostolórum, ac tot Mártyrum sánguine consecráta, innumerísque aliórum Christi heróum gestis, et exúviis illústria. Domum dénique spirituálibus aucti divítiis répetunt, et Avertánus quidem mortális vitæ cursum Lucæ absólvit primus. Romæus autem orbátus cómite, veheménter cupiébat cum illo in cœlis consociári. Votis ánnuit Deus : febri corrípitur Romæus; statímque morbo ingravescénte Ecclésiæ sacraménta sancte suscépit. Mox in éxtasim

raptus mitem sibi Jesum cum Sanctis multis occurréntem vidit, in quibus Avertánum agnóvit; ac die ab ejus óbitu octávo ad súperos convolávit. Ejus exúviæ cum sócii córpore primum in templo sancti Petri majóris extra urbem cultum públicum obtinuérunt; exínde álio et álio translátas, demum in Ecclésia Sanctórum Paulíni et Donáti cum ingénti fructu fidéles venerántur. Cultum a quátuor sæculis ei perénniter delátum Gregórius Papa Décimus sextus probávit, ejúsque Offícium cleménter indúlsit.

℟. Iste sanctus.

In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium **Nemo lucérnam,** de Communi. [97]

In Vesp. com. seq.

DIE V. MARTII.
S. Casimiri
Confess. Semiduplex.

Omnia de Comm. unius Conf. non Pont. [93] præter ea, quæ hic habentur.

Oratio.

DEus, qui inter regáles delícias, et mundi illécebras, sanctum Casimírum virtúte constántiæ roborásti : quæsumus; ut ejus intercessióne fidéles tui terréna despíciant, et ad cœléstia semper adspírent. Per Dóminum.

In primo Nocturno, si venerit in Quadrag. Lect. **Justus si morte,** de Communi, [94] alias de Scriptura occurrente.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv.



CAsimírus, patre Casimíro, matre Elisabétha Austríaca, Polóniæ régibus ortus, a pueritia sub óptimis magístris, pietáte et bonis ártibus instrúctus, juveníles artus áspero domábat cilício, et assíduis extenuábat jejúniis. Régii spreta lecti mollítie, dura cubábat humo, et clam intempésta nocte, præ fóribus templórum pronus in terra divínam exorábat cleméntiam. In Christi contemplánda passióne assíduus, Missárum solémniis ádeo erécta in Deum mente solébat adésse, ut extra se rapi viderétur.

℟. Desidérium. [96]

Lectio v.

CAthólicam promovére fidem summópere stúduit, et Ruthenórum schisma abolére : qua-

própter Casimírum patrem indúxit, ut legem ferret, ne schismátici nova templa constrúerent, nec vétera collabéntia restaurárent. Erga páuperes et calamitátibus oppréssos benéficus et miséricors, patris et defensóris egenórum nomen obtínuit. Virginitátem, quem ab incunábulis servávit illæsam, sub extrémo vitæ término fórtiter asséruit, dum gravi pressus infirmitáte, mori pótius, quam castitátis jactúram ex medicórum consílio subíre, constánter decrévit.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

Consummátus in brevi, virtútibus et méritis plenus, prænuntiáto mortis die, inter sacerdótum, et religiosórum choros, spíritum Deo réddidit, anno ætátis vigésimo quinto. Corpus Vilnam delátum, multis claret miráculis. Etenim prætérquam quod puélla defúncta vitam, cæci visum, claudi gressum, et várii infírmi sanitátem ad ejus sepúlcrum recuperárunt : Lithuánis exíguo número ad potentíssimi hostis insperátam irruptiónem trepidántibus in áere appárens, insígnem tríbuit victóriam. Quibus permótus Leo Décimus eúmdem Sanctórum catálogo adscrípsit.

℟. Iste sanctus.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homilia in Evang. **Sint lumbi vestri,** de Comm. plurimorum Conf. [113]

Vesp. seq. Ps. et comm. præced.

DIE VI. MARTII.

S. Cyrilli

Confess. et Doct. Ordinis Nostri. Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Conf. non Pont. [93] exceptis, quæ hic signantur.

IN I. VESPERIS.

Ad Magnificat, Aña. **O Doctor,** de Communi Doctorum. [90]

Oratio.

Deus, qui beáto Cyríllo Doctóri Sacrum in Monte Carméli faciénti, Angélico adspéctu futúri sæculi statum reveládsti; tríbue nobis, ejus imitatióne, terréna despícere, et ad ætérna júgiter adspiráre. Per Dóminum.

In primo *Nocturno,* Lect. de libro Sapientiæ. **Justus si morte,** de Communi. [94]

IN SECUNDO NOCTURNO.

Ex gestis ejus, et Trith.

Lectio iv.

Yríllus Carmelíta Constantinópoli nobílibus paréntibus ortus, cum ab infántia Joánnis Baptístæ, et Samuélis exémplo Deo se dicásset, in clericálem póstea milítiam adscríptus, ad Presbyterátus órdinem est evéctus. Quo in órdine sic ad ómnia génera doctrinárum capessénda se trádidit, ut insígnis ab ómnibus haberétur. Fuit in docéndo ubérrimus : in disputándo acérrimus : in prædicándo ardentíssimus. Audiens autem Icónii sultánum Christiánæ religiónis libros optáre, Icónium proféctus est, sacros códices addúxit, et tanta cópia sultánum aggréditur, ut eum brevi témporis spátio catechúmenum fécerit : quem rite institútum in solemnitáte Pascháli sacro Baptísmi lavácro regenerávit.

℟. Desidérium. [96]

Lectio v.

Cum autem inter Patriárcham Constantinopolitánum, et beátum Cyríllum disséntio de Spíritus sancti processióne orta esset, nimírum illo asserénte a Patre solum, Cyríllo vero constánter affirmánte a Patre et Fílio Spíritum sanctum procédere : volens a Græcórum erróribus abésse, in somnis admónitus a beáta Vírgine, ómnia sua paupéribus elargítus, Syriam versus navigávit, ad montémque Carmélum pervénit : ubi sumpto Dei Genitrícis hábitu, jejúniis, oratiónibus et caritátis offíciis Deo gratíssimus efféctus, divínis étiam revelatiónibus dignátus est.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Quare cum aliquándo sanctus Cyríllus in commemoratióne beáti Hilariónis Missæ sacrifícium fáceret, Angelus virgíneo adspéctu duas tábulas argénteas lítteris Græcis inscríptas illi áfferens, dixit : Has tábulas tibi omnípotens Deus misit familiári servo suo, et præcóni fidéli : ut scriptúram hanc membránis comméndes, et confláto tabellárum argénto cálicem, et thuríbulum ad sacrificándum Dómino effícias. Continébat autem scriptúra úndecim cápita, quibus gravis persecútio

Ecclésiæ denuntiabátur. Quæ vir sanctus perfíciens, illa mystéria perfécte est assecútus. Beátus ígitur Cyríllus bonis opéribus refértus cum Ordinem suum áliquot annos summa cum laude rexísset, in Terra sancta migrávit ad Dóminum, cum eo perpétuo regnatúrus in terra vivéntium. Cláruit Philíppo et Othóne Imperatóribus, circa annum Dómini millésimum ducentésimum.

℟. Iste sanctus.

In tertio Noct. Lect. de Homil. in Evang. Vos estis sal terræ, de Comm. Doctorum. [91]

Vesp. a cap. seq.

DIE VII. MARTII.

S. Thomæ Aquinatis Conf. et Doct. Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Conf. non Pont. [93] exceptis quæ hic signantur.

IN I. VESPERIS.

Ad Magnif. Aña. O Doctor, de Comm. Doct. [90]

Oratio.

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Thomæ Confessóris tui mira eruditióne claríficas, et sancta operatióne fecúndas : da nobis, quæsumus, et quæ dócuit, intelléctu conspícere; et quæ egit, imitatióne complére. Per Dóminum.

Fit comm. præc. Aña. Iste est, de Comm. Doct. [92] ℣. Justum dedúxit. Deinde commemor. SS. Perpetuæ et Felicitatis, Aña. Istárum est enim regnum cœlórum, quæ contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad præmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Glória et honóre coronásti eas Dómine. ℟. Et constituísti eas super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

Da nobis, quæsumus Dómine, sanctárum Mártyrum tuárum Perpétuæ et Felicitátis palmas incessábili devotióne venerári : ut, quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lectiones Sapiéntiam, de Communi Doct. [90]

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv.

Præclárum Christiáni orbis decus et Ecclésiæ lumen, beatíssimus vir Thomas, Landúlpho Cómite

Aquináte et Theodóra Neapolitána, nobílibus paréntibus natus, futúræ in Deíparam devotiónis affé&ctum adhuc infántulus osténdit. Nam chártulam ab eo invéntam, in qua salutátio Angélica scripta erat, frustra adniténte nutríce, compréssa manu válide retínuit, et a matre per vim abréptam, plorátu et gestu repétiit, ac mox rédditam deglutívit. Quintum annum agens, mónachis sancti Benedícti Cassinátibus custodiéndus tráditur. Inde Neápolim studiórum causa missus, jam adoléscens Fratrum Prædicatórum Ordinem suscépit. Sed matre ac frátribus id indígne feréntibus, Lutétiam Parisiórum míttitur. Quem fratres, in itínere per vim raptum, in arcem castri sancti Joánnis perdúcunt : ubi várie exagitátus, ut sanctum propósitum mutáret, mulíerem étiam, quæ ad labefactándam ejus constántiam introdúcta fúerat, titióne fugávit. Mox beátus júvenis, flexis génibus ante signum crucis orans, ibíque somno corréptus, per quiétem sentíre visus est sibi ab Angelis constríngi lumbos : quo ex témpore omni póstea libídinis sensu cáruit. Soróribus, quæ, ut eum a pio consílio removérent, in castrum vénerant, persuásit, ut contémptis curis sæculáribus, ad exercitatiónem cœléstis vitæ se conférrent.

℟. Desidérium. [96]

Lectio v.

Emíssus e castro per fenéstram, Neápolim redúcitur : unde Romam, póstea Parísium a fratre Joánne Theutónico, Ordinis Prædicatórum Generáli Magístro, ductus, Albérto Magno doctóre, philosophíæ ac theologíæ óperam dedit. Vigínti quinque annos natus, magíster est appellátus, publicéque philósophos ac theólogos summa cum laude est interpretátus. Nunquam se lectióni aut scriptióni dedit, nisi post oratiónem. In difficultátibus locórum sacræ Scriptúræ, ad oratiónem jejúnium adhibébat. Quin étiam sodáli suo fratri Regináldo dícere solébat, quidquid sciret non tam stúdio aut labóre suo peperísse, quam divínitus tráditum accepísse. Neápoli cum ad imáginem crucifíxi veheméntius oráret,

hanc vocem audívit : Bene scripsísti de me, Thoma : quam ergo mercédem accípies? Cui ille : Non áliam, Dómine, nisi teípsum. Collatiónes Patrum assídue pervolutábat; et nullum fuit scriptórum genus in quo non esset diligentíssime versátus. Scripta ejus et multitúdine, et varietáte, et facilitáte explicándi res diffíciles ádeo excéllunt, ut ubérrima atque incorrúpta illíus doctrína, cum revelátis veritátibus mire conséntiens, aptíssima sit ad ómnium témporum erróres pervincéndos.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

A summo Pontífice Urbáno Quarto Romam vocátus, ejus jussu ecclesiásticum lucubrávit offícium in Córporis Christi solemnitáte celebrándum; oblátos vero honóres, et Neapolitánum Archiepiscopátum, étiam deferénte Cleménte Quarto, recusávit. A prædicatióne divíni verbi non desistébat; quod cum fáceret per octávam Paschæ in Basílica sancti Petri, mulíerem, quæ ejus fímbriam tetígerat, a fluxu sánguinis liberávit. Missus a beáto Gregório Décimo ad Concílium Lugdunénse, in monastério Fossæ Novæ in morbum íncidit, ubi ægrótus Cántica Canticórum explanávit. Ibídem óbiit quinquagenárius, anno salútis millésimo ducentésimo septuagésimo quarto, Nonis Mártii. Miráculis étiam mórtuus cláruit; quibus probátis, a Joánne Vigésimo secúndo in Sanctórum númerum relátus est, anno millésimo tercentésimo vigésimo tértio; transláto póstea ejus córpore Tolósam, ex mandáto beáti Urbáni Quinti. Cum sanctis angélicis spirítibus non minus innocéntia quam ingénio comparátus, doctóris Angélici nomen jure est adéptus, eídem auctoritáte sancti Pii Quinti confirmátum. Leo autem Décimus tértius, libentíssime excípiens postulatiónes et vota ómnium pene Sacrórum Antístitum Orbis Cathólici, ad tot præcípue philosophicórum systématum a veritáte aberrántium luem propulsándam, ad increménta scientiárum, et commúnem humáni géneris utilitátem, eum, ex Sacrórum Rítuum Con-

gregatiónis consúlto, per Apostólicas lítteras cœléstem Patrónum Scholárum ómnium Catholicárum declarávit et instítuit.

℟. Iste sanctus.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homilia in Evangel. Vos estis sal terræ, de Communi Doctorum. [91]

Ad Laudes pro comm. SS. Perpetuæ et Felicitatis, Aña. Istárum est.

℣. Glória.

Oratio. Da nobis, ut supra ad Vesp.

Vesp. a cap. seq. comm. præc. Aña. Iste est, de Comm. Doct. [92]

DIE VIII. MARTII.

S. Joannis de Deo

Conf. Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Conf. non Pont. [93] exceptis, quæ hic signantur.

Oratio.

Deus, qui beátum Joánnem, tuo amóre succénsum, inter flammas innóxium incédere fecísti, et per eum Ecclésiam tuam nova prole fecundásti; præsta, ipsíus suffragántibus méritis, ut igne caritátis tuæ vítia nostra curéntur, et remédia nobis ætérna provéniant. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lectiones Justus si morte, de Communi: extra Quadrages. vero de Script. occurr.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv.



JOánnes de Deo ex cathólicis piísque paréntibus in óppido Montis Majóris, junióris regni Lusitániæ natus, quam sublímiter in sortem Dómini fúerit eléctus, insuétus splendor super ejus domo refúlgens, sonitúsque æris campáni sua sponte emíssus, ab ipso ejus nativitátis témpore non obscúre prænuntiárunt. A laxióri vivéndi ratióne, divína operánte virtúte, revocátus, magnæ sanctitátis exhibére spécimen cœpit, et ob audítam prædicatiónem verbi Dei sic ad melióra se excitátum sensit, ut jam ab ipso sanctióris vitæ rudiménto consummátum áliquid, perfectúmque visus sit attigísse. Bonis ómnibus in páuperes carcéribus inclúsos erogátis, admirábilis pœniténtiæ, suíque ipsíus contémptus cuncto pópulo spectáculum factus, a plerísque, ceu demens, gráviter afflíctus, in cárcerem

améntibus destinátum conjícitur. At Joánnes cœlésti caritáte magis incénsus, gémino atque amplo valetudinário ex piórum eleemósynis in civitáte Granaténsi exstrúcto, jactóque novi Ordinis fundaménto, Ecclésiam nova prole fecundávit Fratrum Hospitalitátis, infírmis præcláro animárum corporúmque proféctu inserviéntium, et longe latéque per orbem diffusórum.

℟. Desidérium. [96]

Lectio v.

Pauperibus ægrótis, quos própriis quandóque húmeris domum deferébat, nulla re ad ánimæ corporísque salútem profícua déerat. Effúsa quoque extra nosocomíum caritáte indigéntibus muliéribus, víduis, et præcípue virgínibus periclitántibus clam aliménta subministrábat, curámque indeféssam adhibébat, ut carnis concupiscéntiam a próximis hujúsmodi vítio inquinátis exterminaret. Cum autem máximum in régio Granaténsi valetudinário excitátum fuísset incéndium, Joánnes impávidus prosíliit in ignem: huc illuc discúrrens, quoúsque tum infírmos húmeris exportátos, tum léctulos e fenéstris projéctos ab igne vindicávit, ac per dimídiam horam inter flammas, jam in imménsum succrescéntes, versátus, exínde divínitus incólumis, univérsis cívibus admirántibus exívit; in schola caritátis édocens, segniórem in eum fuísse ignem, qui foris ússerat, quam qui intus accénderat.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Multíplici asperitátum génere, demissíssima obediéntia, extréma paupertáte, orándi stúdio, rerum divinárum contemplatióne, ac in beátam Vírginem pietáte mirífice excélluit, et lacrymárum dono eníituit. Dénique gravi morbo corréptus, ómnibus Ecclésiæ Sacraméntis rite sanctéque reféctus, víribus licet destitútus, própriis indútus véstibus e léctulo surgens, ac provolútus in génua, manu et corde Christum Dóminum e cruce pendéntem perstríngens, octávo Idus Mártii anno millésimo quingentésimo quinquagésimo óbiit in ósculo Dómini: quem étiam mórtuus té-

nuit, nec dimísit, et in eádem córporis constitutióne sex círciter horas, quoúsque inde dimótus fuísset, tota civitáte inspectánte, mirabíliter permánsit, odórem mire fragrántem diffúndens. Quem ante et post óbitum plúrimis miráculis clarum Alexánder Octávus Póntifex Máximus in Sanctórum númerum rétulit.

℞. Iste sanctus.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 22.

IN illo témpore : Pharisæi audiéntes, quod Jesus siléntium imposuísset Sadducæis, convenérunt in unum : et interrogávit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum : Magíster, quod est mandátum magnum in lege? Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia 72. in Matth.

SAdducæis confúsis, Pharisæi rursus aggrediúntur : cumque quiéscere oportéret, decertáre voluérunt : et legis perítiam profiténtem præmíttunt, non díscere, sed tentáre cupiéntes : ac ita intérrogant, Quodnam primum mandátum in lege sit. Nam cum primum illud sit, Díliges Dóminum Deum tuum : putántes causas sibi allatúrum ad mandátum hoc corrigéndum, áliquid addéndo, quóniam Deum se faciébat, hoc modo intérrogant : Quid ígitur Christus? Ut osténdat idcírco ad hæc eos deveníssse, quia nulla in eis esset cáritas, sed invídiæ livóre tabéscerent : Díliges, inquit, Dóminum Deum tuum : hoc primum et magnum mandátum est. Secúndum autem símile huic : Díliges próximum tuum sicut teípsum.

℞. Magnificávit. [97]

Lectio viij.

QUámobrem símile est huic? quóniam hoc illud indúcit, et ab illo rursus munítur. Quicúmque enim male agit, ódio habet lucem, et non venit ad lucem. Et rursus : Dixit insípiens in corde suo : Non est Deus. Deínde séquitur : Corrúpti sunt, et abominábiles facti sunt in stúdiis suis. Et íterum : Radix ómnium malórum avarítia est : quam quidam appeténtes erravérunt a fide. Et, Qui díli-

git me, mandáta mea servábit : quorum caput et radix est, Díliges Dóminum Deum tuum, et próximum tuum sicut teípsum. ℟. Vir Israelíta.

Lectio ix.

Si ergo dilígere Deum, dilígere próximum est (nam si díligis me, o Petre, inquit, pasce oves meas) si étiam diléctio próximi facit, ut mandáta custódias : mérito ait in his totam legem et Prophétas pendére. Et quemádmodum in superióribus, cum de resurrectióne interrogarétur, plus dócuit, quam tentántes petébant : sic in hoc loco de primo interrogátus mandáto, secúndum étiam, non valde quam primum inférius, sponte áttulit : secúndum enim est primo símile. Ita occúlte insinuávit, ódio illos ad quæréndum incitári. Cáritas enim, inquit, non æmulátur.

℟. Sancte Joánnes.

Vesp. a capit. seq. com. præc.

DIE IX. MARTII.

S. Franciscæ Viduæ Romanæ. Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Matronæ [134] præter hic signata.

Oratio.

Deus, qui beátam Francíscam fámulam tuam, inter cétera grátiæ tuæ dona, familiári Angeli consuetúdine decorásti : concéde quæsumus ; ut intercessiónis ejus auxílio Angelórum consórtium cónsequi mereámur. Per Dóminum.

In j. Noct. Lect. Mulíerem fortem, de Communi. [135]

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv.

Francísca nóbilis matróna Romána, ab ineúnte ætáte illústria dedit virtútum exémpla : étenim pueríles ludos et illécebras mundi réspuens, solitúdine et oratióne magnópere delectabátur. Undecim annos nata, virginitátem suam Deo consecráre, et monastérium íngredi propósuit : paréntum tamen voluntáti humíliter obtémperans, Lauréntio de Pontiánis júveni æque díviti ac nóbili nupsit. In matrimónio arctióris vitæ propósitum, quantum lícuit, semper retínuit : a spectáculis, convíviis, aliísque hujúsmodi oblectaméntis abhórrens, lánea ac vulgári veste

utens, et quidquid a doméstricis curis supérerat témporis, oratióni aut proximórum utilitáti tríbuens; in id vero máxima sollicitúdine incúmbens, ut matrónas Románas a pompis sæculi, et ornátus vanitáte revocáret. Quaprópter domum Oblatárum, sub régula sancti Benedícti, Congregatiónis montis Olivéti, adhuc viro alligáta, in Urbe instítuit. Viri exsílium, bonórum jactúram, ac univérsæ domus mœrórem, non modo constantíssime tolerávit, sed grátias agens cum beáto Job, illud frequénter usurpábat: Dóminus dedit, Dóminus ábstulit: Sit nomen Dómini benedíctum.

℟. Audi fília. [137]

Lectio v.

Viro defúncto, ad prædíctam Oblatárum domum cónvolans, nudis pédibus, fune ad collum alligáto, humi prostráta, multis cum lácrymis eárum número adscríbi suppliciter postulávit. Voti compos facta, licet esset ómnium mater, non álio tamen, quam ancíllæ, vilissimæque féminæ, et immundítiæ vásculi título gloriabátur. Quam vilem sui existimatiónem et verbo declarávit, et exémplo; sæpe enim e suburbána vínea revértens, et lignórum fascem próprio cápiti impósitum déferens, vel eísdem onústum agens per Urbem aséllum, paupéribus subveniébat: in quos étiam largas eleemósynas erogábat, ægrotantésque in xenodochíis vísitans, non corporáli tantum cibo, sed et salutáribus mónitis recreábat. Corpus suum vigíliis, jejúniis, cilício, férreo cíngulo, crebrísque flagéllis in servitútem redígere júgiter satagébat. Cibum illi semel in die herbæ et legúmina, aqua potum præbuit. Hos tamen córporis cruciátus aliquándo confessárii mandáto, a cujus ore, nutúque pendébat, módice temperávit.

℟. Spécie tua.

Lectio vj.

Divína mystéria, præsértim vero Christi Dómini passiónem, tanto mentis ardóre, tantáque lacrymárum vi contemplabátur; ut præ dolóris magnitúdine pene cónfici viderétur. Sæpe étiam cum oráret, máxime sumpto sanctíssimæ Eucharistíæ Sacraménto, spíritu

in Deum eleváta, ac cœléstium contemplatióne rapta, immóbilis permanébat. Quaprópter humáni géneris hostis váriis eam contuméliis ac verbéribus a propósito dimovére conabátur, quem tamen illa impertérrita semper elúsit, Angeli præsértim præsídio, cujus familiári consuetúdine gloriósum de eo triúmphum reportávit. Grátia curatiónum, et prophetíæ dono enítuit, quo et futúra prædíxit, et córdium secréta penetrávit. Non semel aquæ, vel per rivum decurréntes, vel e cœlo labéntes, intáctam prorsus, dum Deo vacáret, reliquérunt. Módica panis fragménta, quæ vix tribus soróribus reficiéndis fuíssent satis, sic ejus précibus Dóminus multiplicávit, ut quíndecim inde exsaturátis, tantum superfúerit, ut caníst rum impléverit : et aliquándo earúmdem sorórum extra Urbem mense Januário ligna parántium sitim, recéntis uvæ racémis ex vite in árbore pendéntibus mirabíliter obténtis, abúnde expléverit. Dénique méritis, et miráculis clara, migrávit ad Dóminum anno ætátis suæ quinquagésimo sexto, quam Paulus Quintus Póntifex Máximus in Sanctórum númerum rétulit.

℞. In sanctitáte.

In iij. Noct. Homil. in Evang. **Loquénte Jesu,** de Communi. [138]

In Vesp. fit comm. seq.

DIE X. MARTII.

SS. Quadraginta Martyrum. Semidupl.

Omnia de Comm. plurimor. Martyr. [56] præter ea quæ hic signantur.

Oratio.

PRæsta, quæsumus omnípotens Deus; ut qui gloriósos Mártyres fortes in sua confessióne cognóvimus, pios apud te in nostra intercessióne sentiámus. Per Dóminum.

In j. Noct. Lect. **Justórum,** de Communi. [60]

IN SECUNDO NOCTURNO.

Ex S. Basil. Hom. 20.

Lectio iv.

IMperatóre Licínio et Agricoláo præside, ad Sebásten Arméniæ urbem quadragínta mílitum fides in Jesum Christum, et fortitúdo in cruciátibus perferéndis enítuit. Qui sæpius in horríbilem cárcerem detrúsi, vinculísque con-

stricti, cum ora ipsórum lapídibus contúsa fuíssent, híemis témpore frigidíssimo nudi sub apérto áere supra stagnum rigens pernoctáre jussi sunt, ut frígore congeláti necaréntur. Una autem erat ómnium orátio : Quadragínta in stádium ingréssi sumus, quadragínta item, Dómine, coróna donémur : ne una quidem huic número desit. Est in honóre hic númerus, quem tu quadragínta diérum jejúnio decorásti, per quem divína lex ingréssa est in orbem terrárum. Elías quadragínta diérum jejúnio Deum quærens, ejus visiónem consecútus est. Et hæc quidem illórum erat orátio.

℟. Sancti tui. [63]

Lectio v.

CEteris autem custódibus somno déditis, solus vigilábat jánitor, qui et illos orántes, et luce circumfúsos, et quosdam e cœlo descendéntes Angelos tamquam a rege missos, qui corónas trigínta novem milítibus distribúerent, íntuens, ita secum loquebátur : Quadragínta hi sunt, quadragésimi coróna ubi est? Quæ dum cogitáret, unus ex illo número, cui ánimus ad frigus feréndum defécerat, in próximum tepefáctum bálneum desíliens, Sanctos illos summo dolóre affécit. Verum Deus illórum preces írritas esse non est passus : nam rei evéntum admirátus jánitor, mox custódibus e somno excitátis, detractísque sibi véstibus, ac se Christiánum esse clara voce proféssus, Martyribus se adjúnxit. Cum vero præsidis satéllites janitórem quoque Christiánum esse cognovíssent, bacíllis comminúta ómnium eórum crura fregérunt.

℟. Vérbera carníficum.

Lectio vj.

IN eo supplício mórtui sunt omnes præter Melithónem natu mínimum. Quem cum præsens mater ejus, fractis crúribus adhuc vivéntem vidísset, sic cohortáta est : Fili paulísper sústine : ecce Christus ad jánuam stat ádjuvans te. Cum vero reliquórum córpora plaustris impóni cérneret, ut in rogum inferréntur, ac fílium suum relínqui, quod speráret ímpia turba púe-

rum, si vixísset, ad idolórum cultum revocári posse; ipso in húmeros sublàto, sancta mater vehícula Mártyrum corpóribus onústa strénue prosequebátur : in cujus ampléxu Mélithon spíritum Deo réddidit : ejúsque corpus in eúmdem illum ceterórum Mártyrum rogum pia mater injécit : ut qui fide et virtúte conjunctíssimi fúerant, fúneris étiam societáte copuláti, una in cœlum perveníरent. Combústis illis, eórum relíquiæ projéctæ in profluéntem, cum mirabíliter in unum confluxíssent locum, salvæ et íntegræ repértæ, honorífico sepúlcro cónditæ sunt.

℟. O constántia.

In iij. Noct. Lect. de Hom. in Evang. Descéndens Jesus de monte, de Communi. [67]

DIE XII. MARTII.

S. Gregorii

Papæ Conf. et Doctoris. Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Conf. Pont. [75] exceptis, quæ hic signantur.

IN I. VESPERIS.

Ad Magnificat, Aña. O Doctor, de Communi Doctorum. [90]

Oratio.

Deus, qui ánimæ fámuli tui Gregórii ætérnæ beatitúdinis præmia contulísti : concéde propítius; ut, qui peccatórum nostrórum póndere prémimur, ejus apud te précibus sublevémur. Per Dóminum.

In j. Noct. Lect. Sapiéntiam, de Comm. Doctorum. [90]

IN SECUNDO NOCTURNO.

Ex Joan. Diac. et Pasch.

Lectio iv.



Gregórius Magnus, Románus, Gordiáni senatóris fílius, adoléscens philosophíæ óperam dedit : et prætório offício functus, patre mórtuo, sex monastéria in Sicília ædificávit, Romæ séptimum sancti Andréæ nómine in suis ædibus prope Basílicam sanctórum Joánnis et Pauli, ad clivum Scauri : ubi Hilarióne ac Maximiáno magístris mónachi vitam proféssus, póstea Abbas fuit. Mox Diáconus Cardinális creátus, Constantinópolim a Pelágio Pontífice ad Tibérium Constantínum Imperatórem legátus míttitur, apud quem memorábile étiam

illud effécit, quod Eutychium Patriárcham, qui scrípserat contra veram ac tractábilem córporum resurrectiónem, ita convícit, ut ejus librum Imperátor in ignem injíceret. Quare Eutychius paulo post, cum in morbum incidísset, instánte morte, pellem manus suæ tenébat multis præséntibus, dicens : Confíteor, quia omnes in hac carne resurgémus.

℞. Pósui adjutórium. [82]

Lectio v.

Romam rédiens, Pelágio pestiléntia subláto, summo ómnium consénsu Póntifex elígitur : quem honórem ne accíperet, quámdiu pótuit, recusávit. Nam aliéno vestítu in spelúnca delítuit : ubi deprehénsus indício ígneæ colúmnæ, ad sanctum Petrum consecrátur. In Pontificátu multa successóribus doctrínæ, ac sanctitátis exémpla relíquit. Peregrínos quotídie ad mensam adhibébat : in quibus et Angelum, et Dóminum Angelórum peregríni fácie accépit. Páuperes et urbános et extérnos, quorum númerum descríptum habébat, benígne sustentábat. Cathólicam fidem multis locis labefactátam restítuit. Nam Donatístas in Africa, Ariános in Hispánia représsit, Agnoítas Alexandría ejécit. Pállium Syágrio Augustodunénsi Epíscopo dare nóluit, nisi neóphytos hæréticos expélleret ex Gállia. Gothos hæresim Ariánam relínquere coégit. Missis in Británniam doctis et sanctis viris Augustíno et áliis mónachis, ínsulam ad Jesu Christi fidem convértit, vere a Beda Presbytero Angliæ vocátus Apóstolus. Joánnis Patriárchæ Constantinopolitáni audáciam fregit, qui sibi universális Ecclésiæ Epíscopi nomen arrogábat. Maurítium Imperatórem, eos qui mílites fuíssent, mónachos fíeri prohibéntem, a senténtia detérruit.

℞. Amávit eum.

Lectio vj.

Ecclésiam ornávit sanctíssimis institútis et légibus. Apud sanctum Petrum coácta Synodo multa constítuit ; in iis : Ut in Missa Kyrie eléison nóvies repeterétur : Ut extra id tempus,

quod continétur Septuagésima et Pascha, Allelúia dicerétur : Ut adderétur in Cánone, Diésque nostros in tua pace dispónas. Litanías, Statiónes, et Ecclesiásticum Offícium auxit. Quátuor Concíliis, Nicæno, Constantinopolitáno, Ephesíno, Chalcedonénsi, tamquam quátuor Evangéliis honórem habéri vóluit. Epíscopis Sicíliæ, qui ex antíqua Ecclesiárum consuetúdine Romam síngulis triénniis conveniébant, quinto quoque anno semel veníre indúlsit. Multos libros confécit : quos cum dictáret, testátus est Petrus Diáconus, se Spíritum sanctum colúmbæ spécie in ejus cápite sæpe vidísse. Admirabília sunt, quæ dixit, fecit, scripsit, decrévit, præsértim infírma semper et ægra valetúdine. Qui dénique multis éditis miráculis, Pontificátus anno décimo tértio, mense sexto, die décimo, quarto Idus Mártii, (qui dies festus a Græcis étiam propter insígnem hujus Pontíficis sapiéntiam ac sanctitátem præcípuo honóre celebrátur) ad cœléstem beatitúdinem evocátus est. Cujus corpus sepúltum est in Basílica sancti Petri prope Secretárium.

℟. Ecce vir prudens.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 5.

IN illo témpore : Docébat Jesus discípulos suos, dicens : Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Ex Homil. 17. in Luc. 10.



Considerándum nobis est, fratres caríssimi, ut qui una eadémque exhortatiónis voce non súfficit simul cunctos admonére, stúdeat síngulos in quantum valet, instrúere, privátis locutiónibus ædificáre. Debémus namque pensáre contínuo, quod sanctis Apóstolis dícitur, et per Apóstolos nobis : Vos estis sal terræ. Si ergo sal sumus, condíre mentes fidélium debémus. Vos ígitur, qui pastóres estis, pensáte quia Dei animália páscitis : de quibus profécto animálibus Deo per Psalmístam dícitur : Animália tua habitábunt in

ea. Et sæpe vidémus, quod petra salis brutis animálibus antepónitur, ut ex eádem salis petra lámbere débeant, et melioràri. Quasi ergo inter bruta animália petra salis, debet esse sacérdos in pópulis. Curáre namque sacerdótem necésse est, quæ síngulis dicat, unumquémque quáliter admóneat : ut quisquis sacerdóti júngitur, quasi ex salis tactu ætérnæ vitæ sapóre condiátur.

℟. Magnificávit. [85]

Lectio viij.

Sal étenim terræ non sumus, si corda audiéntium non condímus : quod profécto condiméntum ille veráciter próximo impéndit, qui prædicatiónis verbum non súbtrahit. Sed tunc vere áliis recta prædicámus, si dicta rebus et exémplis osténdimus. Nullum puto, fratres caríssimi, ab áliis majus præjudícium, quam a sacerdótibus tólerat Deus : quando eos, quos ad aliórum correctiónem pósuit, dare de se exémpla pravitátis cernit : quando ipsi peccámus, qui compéscere peccáta debúimus : nulla animárum lucra quærimus, ad nostra quotídie stúdia vacámus, terréna concupíscimus, humánam glóriam inténta mente captámus. Et quia eo ipso, quo céteris præláti sumus, ad agénda quælibet majórem licéntiam habémus, suscéptæ benedictiónis ministérium vértimus ad ambitiónis arguméntum : Dei causam relínquimus, ad terréna negótia vacámus : locum sanctitátis accípimus, et terrénis áctibus implicámur.

℟. Vir Israelíta.

Vesp. a cap. seq. comm. præced. Aña. Iste est. [92]

DIE XIII. MARTII.

S. Euphrasiæ

Virginis Ordinis Nostri.

Duplex minus.

Omnia de Comm. unius Virginis [117] præter ea, quæ hic ponuntur.

Oratio.

Deus, qui Ecclésiam tuam nova semper prole fecúndas, propitiáre supplícibus tuis : ut sicut beátam Euphrásiam Vírginem virtútibus et miráculis decorásti, ita ejus intercessióne a vitiórum ténebris eruámur. Per Dóminum.

In j. Noct. Lect. De Virgínibus, ut in Comm. [120]

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio iv.

EUphrásia virgo, témpore Theodósii senióris, patre Antígono, matre Euphrásia, pari nobilitáte claris, ut qui Imperatórem ipsum sánguine attíngerent, nata est : qui tamen plus pietáti, quam natálibus tribuéntes, in caritátis opéribus exercéndis júgiter occupabántur, ádeo ut paupéribus necessária subministráre, peregrínos excípere, afflíctis cómpati, religiósas domos invísere, amplissimísque donis ditáre, oratiónibus vacáre, quotidiánum pene illis exercítium esset. Cum autem, Deo ipso votis eórum respondénte, fíliam procreássent, quo mens eórum libérius Deo et próximo vacáre posset, consénsu mútuo continéntiæ perpétuæ votum emisérunt, in eóque statu ánimis quidem conjúncti, corpóribus separáti, sub eódem tecto annum unum exegérunt. Quo transácto, cum Antígonus piis opéribus plenus ex hac luce ad ætérnam translátus fuísset, Euphrásia vídua, licet a multis propter præcláras córporis, animíque dotes sollicitáta, nunquam tamen de senténtia continéntiæ, quam Deo vóverat, conservándæ dimovéri pótuit; sed tutiórem viam éligens, sicut carnis voluptátibus jam fécerat, sic et mundo núntium míttere decrévit.

℟. Pulchra fácie. [124]

Lectio v.

IN interiórem ítaque Thebáidem proſécta una cum fília vírgine, ibi réliquum vitæ vicínis monastériis, ex facultátibus, quæ plúrimæ ei suppetébant, necessária júgiter éxhibens consúmpsit. Dum autem piis illis opéribus sério incúmbit, ecce Deo providénte contíngit, illam ad perámplum quoddam vírginum monastérium cum dilécto sibi pígnore deférri, in quo sub Abbatíssa una plusquam centum et trigínta moniáles degébant, severióris disciplínæ observantíssimæ. Cilícium enim illis quotidiána vestis erat : jejúniis vero ita addíctæ erant, ut eárum plures bíduum, áliæ étiam tríduum a cibo abstinérent, réliquæ non nisi vésperi cibum súmerent. Oléribus tantum, ac legumínibus

vescéntes, vinum, óleum, uvas, ficus, aut étiam poma vel contigísse piaculáre erat. Ibi ergo aliquántum témporis demoráta, dum profectiónem parat, desidérium infántulæ Euphrásiæ incéssit ibídem remanéndi, ac inter vírginum illárum choros Deo serviéndi. Quod cum Abbatíssæ revelásset, illa e contrário jugum obediéntiæ, paupertátis incómmoda, disciplínæ monásticæ rigórem ob óculos ponit, quo eam detérreat. Instat nihilóminus infans, Christi opem, quem sibi sponsum delígere cupiébat, non defutúram ásserens.

℟. Spécie tua.


Lectio vj.

Mater intérea accersítur, quæ blandis sermónibus fíliam apud se retinére plúrimum sátagit. Cumque nec sic flecterétur virgo, mirabúnda illa ad Domínicam convérsa imáginem, flébili voce, mánibus in cœlum elevátis, in hæc verba prorúpit : Dómine Jesu Christe, hujus infántulæ curam habéto, quia te concupívit, seque tibi commendávit. Et statim pro fília apud Abbatíssam egit, ut religiónis hábitu induerétur. Quod et factum est : in eóque monastério a séptimo usque ad trigésimum ætátis annum pia virgo, de virtúte in virtútem in dies progrédiens, permánsit. Patiéntia namque, et humilitáte máxime enítuit, cum quæ vilióra in monastério offícia essent non abhorréret, imo cum tanta alacritáte exsequerétur, ut ómnibus admiratióni esset. Obediéntiæ vero in tantum addícta erat, ut cum aliquándo Abbatíssa, quo eam probáret, prægrándes lápides ab uno loco in álium, rursúmque ab eódem loco ad priórem suis húmeris deférre jussísset, ipsa nequáquam óperis difficultátem, aut córporis debilitátem causáta, incunctánter ómnia, et fidéliter adimpléverit. Jejúnia vero ádeo cóluit : ut non bíduum, aut hebdómadam tantum, sed et dies quadragínta sine cibo et potu transégerit. Quod ægre ferens hostis humáni géneris, váriis tentatiónibus sæpíssime vírginem aggréssus est, quas tamen illa jejúnio et oratióne fórtiter superávit; ex quo

magis ac magis excandéscens, apértas vitæ ejus insídias parávit, illam modo in púteum, modo in fervéntem ollam præcípitans; unde nihilóminus illæsa semper Dei virtúte evásit. Tantis ígitur méritis cumuláta, cœlésti eam vocánte sponso, migrávit in cœlum.

℟. Induit me.

In iij. Noct. Hom. in Evang. Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus. [127]





Commune Sanctorum.

IN VIGIL. APOSTOL.

Officium fit de Feria, ut in Psalterio, exceptis, quæ hic sunt propria : et fiunt genuflexiones, et dicuntur Preces Feriales, usque ad Sextam inclusive.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio j. Cap. 15.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Ego sum vitis vera : et Pater meus agrícola est. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi. Tr. 80. in Joan.

ISte locus Evangélicus, fratres, ubi se dicit Dóminus vitem, et discípulos suos pálmites : secúndum hoc dicit, quod est caput Ecclésiæ, nosque membra ejus; mediátor Dei, et hóminum homo Christus Jesus. Uníus quippe natúræ sunt vitis, et pálmites. Propter quod cum esset Deus, cujus natúræ non sumus, factus est homo, ut in illo esset vitis humána natúra, cujus et nos hómines pálmites esse possémus.

Responsoria de Psalterio.

Lectio ij.

QUid ergo est : Ego sum vitis vera? Numquid ut ádderet vera, hoc ad eam vitem rétulit, unde ista similitúdo transláta est? Sic enim dícitur vitis per similitúdinem, non per proprietátem : quemádmodum dícitur ovis, agnus, leo, petra, lapis anguláris, et cétera hujúsmodi, quæ magis ipsa sunt vera, ex quibus ducúntur istæ simi-

litúdines, non proprietátes. Sed cum dicit : Ego sum vitis vera; ab illa se útique discérnit, cui dícitur : Quómodo convérsa es in amaritúdinem vitis aliéna? nam quo pacto est vitis vera, quæ exspectáta est ut fáceret uvam, fecit autem spinas?

Lectio iij.

Ego sum (inquit) vitis vera, et Pater meus agrícola est. Numquid unum sunt agrícola, et vitis? Secúndum hoc ergo vitis Christus, secúndum quod ait : Pater major me est. Secúndum autem id quod ait : Ego et Pater unum sumus; et ipse agrícola est : nec talis, quales sunt qui extrínsecus operándo éxhibent ministérium : sed talis, ut det étiam intrínsecus increméntum. Nam neque qui plantat, est áliquid, neque qui rigat; sed qui increméntum dat Deus. Sed útique Deus est Christus, quia Deus erat Verbum. Unde ipse et Pater unum sunt : et, si Verbum caro factum est, quod non erat, manet quod erat.

Orémus. Oratio.

Tuum pro nobis, quæsumus omnípotens Deus, beátus N. Apóstolus implóret auxílium : ut a nostris reátibus absolúti, a cunctis étiam perículis eruámur. Per Dóminum.

Vel Orat. propria, si adsit.

Ad Horas Orat. Dñicalis.

NOTANDUM

Pro omnibus Commun. quod Aña, quæ ponitur in j. Vesp. super Psalmos, solum dicatur in Festis Duplic. minoribus : nam in Dupl. major. dicuntur omnes quinque Añæ Laud. cum Psalmis de Dñica, et loco ultimi **Lauda Jerúsalem,** et illæ non solum inchoantur ante Psalmos, sed integræ ante, et integræ post eos dicuntur quod et fit tam in Noct. quam in Laud. et ij. Vesp. Item ad ij. Vesp. in Duplic. dicuntur quinque Añæ, in aliis solum una Aña dicitur.

Festa Semiduplicia, Simplicia, et Simplicissima incipiunt a Capitulo, et non dicitur ℟. in Vesperis.

Lect. de Script. positæ in Comm. SS. leguntur, quando annotantur in Proprio SS. per annum, et quando aliquod Fest. non habens proprias, solemniter celebratur : Item quando in Offic. Feriæ non ponuntur Lect. de Script. et Lect. Feriæ proxime præced. sunt lectæ, alioqui si lectæ non sint, legi debent die se-

quenti, in quo scilicet Lect. de Script. non apponuntur.

Responsiones Versuum de Matut. in Noct. et Versus Sacerdotalis, nec non Versuum Vesp. et Laud. dicuntur cum vel sine **Allelúia,** uti in Rubr. 29 de Versibus declaratum est.

Responsoria pariter Horarum cum Versibus dicuntur cum vel sine **Allelúia,** prouti explicatur in Rubr. speciali posita post Capit. ad Primam in Psalt.

IN COMMUNI
APOSTOLORUM
extra Tempus Paschale.
AD VESPERAS.

Si fuerit Duplex minus,

Aña. **Dum stetéritis ante reges et præsides, nolíte cogitáre quómodo, aut quid loquámini : dábitur enim vobis in illa hora, quid loquámini.**

Psalmi de Offic. præced.

Capitulum. Ephes. 2.

JAm non estis hóspites, et ádvenæ : sed estis cives sanctórum, et doméstici Dei : superædificáti super fundaméntum Apostolórum et Prophetárum, ipso summo anguléri lápide Christo Jesu.

℟. **Cives Apostolórum, et doméstici Dei advenérunt hódie, * Portántes facem, et illuminántes pátriam, dare pacem Géntibus, et liberáre pópulum Dómini.** ℣. **Audíte preces súpplicum, vitæ ætérnæ poscéntes præmia, qui fertis in dextris manípulos justítiæ, quique gaudéntes advenístis hódie. Portántes. Glória Patri. Portántes.**

Hymnus.

**EXsúltet cœlum láudibus,
Resúltet terra gáudiis,
Apostolórum glóriam
Sacra canunt solémnia.**

Vos sæcli justi júdices,
Et vera mundi lúmina;
Votis precámur córdium,
Audíte preces súpplicum.

Qui cœlum verbo cláuditis,
Serásque ejus sólvitis;
Nos a peccátis ómnibus
Sólvite jussu, quæsumus.

Quorum præcépto súbditur
Salus, et languor ómnium,
Sanáte ægros móribus,
Nos reddéntes virtútibus.

Ut cum judex advénerit
Christus in fine sæculi,
Nos sempitérni gáudii
Fáciat esset cómpotes.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum.
Amen.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Ad Magnificat, Aña. Tradent enim vos in concíliis, et in synagógis suis flagellábunt vos : et ante reges et præsides ducémini propter me, in testimónium illis et Géntibus.

Oratio. Tuum pro nobis, ut supra [2] vel de proprio, si habuerit.

AD MATUTINUM.

Invitator. Regem Apostolórum Dóminum, * Veníte adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus. 2.

Hymnus. Exsúltet. [3]

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. In omnem terram.

Psalmus xviij.


CŒli enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum : * et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum : * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo :

Exsultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo cœlo egréssio ejus :

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus : * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta convértens ánimas : * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda : * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi : * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum : * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? * ab occúltis meis munda me : et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero : * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei : * et me-

ditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine adjútor meus, * et redémptor meus.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. In omnem terram exívit sonus eórum : et in fines orbis terræ verba eórum.

Aña. Clamavérunt justi.

Psalmus xxxiij.

BEnedícam Dóminum in omni témpore : * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea : * áudiant mansuéti, et læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum : * et exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, et exaudívit me :* et ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, et illuminámini : * et fácies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit, et Dóminus exaudívit eum : * et de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum : * et erípiet eos.

Gustáte, et vidéte, quóniam suávis est Dóminus : * beátus vir, qui sperat in eo.

Timéte Dóminum omnes sancti ejus : * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt et esuriérunt : * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte fílii, audíte me : * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam : * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam a malo : * et lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte a malo, et fac bonum : * inquíre pacem, et perséquere eam.

Oculi Dómini super justos : * et aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala : * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos : * et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde : * et húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum : * et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum : * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima : * et qui odérunt justum delínquent.
Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum : * et non delínquent omnes qui sperant in eo.
Glória Patri, et Fílio.
Aña. Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos.
Aña. Constítues eos.

Psalmus xliv.

ERuctávit cor meum verbum bonum : * dico ego ópera mea regi.
Lingua mea cálamus scribæ, * velóciter scribéntis.
Speciósus forma præ fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis : * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.
Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime.
Spécie tua, et pulchritúdine tua * inténde, próspere procéde, et regna.
Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam; * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.
Sagíttæ tuæ acútæ, * pópuli sub te cadent, in corda inimicórum regis.
Sedes tua Deus in sæculum sæculi : * virga directiónis virga regni tui.
Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * proptérea unxit et Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.
Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis : * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.
Adstitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto : * circúmdata varietáte.
Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam : * et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui.
Et concupíscet rex decórem tuum : * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum.
Et fíliæ Tyri in munéribus vultum tuum deprecabúntur : * omnes dívites plebis.
Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus, * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.
Adducéntur regi vírgines post eam : * próximæ ejus afferéntur tibi.
Afferéntur in lætítia et exsultatióne : * adducéntur in templum regis.
Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : * constítues eos príncipes super omnem terram.
Mémores erunt nóminis

tui : * in omni generatióne, et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum : * et in sæculum sæculi.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Constítues eos Príncipes super omnem terram : mémores erunt nóminis tui Dómine.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 4.

SIc nos exístimet homo ut minístros Christi, et dispensatóres mysteriórum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatóres ut fidélis quis inveniátur. Mihi autem pro mínimo est, ut a vobis júdicer, aut ab humáno die : sed neque meípsum júdico. Nihil enim mihi cónscius sum : sed non in hoc justificátus sum : qui autem júdicat me, Dóminus est. Itaque nolíte ante tempus judicáre, quoadúsque véniat Dóminus : qui et illuminábit abscóndita tenebrárum, et manifestábit consília córdium : et tunc laus erit unicuíque a Deo.

℟. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum, dicit Dóminus : * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbæ.

℣. Dum lucem habétis, crédite in lucem, ut fílii lucis sitis. Estóte.

Lectio ij.

HÆc autem, fratres, transfigurávi in me, et Apóllo, propter vos : ut in nobis discátis, ne supra quam scriptum est, unus advérsus álterum inflétur pro álio. Quis enim te discérnit? Quid autem habes quod non accepísti? Si autem accepísti, quid gloriáris, quasi non accéperis? Jam saturáti estis, jam dívites facti estis : sine nobis regnátis : et útinam regnétis, ut et nos vobíscum regnémus. Puto enim quod Deus nos Apóstolos novíssimos osténdit, tamquam morti destinátos : quia spectáculum facti sumus mundo, et Angelis, et homínibus.

℟. Tóllite jugum meum super vos, dicit Dóminus : et díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde : * Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve.

℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum.

Lectio iij.

Nos stulti propter Christum, vos autem prudéntes in Christo, nos infírmi, vos autem fortes : vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam et esurímus, et sitímus, et nudi sumus, et cólaphis cædimur, et instábiles sumus, et laborámus operántes mánibus nostris : maledícimur, et benedícimus, persecutiónem pátimur, et sustinémus : blasphemámur, et obsecrámus : tamquam purgaménta hujus mundi facti sumus, ómnium peripséma usque adhuc. Non ut confúndam vos, hæc scribo, sed ut fílios meos caríssimos móneo. Nam si decem míllia pædagogórum habeátis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangélium ego vos génui.

℟. Dum stetéritis ante reges et præsides, nolíte cogitáre quómodo, aut quid loquámini : * Dábitur enim vobis in illa hora, quid loquámini.

℣. Non enim vos estis, qui loquímini : sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis. Dábitur.

Glória Patri. Dábitur.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Príncipes populórum.

Psalmus xlvj.

Omnes Gentes pláudite mánibus : * jubiláte Deo in voce exsultatiónis.

Quóniam Dóminus excélsus, terríbilis : * Rex magnus super omnem terram.

Subjécit pópulos nobis, * et Gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis hereditátem suam : * spéciem Jacob, quam diléxit.

Ascéndit Deus in júbilo : * et Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo nostro, psállite :* psállite Regi nostro, psállite.

Quóniam Rex omnis terræ Deus : * psállite sapiénter.

Regnábit Deus super Gentes : * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham : * quóniam dii fortes terræ veheménter eleváti sunt.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham.

Aña. Dedísti.

Psalmus lx.

Exáudi Deus deprecatiónem meam : * inténde oratióni meæ.

A fínibus terræ ad te clamávi : * dum anxiarétur cor meum, in petra exaltásti me.

Deduxísti me, quia factus es spes mea : * turris fortitúdinis a fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in sæcula : * prótegar in velaménto alárum tuárum.

Quóniam tu Deus meus exaudísti oratiónem meam : * dedísti hereditátem timéntibus nomen tuum.

Dies super dies Regis adjícies : * annos ejus usque in diem generatiónis et generatiónis.

Pérmanet in ætérnum in conspéctu Dei : * misericórdiam, et veritátem ejus quis requíret?

Sic psalmum dicam nómini tuo in sæculum sæculi : * ut reddam vota mea de die in diem.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Dedísti hereditátem timéntibus nomen tuum Dómine.

Aña. Annuntiavérunt.

Psalmus lxiij.

Exáudi Deus oratiónem meam, cum déprecor : * a timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexísti me a convéntu malignántium : * a multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas : * intendérunt arcum rem amáram, ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Súbito sagittábunt eum, et non timébunt : * firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narravérunt ut abscónderent láqueos : * dixérunt : Quis vidébit eos?

Scrutáti sunt iniquitátes : * defecérunt scrutántes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum : * et exaltábitur Deus.

Sagíttæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum : * et infirmátæ sunt contra eos linguæ eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos : * et tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei : * et facta ejus intellexérunt.

Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo, * et laudabúntur omnes recti corde.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Annuntiavérunt ópera Dei : et facta ejus intellexérunt.

℣. Constítues eos Príncipes super omnem terram. ℞. Mémores erunt nóminis tui Dómine.

Lectiones in ij. et iij. Nocturno, ut in Proprio.

℞. iv. Vidi conjúnctos viros habéntes spléndidas vestes : et Angelus Dómini locútus est ad me dicens : * Isti sunt viri sancti, facti amíci Dei.

℣. Vidi Angelum Dei fortem voléntem per médium cœli, voce magna clamántem et dicéntem. Isti sunt.

℞. v. Isti sunt triumphatóres, et amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt præmia ætérna : * Modo coronántur, et accípiunt palmam.

℣. Isti sunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. Modo.

℞. vj. Fuérunt sine queréla ante Dóminum, et ab ínvicem non sunt separáti : * Cálicem Dómini bibérunt, et amíci Dei facti sunt.

℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia : ídeo coronántur, et accípiunt palmam. Cálicem.

Glória Patri. Cálicem.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Exaltabúntur.

Psalmus lxxiv.



Onfitébimur tibi Deus : * confitébimur, et invocábimus nomen tuum.

Narrábimus mirabília tua : * cum accépero tempus, ego justítias judicábo.

Liquefácta est terra, et omnes qui hábitant in ea : * ego confirmávi colúmnas ejus.

Dixi iníquis : Nolíte iníque ágere : * et delinquéntibus : Nolíte exaltáre cornu :

Nolíte extóllere in altum cornu vestrum : * nolíte loqui advérsus Deum iniquitátem.

Quia neque ab Oriénte, neque ab Occidénte, neque a desértis móntibus : * quóniam Deus judex est.

Hunc humíliat, et hunc exáltat : * quia calix in manu Dómini vini meri plenus misto.

Et inclinávit ex hoc in hoc : verúmtamen fæx ejus non est exinaníta : * bibent omnes peccatóres terræ.

Ego autem annuntiábo in sæculum : * cantábo Deo Jacob.

Et ómnia córnua pecca-

tórum confríngam, * et exaltabúntur córnua justi.
Glória Patri, et Fílio.
Aña. Exaltabúntur córnua justi, allelúia.
Aña. Lux orta est.

Psalmus xcvj.

Dominus regnávit, exsúltet terra : * læténtur ínsulæ multæ.
Nubes, et calígo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.
Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.
Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit, et commóta est terra.
Montes sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : * a fácie Dómini omnis terra.
Annuntiavérunt cœli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.
Confundántur omnes, qui adórant sculptília : * et qui gloriántur in simulácris suis.
Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audívit, et lætáta est Sion.
Et exsultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua Dómine :
Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.
Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.
Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.
Lætámini justi in Dómino : * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.
Glória Patri, et Fílio.
Aña. Lux orta est justo, allelúia, et rectis corde lætítia, allelúia.
Aña. Custodiébant.

Psalmus xcviij.

Dominus regnávit, irascántur pópuli : * qui sedet super Chérubim, moveátur terra.
Dóminus in Sion magnus : * et excélsus super omnes pópulos.
Confiteántur nómini tuo magno : quóniam terríbile, et sanctum est : * et honor regis judícium díligit.
Tu parásti directiónes : * judícium et justítiam in Jacob tu fecísti.
Exaltáte Dóminum Deum nostrum, et adoráte scabéllum pedum ejus : * quóniam sanctum est.
Móyses, et Aáron in Sa-

cerdótibus ejus ; * et Sámuël inter eos, qui ínvocant nomen ejus.

Invocábant Dóminum, et ipse exaudiébat eos : * in colúmna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus, * et præcéptum quod dedit illis.

Dómine Deus noster tu exaudiébas eos : * Deus tu propítius fuísti eis, et ulcíscens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, et adoráte in monte sancto ejus : * quóniam sanctus Dóminus Deus noster.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Custodiébant testimónia ejus, et præcépta ejus, allelúia.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

℟. vij. Isti sunt qui vivéntes in carne, plantavérunt Ecclésiam sánguine suo. Non sunt de terris córpora eórum separáta : * Quorum mérita sunt in cœlo glorióse cumuláta.

℣. Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes. Quorum.

℟. viij. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in caritáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam : * Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. Quorum.

℟. ix. Cives Apostolórum, et doméstici Dei advenérunt hódie, * Portántes facem, et illuminántes pátriam, dare pacem Géntibus, et liberáre pópulum Dómini.

℣. Audíte preces súpplicum, vitæ ætérnæ poscéntes præmia, qui fertis in dextris manípulos justítiæ, quique gaudéntes advenístis hódie. Portántes.

Glória Patri. Portántes.

Te Deum laudámus, 20.

Sacerdotalis ℣. Dedísti hereditátem. ℟. Timéntibus nomen tuum Dómine.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos.

Psal. Dóminus regnávit, cum reliq. 21.

Aña. Majórem caritátem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis.

Aña. Vos amíci mei estis,

si fecéritis quæ præcípio vobis, dicit Dóminus.

Aña. Beáti pacífici, beáti mundo corde : quóniam ipsi Deum vidébunt.

Aña. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras.

Capitulum. Ephes. 2.

JAm non estis hóspites, et ádvenæ : sed estis cives sanctórum, et doméstici Dei : superædificáti super fundaméntum Apostolórum et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu.

Hymnus. D. Ambr.

ÆTérna Christi múnera,
Apostolórum glóriam,
Laudes canéntes débitas
Lætis canámus méntibus.

Ecclesiárum Príncipes,
Belli triumpháles Duces,
Cœléstis aulæ mílites,
Et vera mundi lúmina.

Devóta Sanctórum fides,
Invícta spes credéntium,
Perfécta Christi cáritas
Mundi triúmphat príncipem.

In his Patérna glória,
In his volúntas Spíritus,
Exsúltat in his Fílius,
Cœlum replétur gáudio.

Te nunc Redémptor quæsumus,
Ut ipsórum consórtio
Jungas precántes sérvulos
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Benedictus, Antiphona. Estóte fortes in bello, et pugnáte cum antíquo serpénte : et accipiétis regnum ætérnum, allelúia.

Oratio de proprio.

AD TERTIAM.

Capitulum. Jam non estis, ut supra ad Laudes.

℟. In omnem terram * Exívit sonus eórum. In omnem.

℣. Et in fines orbis terræ verba eórum. Exívit.

Glória Patri. In omnem.

℣. Constítues eos.

AD SEXTAM.

Capitulum. Act. 5.

PEr manus autem Apostolórum fiébant signa, et prodígia multa in plebe.

℟. Constítues eos príncipes * Super omnem terram. Constítues.

℣. Mémores erunt nóminis tui Dómine. Super.

Glória Patri. Constítues.

℣. Nimis honoráti.

AD NONAM.

Capitulum. Act. 5.

IBant Apóstoli gaudéntes a conspéctu concílii, quóniam di-

gni hábiti sunt pro nómine Jesu contuméliam pati.

℟. Nimis honoráti sunt, * Amíci tui Deus. Nimis.

℣. Nimis confortátus est principátus eórum. Amíci.

Glória Patri. Nimis.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

AD VESPERAS.

Aña. Jurávit Dóminus.

Psalmus cix.



Dixit Dóminus Dómino meo : * Sede a dextris meis : Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion : * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum : * tu es Sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet : * proptérea exaltábit caput.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum : Tu es sacérdos in ætérnum.

Aña. Cóllocet eum.

Psalmus cxij.

Laudáte púeri Dóminum : * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum : * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes Gentes Dóminus, * et super cœlos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat : * et humília réspicit in cœlo, et in terra?

Súscitans a terra ínopem : * et de stércore érigens páuperem :

Ut cóllocet eum cum princípibus : * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo : * matrem filiórum lætántem.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Cóllocet eum Dóminus cum princípibus pópuli sui.

Aña. Dirupísti, Dómine.

Psalmus cxv.

CRédidi, propter quod locútus sum : * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo,* omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino, * pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam : * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus : * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus :

O Dómine quia ego servus tuus : * ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea : * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus : * in átriis domus Dómini, in médio tui Jerúsalem.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Dirupísti, Dómine, víncula mea : tibi sacrificábo hóstiam laudis.

Aña. Eúntes ibant.

Psalmus cxxv.

IN convertándo Dóminus captivitátem Sion : * facti sumus sicut consoláti :

Tunc replétum est gáudio os nostrum, * et lingua nostra exsultatióne.

Tunc dicent inter Gentes : * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíscum : * facti sumus lætántes.

Convérte Dómine captivitátem nostram, * sicut torrens in Austro.

Qui séminant in lácrymis, * in exsultatióne metent.

Eúntes ibant et flebant, * mitténtes sémina sua.

Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, * portántes manípulos suos.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua.

Aña. Confortátus est.

Psalmus cxxxviij.

DOmine probásti me, et cognovísti me : * tu cognovísti sessiónem meam, et resurrectiónem meam.

Intellexísti cogitatiónes meas de longe : * sémitam meam, et funículum meum investigásti.

Et omnes vias meas prævidísti : * quia non est sermo in lingua mea.

Ecce Dómine tu cognovísti ómnia, novíssima et

antíqua : * tu formásti me, et posuísti super me manum tuam.

Mirábilis facta est sciéntia tua ex me : * confortáta est, et non pótero ad eam.

Quo ibo a spíritu tuo? * et quo a fácie tua fúgiam?

Si ascéndero in cœlum, tu illic es : * si descéndero in inférnum, ades.

Si súmpsero pennas meas dilúculo, * et habitávero in extrémis maris :

Etenim illuc manus tua dedúcet me : * et tenébit me déxtera tua.

Et dixi : Fórsitan ténebræ conculcábunt me : * et nox illuminátio mea in delíciis meis.

Quia ténebræ non obscurabúntur a te, et nox sicut dies illuminábitur : * sicut ténebræ ejus, ita et lumen ejus.

Quia tu possedísti renes meos : * suscepísti me de útero matris meæ.

Confitébor tibi, quia terribíliter magnificátus es : * mirabília ópera tua, et ánima mea cognóscit nimis.

Non est occultátum os meum a te, quod fecísti in occúlto : * et substántia mea in inferióribus terræ.

Imperféctum meum vidérunt óculi tui, et in libro tuo omnes scribéntur : * dies formabúntur, et nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus : * nimis confortátus est principátus eórum.

Dinumerábo eos, et super arénam multiplicabúntur : * exsurréxi, et adhuc sum tecum.

Si occíderis Deus peccatóres : * viri sánguinum declináte a me.

Quia dícitis in cogitatióne : * Accípient in vanitáte civitátes tuas.

Nonne qui odérunt te, Dómine, óderam : * et super inimícos tuos tabescébam?

Perfécto ódio óderam illos : * et inimíci facti sunt mihi.

Proba me Deus, et scito cor meum : * intérroga me, et cognósce sémitas meas.

Et vide, si via iniquitátis in me est : * et deduc me in via ætérna.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Confortátus est principátus eórum, et honoráti sunt amíci tui Deus.

Capitulum, Hymnus et ℣. ut in primis Vesperis.

Ad Magnificat, Aña. Beáti éritis, cum vos óderint hómines; et cum separáverint vos, et exprobráve-

rint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum propter Fílium hóminis. Gaudéte, et exsultáte : ecce enim merces vestra multa est in cœlo.

IN COMMUNI
EVANGELISTARUM
extra Tempus Paschale.

AD VESPERAS.

Si fuerit Duplex minus, Aña. Implévit eos Dóminus spíritu sapiéntiæ, et intelléctus. Jucunditátem, et exsultatiónem thesaurizávit super eos.

Psalmi de Offic. præced.

Capitulum. Eccles. 15.

IN médio Ecclésiæ apéruit os ejus, et adimplévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ, et intelléctus : et stola glóriæ índuit eum.

℟. Audiébam sonum alárum, sicut sonum aquárum multárum, quasi sonum sublímis Dei. Nam cum fíeret vox super firmaméntum, quod imminébat cápiti eórum, * Stabant, et submittébant alas suas.

℣. Cum ambulárent animália, ut sonus multitúdinis, atque castrórum erat : cum vero starent, demittebántur pennæ eórum. Stabant.

Glória. Stabant.

Hymnus. Exsúltet cœlum láudibus. ℣. In omnem terram, ut in Communi Apost. [3]

Ad Magnif. Aña. Ecce ego Joánnes vidi óstium apértum in cœlo, et ecce sedes pósita erat in eo, et in médio sedis, et in circúitu ejus quátuor animália plena óculis ante, et retro : et dabant glóriam, et honórem, et benedictiónem sedénti super thronum, vivénti in sæcula sæculórum.

Oratio de proprio.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem Evangelistárum Dóminum :* Veníte adorémus.

Psalmus. Veníte, exsultémus. 2.

Hymnus. Exsúltet cœlum, ut supra ad j. Vesp. Apost. [3]

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Convocátis Jesus duódecim Apóstolis, misit illos prædicáre regnum Dei : egréssi autem evangelizábant, et curábant ubíque.

Psalm. Cœli enárrant, cum reliquis ut supra in Comm. Apost. [4]

Antiphona. Mittens Dóminus et álios discípulos ad prædicándum, dicébat illis : Messis quidem

multa; operárii autem pauci.

Ps. Benedícam.

Aña. Jesu Christi Dómini nostri grátia, credéntibus pópulis doctóres, et Evangelístæ sunt in ministérium fídei missi.

Ps. Eructávit.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Incipit liber Ezechiélis Prophétæ.

Lectio j. Cap. 1.

ET factum est in trigésimo anno, in quarto, in quinta mensis, cum essem in médio captivórum juxta flúvium Chobar, apérti sunt cœli, et vidi visiónes Dei. In quinta mensis (ipse est annus quintus transmigratiónis Regis Jóachin) factum est verbum Dómini ad Ezechiélem fílium Buzi Sacerdótem in terra Chaldæórum, secus flumen Chobar: et facta est super eum ibi manus Dómini. Et vidi, et ecce ventus túrbinis veniébat ab Aquilóne: et nubes magna, et ignis invólvens, et splendor in circúitu ejus: et de médio ejus quasi spécies eléctri, id est de médio ignis. Tu autem.

℟. In visióne Dei vidi, et ecce ventus túrbinis veniébat ab Aquilóne: nubésque magna, et ignis invólvens, splendórque in circúitu ejus: * Et in médio eórum similitúdo quátuor animálium: et adspéctus hóminis erat in eis.

℣. De médio autem ejus quasi spécies eléctri, id est de médio ignis. Et in médio.

Lectio ij.

ET in médio ejus similitúdo quátuor animálium: et hic adspéctus eórum, similitúdo hóminis in eis. Quátuor fácies uni, et quátuor pennæ uni. Pedes eórum pedes recti, et planta pedis eórum quasi planta pedis vítuli, et scintíllæ quasi adspéctus æris candéntis. Et manus hóminis sub pennis eórum in quátuor pártibus: et fácies et pennas per quátuor partes habébant. Junctæque erant pennæ eórum, altérius ad álterum: non revertebántur cum incéderent: sed unumquódque ante fáciem suam gradiebátur. Tu autem.

℟. Quátuor fácies uni erant, et quátuor pennæ uni. Pedes eórum pedes recti, planta pedis eórum

ut vítuli, * Et scintíllæ quasi adspéctus æris candéntis.

℣. Sub pennis eórum manus hóminis in quátuor pártibus. Et scintíllæ.

Lectio iij.

Similitúdo autem vultus eórum : fácies hóminis, et fácies leónis a dextris ipsórum quátuor : fácies autem bovis, a sinístris ipsórum quátuor; et fácies áquilæ désuper ipsórum quátuor. Fácies eórum, et pennæ eórum exténtæ désuper : duæ pennæ singulórum jungebántur, et duæ tegébant córpora eórum : et unumquódque eórum coram fácie sua ambulábat : ubi erat ímpetus spíritus, illuc gradiebántur, nec revertebántur, cum ambulárent. Tu autem.

℟. Similitúdo vultus animálium fácies hóminis, et fácies leónis a dextris ipsórum quátuor : fácies vero vítuli, atque áquilæ a sinístris eórum quátuor : * Et fácies, et pennæ exténtæ désuper erant.

℣. Duæ pennæ singulórum jungebántur, et duæ tegébant córpora eórum. Et fácies.

Glória Patri. Et fácies.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Sapiéntia Dómini Evangélii erupérunt abyssi : et annuntiántes fœcundáti rore cœlésti mundo íntonant.

Psal. Omnes Gentes. [8]

Aña. Lábia eórum salutárem disseminavérunt sciéntiam, opus sanctum, dignum, benedictióne plenum fecérunt, et ministérium sibi tráditum devóte implevérunt.

Ps. Exáudi Deus deprec.

Aña. Elégit eos ex omni carne : et dedit eis præcépta, et legem vitæ, et disciplínæ.

Ps. Exáudi Deus orat.

℣. Constítues eos Príncipes super omnem terram.

℟. Mémores erunt nóminis tui Dómine.

Lectiones ij. Nocturni de Proprio.

℟. iv. Fácies et pennas per quátuor partes habébant, incedéntes non revertebántur, * Sed unumquódque ibat ante fáciem suam.

℣. Pedes eórum pedes recti, et planta pedis eórum, ut planta vítuli. Sed.

℟. v. Similitúdo adspéctus animálium ut carbónum ignis ardéntium, et velut adspéctus lampadárum. * Ubi erat ímpetus

spíritus, illuc gradiebántur, cum ambulárent.

℣. Et unumquódque eórum ibat coram fácie sua. Ubi erat.

℟. vj. Quátuor animália ibant : et revertebántur in similitúdinem fúlguris coruscántis : et erat in médio splendor ignis, * Et de igne fulgur egrédiens.

℣. Erat autem vísio discúrrens in médio quátuor animálium. Et de igne.

Glória Patri. Et de.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Elécti sunt in Christo ante mundi constitutiónem, ut essent sancti, et immaculáti in conspéctu Dei in caritáte.

Ps. Confitébimur. [10]

Aña. Sapiéntiam sanctórum narrent omnes pópuli, et laudem eórum pronúntiet omnis Ecclésia sanctórum.

Psalmus. Dóminus regnávit.

Aña. Placéntes Deo facti dilécti, quóniam grátia, et misericórdia est in Sanctos ejus, et respéctus in eléctos illíus.

Psalmus. Dóminus regnávit.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 10.

In illo témpore : Designávit Dóminus et álios septuagínta duos : et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem, et locum, quo erat ipse ventúrus. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homilia 17. in Evangelia.

Dóminus, et Salvátor noster, fratres caríssimi, aliquándo nos sermónibus, aliquándo vero opéribus ádmonet. Ipsa étenim facta ejus, præcépta sunt : quia dum áliquid tácitus facit, quid ágere debeámus, innotéscit. Ecce enim binos in prædicatiónem discípulos mittit : quia duo sunt præcépta caritátis, Dei videlicet amor, et próximi : et minus, quam inter duos cáritas habéri non potest. Nemo enim próprie ad semetípsum habére caritátem dícitur : sed diléctio in álterum tendit, ut cáritas esse possit.

℟. Cum adspícerem animália, appáruit rota una juxta ea, quátuor fácies habens : * Et una similitúdo ipsórum quátuor.

℣. Adspéctus rotárum, et opus eárum erat, quasi vísio maris. Et una.

Lectio viij.

Ecce enim binos ad prædicándum discípulos Dóminus mittit, quátenus hoc nobis tácitus ínnuat, quia qui caritátem erga álterum non habet, prædicatiónis offícium suscípere nullátenus debet. Bene autem dícitur, quia misit eos ante fáciem suam in omnem civitátem, et locum, quo erat ipse ventúrus. Prædicatóres enim suos Dóminus séquitur : quia prædicátio prævenit : et tunc ad mentis nostræ habitáculum Dóminus venit : quando verba exhortatiónis præcúrrunt, atque per hoc véritas in mente suscípitur.

℟. Statúra rotárum erat altitúdo horríbilis : totúmque corpus plenum óculis : * Et adspéctus eárum, et ópera, velut si sit rota in médio rotæ.

℣. Per quátuor partes ibant; et non revertebántur, cum ambulárent. Et adspéctus.

Lectio ix.

Hinc namque eísdem prædicatóribus Isaías dicit : Paráte viam Dómini, rectas fácite sémitas Dei nostri. Hinc illis Psalmísta ait : Iter fácite ei, qui ascéndit super occásum. Super occásum namque Dóminus ascéndit : quia unde in passióne occúbuit, inde majórem suam glóriam resurgéndo manifestávit. Super occásum vidélicet ascéndit : quia mortem quam pértulit, resurgéndo calcávit. Ei ergo qui ascéndit super occásum, iter fácimus; cum nos ejus glóriam vestris méntibus prædicámus; ut eas et ipse post véniens per amóris sui præséntiam illústret.

℟. Audiébam sonum alárum, sicut sonum aquárum multárum, quasi sonum sublímis Dei. Nam cum fíeret vox super firmaméntum, quod imminébat cápiti eórum, * Stabant, et submittébant alas suas.

℣. Cum ambulárent animália, ut sonus multitúdinis, atque castrórum erat : cum vero starent, demittebántur pennæ eórum. Stabant.

Glória. Stabant.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerdotalis ℣. Dedísti hereditátem. ℟. Timéntibus nomen tuum Dómine.

AD LAUDES
et per Horas, Aña.

Dilécti Deo et homínibus sancti Evangelístæ, qui ordinavérunt témpora Christi bono odóre, usque ad consummatiónem vitæ.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Dedérunt in celebratióne óperis sancti decus : ídeo memória eórum est in benedictióne in sæculum sæculi.

Aña. Implévit eos Dóminus spíritu sapiéntiæ, et intelléctus. Jucunditátem, et exsultatiónem thesaurizávit super eos.

Aña. Ex omni corde laudavérunt nomen sanctum Dómini; ut amplificárent nomen sanctitátis.

Aña. Datum est opus eórum in veritáte : ídeo in terra sua duplícia possidébunt, et lætítia sempitérna erit eis in Christo.

Capitulum. Eccles. 15.

In médio Ecclésiæ apéruit os ejus, et adimplévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ, et intelléctus, et stola glóriæ índuit eum.

Hymnus. Ætérna Christi múnera.

℣. Annuntiavérunt, ut supra in Laud. Apost. [13]

Ad Benedictus, Aña. In médio, et in circúitu sedis Dei quátuor animália, senas alas habéntia, óculis úndique plena, non cessant die, ac nocte dícere : Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus omnípotens, qui erat, et qui est, et qui ventúrus est.

Oratio de proprio.

AD TERTIAM.

Capitulum. In médio Ecclésiæ, ut supra.

℟. In omnem terram, ut supra in Communi Apostolorum. [13]

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccles. 15.

Firmábitur in illo, et non flectétur : et continébit illum, et non confundétur; et exaltábit illum apud próximos suos.

℟. Constítues eos príncipes.

AD NONAM.

Capitulum. Eccles. 15.

Jucunditátem, et exsultatiónem thesaurizábit super illum, et nómine ætérno hereditábit illum Dóminus Deus noster.

℟. Nimis honoráti sunt.

℣. Annuntiavérunt.

AD VESPERAS.

Aŋæ Laud. Psalmi ut supra in ij. Vesperis de Communi Apostolor. [14]

Capitulum, Hymnus et ℣. ut in j. Vesperis.

Ad Magnificat, Aña. Tua sunt hæc Christe ópera, qui sanctos tuos ita gloríficas, ut étiam dignitátis glóriam in eis futúræ præíre miráculis fácias : tu insígnes Evangélii prædicatóres animálium cœléstium admirábili figúra præsignásti : his namque cœléste munus collátum gloriósis indíciis es dignátus osténdere : hinc laus, hinc glória tibi résonet in sæcula.

IN COMMUNI
Apostolorum et Evangelistarum
Tempore Paschali.

AD VESPERAS.

Si fuerit Duplex minus,

Aña. Sancti tui, Dómine, florébunt sicut lílium, allelúia : et sicut odor bálsami erunt ante te, allelúia.

Psalmi de Officio præc.

Capitulum. Act. 4.

Virtúte magna reddébant Apóstoli testimónium resurrectiónis Jesu Christi Dómini nostri : et grátia magna erat in ómnibus illis.

℟. Fíliæ Jerúsalem veníte, et vidéte Mártyrem cum coróna, qua coronávit eum Dóminus :* In die solemnitátis, et lætítiæ, allelúia.

℣. Quóniam confortávit seras portárum tuárum : benedíxit fíliis tuis in te. In die solemnitátis.

Glória Patri. In die.

Hymnus.

Tristes erant Apóstoli,
De nece sui Dómini :
Quem morte crudelíssima
Servi damnárant ímpii.

Sermóne blando Angelus
Prædíxit muliéribus :
In Galilæa Dóminus
Vidéndus est quantócyus.

Illæ, dum pergunt cóncitæ
Apóstolis hoc dícere,
Vidéntes eum vívere,
Christi tenent vestígia.

Quo ágnito, discípuli
In Galilæam própere
Pergunt vidére fáciem
Desiderátam Dómini.

Quæsumus Auctor ómnium,
In hoc Pascháli gáudio,
Ab omni mortis ímpetu
Tuum defénde pópulum.

Glória tibi Dómine,
Qui surrexísti a mórtuis,
Cum Patre, et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Sancti et justi in Dómino gaudéte. ℟. Vos

elégit Deus in hereditátem sibi, allelúia.

Ad Magnif. Aña. Fíliæ Jerúsalem veníte, et vidéte Mártyrem cum coróna, qua coronávit eum Dóminus in die solemnitátis et lætítiæ, allelúia, allelúia.

Oratio propria.

AD MATUTINUM.

Si occurrat Festum Duplex majus Officio proprio carens, tres cujuslibet Nocturni Antiphonæ sumuntur de Comm. extra Tempus Paschale, addito cuilibet **Allelúia**, nisi illud habeat, et omittitur Aña cujuslibet Noct. Temp. Pasch. Cetera ut infra.

Invitat. **Exsúltent in Dómino sancti, * Allelúia.**

Ps. **Veníte exsultémus. 2.**

Hymnus. **Tristes erant Apóstoli.**

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. **Stabunt justi in magna constántia advérsus eos, qui se angustiavérunt, allelúia, allelúia.**

Psalmus. **Cœli enárrant,** et ceteri ut in Communi Apost. alterius Temp. [4]

℣. **Sancti et justi in Dómino gaudéte.** ℟. **Vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúia.**

Lectiones Nocturnorum, ut in Proprio annotantur.

℟. j. **Virtúte magna reddébant Apóstoli, * Testimónium resurrectiónis Jesu Christi Dómini nostri, allelúia, allelúia.**

℣. **Repléti quidem Spíritu sancto, loquebántur cum fidúcia. Testimónium.**

℟. ij. **Isti sunt agni novélli, qui annuntiavérunt, allelúia. * Modo venérunt ad fontes, repléti sunt claritáte, allelúia, allelúia.**

℣. **In conspéctu Agni amícti sunt stolis albis, et palmæ in mánibus eórum. Modo.**

℟. iij. **Vidi portam civitátis ad oriéntem pósitam, et Apostolórum nómina, et Agni super eam scripta : * Et super muros ejus Angelórum custódiam, allelúia.**

℣. **Vidi sanctam civitátem Jerúsalem descendéntem de cœlo, ornátam tamquam sponsam viro suo. Et super.**

Glória Patri. Et super.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. **Ecce quómodo computáti sunt inter fílios Dei, et inter sanctos sors illórum est, allelúia.**

Ps. **Omnes Gentes. [8]**

℣. **Lux perpétua lucébit sanctis tuis Dómine.** ℟. **Et ætérnitas témporum, allelúia.**

℟. iv. Tristítia vestra, allelúia, * Convertétur in gáudium, allelúia, allelúia.
℣. Mundus autem gaudébit : vos vero contristabímini, sed tristítia vestra. Convertétur.
℟. v. Pretiósa in conspéctu Dómini, allelúia, * Mors sanctórum ejus, allelúia.
℣. Custódit Dóminus ómnia ossa eórum : unum ex his non conterétur. Mors.
℟. vj. Lux perpétua lucébit sanctis tuis Dómine, * Et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia.
℣. Vox lætítiæ, et exsultatiónis in tabernáculis justórum. Et ætérnitas.
Glória Patri. Et.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Tristítia vestra, allelúia : convertétur in gáudium, allelúia.
Ps. Confitébimur. [10]
℣. Lætítia sempitérna super cápita eórum. ℟. Gáudium et exsultatiónem obtinébunt, allelúia.
℟. vij. Ego sum vitis vera, et vos pálmites : * Qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum, allelúia, allelúia.
℣. Manéte in dilectióne mea, sicut diléxi vos. Qui manet.
℟. viij. Cándidi facti sunt Nazaræi ejus, allelúia, splendórem Deo dedérunt, allelúia : * Et sicut lac coaguláti sunt, allelúia, allelúia.
℣. Candidióres nive, nitidióres lacte, rubicundióres ébore antíquo, sapphíro pulchrióres. Et sicut lac.
℟. ix. Fíliæ Jerúsalem veníte, et vidéte Mártyrem cum coróna, qua coronávit eum Dóminus : * In die solemnitátis et lætítiæ, allelúia.
℣. Quóniam confortávit seras portárum tuárum : benedíxit fíliis tuis in te. In die solemnitátis.
Glória Patri. In die.
Te Deum laudámus. 20.
Sacerdotalis ℣. Gavísi sunt discípuli. ℟. Viso Dómino, allelúia.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

IN cœléstibus regnis sanctórum habitátio est, allelúia : et in ætérnum réquies eórum, allelúia.
Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.
Aña. Sancti tui, Dómine, florébunt sicut lílium, allelúia : et sicut odor bál-

sami erunt ante te, allelúia.

Aña. In velaménto clamábunt sancti tui, Dómine, allelúia, allelúia, allelúia.

Aña. Sancti et justi in Dómino gaudéte, allelúia : vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúia.

Aña. Si mansériitis in me, et verba mea in vobis mánserint, quodcúmque petiéritis, fiet vobis, allelúia.

Capitulum. Act. 4.

Virtúte magna reddébant Apóstoli testimónium resurrectiónis Jesu Christi Dómini nostri : et grátia magna erat in ómnibus illis.

Hymnus.

Claro Pascháli gáudio
Sol mundo nitet rádio,
Cum Christum jam Apóstoli
Visu cernunt corpóreo.

Osténsa sibi vúlnera
In Christi carne fúlgida,
Resurrexísse Dóminum
Voce faténtur públíca.

Rex Christe clementíssime,
Tu corda nostra pósside :
Ut tibi laudes débitas
Reddámus omni témpore.

Quæsumus Auctor ómnium
In hoc Pascháli gáudio,
Ab omni mortis ímpetu
Tuum defénde pópulum.

Glória tibi Dómine,
Qui surrexísti a mórtuis,
Cum Patre, et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini. ℟. Mors sanctórum ejus, allelúia.

Ad Benedictus, Antiphona. Lux perpétua lucébit sanctis tuis Dómine, allelúia : et ætérnitas témporum, allelúia.

Oratio de proprio.

AD TERTIAM.

Capitulum. Virtúte magna, ut supra ad Laudes.

℟. Sancti et justi in Dómino gaudéte, * Allelúia, allelúia. Sancti.

℣. Vos elégit Deus in hereditátem sibi. Allelúia, allelúia.

Glória. Sancti.

℣. Lux perpétua.

AD SEXTAM.

Capitulum. Sap. 5.

Hi sunt, quos habúimus aliquándo in derísum, et in similitúdinem impropérii. Nos insensáti vitam illórum æstimabámus insániam, et finem illórum sine honóre.

℟. Lux perpétua lucébit sanctis tuis Dómine :* Allelúia, allelúia. Lux perpétua.
℣. Et ætérnitas témporum. Allelúia, allelúia.
Glória Patri. Lux perpétua.
℣. Lætítia sempitérna.

AD NONAM.

Capitulum. Sap. 5.

Ecce quómodo computáti sunt inter fílios Dei, et inter sanctos sors illórum est.

℟. Lætítia sempitérna super cápita eórum,* Allelúia, allelúia. Lætítia.
℣. Gáudium, et exsultatiónem obtinébunt. Allelúia, allelúia.
Glória Patri. Lætítia.
℣. Pretiósa in conspéctu Dómini. ℟. Mors sanctórum ejus, allelúia.

AD VESPERAS.

Añæ Laudum, Psalmi ut supra in ij. Vesperis de Communi alterius Temporis. [14]Capitulum, Hymnus et ℣. ut in j. Vesperis.

Ad Magnificat, Aña. Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, allelúia, allelúia.





In Communi unius Martyris extra Tempus Paschale.

AD VESPERAS.

Si fuerit Duplex minus,

Aña. Qui mihi minístrat, me sequátur : et ubi ego sum, illic erit et miníster meus.

Psalmi de Offic. præced.

Capitulum. Jac. 1.



Beátus vir, qui suffert tentatiónem : quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Si duplex fuerit, ℟. Miles Christi glorióse N. sanctíssime, *Tuo pio intervéntu culpas nostras áblue.

℣. Ut cœléstis regni sedem valeámus scándere. Tuo.

Glória Patri. Tuo.

Hymnus. D. Ambr.

Deus tuórum mílitum
Sors, et coróna, præmium,
Laudes canéntes Mártyris
Absólve nexu críminis.

Hic nempe mundi gáudia,
Et blandiménta nóxia,
Cadúca rite députans,
Pervénit ad cœléstia.

Pœnas cucúrrit fórtiter,
Et sústulit viríliter,
Pro te effúndens sánguinem,
Ætérna dona póssidet.

Ob hoc precátu súpplici
Te póscimus, piíssime,
In hoc triúmpho Mártyris
Dimítte noxam sérvulis.

Laus, et perénnis glória
Deo Patri, et Fílio,

Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Glória et honóre coronásti eum Dómine.
℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnificat, Aña. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : fundátus enim erat supra firmam petram.

Pro commemorat. si occurrat, Aña. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Posuísti Dómine.

Pro Mártyre tantum.

Oratio.

PRæsta, quæsumus omnípotens Deus; ut qui beáti N. Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Pro Martyre tantum.

Alia Oratio.

PRæsta, quæsumus omnípotens Deus; ut intercedénte beáto N. Mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

Pro Episcopo et Martyre.

Oratio.

INfirmitátem nostram réspice, omnípotens Deus : et quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti N. Mártyris tui atque Pontíficis, intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Pro Episcopo et Martyre.

Alia Oratio.

DEus, qui nos beáti N. Mártyris tui atque Pontíficis, ánnua solemnitáte lætíficas; concéde propítius, ut cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitator. Regem Mártyrum Dóminum, * Veníte adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus. 2.

Hymnus. Deus tuórum mílitum, ut supra.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. In lege Dómini.

Psalmus j.


BEátus vir, qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiæ non sedit :

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo :

Et fólium ejus non défluet : * et ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic : * sed tamquam pulvis, quem prójicit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii in judício : * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum : * et iter impiórum períbit.

Glória Patri.

Aña. In lege Dómini fuit volúntas ejus, die ac nocte.

Aña. Prædicans.

Psalmus ij.

QUare fremuérunt Gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Adstitérunt reges terræ, * et Príncipes convenérunt in unum advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum : * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cœlis irridébit eos : * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua : * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me : * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi Gentes hereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc reges intellígite : * erudímini qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre : * et exsultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes, qui confídunt in eo.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Prædicans præcéptum Dómini, constitútus est in monte sancto ejus.

Aña. Voce mea.

Psalmus iij.

DOmine quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimæ meæ : * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Dómine suscéptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi : * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum : * et exsurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me : * exsúrge Dómine, salvum me fac Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa : * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus : * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Voce mea ad Dóminum clamávi, et exaudívit me de monte sancto suo.

℣. Glória et honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Pro Episcopo et Martyre, Lectio. A Miléto, ut infra.

Pro Martyre tantum.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 8. ℣. 12.

Ratres, Debitóres sumus non carni, ut secúndum carnem vivámus. Si enim secúndum carnem vixéritis, moriémini : si autem spíritu facta carnis mortificavéritis, vivétis. Quicúmque enim spíritu Dei agúntur, ii sunt fílii Dei. Non enim accepístis spíritum servitútis íterum in timóre, sed accepístis spíritum adoptiónis filiórum in quo clamámus : Abba (Pater.) Ipse enim Spíritus testimónium reddit spirítui nostro, quod sumus fílii Dei. Si autem fílii, et herédes : herédes quidem Dei, coherédes autem Christi : si tamen compátimur, ut et conglorificémur. Exístimo enim quod non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Nam exspectátio creatúræ, revelatiónem filiórum Dei exspéctat.

℟. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : * Fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Munímine régio septus nullátenus est ab adversáriis superátus. Fundátus.

Lectio ij. Cap. 8. ℣. 28.

Scimus autem quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum, iis, qui secúndum propósitum vocáti sunt sancti. Nam quos præscívit, et prædestinávit confórmes fíeri imáginis Fílii sui, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus. Quos autem prædestinávit, hos et vocávit : et quos vocávit, hos et justificávit : quos autem justificávit, illos et glorificávit. Quid ergo dicémus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui étiam próprio Fílio suo non pepércit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum : quómodo non étiam cum illo ómnia nobis donávit? Quis accusábit advérsus eléctos Dei? Deus qui justíficat, quis est qui condémnet? Christus Jesus, qui mórtuus est, immo qui et resurréxit, qui est ad déxteram Dei, qui étiam interpéllat pro nobis.

℟. Justus germinábit sicut lílium : * Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. Et.

Lectio iij.

Quis ergo nos separábit a caritáte Christi? tribulátio? an angústia? an fames? an núditas? an perículum? an persecútio? an gládius? (sicut scriptum est : Quia propter te mortificámur tota die : æstimáti sumus sicut oves occisiónis.) Sed in his ómnibus superámus propter eum, qui diléxit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principátus, neque Virtútes, neque instántia, neque futúra, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profúndum, neque creatúra ália póterit nos separáre a caritáte Dei, quæ est in Christo Jesu Dómino nostro.

℟. Iste cognóvit justítiam et vidit mirabília magna : et exorávit Altíssimum : * Et invéntus est in número Sanctórum.

℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Et invéntus.

Glória Patri. Et invéntus.

IN SECUNDO NOCTURNO.
Aña. Fílii hóminum.
Psalmus iv.

CUm invocárem, exaudívit me Deus justítiæ meæ : * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum úsquequo gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, et quæritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum : * Dóminus exáudiet me, cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre, * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, et speráte in Dómino : * multi dicunt : Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui Dómine : * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui : * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam et requiéscam.

Quóniam tu Dómine singuláriter in spe * constituísti me.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Fílii hóminum scitóte, quia Dóminus sanctum suum mirificávit.

Aña. Scuto.
Psalmus v.

VErba mea áuribus pércipe Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus, et Deus meus.

Quóniam ad te orábo : * Dómine mane exáudies vocem meam.

Mane adstábo tibi, et vidébo, * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus : * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem : * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum et dolósum abominábitur Dóminus : * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Introíbo in domum tuam, * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine deduc me in justítia tua : * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore

eórum véritas : * cor eórum vanum est.

Sepúlcrum patens est guttur eórum, linguis suis dolóse agébant, * júdica illos Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos, * quóniam irritavérunt te Dómine.

Et læténtur omnes, qui sperant in te, in ætérnum exsultábunt : * et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronásti nos.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti eum Dómine.

Aña. In univérsa terra.

Psalmus viij.

Domine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cœlos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, oves, et boves univérsas : * ínsuper et pécora campi.

Vólucres cœli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Glória Patri, et Fílio.

Aña. In univérsa terra glória et honóre coronásti eum.

℣. Posuísti Dómine super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 44. de Sanctis.

Lectio iv.



Triumphális beáti Mártyris N. dies hódie nobis anniversária celebritáte recúr-

rit : cujus glorificatióni sicut congáudet Ecclésia, sic ejus propónit sequénda vestígia. Si enim compátimur, et conglorificábimur. In cujus glorióso agóne duo nobis præcípue considéranda sunt : induráta vidélicet tortóris sævítia, et Mártyris invícta patiéntia. Sævítia tortóris, ut eam detestémur : patiéntia Mártyris, ut eam imitémur. Audi Psalmístam advérsus malítiam increpántem : Noli æmulári in malignántibus, quóniam tamquam fœnum velóciter aréscent. Quod autem advérsus malignántes patiéntia exhibénda sit, audi Apóstolum suadéntem : patiéntia vobis necessária est, ut reportétis promissiónes.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine : * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

℣. Posuísti Dómine super caput ejus corónam de lápide pretióso. Et voluntáte.

Lectio v.

Coronáta ítaque est beáti Mártyris patiéntia, mancipáta est ætérnis cruciátibus tortóris incorrécta malítia. Hoc atténdens in agóne suo gloriósus Christi athléta, non exhórruit cárcerem : ad imitatiónem cápitis sui tolerávit probra, sustínuit irrisiónes, flagélla non tímuit : et quot ante mortem pro Christo pértulit supplícia, tot ei de se óbtulit sacrifícia. Quod enim propinánte Apóstolo bíberat, alte retinébat : Quia non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis : Et quia momentáneum hoc, et leve nostræ tribulatiónis, ætérnum glóriæ pondus operátur in cœlis. Hujus promissiónis amóre a terrénis suspénsus, et prægustáta supérnæ suavitátis dulcédine ineffabíliter affectus, dicébat cum Psalmísta; Quid mihi est in cœlo? et a te quid vólui super terram? Defécit caro mea, et cor meum, Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætérnum.

℟. Dómine prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, * Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

℣. Vitam pétiit a te : et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum sæculi. Posuísti.

Lectio vj.

Contemplabátur enim, quantum in ænígmate infírmitas humána óculum mentis in æternitáte fígere potest, quanta sint supérnæ civitátis gáudia : et ea enarráre non suffíciens, admirándo clamábat : Quid mihi est in cœlo? quasi díceret : Excédit vires meas, excédit facultátem eloquéntiæ meæ, transcéndit capacitátem intelligéntiæ meæ illud decus, illa glória, illa celsitúdo, qua nobis a conturbatióne hóminum remótis, in abscóndito faciéi suæ, Jesus Christus Dóminus noster reformábit corpus humilitátis nostræ, configurátum córpori claritátis suæ. Hujus perféctæ libertátis contemplatióne nullum vitábat perículum, nullum horrébat supplícium : et si míllies posset mori, non putábat se hanc digne posse áliqua ratióne promeréri.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus.

℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ, et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et.

Glória Patri. Et.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Justus Dóminus.

Psalmus x.



In Dómino confído : quómodo dícitis ánimæ meæ : * Tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, * paravérunt sagíttas suas in pháretra, ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecísti, destruxérunt : * justus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo, * Dóminus in cœlo sedes ejus :

Oculi ejus in páuperem respíciunt : * pálpebræ ejus intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat justum, et ímpium : * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos : * ignis, et sulphur, et spíritus procellárum, pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus, et justítias diléxit : * æquitátem vidit vultus ejus.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Justus Dóminus, et justítias diléxit : æquitátem vidit vultus ejus.

Aña. Habitábit.

Psalmus xiv.

DOmine quis habitábit in tabernáculo tuo?* aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam :

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua :

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus : * timéntes autem Dóminum gloríficat :

Qui jurat próximo suo, et non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocéntem non accépit :

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Habitábit in tabernáculo tuo : requiéscet in monte sancto tuo.

Aña. Posuísti Dómine.

Psalmus xx.

DOmine in virtúte tua lætábitur Rex : * et super salutáre tuum exsultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei : * et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit a te : * et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo : * glóriam, et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in sæculum sæculi : * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam Rex sperat in Dómino : * et in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui : * Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes : * et semen eórum a fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala : * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum : * in relíquiis tuis

præparábis vultum eórum.
Exaltáre Dómine in virtúte tua : * cantábimus, et psallémus virtútes tuas.
Glória Patri, et Fílio.
Aña. Posuísti Dómine super caput ejus corónam de lápide pretióso.
℣. Justus ut palma florébit in domo Dómini.
℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.
Pro Episcopo et Martyre Evang. Si quis venit, ut infra [46] vel Vidéte, vigiláte. [47]
Pro Martyre tantum.
Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.
Lectio vij. Cap. 12.
IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Amen, amen dico vobis : Nisi granum fruménti cadens in terram, mórtuum fúerit, ipsum solum manet. Et réliqua.
Homilía sancti Augustíni Epíscopi.
Tract. 51. in Joann.

IPse Dóminus Jesus erat granum mortificándum, et multiplicándum : mortificándum in infidelitáte Judæórum, multiplicándum in fide populórum. Jam vero exhórtans nos ad passiónis suæ sectánda vestígia : Qui amat (inquit) ánimam suam, perdet eam. Quod duóbus modis intélligi potest. Qui amat, perdet; id est, si amas, perdes : si cupis vitam tenére cum Christo, noli mortem timére pro Christo. Item álio modo : Qui amat ánimam suam, perdet eam : noli amáre, ne perdas : noli amáre in hac vita, ne perdas in ætérna vita.
℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et ope fortitúdinis.
℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Expréssa.
Lectio viij.
HOc autem, quod postérius dixi, magis habére vidétur Evangélicus sensus; séquitur enim: Et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. Ergo, quod supra dictum est, qui amat, subintellígitur in hoc mundo, ipse útique perdet : qui autem odit, útique in hoc mundo, in vitam ætérnam ipse custódit eam. Magna et mira senténtia, quemádmodum sit hóminis in ánimam suam amor, ut péreat; ódium, ne péreat.

Si male amáveris, tunc odísti; si bene óderis, tunc amásti. Felíces, qui odérunt custodiéndo, ne perdant amándo.

℟. Glória et honóre coronásti eum Dómine : et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. * Omnia subjecísti sub pédibus ejus.

℣. Quóniam eleváta est magnificéntia tua super cœlos Deus. Omnia.

Lectio ix.

SEd vide, ne tibi subrépat, ut teípsum velis interímere, sic intelligéndo, quod debes odísse in hoc mundo ánimam tuam. Hinc enim quidam malígni, atque pervérsi hómines, et in semetípsos crudelióres, et sceleratióres homicídæ flammis se donant, aquis se præfócant, præcipítio se collídunt, et péreunt. Hoc Christus non dócuit, imo étiam sibi diábolo præcipítium suggeré nti respóndit : Vade retro sátana; scriptum est enim : Non tentábis Dóminum Deum tuum. Petro autem dixit, signíficans, qua morte clarificatúrus erat Deum : Cum esses júnior, cingébas te, et ambulábas quo volébas; cum autem senúeris, alter te cinget, et feret quo tu non vis. Ubi satis expréssit, non a seípso, sed ab álio debére occídi, qui vestígia séquitur Christi.

℟. Miles Christi glorióse N. sanctíssime, * Tuo pio intervéntu culpas nostras áblue.

℣. Ut cœléstis regni sedem valeámus scándere. Tuo.

Glória Patri. Tuo.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerdotalis ℣. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus. ℟. Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

QUi me conféssus fúerit coram homínibus, confitébor et ego eum coram Patre meo.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Qui séquitur me, non ámbulat in ténebris : sed habébit lumen vitæ, dicit Dóminus.

Aña. Qui mihi minístrat, me sequátur : et ubi ego sum, illic erit et miníster meus.

Aña. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus, qui est in cœlis, dicit Dóminus.

Aña. Volo Pater, ut ubi

ego sum, illic sit et miníster meus.

Capitulum. Jac. 1.

BEátus vir, qui suffert tentatiónem : quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus.

MArtyr Dei qui únicum
Patris sequéndo Fílium,
Victis triúmphas hóstibus,
Victor fruens cœléstibus.
Tui precátus múnere
Nostrum reátum dílue,
Arcens mali contágium,
Vitæ rémovens tædium.
Solúta sunt jam víncula
Tui sacráti córporis :
Nos solve vinclis sæculi
Amóre Fílii Dei.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum.
Amen.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Ad Benedictus, Antiphona. Nisi granum fruménti cadens in terram, mórtuum fúerit : ipsum solum manet.

Pro commemoratione, si occurrat, Aña. Iste cognóvit justítiam et vidit mirabília magna, et exorávit Altíssimum, et invéntus est in número Sanctórum. ℣. Justus ut palma.

Pro Martyre tantum.

Oratio.

PRæsta, quæsumus omnípotens Deus : ut qui beáti N. Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus, in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Pro Martyre tantum.

Alia Oratio.

PRæsta, quæsumus omnípotens Deus; ut intercedénte beáto N. Mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

Pro Episcopo et Martyre.

Oratio.

INfirmitátem nostram réspice omnípotens Deus, et quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti N. Mártyris tui atque Pontíficis, intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Pro Episcopo et Martyre.

Alia Oratio.

DEus, qui nos beáti N. Mártyris tui atque Pontíficis, ánnua solemnitáte lætíficas; concéde propítius; ut cujus natalí-

tia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Capitulum. Beátus vir, ut supra ad Laudes.

℟. Glória et honóre * Coronásti eum Dómine. Glória et honóre.

℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Coronásti eum.

Glória Patri. Glória et.

℣. Posuísti Dómine.

AD SEXTAM.

Capitulum. Sap. 10.

CUstodívit illum Dóminus ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, et certámen forte dedit illi, ut vínceret.

℟. Posuísti Dómine, * Super caput ejus. Posuísti.

℣. Corónam de lápide pretióso. Super.

Glória Patri. Posuísti.

℣. Justus ut palma.

AD NONAM.

Capitulum. Eccles. 14.

BEátus vir, qui in sapiéntia morábitur, et qui in justítia sua meditábitur, et in sensu cogitábit circumspectiónem Dei.

℟. Justus ut palma florébit * In domo Dómini. Justus ut palma.

℣. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur. In domo.

Glória Patri. Justus.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

AD VESPERAS.

Añæ Laudum.

Psalmus cix.



DIxit Dóminus Dómino meo : * Sede a dextris meis :

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion : * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum : * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet : * proptérea exaltábit caput.

Glória Patri, et Fílio.

Psalmus cxj.

BEátus vir, qui timet Dóminum : * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus : * generátio rectórum benedicétur.

Glória et divítiæ in domo ejus : * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis : * misericors, et miserátor, et justus.

Jucúndus homo qui miserétur et cómmodat, dispónet sermónes suos in judício : * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit justus : * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus speráre in Dómino, confirmátum est cor ejus : * non commovébitur, donec despíciat inimícos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus : * justítia ejus manet in sæculum sæculi, cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit, et irascétur, déntibus suis fremet et tabéscet : * desidérium peccatórum períbit.

Glória Patri, et Fílio.

Psalmus cxij.

LAudáte púeri Dóminum : * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes Gentes Dóminus, * et super cœlos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cœlo et in terra?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem :

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Glória Patri, et Fílio.

Psalmus cxv.

CRédidi, propter quod locútus sum : * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo : * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino, * pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam : * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus : * pretiósa in con-

spéctu Dómini mors sanctórum ejus.

O Dómine quia ego servus tuus : * ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea : * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus : * in átriis domus Dómini, in médio tui Jerúsalem.

Glória Patri, et Fílio.

Psalmus cxxv.

In convertendo Dóminus captivitátem Sion : * facti sumus sicut consoláti :

Tunc replétum est gáudio os nostrum : * et lingua nostra exsultatióne.

Tunc dicent inter gentes :* Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíscum : * facti sumus lætántes.

Convérte Dómine captivitátem nostram, * sicut torrens in Austro.

Qui séminant in lácrymis, * in exsultatióne metent.

Eúntes ibant, et flebant, * mitténtes sémina sua.

Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, * portántes manípulos suos.

Glória Patri, et Fílio.

Capitulum, Hymnus, et ℣. ut in primis Vesp. [28]

Ad Magnificat, Aña. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit : qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit : sed ad cœléstia regna felíciter pervénit.

Pro alia commem. si occurrat, resumatur ij. Aña j. Vesperarum.

ALIUD EVANGELIUM.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 16.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homil. 32. in Evangelia.

Quia Dóminus ac Redémptor noster novus homo venit in mundum, nova præcépta dedit mundo. Vitæ étenim nostræ véteri in vítiis enutrítæ, contrarietátem oppósuit novitátis suæ. Quid enim vetus, quid carnális homo nóverat, nisi sua retinére, alié-

na rápere si posset; concupíscere, si non posset? Sed cœléstis médicus síngulis quibúsque vítiis obviántia ádhibet medicaménta. Nam sicut arte medicínæ cálida frígidis, frígida cálidis curántur; ita Dóminus noster contrária oppósuit medicaménta peccátis : ut lúbricis continéntiam, tenácibus largitátem, iracúndis mansuetúdinem, elátis præcíperet humilitátem.

℞. Coróna áurea.

Lectio viij.

CErte cum se sequéntibus nova mandáta propóneret, dixit : Nisi quis renuntiáverit ómnibus quæ póssidet, non potest meus esse discípulus. Ac si apérte dicat : Qui per vitam véterem aliéna concupíscitis, per novæ conversatiónis stúdium et vestra largímini. Quid vero in hac lectióne dicat, audiámus. Qui vult post me veníre, ábneget semetípsum. Ibi dícitur, ut abnegémus nostra, hic dícitur, ut abnegémus nos. Et fortásse laboriósum non est hómini relínquere sua, sed valde laboriósum est relínquere semetípsum. Minus quippe est abnegáre quod habet, valde autem multum est abnegáre quod est.

℞. Glória et honóre.

Lectio ix.

AD se autem nobis veniéntibus Dóminus præcépit, ut renuntiémus nostris : quia quicúmque ad fídei agónem venímus, luctámen contra malígnos spíritus súmimus. Nihil autem malígni spíritus in hoc mundo próprium póssident. Nudi ergo cum nudis luctári debémus. Nam si vestítus quisque cum nudo luctátur, cítius ad terram dejícitur, quia habet unde teneátur. Quid enim sunt terréna ómnia, nisi quædam córporis induménta? Qui ergo contra diábolum ad certámen próperat, vestiménta abjíciat, ne succúmbat.

℞. Miles Christi.

ALIÆ LECTIONES

pro Episcopo et Martyre.

IN PRIMO NOCTURNO.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 20. ℣. 17.

A Miléto Paulus mittens Ephesum, vocávit majóres natu Ecclésiæ. Qui cum veníssent ad eum, et simul essent, dixit eis : Vos scitis a prima die, qua ingréssus sum in Asiam, quáliter vo-

bíscum per omne tempus fúerim, sérviens Dómino cum omni humilitáte, et lácrymis, et tentatiónibus, quæ mihi accidérunt ex insídiis Judæórum : quómodo nihil subtráxerim utílium, quo minus annuntiárem vobis, et docérem vos públice, et per domos, testíficans Judæis, atque Gentílibus in Deum pœniténtiam, et fidem in Dóminum nostrum Jesum Christum. Et nunc ecce alligátus ego spíritu, vado in Jerúsalem : quæ in ea ventúra sint mihi, ignórans : nisi quod Spíritus sanctus per omnes civitátes mihi protestátur, dicens : Quóniam víncula, et tribulatiónes Jerosólymis me manent. Sed nihil horum véreor : nec fácio ánimam meam pretiosiórem quam me, dúmmodo consúmmem cursum meum, et ministérium verbi, quod accépi a Dómino Jesu, testificári Evangélium grátiæ Dei.

℟. Iste sanctus.

Lectio ij.

Et nunc ecce ego scio, quia ámplius non vidébitis fáciem meam vos omnes, per quos transívi prædicans regnum Dei. Quaprópter contéstor vos hodiérna die, quia mundus sum a sánguine ómnium. Non enim subterfúgi, quo minus annuntiárem omne consílium Dei vobis. Atténdite vobis, et univérso gregi, in quo vos Spíritus sanctus pósuit Epíscopos régere Ecclésiam Dei, quam acquisívit sánguine suo. Ego scio quóniam intrábunt post discessiónem meam lupi rapáces in vos, non parcéntes gregi. Et ex vobis ipsis exsúrgent viri loquéntes pervérsa, ut abdúcant discípulos post se. Propter quod vigiláte memória retinéntes : quóniam per triénnium nocte, et die non cessávi, cum lácrymis monens unumquémque vestrum.

℟. Justus germinábit.

Lectio iij.

Et nunc comméndo vos Deo, et verbo grátiæ ipsíus, qui potens est ædificáre, et dare hereditátem in sanctificátis ómnibus. Argéntum, et aurum, aut vestem nullíus concupívi, sicut ipsi scitis : quóniam ad ea, quæ mihi opus erant, et his, qui mecum sunt, ministravérunt manus istæ. Omnia osténdi vobis, quóniam sic laborántes, opórtet suscí-

pere infírmos, ac meminísse verbi Dómini Jesu, quóniam ipse dixit : Beátius est magis dare, quam accípere. Et cum hæc dixísset, pósitis génibus suis orávit cum ómnibus illis. Magnus autem fletus factus est ómnium : et procumbéntes super collum Pauli, osculabántur eum, doléntes máxime in verbo, quod díxerat, quóniam ámplius fáciem ejus non essent visúri. Et deducébant eum ad navem.

℟. Iste cognóvit.

In secundo Noct. Lect. de Sermone S. Augustini. Triumphális, ut supra.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 14.

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis : Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem, et uxórem, et fílios, et fratres, et soróres, adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discípulus. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homilia 37. in Evangelia.

SI considerémus, fratres caríssimi, quæ et quanta sunt, quæ nobis promittúntur in cœlis, viléscunt ánimo ómnia, quæ habéntur in terris. Terréna namque substántia supérnæ felicitáti comparáta, pondus est, non subsídium. Temporális vita ætérnæ vitæ comparáta, mors est pótius dicénda, quam vita. Ipse enim quotidiánus deféctus corruptiónis, quid est áliud, quam quædam prolíxitas mortis? Quæ autem lingua dícere, vel quis intelléctus cápere súfficit, illa supérnæ civitátis quanta sint gáudia? Angelórum choris interésse, cum beatíssimis spirítibus glóriæ Conditóris assístere, præséntem Dei vultum cérnere, incircumscríptum lumen vidére, nullo mortis metu áffici, incorruptiónis perpétuæ múnere lætári?

℟. Coróna áurea.

Lectio viij.

SEd ad hæc audíta inardéscit ánimus : jamque illic cupit assístere, ubi se sperat sine fine gaudére. Sed ad magna præmia perveníri non potest, nisi per magnos labóres. Unde et Paulus egrégius prædicátor dicit : Non coronábitur, nisi qui legítime certáverit. Deléctat ergo mentem magnitúdo

præmiórum : sed non detérreat certámen labórum. Unde ad se veniéntibus Véritas dicit : Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxórem, et fílios, et fratres, et soróres, adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discípulus.

℟. Glória et honóre.

Lectio ix.

SEd percontári libet, quómodo paréntes, et carnáliter propínquos præcípimur odísse, qui jubémur et inimícos dilígere? Et certe de uxóre Véritas dicit : Quod Deus conjúnxit, homo non séparet. Et Paulus ait : Viri, dilígite uxóres vestras, sicut et Christus Ecclésiam. Ecce discípulus uxórem diligéndam prædicat, cum magíster dicat : Qui uxórem non odit, non potest meus esse discípulus. Numquid áliud judex núntiat, áliud præco clamat? an simul et odísse póssumus, et dilígere? Sed si vim præcépti perpéndimus, utrúmque ágere per discretiónem valémus : ut eos, qui nobis carnis cognatióne conjúncti sunt, et quos próximos nóvimus, diligámus : et quos adversários in via Dei pátimur, odiéndo et fugiéndo nesciámus.

℟. Miles Christi.

ALIUD EVANGELIUM

pro Episcopo et Martyre.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vij. Cap. 13.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vidéte, vigiláte, et oráte : nescítis enim quando tempus sit. Et réliqua.

Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri.

Lib. 4. in Marc. Cap. 42.

PErspícue osténdit Dóminus, quare supra díxerit : De die autem illo, vel hora, nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Fílius, nisi Pater. Quia non expédiat scire Apóstolis, ut péndulæ exspectatiónis incérti, semper eum credant esse ventúrum, quem ignórant, quando ventúrus sit. Et non dixit : Quia nescímus, qua hora Dóminus ventúrus sit, sed nescítis. Præmissóque patrisfamílias exémplo, cur retíceat consummatiónis diem, maniféstius docet, dicens : Vigiláte ergo, nescítis enim, quando Dóminus domus véniat, sero, an média nocte, an galli cantu, an

mane; ne cum vénerit repénte, invéniat vos dormiéntes.
℟. Coróna áurea.

Lectio viij.

Homo autem, qui péregre proféctus, relíquit domum suam, haud dúbium, quin Christus sit, qui ad Patrem, post resurrectiónem victor ascéndens, Ecclésiam corporáliter relíquit : quam tamen nunquam divínæ præsídio præséntiæ destítuit, manens in illa ómnibus diébus usque ad consummatiónem sæculi. Carnis étenim locus próprie terra est, quæ velut ad peregrína ducta est, cum per Redemptórem nostrum est in cœlo collocáta.
℟. Glória et honóre.

Lectio ix.

Dedit autem servis suis potestátem cujúsque óperis : quia fidélibus suis concéssa sancti Spíritus grátia, facultátem tríbuit bonis opéribus serviéndi. Janitóri quoque præcépit, ut vigiláret : quia órdini pastórum, ac rectórum spirituálium, commíssæ sibi Ecclésiæ curam solérti observántia jubet impéndere.
℟. Miles Christi.

TEMP. PASCHALI.

Commune infra positum pro Tempore Paschali sumitur tantum in Officio unius, vel plurimorum SS. Martyrum.

Sed si occurrat Festum duplex majus Officio proprio carens, tunc tres cujuslibet Nocturni Añæ sumuntur de Communi extra Tempus Paschale addito cuilibet **Allelúia,** omissa Aña Nocturnorum Temporis Paschalis; cetera ut hic assignantur.

De Sanctis vero Confessoribus, tam Pontificibus, quam non Pontificibus, Virginibus, Matronis, ac Dedicatione Ecclesiæ, Tempore Paschali Officium fit ut in aliis Temporibus; sed in fine Invitatorii, Antiphonarum, et Responsoriorum tam brevium, quam aliorum additur **Allelúia,** et tres Psalmi cujuslibet Nocturni dicuntur sub sola prima Aña illius; excepto secundo Noct. Communium unius Virginis et unius Matronæ, in quo Aña **Adjuvábit eam** dicitur, relicta prima **Spécie tua,** propter identitatem Versus, nempe **Spécie tua.** Excipiuntur Festa duplicia majora, in iis enim

tres Antiphonæ recitantur in quolibet Nocturno, uti in alio tempore solet.

COMMUNE
MARTYRUM
Tempore Paschali.

AD VESPERAS.

Si fuerit Duplex minus, Aña. **Sancti tui, Dómine, florébunt sicut lílium, allelúia : et sicut odor bálsami erunt ante te, allelúia.**

Psalmi de Offic. præced.

Capitulum. Sap. 5.

STabunt justi in magna constántia advérsus eos, qui se angustiavérunt, et qui abstulérunt labóres eórum.

Si Duplex fuerit, ℟. **Fíliæ Jerúsalem veníte, et vidéte *Mártyrem* cum *coróna, qua* coronávit *eum* Dóminus, * In die solemnitátis, et lætítiæ, allelúia.**

℣. **Quóniam confortávit seras portárum tuárum, benedíxit fíliis tuis in te. In die solemnitátis.**

Glória. **In die.**

Si fuerint plures Mártyres, in Responsorio et Antiphona ad Magnificat, dicitur : **Mártyres cum corónis, quibus coronávit eos.**

Hymnus, qui competit Festo extra Tempus Paschale.

℣. **Sancti et justi in Dómino gaudéte.** ℟. **Vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúia.**

Ad Magnificat, Aña. **Fíliæ Jerúsalem veníte, et vidéte *Mártyrem* cum *coróna, qua* coronávit *eum* Dóminus in die solemnitátis, et lætítiæ, allelúia, allelúia.**

Pro commemoratione, si occurrat, Aña. **Lux perpétua lucébit sanctis tuis Dómine, allelúia, et ætérnitas témporum, allelúia.**

℣. **Lætítia sempitérna.**

Oratio, si non adsit propria, sumitur de Communi extra Tempus Paschale, prout Festo congruit.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. **Exsúltent in Dómino sancti, * Allelúia.**

Ps. **Veníte, exsultémus. 2.**

Hymnus, qui competit Festo extra Tempus Paschale.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. **Stabunt justi in magna constántia advérsus eos, qui se angustiavérunt, allelúia.**

Sub una sola Antiphona dicuntur Psalmi cujuslibet Nocturni, prout Festo

congruunt, de Communi extra Tempus Paschale.

℣. Sancti et justi in Dómino gaudéte. ℟. Vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúia.

Lectiones j. Nocturni de Scriptura occurrente, sed quando non adsunt, et Feriæ proxime præcedentis lectæ sunt, accipiantur de Communi alterius Temporis.

℟. j. Beátus vir, qui métuit Dóminum, allelúia : * In mandátis ejus cupit nimis, allelúia, allelúia, allelúia.

℣. Potens in terra erit semen ejus, generátio rectórum benedicétur. In mandátis.

℟. ij. Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo, et laudabúntur, * Omnes recti corde, allelúia, allelúia.

℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte justi, et gloriámini. Omnes.

℟. iij. De ore prudéntis procédit mel, allelúia, dulcédo mellis est sub lingua ejus, allelúia. * Favus distíllans lábia ejus, allelúia, allelúia.

℣. Quam dúlcia fáucibus meis elóquia Dómini, super mel ori meo. Favus. Glória Patri. Favus.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Ecce quómodo computáti sunt inter fílios Dei, et inter Sanctos sors illórum est, allelúia.

Psalmi ij. Nocturni de Communi extra Tempus Paschale.

℣. Lux perpétua lucébit sanctis tuis Dómine. ℟. Et ætérnitas témporum, allelúia.

Lectiones secundi Nocturni pro uno Martyre sive Episc. sive non.

Sermo sancti Ambrósii Epíscopi. Serm. 22.

Lectio iv.



Dignum, et cóngruum est, fratres, ut post lætítiam Paschæ, quam in Ecclésia celebrávimus, gáudia nostra cum sanctis Martyribus conferámus : et iis annuntiémus Domínicæ resurrectiónis glóriam, qui consórtes sunt Domínicæ passiónis. Qui enim sócii sunt contuméliæ, debent et partícipes esse lætítiæ. Ita enim dicit beátus Apóstolus : Sicut sócii passiónum estis, et resurrectiónis éritis : si tolerábimus, inquit, et conregnábimus. Qui ergo toleravérunt mala propter Christum, debent et glóriam habére cum Christo.

℟. In diadémate cápitis Aáron lápides pretiósi fulgébant : * Dum perficerétur opus Dei, allelúia, allelúia, allelúia.

℣. Coróna áurea super caput ejus, expréssa signo sanctitátis. Dum perficerétur.

Lectio v.

ANnuntiémus (inquam) sanctis Martyribus Domínicæ Paschæ grátiam; ut dum sepultúræ illíus prædicámus reseráta claustra, et horum sepúlcra reseréntur. Dum corpus illíus mórtuum dícimus tepéntibus venis súbito viguísse, horum quoque membra jam frígida immortalitátis calóre foveántur. Eadem enim rátio Mártyres súscitat, quæ et Dóminum suscitávit. Nam sicut viam passiónis ejus expérti sunt, ita experiéntur et vitæ. Scriptum est enim in Psalmo : Notas mihi fecísti vias vitæ. Hoc útique in resurrectióne ex persóna dícitur Salvatóris. Ut qui dum post mortem ab ínferis redit ad súperos, incípiat notam habére viam vitæ, quæ ántea habebátur ignóta.

℟. Cándidi facti sunt Nazaræi ejus, allelúia : splendórem Deo dedérunt, allelúia. * Et sicut lac coaguláti sunt, allelúia, allelúia.

℣. Candidióres nive, nitidióres lacte, rubicundióres ébore antíquo, sapphíro pulchrióres. Et sicut.

Lectio vj.

IGnóta enim erat ante Christi advéntum via vitæ, quæ nullíus adhuc resurgéntis fúerat temeráta vestígio. At ubi Dóminus resurréxit, nota facta, solo attríta est plurimórum : de quibus sanctus Evangelísta ait : Multórum córpora Sanctórum surrexérunt cum eo, et introiérunt in sanctam civitátem. Unde cum Dóminus in resurrectióne sua díxerit : Notas mihi fecísti vias vitæ; póssumus et nos jam dícere Dómino : Notas fecísti nobis vias vitæ. Ipse enim nobis notas fecit vias vitæ, qui nobis sémitam manifestávit ad vitam. Notas enim mihi fecit vias vitæ, cum me dócuit fidem, misericórdiam, justítiam, castitátem. His enim perveníttur itinéribus ad salútem.

℟. Lux perpétua lucébit sanctis tuis Dómine; * Et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia.

℣. Vox lætítiæ, et exsultatiónis in tabernáculis justórum. Et ætérnitas.

Glória Patri. Et.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Tristítia vestra, allelúia, convertétur in gáudium, allelúia.

Psalmi iij. Nocturni de Communi extra Tempus Paschale.

℣. Lætítia sempitérna super cápita eórum. ℟. Gáudium et exsultatiónem obtinébunt, allelúia.

Quando fit Officium de uno Martyre, sive Episcopo sive non; Evangelium Ego sum vitis vera, ut supra, in Vigilia Apostolorum. [1]

℟. vij. Ego sum vitis vera, et vos pálmites : * Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, allelúia, allelúia.

℣. Manéte in dilectióne mea, sicut diléxi vos. Qui manet.

℟. viij. Ego sicut vitis fructificávi suavitátem odóris, allelúia. * Transíte ad me omnes, qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis impleémini, allelúia, allelúia.

℣. In me grátia omnis viæ, et veritátis, in me omnis spes vitæ, et virtútis. Transíte.

℟. ix. Fíliæ Jerúsalem veníte, et vidéte *Mártyrem* cum *corónam*, *qua* coronávit *eum* Dóminus, * In die solemnitátis, et lætítiæ, allelúia.

℣. Quóniam confortávit seras portárum tuárum, benedíxit fíliis tuis in te. In die solemnitátis.

Glória. In die.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerdotalis ℣. Fulgébunt justi sicut sol. ℟. In conspéctu Dei, allelúia.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

In cœléstibus regnis sanctórum habitátio est, allelúia, et in ætérnum réquies eórum, allelúia.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Sancti tui, Dómine, florébunt sicut lílium, allelúia, et sicut odor bálsami erunt ante te, allelúia.

Aña. In velaménto clamábunt sancti tui, Dómine, allelúia, allelúia, allelúia.

Aña. Sancti et justi in Dómino gaudéte, allelúia : vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúia.

Aña. Si manséritis in me, et verba mea in vobis mánserint, quodcúmque

petiéritis, fiet vobis, allelúia.

Capitulum. Sap. 5.

STabunt justi in magna constántia advérsus eos, qui se angustiavérunt, et qui abstulérunt labóres eórum.

Hymnus, qui competit Festo extra Tempus Paschale.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini. ℟. Mors sanctórum ejus, allelúia.

Ad Benedictus, Aña. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis Dómine, allelúia : et ætérnitas témporum, allelúia.

Pro commemoratione, si occurrat, Aña. Sancti et justi in Dómino gaudéte, allelúia : vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúia.

℣. Lætítia sempitérna.

Oratio, si non adsit propria, sumatur de Comm. quæ Festo congruit.

AD TERTIAM.

Capitulum. Stabunt justi, ut supra ad Laudes.

℟. Sancti et justi in Dómino gaudéte, * Allelúia, allelúia. Sancti.

℣. Vos elégit Deus in hereditátem sibi. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Sancti.

℣. Lux perpétua.

AD SEXTAM.

Capitulum. Sap. 5.

HI sunt, quos habúimus aliquándo in derísum, et in similitúdinem impropérii. Nos insensáti vitam illórum æstimabámus insániam, et finem illórum sine honóre.

℟. Lux perpétua lucébit sanctis tuis Dómine, * Allelúia, allelúia. Lux perpétua.

℣. Et ætérnitas témporum. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Lux.

℣. Lætítia sempitérna.

AD NONAM.

Capitulum. Sap. 5.

ECce quómodo computáti sunt inter fílios Dei, et inter Sanctos sors illórum est.

℟. Lætítia sempitérna super cápita eórum : * Allelúia, allelúia. Lætítia.

℣. Gáudium et exsultatiónem obtinébunt. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Lætítia.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini. ℟. Mors Sanctórum ejus, allelúia.

AD VESPERAS.

Añæ Laudum, Psalmi et Hymnus prout Festo congruunt, de Communi extra Tempus Paschale.

Capitulum. Stabunt justi.
℣. Sancti et justi, ut in j. Vesperis.
Ad Magnificat, Aña. Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, allelúia, allelúia, allelúia.
Pro alia comm. si occurrat, resumatur ij. Aña j. Vesperarum.

ALIÆ LECTIONES
pro pluribus Martyribus Tempore Paschali.

IN SECUNDO NOCTURNO.
De Epístola sancti Cypriáni Epíscopi et Mártyris, ad Mártyres et Confessóres.

Lectio iv.
Lib. 2. Epist. 6.

Quibus ego vos láudibus prædicem, fortíssimi Mártyres? Robur péctoris vestri, et perseverántiam fídei quo præcónio vocis exórnem? Tolerástis usque ad consummatiónem glóriæ duríssimam quæstiónem: nec cessístis supplíciis; sed vobis pótius supplícia cessérunt. Finem dolóribus, quem torménta non dabant, corónæ dedérunt. Laniéna grávior ad hoc diu perseverávit, non ut stantem fidem dejíceret, sed ut hómines Dei ad Deum velócius mítteret.
℟. In diadémate.

Lectio v.

Vidit admírans præséntium multitúdo cœléste certámen, certámen Dei, certámen spiritále, prælium Christi: stetísse servos ejus voce líbera, mente incorrúpta, virtúte divína, telis quidem sæculáribus nudos, sed armis fídei ardéntis armátos. Stetérunt torti torquéntibus fortióres: et pulsántes ac laniántes úngulas, pulsáta ac laniáta membra vicérunt. Inexpugnábilem fidem superáre non pótuit sæviens diu plaga repetíta, quamvis rupta compáge víscerum torqueréntur in servis Dei jam non membra, sed vúlnera. Fluébat sanguis, qui incéndium persecutiónis exstíngueret, qui flammas et ignes gehénnæ glorióso cruóre sopíret.
℟. Cándidi facti sunt.

Lectio vj.

O Quale illud fuit spectáculum Dómino, quam sublíme, quam magnum, quam Dei óculis sacraménto ac devotióne mílitis ejus accéptum? sicut scriptum est in Psalmis, Spíritu sancto loquénte ad nos páriter et monénte: Pretiósa est in conspéctu Dómini mors

justórum ejus. Pretiósa mors hæc est, quæ emit immortalitátem prétio sui sánguinis, quæ accépit corónam de consummatióne virtútis. Quam lætus illic Christus fuit, quam libens in tálibus servis suis, et pugnávit, et vicit protéctor fídei, dans credéntibus tantum, quantum se credit cápere qui sumit : certámini suo ádfuit, præliatóres atque assertóres sui nóminis eréxit, corroborávit, animávit. Et qui pro nobis mortem semel vicit, semper vincit in nobis.

℟. Lux perpétua.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. Cap. 15.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Ego sum vitis, vos pálmites : qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum : quia sine me nihil potéstis fácere. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 81. in Joann.

Ne quisquam putáret saltem parvum áliquem fructum posse a semetípso pálmitem ferre, cum dixísset : Hic fert fructum multum; non ait : Quia sine me parum potéstis fácere; sed, Nihil potéstis fácere. Sive ergo parum, sive multum, sine illo fíeri non potest, sine quo nihil fíeri potest. Quia etsi parum attúlerit palmes, eum purgat agrícola, ut plus ásferat : tamen nisi in vite mánserit, et víxerit de radíce, quantúmlibet fructum, a semetípso non potest ferre. Quamvis autem Christus vitis non esset, nisi homo esset, tamen istam grátiam palmítibus non præbéret, nisi étiam Deus esset.

℟. Ego sum vitis.

Lectio viij.

Verum, quia ita sine ista grátia non potest vivi, ut et mors in potestáte sit líberi arbítrii : Si quis in me, inquit, non mánserit, mittétur foras sicut palmes, et aréscet, et cólligent eum, et in ignem mittent, et ardet. Ligna ítaque vitis tanto sunt contemptibilióra, si in vite non mánserint; quanto gloriosióra, si mánserint. Dénique sicut de his étiam per Ezechiélem Prophétam Dóminus dicit, præcísa nullis agricolárum úsibus prosunt, nullis fabrílibus opéribus depután-

tur. Unum de duóbus pálmiti cóngruit, aut vitis, aut ignis : si in vite non est, in igne erit; ut ergo in igne non sit, in vite sit.

℟. Ego sicut vitis.

Lectio ix.

SI manséritis in me, inquit, et verba mea in vobis mánserint, quodcúmque voluéritis, petétis, et fiet vobis. Manéndo quippe in Christo, quid velle possunt, nisi quod cónvenit Christo? Quid velle possunt manéndo in Salvatóre, nisi quod non est aliénum a salúte? Aliud quippe vólumus, quia sumus in Christo; et áliud vólumus, quia sumus adhuc in hoc sæculo. De mansióne namque hujus sæculi nobis aliquándo subrépit, ut hoc petámus, quod nobis non expedíre nescímus. Sed absit, ut fiat nobis, si manémus in Christo : qui non facit, quando pétimus, nisi quod éxpedit nobis.

℟. Fíliæ Jerúsalem.

IN COMMUNI
plurimorum Martyrum
extra Tempus Paschale.

AD VESPERAS.

Si fuerit Duplex minus,

Aña. Cum palma ad regna pervenérunt sancti, corónas decóris meruérunt de manu Dómini.

Psalmi de Offic. præced.

Capitulum. Hebr. 11.



SAncti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes, in Christo Jesu Dómino nostro.

Si Duplex fuerit, ℟. Córpora sanctórum in pace sepúlta sunt, * Et vivent nómina eórum in generatiónem et generatiónem.

℣. Sapiéntiam sanctórum narrant pópuli, et laudem eórum pronúntiat omnis Ecclésia. Et.

Glória Patri. Et.

Hymnus.

SAnctórum méritis ínclyta gáudia
Pangámus sócii, géstaque fórtia :
Nam gliscit ánimus prómere cántibus
Victórum genus óptimum.

Hi sunt, quos rétinens mundus inhórruit :
Ipsum nam stérili flore per áridum
Sprevére pénitus; teque secúti sunt,
Rex Christe bone cœlitus.

Hi pro te fúrias, atque ferócia
Calcárunt hóminum, sævaque vérbera :

Cessit his lácerans fórtiter úngula,
Nec carpsit penetrália.
Cædúntur gládiis more bidéntium,
Non murmur résonat, non quærimónia :
Sed corde tácito, mens bene cónscia
Consérvat patiéntiam.
Quæ vox, quæ póterit lingua retéxere,
Quæ tu Martyribus múnera præparas?
Rubri nam flúido sánguine láureis
Ditántur bene fúlgidis.
Te summa Déitas, únaque póscimus,
Ut culpas ábluas : nóxia súbtrahas,
Des pacem fámulis : nos quoque glóriam
Per cuncta tibi sæcula.
Amen.

℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Ad Magnificat, Aña. Isti sunt sancti, qui pro Dei amóre minas hóminum contempsérunt, sancti Mártyres in regnum ætérnum exsúltant cum Angelis. O quam pretiósa est mors sanctórum, qui assídue assístunt ante Dóminum, et ab ínvicem non sunt separáti!

Pro comm. si occurrat, Aña. Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes.

℣. Exsúltent justi.

In Festo plurim. Mart. fratrum. dic. sequens Aña. Hæc est vera fratérnitas quæ nunquam pótuit violári certámine, qui effúso sánguine, secúti sunt Dóminum, contemnéntes aulam régiam, pervenérunt ad regna cœléstia.

Pro Martyribus tantum.

Oratio.

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum N. et N. solemnitáte lætíficas : concéde propítius : ut, quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

Pro Martyribus tantum.

Alia Oratio.

Deus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum N. et N. natalítia cólere; da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Pro Martyribus et Pontificibus.

Oratio.

Beatórum Mártyrum, paritérque Pontíficum N. et N. nos, quæsu-

mus Dómine, festa tueántur : et eórum comméndet orátio veneránda. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitat. Regem Mártyrum Dóminum, * Veníte adorémus.

Psalmus. Veníte, exsultémus. 2.

Hymnus. D. Ambr.

In quo Tempore Paschali nihil additur, nec mutatur.

Ætérna Christi múnera,
Et Mártyrum victórias
Laudes canéntes débitas,
Lætis canámus méntibus.

Terróre victo sæculi,
Pœnísque spretis córporis,
Mortis sacræ compéndio,
Vitam beátam póssident.

Tradúntur igni Mártyres
Et bestiárum déntibus :
Armáta sævit úngulis
Tortóris insáni manus.

Nudáta pendent víscera,
Sanguis sacrátus fúnditur :
Sed pérmanent immóbiles,
Vitæ perénnis grátia.

Te nunc Redémptor quæsumus,
Ut Mártyrum consórtio
Jungas precántes sérvulos
In sempitérna sæcula.
Amen.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Secus decúrsus.

Psalmus j.

BEátus vir, qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiæ non sedit :

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo :

Et fólium ejus non défluet : * et ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic : * sed tamquam pulvis, quem prójicit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii in judício : * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum : * et iter impiórum períbit.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Secus decúrsus aquárum plantávit víneam justórum : et in lege Dómini fuit volúntas eórum.

Aña. Tamquam aurum.

Psalmus ij.

Quare fremuérunt Gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Adstitérunt reges terræ,* et Príncipes convenérunt in unum advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum : * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cœlis irridébit eos : * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me : * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi Gentes hereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc reges intellígite : * erudímini qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre : * et exsultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam nequándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes, qui confídunt in eo.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus : et quasi holocáusta accépit illos in ætérnum.

Aña. Si coram homínibus.

Psalmus iij.

Domine quid multiplicáti sunt qui tríbulant me ? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimæ meæ : * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Dómine suscéptor meus es,* glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi : * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum : * et exsurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me : * exsúrge Dómine, salvum me fac Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa : * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus : * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Si coram homínibus torménta passi sunt, spes electórum est immortális in ætérnum.

℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 3.

JUstórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori : et æstimáta est afflíctio éxitus illórum : et quod a nobis est iter, extermínium : illi autem sunt in pace. Et si coram homínibus torménta passi sunt, spes illórum immortalitáte plena est. In paucis vexáti, in multis bene disponéntur : quóniam Deus tentávit eos, et invénit illos dignos se. Tamquam aurum in fornáce probávit illos, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos, et in témpore erit respéctus illórum. Fulgébunt justi, et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent. Judicábunt natiónes, et dominabúntur pópulis, et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

℟. Abstérget Deus omnem lácrymam ab óculis sanctórum : et jam non erit ámplius neque luctus neque clamor, sed nec ullus dolor, * Quóniam prióra transiérunt.

℣. Non esúrient, neque sítient ámplius : neque cadet super illos sol, neque ullus æstus. Quóniam.

Lectio ij. Cap. 5.

STabunt justi in magna constántia advérsus eos, qui se angustiavérunt, et qui abstulérunt labóres eórum. Vidéntes turbabúntur timóre horríbili, et mirabúntur in subitatióne insperátæ salútis, dicéntes intra se, pœniténtiam agéntes, et præ angústia spíritus geméntes. Hi sunt, quos habúimus aliquándo in derísum, et in similitúdinem impropérii. Nos insensáti vitam illórum æstimabámus insániam, et finem illórum sine honóre : ecce quómodo computáti sunt inter fílios Dei, et inter sanctos sors illórum est. Ergo errávimus a via veritátis, et justítiæ lumen non luxit nobis, et sol intelligéntiæ non est ortus nobis.

℟. Viri sancti gloriósum sánguinem fudérunt pro Dómino, amavérunt Christum in vita sua, imitáti sunt eum in morte sua : * Et ídeo corónas triumpháles meruérunt.
℣. Unus spíritus, et una fides erat in eis. Et ídeo.

Lectio iij.

Justi autem in perpétuum vivent, et apud Dóminum est merces eórum, et cogitátio illórum apud Altíssimum. Ideo accípient regnum decóris, et diadéma speciéi de manu Dómini : quóniam déxtera sua teget eos, et bráchio sancto suo defféndet illos. Accípiet armatúram zelus illíus, et armábit creatúram ad ultiónem inimicórum. Induet pro thoráce justítiam, et accípiet pro gálea judícium certum. Sumet scutum inexpugnábile æquitátem : ácuet autem duram iram in lánceam, et pugnábit cum illo orbis terrárum contra insensátos.
℟. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia : * Et meruérunt habére corónas perpétuas.
℣. Isti sunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. Et meruérunt.
Glória Patri. Et meruérunt.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Dabo sanctis meis.

Psalmus xiv.

Domine quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?
Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam :
Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua :
Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.
Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus : * timéntes autem Dóminum gloríficat :
Qui jurat próximo suo, et non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocéntem non accépit :
Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.
Glória Patri, et Fílio.
Aña. Dabo sanctis meis locum nominátum in regno Patris mei, dicit Dóminus.
Aña. Sanctis.

Psalmus xv.

Consérva me Dómine, quóniam sperávi in te. * Dixi Dómino : Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum : * póstea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus : * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hereditátis meæ, et cálicis mei : * tu es, qui restítues hereditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris : * étenim heréditas mea præclára est mihi.

Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intelléctum : * ínsuper et usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper : * quóniam a dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum, et exsultávit lingua mea : * ínsuper et caro mea requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno : * nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecísti vias vitæ, adimplébis me lætítia cum vultu tuo : * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Sanctis qui in terra sunt ejus, mirificávit omnes voluntátes meas inter illos.

Aña. Sancti.

Psalmus xxiij.

Dómini est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, qui non accépit in vano ánimam suam, * nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras, et elevámini por-

tæ æternáles : * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rexglóriæ? * Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras, et elevámini portæ æternáles : * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Glória Patri.

Aña. Sancti qui sperant in Dómino, habébunt fortitúdinem : assúment pennas ut áquilæ, volábunt, et non defícient.

℣. Exsúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 47. de Sanctis.

Lectio iv.



QUotiescúmque, fratres caríssimi, sanctórum Mártyrum solémnia celebrámus, ita ipsis intercedéntibus, exspectémus a Dómino cónsequi temporália benefícia, ut ipsos Mártyres imitándo, accípere mereámur ætérna. Ab ipsis enim sanctórum Mártyrum in veritáte festivitátum gáudia celebrántur, qui ipsórum Mártyrum exémpla sequúntur. Solemnitátes enim Mártyrum exhortatiónes martyriórum sunt, ut imitári non pígeat, quod celebráre deléctat.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis :* Terra appáruit árida, et in mari rubro via sine impediménto.

℣. Victrícem manum tuam laudavérunt páriter, et decantavérunt Dómine, nomen sanctum tuum. Terra.

Lectio v.

SEd nos vólumus gaudére cum Sanctis, et tribulatiónem mundi nólumus sustinére cum ipsis. Qui enim sanctos Mártyres, in quantum potúerit imitári nolúerit, ad eórum beatitúdinem non póterit perveníre. Sed et Apóstolus Paulus prædicat, dicens : Si fuérimus sócii passiónum, érimus et consolatiónum. Et Dóminus in Evangélio : Si mundus vos odit, scitóte quia me priórem vobis ódio hábuit. Recúsat esse in córpore, qui ódium non vult sustinére cum cápite.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nó-

mine, * Ut herédes fíerent in domo Dómini.

℣. Immánia enim pro Christo in suis corpóribus pertulérunt torménta. Ut.

Lectio vj.

SEd dicit áliquis : Et quis est, qui possit beatórum Mártyrum vestígia sequi? Huic ego respóndeo : Quia non solum Mártyres, sed étiam ipsum Dóminum, cum ipsíus adjutório, si vólumus, póssumus imitári. Audi non me, sed ipsum Dóminum géneri humáno clamántem : Díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde. Audi et beátum Petrum Apóstolum admonéntem : Christus passus est pro nobis, relínquens nobis exémplum, ut sequámur vestígia ejus.

℟. O constántia Mártyrum laudábilis! o cáritas inexstinguíbilis! o patiéntia invincíbilis! quæ licet inter pressúras persequéntium visa sit despicábilis, * Inveniétur in laudem, glóriam, et honórem in témpore retributiónis.

℣. Nobis ergo pétimus, piis subvéniant méritis, honorificáti a Patre, qui est in cœlis. Inveniétur.

Glória Patri. Inveniétur.

Sequens ℟. dicitur in Festo plurimorum Martyrum fratrum.

℟. Hæc est vera fratérnitas, quæ nunquam pótuit violári certámine : qui effúso sánguine, secúti sunt Dóminum : * Contemnéntes aulam régiam, pervenérunt ad regna cœléstia.

℣. Ecce quam bonum, et quam jucúndum, habitáre fratres in unum. Contemnéntes.

Glória Patri. Contemnéntes.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Lætámini in Dómino.

Psalmus xxxj.

BEáti, quorum remíssæ sunt iniquitátes : * et quorum tecta sunt peccáta.

Beátus vir, cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea, * dum clamárem tota die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua : * convérsus sum in ærúmna mea, dum confígitur spina.

Delíctum meum cógnitum tibi feci : * et injustítiam meam non abscóndi.

Dixi : Confitébor ad-

vérsum me injustítiam meam Dómino : * et tu remisísti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus, * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum a tribulatióne, quæ circúmdedit me : * exsultátio mea érue me a circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, et ínstruam te in via hac, qua gradiéris : * firmábo super te óculos meos.

Nolíte fíeri sicut equus et mulus, * quibus non est intelléctus.

In camo, et fræno maxíllas eórum constrínge, * qui non appróximant ad te.

Multa flagélla peccatóris, * sperántem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino et exsultáte justi, * et gloriámini omnes recti corde.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Lætámini in Dómino, et exsultáte justi : et gloriámini omnes recti corde.

Aña. Justi autem.

Psalmus xxxij.

Exsultáte justi in Dómino : * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dómino in cíthara : * in psaltério decem chordárum psállite illi.

Cantáte ei cánticum novum : * bene psállite ei in vociferatióne.

Quia rectum est verbum Dómini, * et ómnia ópera ejus in fide.

Díligit misericórdiam et judícium : * misericórdia Dómini plena est terra.

Verbo Dómini cœli firmáti sunt : * et spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Cóngregans sicut in utre aquas maris : * ponens in thesáuris abyssos.

Tímeat Dóminum omnis terra : * ab eo autem commoveántur omnes inhabitántes orbem.

Quóniam ipse dixit, et facta sunt : * ipse mandávit, et creáta sunt.

Dóminus díssipat consília Géntium : * réprobat autem cogitatiónes populórum, et réprobat consília príncipum.

Consílium autem Dómini in ætérnum manet : * cogitatiónes cordis ejus in generatiónem et generatiónem.

Beáta gens, cujus est Dóminus, Deus ejus : * pópulus, quem elégit in hereditátem sibi.

De cœlo respéxit Dóminus : * vidit omnes fílios hóminum.

De præparáto habitáculo suo * respéxit super omnes, qui hábitant terram.

Qui finxit singillátim corda eórum : * qui intélligit ómnia ópera eórum.

Non salvátur rex per multam virtútem : * et gigas non salvábitur in multitúdine virtútis suæ.

Fallax equus ad salútem : * in abundántia autem virtútis suæ non salvábitur.

Ecce óculi Dómini super metuéntes eum : * et in eis, qui sperant super misericórdia ejus.

Ut éruat a morte ánimas eórum : * et alat eos in fame.

Anima nostra sústinet Dóminum : * quóniam adjútor et protéctor noster est.

Quia in eo lætábitur cor nostrum : * et in nómine sancto ejus sperávimus.

Fiat misericórdia tua Dómine super nos : * quemádmodum sperávimus in te.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Justi autem in perpétuum vivent, et apud Dóminum est merces eórum.

Aña. Sanguis.

Psalmus lxxviij.

Deus venérunt Gentes in hereditátem tuam, polluérunt templum sanctum tuum : * posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam.

Posuérunt morticína servórum tuórum, escas volatílibus cœli : * carnes sanctórum tuórum béstiis terræ.

Effudérunt sánguinem eórum tamquam aquam in circúitu Jerúsalem : * et non erat qui sepelíret.

Facti sumus oppróbrium vicínis nostris : * subsannátio et illúsio his, qui in circúitu nostro sunt.

Usquequo Dómine irascéris in finem : * accendétur velut ignis zelus tuus?

Effúnde iram tuam in Gentes, quæ te non novérunt : * et in regna, quæ nomen tuum non invocavérunt.

Quia comedérunt Jacob : * et locum ejus desolavérunt.

Ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum, cito antícipent nos misericórdiæ tuæ : * quia

páuperes facti sumus nimis.

Adjuva nos Deus salutáris noster : et propter glóriam nóminis tui Dómine líbera nos : * et propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum :

Ne forte dicant in Géntibus : Ubi est Deus eórum? * et innotéscat in natiónibus coram óculis nostris,

Ultio sánguinis servórum tuórum, qui effúsus est : * intróeat in conspéctu tuo gémitus compeditórum.

Secúndum magnitúdinem bráchii tui, * pósside fílios mortificatórum.

Et redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum : * impropérium ipsórum, quod exprobravérunt tibi Dómine.

Nos autem pópulus tuus, et oves páscuæ tuæ : * confitébimur tibi in sæculum :

In generatiónem et generatiónem * annuntiábimus laudem tuam.

Glória Patri.

Aña. Sánguis sanctórum Mártyrum pro Christo effúsus est in terra : ídeo adépti sunt múnera sempitérna.

℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 6.

In illo témpore : Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, et turba discipulórum ejus, et multitúdo copiósa plebis. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 5. in Luc. c. 6.

Advérte ómnia diligénter, quómodo et cum Apóstolis ascéndat, et descéndat ad turbas. Quómodo enim turba, nisi in húmili Christum vidéret? Non séquitur ad excélsa, non ascéndit ad sublímia. Dénique ubi descéndit, ínvenit infírmos. In excélsis enim infírmi esse non possunt. Hinc étiam Matthæus docet in inferióribus débiles esse sanátos. Prius enim unusquísque sanándus est, ut paulátim virtútibus procedéntibus ascéndere possit ad montem. Et ídeo quemque in inferióribus sanat : hoc est, a libídine révocat : injúriam cæcitátis avértit. Ad vúlnera nostra descéndit : ut usu quodam, et cópia suæ natúræ, compartíci-

pes nos fáciat esse regni cœléstis.

℟. Sancti mei, qui in isto sæculo certámen habuístis : * Mercédem labórum ego reddam vobis.

℣. Veníte benedícti Patris mei, percípite regnum. Mercédem.

Lectio viij. Paulo post.

BEáti páuperes, quia vestrum est regnum Dei. Quátuor tantum beatitúdines sanctus Lucas Domínicas pósuit, octo vero sanctus Matthæus : sed in illis octo istæ quátuor sunt : et in quátuor istis illæ octo. Hic enim quátuor velut virtútes ampléxus est cardináles. Ille in illis octo mysticum númerum reserávit. Pro octáva enim multi inscribúntur Psalmi, et mandátum áccipis octo illis partem dare, fortásse benedictiónibus. Sicut enim spei nostræ octáva perféctio est, ita octáva summa virtútum est.

℟. Propter testaméntum Dómini, et leges patérnas, sancti Dei stetérunt in amóre fraternitátis; * Quia unus semper fuit spíritus in eis, et una fides.

℣. Ecce quam bonum, et quam jucúndum, habitáre fratres in unum. Quia unus.

Lectio ix.

SEd prius, quæ sunt amplióra videámus. Beáti (inquit) páuperes spíritu, quóniam vestrum est regnum Dei. Primam benedictiónem hanc utérque Evangelísta pósuit. Ordine enim prima est, et parens quædam, generatióque virtútum : quia qui contémpserit sæculária, ipse merébitur sempitérna. Nec potest quisquam méritum regni cœléstis adipísci, qui mundi cupiditáte pressus, emergéndi non habet facultátem.

℟. Córpora sanctórum in pace sepúlta sunt, * Et vivent nómina eórum in generatiónem et generatiónem.

℣. Sapiéntiam sanctórum narrant pópuli, et laudem eórum pronúntiat omnis Ecclésia. Et vivent.

Glória Patri. Et.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerdotalis ℣. Exsultábunt sancti in glória.

℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

OMnes sancti, quanta passi sunt torménta, ut secúri pervenírent ad palmam martyrii.

Psalmus. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Cum palma ad regna pervenérunt sancti, corónas decóris meruérunt de manu Dómini.

Aña. Córpora Sanctórum in pace sepúlta sunt, et vivent nómina eórum in ætérnum.

Aña. Mártyres Dómini Dóminum benedícite in ætérnum.

Aña. Exsultábunt sancti in glória, lætabúntur in cubílibus suis.

Capitulum. Hebr. 11.

SAncti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes in Christo Jesu Dómino nostro.

Hymnus. D. Greg.

REx gloriósе Mártyrum,
Coróna confiténtium,
Qui respuéntes térrea
Perdúcis ad cœléstia.

Aurem benígnam prótinus
Appóne nostris vócibus :
Trophæa sacra pángimus,
Ignósce quod delíquimus.

Tu vincis in Martyribus,
Parcéndo Confessóribus :
Tu vince nostra crímina
Donándo indulgéntiam.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc et in perpétuum.
Amen.

℣. Mirábilis Deus in sanctis suis. ℟. Et gloriósus in majestáte sua.

Ad Benedictus, Aña. Istórum est enim regnum cœlórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad præmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

Pro comm. si occurrat, Aña. Sanctum et verum lumen, et admirábile, minístrans lucem his, qui permansérunt in agóne certáminis : recípient ab eo splendórem sempitérnum, in quo assídue felíces lætántur.

℣. Justi autem in perpétuum.

Pro Martyribus tantum.

Oratio.

DEus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum N. et N. solemnitáte lætíficas : concéde propítius, ut quorum gaudémus méritis accendámur exémplis. Per Dóminum.

Pro Martyribus tantum.

Alia Oratio.

DEus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum N. et N. na-

talítia cólere; da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Pro Mart. Pontificibus.

Oratio.

BEatórum Mártyrum, paritérque Pontíficum N. et N. nos quæsumus Dómine, festa tueántur et eórum comméndet orátio veneránda. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Capit. Sancti per fidem, ut supra.

℟. Lætámini in Dómino, * Et exsultáte justi. Lætámini.

℣. Et gloriámini omnes recti corde. Et.

Glória Patri. Lætámini.

℣. Exsúltent justi.

AD SEXTAM.

Capitulum. Sap. 3.

FUlgébunt justi, et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent. Judicábunt natiónes, et dominabúntur pópulis, et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

℟. Exsúltent justi, * In conspéctu Dei. Exsúltent.

℣. Et delectúntur in lætítia. In conspéctu.

Glória Patri. Exsúltent.

℣. Justi autem.

AD NONAM.

Capitulum. Sap. 10.

REddidit Deus justis mercédem labórum suórum, et dedúxit illos in via mirábili : et fuit illis in velaménto diéi, et in luce stellárum per noctem.

℟. Justi autem, In perpétuum vivent. Justi.

℣. Et apud Dóminum est merces eórum. In perpétuum.

Glória Patri. Justi autem.

℣. Mirábilis Deus in sanctis suis.

℟. Et gloriósus in majestáte sua.

AD VESPERAS.

Añæ Laudum.

Psalmus cix.

DIxit Dóminus Dómino meo : * Sede a dextris meis :

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion : * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum : * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.
Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquassábit cápita in terra multórum.
De torrénte in via bibet : * proptérea exaltábit caput.
Glória Patri, et Fílio.

Psalmus cx.

Confitébor tibi Dómine in toto corde meo : * in consílio justórum, et congregatióne.
Magna ópera Dómini : * exquisíta in omnes voluntátes ejus.
Conféssio et magnificéntia opus ejus : * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.
Memóriam fecit mirabílium suórum, miséricors et miserátor Dóminus : * escam dedit timéntibus se.
Memor erit in sæculum testaménti sui : * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo :
Ut det illis hereditátem géntium : * ópera mánuum ejus véritas, et judícium.
Fidélia ómnia mandáta ejus : * confirmáta in sæculum sæculi, facta in veritáte et æquitáte.
Redemptiónem misit pópulo suo : * mandávit in ætérnum testaméntum suum.
Sanctum et terríbile nomen ejus : * inítium sapiéntiæ timor Dómini.
Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum : * laudátio ejus manet in sæculum sæculi.
Glória Patri, et Fílio.

Psalmus cxv.

Crédidi, propter quod locútus sum : * ego autem humiliátus sum nimis.
Ego dixi in excéssu meo : * omnis homo mendax.
Quid retríbuam Dómino, * pro ómnibus, quæ retríbuit mihi?
Cálicem salutáris accípiam : * et nomen Dómini invocábo.
Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus : * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus :
O Dómine, quia ego servus tuus : * ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ.
Dirupísti víncula mea : * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.
Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus : * in átriis do-

mus Dómini, in médio tui Jerúsalem.

Glória Patri.

Psalmus cxxxix.

Eripe me Dómine ab hómine malo : * a viro iníquo éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde : * tota die constituébant prælia.

Acuérunt linguas suas sicut serpéntis : * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Custódi me Dómine de manu peccatóris : * et ab homínibus iníquis éripe me.

Qui cogitavérunt supplantáre gressus meos : * abscondérunt supérbi láqueum mihi :

Et funes extendérunt in láqueum : * juxta iter scándalum posuérunt mihi.

Dixi Dómino : Deus meus es tu : * exáudi Dómine vocem deprecatiónis meæ.

Dómine, Dómine virtus salútis meæ : * obumbrásti super caput meum in die belli.

Ne tradas me Dómine a desidério meo peccatóri : * cogitavérunt contra me, ne derelínquas me, ne forte exalténtur.

Caput circúitus eórum : * labor labiórum ipsórum opériet eos.

Cadent super eos carbónes, in ignem dejícies eos : * in misériis non subsístent.

Vir linguósus non dirigétur in terra : * virum injústum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciet Dóminus judícium ínopis : * et vindíctam páuperum.

Verúmtamen justi confitebúntur nómini tuo : * et habitábunt recti cum vultu tuo.

Glória Patri, et Fílio.

Psalmus cxlvij.

Lauda Jerúsalem Dóminum : * lauda Deum tuum Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum : * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem : * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ : * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam : * nébulam sicut cínerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas : * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emíttet verbum suum, et liquefáciet ea : * flabit

spíritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob : * justítias, et judícia sua Israel.

Non fecit táliter omni natióni : * et judícia sua non manifestávit eis.

Glória Patri, et Fílio.

Capit. Hymn. et ℣. ut in primis Vesperis.

Ad Magnificat, Aña. Gaudent in cœlis ánimæ sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti : et quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo regnábunt in ætérnum.

Pro alia comm. si occurrat, resumitur ij. Aña j. Vesperarum.

ALIUD EVANGELIUM.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 21.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Cum audiéritis prælia, et seditiónes, nolíte terréri : opórtet primum hæc fíeri, sed nondum statim finis. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homilia 35. in Evangelia.

DOminus ac Redémptor noster peritúri mundi præcurréntia mala denúntiat, ut eo minus pertúrbent veniéntia, quo fúerint præscíta. Minus enim jácula fériunt, quæ prævidéntur : et nos tolerabílius mundi mala suscípimus, si contra hæc per præsciéntiæ clypeum munímur. Ecce enim dicit : Cum audiéritis prælia, et seditiónes, nolíte terréri : opórtet enim primum hæc fíeri, sed nondum statim finis. Pensánda sunt verba Redemptóris nostri ; per quæ nos áliud intérius, áliud extérius passúros esse denúntiat. Bella quippe ad hostes pértinent, seditiónes ad cives. Ut ergo nos índicet intérius exteriúsque turbári, áliud nos fatétur ab hóstibus, áliud a frátribus pérpeti.

℟. Sancti mei, ut supra.

Lectio viij.

SEd his malis præveniéntibus, quia non statim finis sequátur, adjúngit : Surget Gens contra Gentem, et regnum advérsus regnum, et terræmótus magni erunt per loca, et pestiléntiæ, et fames, terrorésque de cœlo, et signa magna erunt. Ultima tribulátio multis tribulatiónibus prævenítur, et per crebra mala, quæ prævéniunt, indicántur


mala perpétua, quæ subsequéntur. Et ídeo post bella, et seditiónes non statim finis : quia multa debent mala præcúrrere, ut malum váleant sine fine nuntiáre.


℟. Propter testaméntum.

Lectio ix.

SEd cum tot signa perturbatiónis dicta sint, opórtet ut eórum consideratiónem bréviter per síngula perstringámus. Quia necésse est, ut ália e cœlo, ália e terra, ália ab eleméntis, ália ab homínibus patiámur. Ait enim : Surget Gens contra Gentem : ecce perturbátio hóminum. Erunt terræmótus magni per loca : ecce respéctus iræ désuper. Erunt pestiléntiæ : ecce inæquálitas córporum. Erit fames : ecce sterílitas terræ. Terrorésque de cœlo, et tempestátes : ecce inæquálitas áeris. Quia ergo ómnia consummánda sunt, ante consummatiónem ómnia perturbántur. Et qui in cunctis delíquimus, in cunctis ferímur : ut impleátur quod dícitur : Et pugnábit pro eo orbis terrárum contra insensátos.

℟. Córpora sanctórum.





In Communi unius Confessoris Pontificis.

AD VESPERAS.

Si fuerit Duplex minus,

Aña. Serve bone et fidélis, intra in gáudium Dómini tui.

Psalmi de Offic. præc.

Capitulum. Eccles. 50.

ECce Sacérdos magnus, qui in vita sua suffúlsit domum, et in diébus suis corroborávit templum. Qui præváluit amplificáre civitátem, qui adéptus est glóriam in conversatióne Gentis.

Si Duplex fuerit, ℟. Sancte N. Christi Conféssor, audi rogántes sérvulos : * Et impetrátam nobis cœlitus tu defer indulgéntiam.

℣. O sancte N. sidus áureum Dómini grátia, servórum gémitus sólita súscipe cleméntia. Et impetrátam.

Glória Patri. Et.

Hymnus.

ISte Conféssor Dómini sacrátus,
Festa plebs cujus célebrat per orbem,
Hódie lætus méruit secréta
Scándere cœli.

Qui pius, prudens, húmilis, pudícus,
Sóbrius, castus fuit, et quiétus, [távit ejus
Vita dum præsens vegeCórporis artus.

Ad sacrum cujus túmulum frequénter
Membra languéntum modo sanitáti,

Quólibet morbo fúerint gravâta,
Restituúntur.
Unde nunc noster chorus in honórem
Ipsius hymnum canit hunc libénter,
Ut piis ejus méritis juvémur
Omne per ævum.
Sit salus illi, decus, atque virtus :
Qui supra cœli résidens cacúmen,
Tótius mundi máchinam gubérnat
Trinus et unus.
Amen.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnificat, Aña. Conféssor Dómini N. adstántem plebem corróbora sancta intercessióne : ut qui vitiórum póndere prémimur, beatitúdinis tuæ glória sublevémur, et te duce, ætérna præmia consequámur.

Pro comm. si occurrat, Aña. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum, et ad portas Paradísi coronávit eum.

℣. Justum dedúxit Dóminus.

Si fuerit summus Pontifex, ad Magnificat, Aña. Dum esset summus Póntifex, terréna non métuit, sed ad cœléstia regna gloriósus pervénit.

Oratio.

Da, quæsumus omnípotens Deus, ut beáti N. Confessóris tui atque Pontíficis, veneránda solémnitas et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

Alia Oratio.

Exáudi, quæsumus Dómine, preces nostras, quas in beáti N. Confessóris tui atque Pontíficis, solemnitáte deférimus : et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem Confessórum Dóminum, * Veníte adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus. 2.

Hymnus. Iste Conféssor, ut supra ad Vesperas.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Beátus vir.

Psalmus j.

Beátus vir, qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiæ non sedit :

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo :

Et fólium ejus non défluet : * et ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic : * sed tamquam pulvis, quem prójicit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii in judício, * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum : * et iter impiórum perîbit.

Glória Patri.

Aña. Beátus vir, qui in lege Dómini meditátur : volúntas ejus pérmanet die ac nocte : et ómnia quæcúmque fáciet, semper prosperabúntur.

Aña. Beátus iste sanctus.

Psalmus ij.

Quare fremuérunt Gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Adstitérunt reges terræ, * et príncipes convenérunt in unum advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum : * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cœlis irridébit eos : * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me : * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi Gentes hereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc reges intellígite : * erudímini qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre : * et exsultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam nequándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes, qui confídunt in eo.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Beátus iste sanctus, qui confísus est in Dómi-

no : prædicávit præcéptum Dómini, constitútus est in monte sancto ejus.

Aña. Tu es glória mea.

Psalmus iij.

Domine quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimæ meæ : * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Dómine suscéptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi : * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum : * et exsurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me : * exsúrge Dómine, salvum me fac Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa : * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus : * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Tu es glória mea, tu es suscéptor meus Dómine; tu exáltans caput meum, et exaudísti me de monte sancto tuo.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 3.

Fidélis sermo : Si quis Episcopátum desíderat, bonum opus desíderat. Opórtet ergo Epíscopum irreprehensíbilem esse, uníus uxóris virum, sóbrium, prudéntem, ornátum, pudícum, hospitálem, doctórem, non vinoléntum, non percussórem, sed modéstum : non litigiósum, non cúpidum, sed suæ dómui bene præpósitum : fílios habéntem súbditos cum omni castitáte. Si quis autem dómui suæ præésse nescit, quómodo Ecclésiæ Dei diligéntiam habébit? Non neóphytum : ne in supérbiam elátus, in judícium íncidat diáboli. Opórtet autem illum et testimónium habére bonum ab iis qui foris sunt, ut non in oppróbrium íncidat, et in láqueum diáboli.

℟. Euge serve bone et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam :* Intra in gáudium Dómini tui.

℣. Dómine quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Intra.

De Epístola ad Titum.

Lectio ij. Cap. 1. ℣. 7.

OPórtet enim Epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem : non supérbum, non iracúndum : non vinoléntum, non percussórem, non turpis lucri cúpidum, sed hospitálem, benígnum, sóbrium, justum, sanctum, continéntem, amplecténtem eum, qui secúndum doctrínam est, fidélem sermónem : ut potens sit exhortári in doctrína sana, et eos, qui contradícunt, argúere. Sunt enim multi étiam inobediéntes, vaníloqui, et seductóres; máxime qui de circumcisióne sunt, quos opórtet redárgui : qui univérsas domos subvértunt, docéntes quæ non opórtet, turpis lucri grátia.

℟. Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. * Ideo jurejurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam.

℣. Benedictiónem ómnium Géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. Ideo.

Lectio iij. Cap. 2.

TU autem lóquere quæ decent sanam doctrínam : senes ut sóbrii sint, pudíci, prudéntes, sani in fide, in dilectióne, in patiéntia. Anus simíliter in hábitu sancto, non criminatríces, non multo vino serviéntes, bene docéntes : ut prudéntiam dóceant adolescéntulas, ut viros suos ament, fílios suos díligant, prudéntes, castas, sóbrias, domus curam habéntes, benígnas, súbditas viris suis, ut non blasphemétur verbum Dei. Júvenes simíliter hortáre, ut sóbrii sint. In ómnibus teípsum præbe exémplum bonórum óperum, in doctrína, in integritáte, in gravitáte verbum sanum, irreprehensíbile : ut is, qui ex advérso est, vereátur, nihil habens malum dícere de nobis.

℟. Jurávit Dóminus et non pœnitébit eum : * Tu es Sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

℣. Dixit Dóminus Dómino meo : Sede a dextris meis. Tu es.

Glória Patri. Tu es.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Invocántem.

Psalmus iv.

Um invocárem exaudívit me Deus justítiæ meæ : * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum úsquequo gravi corde? * ut quid diígitis vanitátem, et quæritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum : * Dóminus exáudiet me cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre, * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, et speráte in Dómino. * Multi dicunt : Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui Dómine : * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui, * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam et requiéscam;

Quóniam tu Dómine singuláriter in spe * constituísti me.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Invocántem exaudívit Dóminus sanctum suum : Dóminus exaudívit eum, et constítuit eum in pace.

Aña. Læténtur omnes.

Psalmus v.

VErba mea áuribus pércipe Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo : * Dómine mane exáudies vocem meam.

Mane adstábo tibi, et vidébo,* quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus : * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem : * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum et dolósum abominábitur Dóminus : * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Introíbo in domum tuam, * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine deduc me in justítia tua : * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas : *cor eórum vanum est.

Sepúlcrum patens est guttur eórum, linguis suis dolóse agébant, * júdica illos Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos, * quóniam irritavérunt te Dómine.

Et læténtur omnes, qui sperant in te, in ætérnum exsultábunt : * et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ, * coronásti nos.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Læténtur omnes qui sperant in te Dómine : quóniam tu benedixísti justo, scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti eum.

Aña. Dómine.

Psalmus viij.

Domine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cœlos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, oves, et boves univérsas : * ínsuper et pécora campi.

Vólucres cœli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Dómine Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra! Quia glória et honóre coronásti sanctum tuum, et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Sermo sancti Máximi Epíscopi.

Hom. 2. de Nat. S. Eusebii Vercell. Episc.

Lectio iv.

AD sancti, ac beatíssimi Patris nostri N. cujus hódie festa celebrámus, laudes addidísse áliquid, decerpsísse est; síquidem virtútum ejus grátia non sermónibus exponénda est, sed opéribus comprobánda. Cum enim dicat Scriptúra : Glória patris est fílius sápiens : quantæ hujus sunt glóriæ, qui tantórum filiórum sapiéntia, et devotióne lætátur? In Christo enim Jesu per Evangélium ipse nos génuit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem : et exaltávi eléctum de plebe mea. * Manus enim mea auxiliábitur ei.

℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio v.

QUidquid ígitur in hac sancta plebe potest esse virtútis et grátiæ, de hoc quasi quodam fonte lucidíssimo, ómnium rivulórum púritas emanávit. Etenim, quia castitátis pollébat vigóre, quia abstinéntiæ gloriabátur angústiis, quia blandiméntis erat præditus lenitátis, ómnium cívium in Deum provocávit afféctum : quia Pontíficis administratióne fulgébat, plures e discípulis relíquit sui sacerdótii successóres.

℟. Amávit eum Dóminus et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum : * Et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et ad.

Lectio vj.

BEne, et cóngrue in hac die, quam nobis beáti Patris nostri N. ad Paradísum tránsitus exsultábilem réddidit, præséntis Psalmi versículum decantávimus : In memória ætérna erit justus. Digne enim in memóriam vértitur hóminum, qui ad gáudium tránsiit Angelórum. Dicit sermo divínus : Ne laudes hóminem in vita sua : tamquam si díceret : Lauda post vitam, magnífica post consummatiónem. Dúplici enim ex causa utílius est hóminum magis memóriæ laudem dare, quam vitæ : ut illo potíssimum témpore mérita san-

ctitátis extóllas, quando nec laudántem adulátio movet, nec laudátum tentet elátio.

℟. Ecce vir prudens, qui ædificávit domum suam supra petram, in cujus ore non est invéntus dolus : * Quia Deus elégit eum in sacerdótem sibi.
℣. Ecce vere Israelíta, in quo dolus non est. Quia.
Glória Patri. Quia.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Dómine, iste sanctus.

Psalmus xiv.


Omine quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?
Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam :
Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua :
Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.
Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus : * timéntes autem Dóminum gloríficat :
Qui jurat próximo suo, et non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocéntem non accépit :
Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.
Glória Patri, et Fílio.

Aña. Dómine, iste sanctus habitábit in tabernáculo tuo : operátus est justítiam, requiéscet in monte sancto tuo.

Aña. Vitam pétiit a te.

Psalmus xx.

Domine in virtúte tua lætábitur Rex : * et super salutáre tuum exsultábit veheménter.
Desidérium cordis ejus tribuísti ei : * et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.
Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.
Vitam pétiit a te : * et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum, et in sæculum sæculi.
Magna est glória ejus in salutári tuo : * glóriam, et magnum decórem impónes super eum.
Quóniam dabis eum in benedictiónem in sæculum sæculi : * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.
Quóniam Rex sperat in

Dómino : * et in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui : * Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes : * et semen eórum a fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala : * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum : * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre Dómine in virtúte tua : * cantábimus et psallémus virtútes tuas.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei, Dómine : glóriam, et magnum decórem imposuísti super eum : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Aña. Hic accípiet.

Psalmus xxiij.

Dómini est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus, et mundo corde, qui non accépit in vano ánimam suam, * nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras, et elevámini portæ æternáles : * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis, et potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras, et elevámini portæ æternáles : * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Glória Patri.

Aña. Hic accípiet benedictiónem a Dómino, et misericórdiam a Deo salutári suo : quia hæc est generátio quæréntium Dóminum.

℣. Justus ut palma florébit in domo Dómini. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 25.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Homo quidam péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homilia 9. in Evangelia.

Léctio sancti Evangélii, fratres caríssimi, sollícite consideráre nos ádmonet, ne nos, qui plus céteris in hoc mundo accepísse áliquid cérnimur, ab auctóre mundi grávius inde judicémur. Cum enim augéntur dona, ratiónes étiam crescunt donórum. Tanto ergo esse humílior, atque ad serviéndum Deo prómptior quisque debet ex múnere, quanto se obligatiórem esse cónspicit in reddénda ratióne. Ecce homo, qui péregre profícíscitur, servos suos vocat, eísque ad negótium talénta partítur. Post multum vero témporis positúrus ratiónem, revértitur : bene operántes pro apportáto lucro remúnerat, servum vero a bono ópere torpéntem damnat.

℟. Magnificávit eum Dóminus in conspéctu regum, * Et dedit illi corónam glóriæ.

℣. Státuit illi testaméntum sempitérnum. Et.

Lectio viij.

Quis ítaque iste homo est, qui péregre profícíscitur, nisi Redémptor noster; qui in ea carne, quam assúmpserat, ábiit in cœlum? Carnis enim locus próprius terra est, quæ quasi ad peregrína dúcitur, dum per Redemptórem nostrum in cœlo collocátur. Sed homo iste péregre proficíscens, servis suis bona sua trádidit : quia fidélibus suis spirituália dona concéssit : et uni quidem quinque talénta, álii duo, álii vero commísit unum. Quinque étenim sunt córporis sensus, vidélicet, visus, audítus, gustus, odorátus, et tactus. Quinque ergo taléntis, donum quinque sénsuum, id est, exteriórum sciéntia exprímitur. Duóbus vero intelléctus, et operátio designátur. Uníus autem talénti nómine, intelléctus tantúmmodo designátur.

℟. Vir Israelíta, gaude cohéres Christi : * Ora pro nobis.

℣. Ut précibus tuis a Deo véniam sperémus, devóti ad te confúgimus. Ora.

Lectio ix.

SEd is qui quinque talénta accéperat, ália quinque lucrátus est : quia sunt nonnúlli, qui etsi intérna, ac mystica penetráre nésciunt, pro intentióne tamen supérnæ pátriæ docent recta, quos possunt, de ipsis exterióribus, quæ accepérunt : duplum taléntum portant : dumque se a carnis petulántia, et a terrenárum rerum ámbitu, atque a visibílium voluptáte custódiunt, ab his étiam álios admonéndo compéscunt. Et sunt nonnúlli, qui quasi duóbus taléntis ditáti, intelléctum, atque operatiónem percípiunt, subtília de intérnis intélligunt, mira in exterióribus operántur. Cumque et intelligéndo et operándo áliis prædicant, quasi duplicátum de negótio lucrum repórtant.

℟. Sancte N. Christi Conféssor, audi rogántes sérvulos : * Et impetrátam nobis cœlitus tu defer indulgéntiam.

℣. O sancte N. sidus áureum Dómini grátia, servórum gémitus sólita súscipe cleméntia. Et impetrátam.

Glória Patri. Et.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerdot. ℣. Elégit eum Dóminus sacerdótem sibi.

℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

ECce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus.

Psalmus. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam.

Aña. Beátus ille servus, quem cum vénerit Dóminus ejus, et pulsáverit jánuam, invénerit vigilántem.

Aña. Sacerdótes Dei benedícite Dóminum : servi Dómini hymnum dícite Deo in ætérnum.

Aña. Serve bone et fidélis, intra in gáudium Dómini tui.

Capitulum. Eccl. 50.



Cce sacérdos magnus, qui in vita sua suffúlsit domum; et in diébus suis

corroborávit templum. Qui prævâluit amplificáre civitátem, qui adéptus est glóriam in conversatióne Gentis.

Hymnus.

JEsu Redémptor ómnium,
Perpes coróna Præsulum,
In hac die cleméntius
Nostris favéto précibus.
Tui sacri qua nóminis
Conféssor almus cláruit,
Hujus celébrat ánnua,
Devóta plebs solémnia.
Qui rite mundi gáudia
Hujus cadúca réspuens,
Cum Angelis cœléstibus
Lætus potítur præmiis.
Hujus benígne ánnue
Nobis sequi vestígia;
Hujus precátu sérvulis
Dimítte noxam críminis.
Sit Christe Rex piíssime
Tibi, Patríque glória;
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum.
Amen.

℣. Justus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Ad Benedictus, Aña. Euge serve bone et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Pro comm. si occurrat, Aña. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justus ut palma.

Oratio.

DA quæsumus omnípotens Deus : ut beáti N. Confessóris tui atque Pontíficis, veneránda solémnitas et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

Alia Oratio.

Exáudi quæsumus Dómine preces nostras, quas in beáti N. Confessóris tui atque Pontíficis, solemnitáte deférimus : et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Capitulum. Ecce sacérdos magnus, ut supra.

℟. Amávit eum Dóminus, * Et ornávit eum. Amávit.

℣. Stolam glóriæ índuit eum. Et.

Glória Patri. Amávit.

℣. Justum dedúxit.

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccl. 44.

ECce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus, et in

témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

℟. Justum dedúxit Dóminus * Per vias rectas. Justum.

℣. Et osténdit illi regnum Dei. Per vias.

Glória Patri. Justum.

℣. Justus ut palma.

AD NONAM.

Capitulum. Eccl. 44.

BEnedictiónem ómnium Géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus Dóminus Deus noster.

℟. Justus ut palma florébit * In domo Dómini. Justus ut palma.

℣. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur. In domo.

Glória Patri. Justus.

℣. Justus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

AD VESPERAS.

Añæ Laudum, Psalmi de Dominica et loco ultimi, Meménto Dómine. 170. Capit. Hymn. et ℣. ut in primis Vesp.

Ad Magnificat, Aña. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est: et omnis terra doctrína ejus repléta est : ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum.

Si fuerit summus Pontifex, Aña. Dum esset summus Póntifex terréna non métuit : sed ad cœléstia regna gloriósus pervénit.

Pro alia comm. si occurrat, resumitur secunda Aña primarum Vesp.

ALIUD EVANGELIUM.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 24.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi.

Comm. in Matth. canone 26. in fine.

ET ignorántiam illam diéi ómnibus táciti, non sine útilis siléntii ratióne esse scirémus, vigiláre nos Dóminus propter advéntum furis admónuit, et oratiónum assiduitáte deténtos, ómnibus præceptórum suórum opéribus inhæréré. Furem enim esse osténdit zábulum ad detrahénda ex nobis spólia pervígilem, et córporum nostrórum dómibus insidiántem, ut ea incuriósis nobis, et somno déditis, consiliórum suórum at-

que illecebrárum jáculis perfódiat. Parátos ígitur esse nos cónvenit : quia diéi ignorátio inténtam sollicitúdinem suspénsæ exspectatiónis exágitet.

℟. Magnificávit.

Lectio viij. Canone 27.

Quisnam est fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam? Quamquam in commúne nos ad indeféssam vigilántiæ curam adhortétur, speciálem tamen pópuli princípibus, id est, Epíscopis, in exspectatióne, adventúque suo sollicitúdinem mandat. Hunc enim servum fidélem, atque prudéntem, præpósitum famíliæ signíficat, cómmoda atque utilitátes commíssi sibi pópuli curántem : qui si dicto áudiens, et præcéptis obédiens erit, id est, si doctrínæ opportunitáte, et veritáte infírma confírmet, disrúpta consólidet, depraváta convértat; et verbum vitæ in æternitátis cibum aléndæ famíliæ dispéndat : atque hæc agens, hisque ímmorans deprehendátur : glóriam a Dómino, tamquam dispensátor fidélis, et víllicus útilis consequétur; et super ómnia bona constituétur; id est, in Dei glória collocábitur, quia nihil sit ultra, quod mélius sit.

℟. Vir Israelíta.

Lectio ix.

Quod si cóntuens longam Dei patiéntiam, quæ in proféctum humánæ salútis exténditur, advérsum consérvos insoléscet, et sæculi malis, vitiísque se tradet, præséntium tantum curam in cultu ventris exércens; desperáta die Dóminus advéniet, eúmque a bonis, quæ spopónderat, dívidet, portionémque ejus cum hypócritis in pœnæ æternitáte constítuet : quia advéntum desperáverit, quia mandátis non obtemperáverit, quia præséntibus studúerit, quia vita Géntium víxerit, quia desperatióne judícii commíssam sibi famíliam fame, siti, cæde, vexáverit.

℟. Sancte N.

IN COMMUNI
DOCTORUM.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis, vel non Pontificis pro qualitate Festi, præter ea, quæ inferius ponuntur.

IN I. VESPERIS.

Ad Magnificat, Aña. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte N. divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

Oratio.

Deus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum N. minístrum tribuísti, præsta quæsumus, ut quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cœlis. Per Dóminum nostrum.

IN PRIMO NOCTURNO.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 39.

Sapiéntiam ómnium antiquórum exquíret sápiens, et in Prophétis vacábit. Narratiónem virórum nominatórum conservábit, et in versútias parabolárum simul introíbit. Occúlta proverbiórum exquíret, et in abscónditis parabolárum conversábitur. In médio magnatórum ministrábit, et in conspéctu præsidis apparébit. In terram alienigenárum Géntium pertránsiet : bona enim et mala in homínibus tentábit.

℟℟. pro qualitate Festi.

Lectio ij.

Cor suum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur. Apériet os suum in oratióne, et pro delíctis suis deprecábitur. Si enim Dóminus magnus volúerit, spíritu intelligéntiæ replébit illum : et ipse tamquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ, et in oratióne confitébitur Dómino : et ipse díriget consílium ejus, et disciplínam, et in abscónditis suis consiliábitur.

Lectio iij.

Ipse palam fáciet disciplínam doctrínæ suæ, et in lege testaménti Dómini gloriábitur. Collaudábunt multi sapiéntiam ejus, et usque in sæculum non delébitur. Non recédet memória ejus, et nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem. Sapiéntiam ejus enarrábunt Gentes, et laudem ejus enuntiábit Ecclésia.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papæ.

Lectio iv. Lib. 9. Cap. 6.

Qui post Oríonas hyadum nómine, nisi doctóres sanctæ Ecclésiæ designán-

tur? qui subdúctis Martyribus, eo jam témpore ad mundi notítiam venérunt, quo fides clárius elúcet; et représsa infidelitátis híeme, áltius per corda fidélium sol veritátis calet : qui remóta tempestáte persecutiónis, explétis longis nóctibus infidelitátis, tunc sanctæ Ecclésiæ orti sunt, cum ei jam per credulitátis vernum lucídior annus aperítur.

Lectio v.

Nec immérito doctóres sancti Hyadum nuncupatióne signántur. Græco quippe elóquio hyetos plúvia vocátur, et hyades nomen a plúviis accepérunt, quia ortæ procul dúbio imbres ferunt. Bene ergo hyadum appellatióne expréssi sunt, qui ad statum universális Ecclésiæ, quasi in cœli fáciem dedúcti, super aréntem terram humáni péctoris sanctæ prædicatiónis imbres fudérunt. Si enim prædicatiónis sermo plúvia non esset, Móyses mínime dixísset : Exspectétur sicut plúvia elóquium meum : et nequáquam per Isaíam Véritas díceret : Mandábo núbibus meis, ne pluant super eam imbrem; atque hoc, quod paulo ante protúlimus : Quámobrem prohíbitæ sunt stellæ pluviárum.

Lectio vj.

Dum ergo Hyades cum plúviis véniunt, ad cœli spátia altióra sol dúcitur : quia apparénte doctórum sciéntia, dum mens nostra imbre prædicatiónis infúnditur, fídei calor augétur. Et perfúsa terra ad fructum próficit, cum lumen ætheris ignéscit : quia ubérius frugem boni óperis réddimus, dum per sacræ eruditiónis flammam in corde clárius ardémus. Dumque per eos diébus síngulis magis magísque sciéntia cœléstis osténditur; quasi intérni nobis lúminis vernum tempus aperítur : ut novus sol nostris méntibus rútilet, et eórum verbis nobis cógnitus, seípso quotídie clárior micet. Urgénte étenim mundi fine, supérna sciéntia próficit, et lárgius cum témpore excréscit.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5.

In illo témpore : Docébat Jesus discípulos suos, dicens : Vos estis sal terræ. Quod si sal eva-

núerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Ex lib. 1. de Serm. Dom. in monte. Cap. 10.

OSténdit Dóminus fátuos esse judicándos, qui temporálium bonórum vel cópiam sectántes, vel inópiam metuéntes, amíttunt ætérna, quæ nec dari possunt ab homínibus, nec auférri. Itaque si sal infatuátum fúerit, in quo saliétur? id est, si vos, per quos condiéndi sunt quodámmodo pópuli, metu persecutiónum temporálium amiséritis regna cœlórum, qui erunt hómines, per quos a vobis error auferátur, cum vos elégerit Deus, per quos errórem áuferat ceterórum?

Lectio viij.

ERgo ad níhilum valet sal infatuátum, nisi ut mittátur foras, et calcétur ab homínibus. Non ítaque calcátur ab homínibus, qui pátitur persecutiónem : sed qui persecutiónem timéndo infatuátur. Calcári enim non potest, nisi inférior : sed inférior non est, qui quamvis córpore multa in terra sustíneat, corde tamen fixus in cœlo est.

Lectio ix.

VOs estis lumen mundi. Quómodo dixit supérius sal terræ, sic nunc dicit lumen mundi. Nam neque supérius ista terra accipiénda est, quam pédibus corpóreis calcámus; sed hómines, qui in terra hábitant, vel étiam peccatóres, quorum condiéndis, et exstinguéndis putóribus Apostólicum salem Dóminus misit. Et hic mundum, non cœlum et terram, sed hómines qui sunt in mundo, vel díligunt mundum, opórtet intélligi : quibus illuminándis Apóstoli missi sunt. Non potest cívitas abscóndi super montem pósita, id est, fundáta super insígnem, magnámque justítiam, quam signíficat étiam ipse mons, in quo dísputat Dóminus.

IN II. VESPERIS.

Ad Magnificat, Antiphona. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est : et omnis terra doctrína ejus repléta est : ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum.

IN COMMUNI
Unius Confessoris non Pontificis.
AD VESPERAS.

Si fuerit Duplex minus, Aña. **Serve bone et fidélis, intra in gáudium Dómini tui.**

Psalmi de Offic. præced.

Capitulum. Eccl. 31.

BEátus vir, qui invéntus est sine mácula; et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua.

℟. **Sancte** N. **Christi Conféssor, audi rogántes sérvulos : * Et impetrátam nobis cœlitus tu defer indulgéntiam.**

℣. **O Sancte** N. **sidus áureum Dómini grátia, servórum gémitus sólita súscipe cleméntia. Et impetrátam.**

Glória Patri. Et.

Hymnus.

ISte Conféssor Dómini sacrátus,
Festa plebs cujus célebrat per orbem,
Hódie lætus méruit secréta
Scándere cœli.

Qui pius, prudens, húmilis, pudícus,
Sóbrius, castus fuit, et quiétus,
Vita dum præsens vegetávit ejus
Córporis artus.

Ad sacrum cujus túmulum frequénter
Membra languéntum modo sanitáti,
Quólibet morbo fúerint graváta,
Restituúntur.

Unde nunc noster chorus in honórem
Ipsius, hymnum canit hunc libénter,
Ut piis ejus méritis juvémur
Omne per ævum.

Sit salus illi, decus, atque virtus :
Qui supra cœli résidens cacúmen,
Tótius mundi máchinam gubérnat
Trinus et unus.
Amen.

℣. **Amávit eum Dóminus, et ornávit eum.**
℟. **Stolam glóriæ índuit eum.**

Ad Magnificat, Aña. **Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.**

Pro commem. si occurrat, Aña. **Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi scién-**

tiam sanctórum : honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus.

℣. Justus ut palma.

Oratio.

DEus, qui nos beáti N. Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

Alia Oratio.

ADésto Dómine supplicatiónibus nostris, quas in beáti N. Confessóris tui solemnitáte deférimus : ut qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, ejus, qui tibi plácuit, précibus adjuvémur. Per Dóminum nostrum.

Si fuerit Abbas.

Oratio.

INtercéssio nos, quæsumus Dómine, beáti N. Abbátis comméndet : ut quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Justus florébit in domo Dómini plantátus :* Gaudeámus, et exsultémus in ejus sacra solemnitáte.

Psalmus. Veníte, exsultémus. 2.

Hymnus. Iste Conféssor, ut supra.

Añæ, Psalmi, et ℣. Nocturnorum ut supra, in Communi unius Confessoris Pontif.

IN PRIMO NOCTURNO.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 4. ℣. 7.



JUstus si morte præoccupátus fúerit, in refrigério erit. Senéctus enim venerábilis est, non diutúrna, neque annórum número computáta : cani autem sunt sensus hóminis, et ætas senectútis vita immaculáta. Placens Deo factus est diléctus, et vivens inter peccatóres translátus est. Raptus est, ne malítia mutáret intelléctum ejus, aut ne fíctio decíperet ánimam illíus. Fascinátio enim nugacitátis obscúrat bona, et inconstántia concupiscéntiæ transvértit sensum sine malítia. Consummátus in brevi explévit témpora multa : plácita enim erat Deo ánima illíus : propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum.

℟. Euge serve bone et fidélis, quia super pauca

fuísti fidélis, supra multa te constítuam : * Intra in gáudium Dómini tui.

℣. Dómine quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Intra.

Lectio ij.

Populi autem vidéntes, et non intelligéntes, nec ponéntes in præcórdiis tália : quóniam grátia Dei, et misericórdia est in sanctos ejus, et respéctus in eléctos illíus. Condémnat autem justus mórtuus vivos ímpios, et juvéntus celérius consummáta, longam vitam injústi. Vidébunt enim finem sapiéntis, et non intélligent, quid cogitáverit de illo Deus, et quare muníerit illum Dóminus. Vidébunt, et contémnent eum : illos autem Dóminus irridébit. Et erunt post hæc decidéntes sine honóre, et in contumélia inter mórtuos in perpétuum : quóniam disrúmpet illos inflátos sine voce, et commovébit illos a fundaméntis, et usque ad suprémum desolabúntur.

℟. Justus germinábit sicut lílium : * Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. Et.

Lectio iij.

Et erunt geméntes et memória illórum períbit. Vénient in cogitatióne peccatórum suórum tímidi, et tradúcent illos ex advérso iniquitátes ipsórum. Tunc stabunt justi in magna constántia advérsus eos, qui se angustiavérunt, et qui abstulérunt labóres eórum. Vidéntes turbabúntur timóre horríbili, et mirabúntur in subitatióne insperátæ salútis, dicéntes intra se, pœniténtiam agéntes, et præ angústia spíritus geméntes. Hi sunt, quos habúimus aliquándo in derísum, et in similitúdinem impropérii. Nos insensáti vitam illórum æstimabámus insániam, et finem illórum sine honóre : ecce quómodo computáti sunt inter fílios Dei, et inter sanctos sors illórum est.

℟. Iste cognóvit justítiam, et vidit mirabília magna, et exorávit Altíssimum. * Et invéntus est in número sanctórum.

℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Et invéntus.

Glória Patri. Et.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

In Orat. de S. Philogon. sub initium.

Lectio iv.

BEáti N. dies, cujus hódie festivitátem celebrámus, ad ipsíus recte factórum enarratiónem linguam nostram evocávit : síquidem hódie beátus iste ad tranquíllam, omnísque perturbatiónis expértem vitam tránsiit; eóque navígium áppulit, ubi deínceps non póterit metúere naufrágium, nec ullam ánimi perturbatiónem aut dolórem. Et quid mirum est, si locus ille purus est ab omni moléstia ánimi, cum Paulus homínibus adhuc in hac vita degéntibus loquens, dicat : Semper gaudéte, sine intermissióne oráte?

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine. * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

℣. Posuísti Dómine super caput ejus corónam de lápide pretióso. Et.

Lectio v.

QUod si hic, ubi morbi, ubi insectatiónes, ubi præmatúræ mortes, ubi calúmniæ, ubi invídiæ, ubi perturbatiónes, ubi iræ, ubi cupiditátes, ubi innumerábiles insídiæ, ubi quotidiánæ sollicitúdines, ubi perpétua, sibíque succedéntia mala sunt, innúmeros ex omni parte dolóres afferéntia, Paulus dixit fíeri posse, ut semper gaudeámus; si quis páululum ex rerum mundanárum flúctibus eréxerit caput, vitámque suam recte composúerit : multo magis, postquam hinc demigravérimus, fácile cómpotes érimus ejus boni, cum hæc ómnia subláta fúerint, advérsa valetúdo, morbi, peccándi matéria, ubi non est meum ac tuum, frígidum illud verbum, et quidquid est malórum in vitam nostram ínvehens, innumeráque gignens bella.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum : * Et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Induit eum Dóminus loríçam fídei, et ornávit eum. Et ad.

Lectio vj.

QUámobrem maximópere grátulor hujus Sancti felicitáti : quod quamquam translátus est, atque hanc, quæ apud nos est, civitátem relíquit,

tamen in álteram adscríptus est civitátem, nempe Dei : et digréssus ab hac Ecclésia, ad illam pervénit, quæ est primogenitórum descriptórum in cœlis : ac relíctis hisce festis, tránsiit ad celebritátem Angelórum. Etenim quod et supérne sit cívitas, Ecclésia, ac celébritas, audi Paulum dicéntem : Accessístis ad civitátem Dei vivéntis, ad Jerúsalem cœléstem, et Ecclésiam primitivórum, qui conscrípti sunt in cœlis, et ad multórum míllium Angelórum frequéntiam.

℟. Iste sanctus digne in memóriam vértitur hóminum : qui ad gáudium tránsiit Angelórum : quóniam in hac peregrinatióne solo córpore constitútus, cogitatióne, et aviditáte, * In illa ætérna pátria conversátus est.

℣. Vínculis carnis absolútus, taléntum sibi créditum Dómino suo duplicátum reportávit. In illa.

Glória Patri. In illa.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis : Nemo lucérnam accéndit, et in abscóndito ponit, neque sub módio, sed supra candelábrum, ut qui ingrediúntur, lumen vídeant. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 7. in Luc.



QUia in superióribus Ecclésiam Synagógæ prætulit, hortátur nos, ut fidem pótius nostram ad Ecclésiam transferámus : Lucérna enim fides est, juxta quod scriptum est : Lucérna pédibus meis verbum tuum, Dómine. Verbum enim Dei fides nostra est : Verbum Dei lux est, lucérna est fides. Erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum. Lucérna autem lucére non potest, nisi aliúnde lumen accéperit.

℟. Magnificávit eum Dóminus in conspéctu regum : * Et dedit illi corónam glóriæ.

℣. Státuit illi testaméntum sempitérnum. Et dedit.

Lectio viij.

HÆc est lucérna, quæ accénditur, virtus scílicet nostræ mentis, et sensus; ut drachma illa possit, quæ períerat, re-

períri. Nemo ergo fidem sub lege constítuat. Lex enim intra mensúram est, ultra mensúram grátia. Lex obúmbrat, grátia claríficat. Et ídeo nemo fidem suam intra mensúram legis inclúdat, sed ad Ecclésiam cónferat, in qua septifórmis spíritus relúcet grátia, quam princeps ille sacerdótum fulgóre supérnæ divinitátis illúminat, ne eam legis umbra restínguat.

℟. Vir Israelíta, gaude cohéres Christi : * Ora pro nobis.

℣. Ut précibus tuis a Deo véniam sperémus, devóti ad te confúgimus. Ora.

Lectio ix.

DEnique lucérna illa, quam matutínis vespertiníque tempóribus, ritu véteri Judæórum princeps sacerdótum solébat accéndere, velut sub módio sita legis evánuit : et cívitas illa Jerúsalem, quæ in terris est, quæ occídit Prophétas, quasi in conválle fletus pósita delitéscit. Illa autem Jerúsalem, quæ in cœlo est, in qua mílitat fides nostra, in illo altíssimo ómnium locáta monte, hoc est, in Christo, Ecclésia non potest ténebris, et ruínis hujus mundi abscóndi ; sed fulgens candóre Solis ætérni, luce nos grátiæ spiritális illúminat.

℟. Sancte N. Christi Conféssor, audi rogántes sérvulos, * Et impetrátam nobis cœlitus tu defer indulgéntiam.

℣. O sancte N. sidus áureum Dómini grátia, servórum gémitus sólita súscipe cleméntia. Et.

Glória Patri. Et.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerdotalis ℣. Os justi meditábitur sapiéntiam.

℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

JUstum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.

Psalmus. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam.

Aña. Beátus ille servus, quem cum vénerit Dóminus ejus, et pulsáverit jánuam, invénerit vigilántem.

Aña. Ecce vere Israelíta, in quo dolus non est.

Aña. Serve bone et fidélis, intra in gáudium Dómini tui.

Capitulum. Eccl. 31.

BEátus vir, qui invéntus est sine mácula : et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia, et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua.

Hymnus.

JEsu coróna célsior,
Et véritas sublímior,
Qui confiténti sérvulo
Reddis perénne præmium.

Da supplicánti cœtui,
Obténtu hujus óptimi,
Remissiónem críminum,
Rumpéndo nexum vínculi.

Anni recúrso témpore,
Dies illúxit lúmine,
Quo sanctus hic de córpore
Polum migrávit præpotens.

Hic vana terræ gáudia,
Et luculénta prædia
Pollúta sorde députans,
Ovans tenet cœléstia.

Te, Christe Rex piíssime,
Hic confiténdo júgiter,
Calcávit hostem fórtiter
Supérbum ac satéllitem.

Virtúte clarus et fide,
Confessiónis órdine,
Jejúna membra déferens,
Dapes supérnas óbtinet.

Proínde te, piíssime,
Precámur omnes súpplices,
Ut hujus almi grátia
Nobis remíttas débita.

Glória Patri Dómino,
Glória Unigénito,
Una cum sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Justus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Ad Benedictus, Aña. Euge serve bone et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Pro comm. si occurrat, Aña. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum; stolam glóriæ índuit eum, et ad portas Paradísi coronávit eum.

℣. Justus ut palma.

Oratio.

DEus, qui nos beáti N. Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

Alia Oratio.

ADésto Dómine supplicatiónibus nostris, quas in beáti N. Confessóris tui solemnitáte deférimus : ut qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus : ejus, qui tibi plácuit, précibus adjuvémur. Per Dóminum nostrum.

Si fuerit Abbas.

Oratio.

INtercéssio nos, quæsumus Dómine, beáti N. Abbátis comméndet : ut quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Capit. Beátus vir.

℟. Amávit eum Dóminus, * Et ornávit eum. Amávit.

℣. Stolam glóriæ índuit eum. Et.

Glória Patri. Amávit.

℣. Justum dedúxit.

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccl. 39.

JUstus cor suum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur.

℟. Justum dedúxit Dóminus * Per vias rectas. Justum.

℣. Et osténdit illi regnum Dei. Per vias.

Glória Patri. Justum.

℣. Justus ut palma.

AD NONAM.

Capitulum. Sap. 10.

JUstum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei : et dedit illi sciéntiam sanctórum : honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus.

℟. Justus ut palma florébit, * In domo Dómini. Justus ut palma.

℣. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur. In domo.

Glória Patri. Justus ut palma.

℣. Justus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

AD VESPERAS.

Añæ Laudum. Psalmi de Dom. et loco ultimi Lauda Jerúsalem. 183.

Capit. Hymn. et ℣. ut in primis Vesperis.

Ad Magnificat, Aña. Hic vir despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cœlo cóndidit ore, manu.

Pro alia comm. si occurrat, resumatur secunda Aña j. Vesperarum.

ALIUD EVANGELIUM.

Pro uno Confessore non Pontifice, cui assignata sit Oratio. **Adésto Dómine,** scilicet : **Vidéte, vigiláte, et oráte,** ut in Communi unius Mart.[47] nisi aliter in proprio notetur.

ALIUD EVANGELIUM.

Pro Festis Abbatum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 19.

In illo témpore : Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te : quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 3. in Matth. Cap. 19.

Grandis fidúcia : Petrus piscátor erat, dives non fúerat, cibos manu, et arte quærébat : et tamen lóquitur confidénter, relíquimus ómnia. Et quia non súfficit tantum relínquere, jungit quod perféctum est : Et secúti sumus te : fécimus quod jussísti : quid ígitur nobis dabis præmii? Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede Majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israel. Non dixit, qui reliquístis ómnia : hoc enim et Crates fecit Philósophus, et multi álii divítias contempsérunt : sed, qui secúti estis me : quod próprium Apostolórum est, atque credéntium.

℟. Magnificávit.

Lectio viij.

In regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede Majestátis suæ (quando et mórtui de corruptióne resúrgent incorrúpti) sedébitis et vos in sóliis judicántium, condemnántes duódecim tribus Israel : quia vobis credéntibus, illi crédere noluérunt. Et omnis qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros, propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit. Locus iste cum illa senténtia cóngruit, in qua Salvátor lóquitur : Non veni pacem míttere, sed gládium. Veni enim separáre hóminem a patre suo, et matrem a fília, et nurum a socru : et inimíci hóminis doméstici ejus. Qui ergo propter fi-

dem Christi, et prædicatiónem Evangélii omnes affé&ctus contémpserint, atque divítias, et sæculi voluptátes, isti céntuplum recípient, et vitam ætérnam possidébunt.

℟. Vir Israelíta.

Lectio ix.

Ex occasióne hujus senténtiæ, quidam introdúcunt mille annos post resurrectiónem, dicéntes, tunc nobis céntuplum ómnium rerum quas dimísimus, et vitam ætérnam esse reddéndam : non intelligéntes, quod si in céteris digna sit repromíssio, in uxóribus appáreat turpitúdo : ut qui unam pro Dómino dimíserit, centum recípiat in futúro. Sensus ergo iste est : Qui carnália pro Salvatóre dimíserit, spirituália recípiet : quæ comparatióne et mérito sui ita erunt, quasi si parvo número centenárius númerus comparétur.

℟. Sancte N. Christi.

ALIA HOMILIA

in idem Evangelium.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 19.

In illo témpore : Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te : quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

Sermo de bonis deserendis.



Idélis sermo, et dignum omni acceptióne collóquium Simónis Petri et Jesu. Familiáris síquidem et amíca salúti obediéntia est : sed obediéntia firma et stábilis, quæ fundáta est super petram. Mélior est enim obediéntia quam víctimæ : et acquiéscere nolle, ut peccátum hariolándi est. Unde et vitæ quoque ipse Salvátor prætulit hanc virtútem, éligens magis ánimam pónere quam obediéntiam non implére. Postrémo et ipsum nomen Jesu, quod est super omne nomen, et in quo fléctitur omne genu, Apóstolo teste, obediéntiæ remunerátio est. Libet proínde sacratíssimo huic interésse collóquio, et íntima cordis aure percípere quæ dicúntur. Arbitror enim verba lectiónis hujus ea esse, de quibus ad immortálem Sponsum a fínibus terræ clamat Ecclésia : Propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras.

Si nona Lectio debeat dici de Dominica, de Sancto, aut de Feria, duæ sequentes Lectiones conjunguntur.

Lectio viij.

HÆc nempe sunt verba, quæ contémptum mundi in univérso mundo, et voluntáriam persuasére homínibus paupertátem. Hæc sunt, quæ mónachis claustra replent, desérta anachorétis. Hæc, inquam, sunt verba, quæ Ægyptum expóliant, et óptima quæque ejus vasa diripiunt. Hic sermo vivus et éfficax, convértens ánimas felíci æmulatióne sanctitátis, et veritátis promissióne fidéli. Ecce, inquit, nos relíquimus ómnia.

Lectio ix.

BEne, óptime, et non ad insipiéntiam tibi : nam et mundus transit, et concupiscéntia ejus; et relínquere hæc magis éxpedit quam relínqui. Relíquimus ómnia, et secúti sumus te. Nimírum quia exsultávit ut gigas ad curréndam viam, nec curréntem sequi póterat onerátus. Sed nec inútilis commutátio, pro eo, qui super ómnia est, ómnia reliquísse. Nam et simul cum eo donántur ómnia, et ubi apprehénderis eum, erit unus ipse ómnia in ómnibus, qui pro ipso ómnia reliquérunt. Omnia sane díxerim, non tantum possessiónes, sed étiam cupiditátes, et eas máxime. Plus enim concupiscéntia mundi quam substántia nocet : et hæc fugiendárum causa divitiárum præcípua est, quod aut vix, aut nunquam sine amóre váleant possidéri.

IN COMMUNI

plurimorum Confessorum, sive Pontificum, sive non.

AD VESPERAS.

Si fuerit Duplex minus, Aña. Dabo sanctis meis locum nominátum in regno Patris mei, dicit Dóminus.

Psalmi de Offic. præc.

Capitulum. Sap. 5.



JUsti autem in perpétuum vivent, et apud Dóminum est merces eórum, et cogitátio illórum apud Altíssimum.

Si fuerit Duplex, ℞. Concéde nobis Dómine, quæsumus véniam delictórum : et intercedéntibus sanctis, quorum hódie solémnia celebrámus,

* Talem nobis tríbue devotiónem, ut ad eórum perveníre mereámur societátem.

℣. Adjuvent nos eórum mérita, quos própria impédiunt scélera : excúset intercéssio, accúsat quos áctio : et qui eis tribuísti cœléstis palmam triúmphi, nobis véniam non déneges peccáti. Talem.

Glória Patri. Talem.

Hymnus.

SAnctórum méritis ínclyta gáudia
Pangámus sócii, géstaque fórtia;
Nam gliscit ánimus prómere cántibus
Victórum genus óptimum.

Hi sunt quos rétinens mundus inhórruit :
Ipsum nam stérili flore per áridum
Sprevére pénitus, teque secúti sunt,
Rex Christe bone cœlitus.

Te summa Déitas, únaque póscimus,
Ut culpas ábluas : nóxia súbtrahas,
Des pacem fámulis, nos quoque glóriam
Per cuncta tibi sæcula. Amen.

℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Ad Magnificat, Aña. Fulgébunt justi, et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent. Judicábunt natiónes, et regnábunt in ætérnum.

Pro comm, si occurrat, Aña. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, et vos símiles homínibus exspectántibus Dóminum suum quando revertátur a núptiis.

℣. Exsúltent justi.

Pro Confess. non Pontif.

Oratio.

SAnctórum Confessórum tuórum N. et N. nos Dómine, quæsumus, fóveat gloriósa conféssio : et pia júgiter intercéssio tueátur. Per Dóminum.

Si Pontifices fuerint.

Oratio.

DEus, qui nos sanctórum tuórum Confessórum paritérque Pontíficum, N. et N. confessiónibus gloriósis circúmdas et prótegis : da nobis et eórum imitatióne profícere, et intercessióne gaudére. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem Confessórum Dóminum, * Veníte adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus. 2.

Hymn. Sanctórum méritis.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Secus decúrsus.

Psalmus j.

BEátus vir, qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiæ non sedit :

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo :

Et fólium ejus non défluet : * et ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic : * sed tamquam pulvis, quem prójicit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii in judício : * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum : * et iter impiórum períbit.

Glória Patri.

Aña. Secus decúrsus aquárum plantávit víneam justórum : et in lege Dómini fuit volúntas eórum.

Aña. Prædicántes.

Psalmus ij.

QUare fremuérunt Gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Adstitérunt reges terræ, * et Príncipes convenérunt in unum advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum : * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cœlis irridébit eos : * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua : * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me : * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi Gentes hereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc reges intellígite : * erudímini qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre : * et exsultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplí-

nam, nequándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes, qui confídunt in eo.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Prædicántes præcéptum Dómini, constitúti sunt in monte sancto ejus.

Aña. Fílii hóminum.

Psalmus iv.

CUm invocárem, exaudívit me Deus justítiæ meæ : * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum úsquequo gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, et quæritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum : * Dóminus exáudiet me cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre : * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, et speráte in Dómino : * multi dicunt : Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui Dómine : * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui : * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam, et requiéscam;

Quóniam tu Dómine singuláriter in spe * constituísti me.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Fílii hóminum scitóte, quia Dóminus sanctos suos mirificávit.

℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 44.

LAudémus viros gloriósos, et paréntes nostros in generatióne sua. Multam glóriam fecit Dóminus magnificéntia sua a sæculo. Dominántes in potestátibus suis, hómines magni virtúte, et prudéntia sua prædíti, nuntiántes in Prophétis dignitátem Prophetárum, et imperántes in præsénti pópulo, et virtúte prudéntiæ pópulis sanctíssima verba. In perítia sua requiréntes modos músicos, et narrántes cármina scripturárum.

℟. Abstérget Deus omnem lácrymam ab óculis sanctórum : et jam non erit ámplius neque luctus, neque clamor, sed nec ul-

lus dolor : * Quóniam prióra transiérunt.

℣. Non esúrient, neque sítient ámplius, neque cadet super illos sol, neque ullus æstus. Quóniam.

Lectio ij.

Homines dívites in virtúte, pulchritúdinis stúdium habéntes : pacificántes in dómibus suis. Omnes isti in generatiónibus gentis suæ glóriam adépti sunt, et in diébus suis habéntur in láudibus. Qui de illis nati sunt, reliquérunt nomen narrándi laudes eórum : et sunt quorum non est memória : periérunt quasi qui non fúerint : et nati sunt, quasi non nati, et fílii ipsórum cum ipsis.

℟. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis. * Terra appáruit árida, et in mari rubro via sine impediménto.

℣. Victrícem manum tuam laudavérunt páriter, et decantavérunt, Dómine, nomen sanctum tuum. Terra.

Lectio iij.

Sed illi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt; cum sémine eórum pérmanent bona, heréditas sancta nepótes eórum, et in testaméntis stetit semen eórum : et fílii eórum propter illos usque in ætérnum manent : semen eórum, et glória eórum, non derelinquétur. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet Ecclésia.

℟. Sancti mei, qui in isto sæculo certámen habuístis : * Mercédem labórum ego reddam vobis.

℣. Veníte benedícti Patris mei, percípite regnum. Mercédem.

Glória Patri. Mercédem.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Scuto.

Psalmus v.

Verba mea áuribus pércipe Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo : * Dómine mane exáudies vocem meam.

Mane adstábo tibi et vidébo : * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus : * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem : * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum, et dolósum abominábitur Dóminus : * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Introíbo in domum tuam : * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine deduc me in justítia tua : * propter inimícos meos, dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas : * cor eórum vanum est.

Sepúlcrum patens est guttur eórum, linguis suis dolóse agébant, * júdica illos Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos, * quóniam irritavérunt te Dómine.

Et læténtur omnes qui sperant in te, in ætérnum exsultábunt : * et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ, * coronásti nos.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti eos Dómine.

Aña. In univérsa terra.

Psalmus viij.

Domine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cœlos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum, et ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, oves et boves univérsas : * ínsuper et pécora campi.

Vólucres cœli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Glória Patri, et Fílio.

Aña. In univérsa terra glória et honóre coronásti eos.

Aña. Habitábunt.

Psalmus xiv.

Domine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam:

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus: * timéntes autem Dóminum gloríficat:

Qui jurat próximo suo, et non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocéntem non accépit:

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Glória Patri.

Aña. Habitábunt in tabernáculo tuo: requiéscent in monte sancto tuo.

℣. Exsúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

Sermo sancti Fulgéntii Epíscopi.

De Confessoribus, et Dispensatoribus Domini, Serm. unico.

Lectio iv.



Omínicus sermo (quem debémus omnes non solum studióse, verum étiam sapiénter audíre, cui nos opórtet humíliter, ac delectabíliter obedíre,) moderatiónis suæ tenens ubíque tempériem, ut nec óvibus desint pábula, nec pastóribus aliménta; quædam speciáliter solis præcépit nobis. Nobis namque, id est, servis suis, quos pater ille famílias rerum ómnium Dóminus ad hoc in sua magna domo constítuit, ut pópulo ejus verbum grátiæ ministrémus, speciáliter injúngitur sanctæ prædicatiónis offícium: generáliter vero nobis, et vobis salutáris indícitur obediéntia mandatórum.

℟. Córpora sanctórum in pace sepúlta sunt, * Et

vivent nómina eórum in generatiónem et generatiónem.

℣. Sapiéntiam sanctórum narrant pópuli, et laudem eórum pronúntiat omnis Ecclésia. Et vivent.

Lectio v.

IN quibus dénuo mandátis tamquam ditíssimis férculis, sic cœléstium deliciárum cópia spiritális exúberat, ut in verbo Dei abúndet, quod perféctus cómedat; abúndet étiam, quod párvulus sugat. Ibi est enim simul et lácteus potus, quo ténera fidélium nutriátur infántia, et sólidus cibus, quo robústa perfectórum juvéntus spiritália sanctæ virtútis accípiat increménta. Ibi prorsus ad salútem consúlitur univérsis, quos Dóminus salváre dignátur. Ibi est, quod omni ætáti cóngruat. Ibi quod omni professióni convéniat. Ibi audímus præcépta, quæ faciámus. Ibi cognóscimus præmia, quæ sperémus. Ibi est jússio, quæ nos per lítteram dóceat, ínstruat sciéntia. Ibi promíssio, quæ per grátiam trahat, et perdúcat ad glóriam.

℟. Vidi conjúnctos viros habéntes spléndidas vestes : et Angelus Dómini locútus est ad me, dicens : * Isti sunt viri sancti, facti amíci Dei.

℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium cœli, voce magna clamántem et dicéntem. Isti sunt.

Lectio vj.

SErvórum ígitur, quos pópulo suo præpósuit, Dóminus speciále volens offícium demonstráre, ait, quod ex Evangélio modo audívimus : Quis, putas, est fidélis dispensátor, et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam, ut det illi in témpore trítici mensúram? Beátus ille servus, quem, cum vénerit Dóminus, invénerit vigiléntem. Quis est iste Dóminus, fratres? Christus sine dúbio, qui suis Discípulis ait : Vos vocátis me, Magíster, et Dómine : et bene dícitis; sum étenim. Quæ est étiam hujus Dómini famflia? Nimírum illa est, quam ipse Dóminus de manu inimíci redémit, et suo domínio mancipávit.

℟. In circúitu tuo Dómine, lumen est, quod nunquam defíciet; ubi constituísti lucidíssimas

mansiónes : * Ibi requiéscunt sanctórum ánimæ.
℣. Lux perpétua lucébit sanctis tuis Dómine, et ætérnitas témporum. Ibi requiéscunt.
Glória Patri. Ibi requiéscunt.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Sanctis.

Psalmus xv.

CONSÉRVA me Dómine, quóniam sperávi in te. * Dixi Dómino : Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.
Sanctis, qui sunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.
Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum : * póstea acceleravérunt.
Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus : * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.
Dóminus pars hereditátis meæ, et cálicis mei : * tu es, qui restítues hereditátem meam mihi.
Funes cecidérunt mihi in præcláris : * étenim heréditas mea præclára est mihi.
Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intelléctum : * ínsuper et usque ad noctem increpuérunt me renes mei.
Providébam Dóminum in conspéctu meo semper : * quóniam a dextris est mihi, ne commóvear.
Propter hoc lætátum est cor meum, et exsultávit lingua mea : * ínsuper et caro mea requiéscet in spe.
Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno : * nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem.
Notas mihi fecísti vias vitæ, adimplébis me lætítia cum vultu tuo : * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.
Glória Patri, et Fílio.
Aña. Sanctis, qui in terra sunt ejus, mirificávit omnes voluntátes meas inter illos.
Aña. Lætámini in Dómino.

Psalmus xxxi.

BEÁTI, quorum remíssæ sunt iniquitátes : * et quorum tecta sunt peccáta.
Beátus vir, cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec est in spíritu ejus dolus.
Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea, * dum clamárem tota die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua : * convérsus sum in ærúmna mea, dum confígitur spina.

Delíctum meum cógnitum tibi feci : * et injustítiam meam non abscóndi.

Dixi : Confitébor advérsum me injustítiam meam Dómino : * et tu remisísti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus, * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum a tribulatióne, quæ circúmdedit me : * exsultátio mea érue me a circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, et ínstruam te in via hac, qua gradiéris : * firmábo super te óculos meos.

Nolíte fíeri sicut equus et mulus, * quibus non est intelléctus.

In camo, et fræno maxíllas eórum constrínge, * qui non appróximant ad te.

Multa flagélla peccatóris, * sperántem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino et exsultáte justi, * et gloriámini omnes recti corde.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Lætámini in Dómino, et exsultáte justi : et gloriámini omnes recti corde.

Aña. Sapiéntiam Sanctórum.

Psalmus xxxij.

Exsultáte justi in Dómino : * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dómino in cíthara : * in psaltério decem chordárum psállite illi.

Cantáte ei cánticum novum : * bene psállite ei in vociferatióne.

Quia rectum est verbum Dómini, * et ómnia ópera ejus in fide.

Díligit misericórdiam et judícium : * misericórdia Dómini plena est terra.

Verbo Dómini cœli firmáti sunt : * et spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Cóngregans sicut in utre aquas maris : * ponens in thesáuris abyssos.

Tímeat Dóminum omnis terra : * ab eo autem commoveántur omnes inhabitántes orbem.

Quóniam ipse dixit, et facta sunt : * ipse mandávit, et creáta sunt.

Dóminus díssipat consília Géntium : * réprobat autem cogitatiónes populórum, et réprobat consília príncipum.

Consílium autem Dómini in ætérnum manet : * cogitatiónes cordis ejus in generatiónem et generatiónem.

Beáta gens, cujus est Dóminus, Deus ejus : * pópulus, quem elégit in hereditátem sibi.

De cœlo respéxit Dóminus : * vidit omnes fílios hóminum.

De præparáto habitáculo suo * respéxit super omnes, qui hábitant terram.

Qui finxit singillátim corda eórum : * qui intélligit ómnia ópera eórum.

Non salvátur rex per multam virtútem : * et gigas non salvábitur in multitúdine virtútis suæ.

Fallax equus ad salútem : * in abundántia autem virtútis suæ non salvábitur.

Ecce óculi Dómini super metuéntes eum : * et in eis, qui sperant super misericórdia ejus.

Ut éruat a morte ánimas eórum : * et alat eos in fame.

Anima nostra sústinet Dóminum : * quóniam adjútor et protéctor noster est.

Quia in eo lætábitur cor nostrum : * et in nómine sancto ejus sperávimus.

Fiat misericórdia tua Dómine super nos : * quemádmodum sperávimus in te.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Sapiéntiam sanctórum narrant pópuli, et laudem eórum pronúntiat omnis Ecclésia sanctórum.

℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo témpore : Dixit Jesus ad discípulos suos : Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homilia 13. in Evangelia.

SAncti Evangélii, fratres caríssimi, apérta vobis est léctio recitáta, sed ne alíquibus ipsa ejus planíties alta fortásse videátur, eam sub brevitáte transcúrrimus : quátenus ejus exposítio ita nesciéntibus fiat cógnita, ut tamen sciéntibus non

sit onerósa. Quia viris luxúria in lumbis sit, féminis in umbilíco, testátur Dóminus, qui de diábolo ad beátum Job lóquitur, dicens : Virtus ejus in lumbis ejus, et fortitúdo illíus, in umbilíco ventris ejus.

℟. Propter testaméntum Dómini, et leges patérnas, sancti Dei stetérunt in amóre fraternitátis : *Quia unus semper fuit spíritus in eis, et una fides.

℣. Ecce quam bonum, et quam jucúndum, habitáre fratres in unum. Quia.

Lectio viij.

In principáli ígitur sexu, lumbórum nómine luxúria designátur, cum Dóminus dicit : Sint lumbi vestri præcíncti. Lumbos enim præcíngimus, cum carnis luxúriam per continéntiam coarctámus. Sed quia minus est mala non ágere, nisi étiam quisque stúdeat et bonis opéribus insudáre, prótinus ádditur : Et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Lucérnas quippe ardéntes in mánibus tenémus, cum per bona ópera próximis nostris lucis exémpla monstrámus : de quibus profécto opéribus Dóminus dicit : Lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, et gloríficent Patrem vestrum, qui in cœlis est.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, et vos símiles homínibus exspectántibus Dóminum suum, * Quando revertátur a núptiis.

℣. Vigiláte ergo, quia nescítis, qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Quando.

Lectio ix.

Duo autem sunt, quæ jubéntur; et lumbos restríngere, et lucérnas tenére : ut et mundítia sit castitátis in córpore, et lumen veritátis in operatióne. Redemptóri étenim nostro unum sine áltero placére nequáquam potest : si aut is qui bona agit, adhuc luxúriæ inquinaménta non déserit, aut is qui castitáte præéminet, necdum se per bona ópera exércet.

℟. Concéde nobis Dómine, quæsumus, véniam delictórum : et intercedéntibus sanctis, quorum hódie solémnia celebrámus, * Talem nobis tríbue devotiónem, ut ad eórum perveníre mereámur societátem.

℣. Adjuvent nos eórum

mérita, quos própria impédiunt scélera : excúset intercéssio, accúsat quos áctio : et qui eis tribuísti cœléstis palmam triúmphi, nobis véniam non déneges peccáti. Talem.

Glória Patri. Talem.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerdotalis ℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

JUstórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum mortis.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Dabo sanctis meis locum nominátum in regno Patris mei, dicit Dóminus.

Aña. Córpora sanctórum in pace sepúlta sunt, et vivent nómina eórum in ætérnum.

Aña. Spíritus et ánimæ justórum, hymnum dícite Deo nostro, allelúia.

Aña. Exsultábunt sancti in glória, lætabúntur in cubílibus suis.

Capitulum. Sap. 5.

JUsti autem in perpétuum vivent, et apud Dóminum est merces eórum, et cogitátio illórum apud Altíssimum.

Hymnus.

DEvóta sanctórum fides,
Invícta spes credéntium
Perfécta Christi cáritas,
Mundi triúmphat príncipem.

In his Patérna glória,
In his volúntas Spíritus,
Exsúltat in his Fílius,
Cœlum replétur gáudio.

Te nunc Redémptor, quæsumus
Ut ipsórum consórtio
Jungas precántes sérvulos
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Mirábilis Deus in sanctis suis. ℟. Et gloriósus in majestáte sua.

Ad Benedictus, Aña. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, et vos símiles homínibus exspectántibus Dóminum suum, quando revertátur a núptiis.

Pro commemoratione, si occurrat, Antiphona. Fulgébunt justi, et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent. Judicábunt natiónes, et regnábunt in ætérnum.

℣. Justi autem.

Pro Confessoribus non Pontificibus.

Oratio.

SAnctórum Confessórum tuórum N. et N. nos Dómine, quæsumus, fóveat gloriósa conféssio, et pia júgiter intercéssio tueátur. Per Dóminum.

Si Pontifices fuerint.

Oratio.

DEus qui nos Sanctórum tuórum Confessórum, paritérque Pontíficum N. et N. confessiónibus gloriósis circúmdas, et prótegis; da nobis et eórum imitatióne proffícere, et intercessióne gaudére. Per Dóminum nostrum.

AD TERTIAM.

Capit. Justi autem.

℟. Lætámini in Dómino, * Et exsultáte justi. Lætámini.

℣. Et gloriámini omnes recti corde. Et.

Glória Patri. Lætámini.

℣. Exsúltent justi.

AD SEXTAM.

Capitulum. Sap. 3.

JUstórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori : illi autem sunt in pace.

℟. Exsúltent justi * In conspéctu Dei. Exsúltent.

℣. Et delectántur in lætítia. In conspéctu.

Glória Patri. Exsúltent.

℣. Justi autem.

AD NONAM.

Capitulum. Sap. 3.

FUlgébunt justi, et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent. Judicábunt natiónes, et dominabúntur pópulis, et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

℟. Justi autem * In perpétuum vivent. Justi.

℣. Et apud Dóminum est merces eórum. In.

Glória Patri. Justi.

℣. Mirábilis Deus in sanctis suis. ℟. Et gloriósus in majestáte sua.

AD VESPERAS.

Añæ Laudum, Ps. de Dom. 159. et loco ultimi Lauda Jerúsalem. 183.

Sed si fuerint Pont. loco ultimi dicitur Meménto Dómine. 170.

Capit. Hymn. et ℣. ut in primis Vesperis.

Ad Magnificat, Aña. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in caritáte non ficta; et dedit illis glóriam sempitérnam : quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna, allelúia.

Pro comm. si occurrat, resumatur ij. Aña j. Vesp.



In Communi unius Virginis.

AD VESPERAS.

Si fuerit Duplex minus, Aña. Veni sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Psalmi de Offic. præced.

Capitulum. 2. Cor. 10.

QUi gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seípsum comméndat, ille probátus est : sed quem Deus comméndat.

Si fuerit Duplex, ℟. Regnum mundi, et omnem ornátum sæculi contémpsi, propter amórem Dómini mei Jesu Christi, * Quem vidi, quem amávi, in quem crédidi, quem diléxi. ℣. Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea Regi. Quem. Glória Patri. Quem.

Hymnus.

VIrginis Proles, opiféxque matris,
Virgo quem gessit, peperítque virgo,
Vírginis festum cánimus trophæum,
Accipe votum.

Si non fuerit Martyr, omissis : Hæc tua, et Unde nec mortem, immediate sequitur : Hujus obténtu.

Hæc tua virgo dúplici beáta
Sorte, dum gestit frágilem domáre
Córporis sexum, dómuit cruéntum
Córpore sæclum.

Unde nec mortem, nec amíca mortis
Sæva pœnárum génera pavéscens,

Sánguine fuso méruit sacrátum
Scándere cœlum.
Hujus obténtu, Deus alme, nostris [míttens,
Parce jam culpis, vítia re-
Quo tibi puri resonémus almum
Péctoris hymnum.
Glória Patri, genitæque Proli, [semper
Et tibi compar utriúsque
Spíritus alme, Deus unus omni [Amen.
Témpore sæcli.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnificat, Aña. Accínxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum : ideóque lucérna ejus non exstinguétur in sempitérnum.

Pro comm. si occurr. Aña. In cœlis gaudent Vírgines, et cantant cánticum novum ante Dei thronum : Quia notum fecit Dóminus salutáre suum.

℣. Spécie tua.

Pro Virg. et Mart. Oratio.

DEus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti; concéde propítius; ut qui beátæ N. Vírginis, et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Pro Virgine et Martyre.

Alia Oratio.

INdulgéntiam nobis, quæsumus Dómine, beáta N. Virgo, et Martyr implóret : quæ tibi grata semper éxstitit, et mérito castitátis, et tuæ professióne virtútis. Per Dóminum.

Pro Virgine non Martyre.

Oratio.

EXáudi nos, Deus salutáris noster : ut sicut de beátæ N. Vírginis tuæ festivitáte gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem Vírginum Dóminum, * Veníte adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus. 2.

Hymn. Vírginis proles.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Ante thorum.

Psalmus viij.

DOmine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cœlos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos

tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.
Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quæ tu fundásti.
Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?
Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.
Omnia subjecísti sub pédibus ejus, oves, et boves univérsas : * ínsuper et pécora campi.
Vólucres cœli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.
Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!
Glória Patri, et Fílio.
Aña. Ante thorum hujus Vírginis frequentáte nobis dúlcia cántica drámatis.
Aña. Unguéntum.

Psalmus xviij.

CŒli enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.
Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.
Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.
In omnem terram exívit sonus eórum : * et in fines orbis terræ verba eórum.
In sole pósuit tabernáculum suum : * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo :
Exsultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo cœlo egréssio ejus :
Et occúrsus ejus usque ad summum ejus : * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.
Lex Dómini immaculáta convértens ánimas : * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.
Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda : * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.
Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi : * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.
Desiderabília super aurum, et lápidem pretiósum multum : * et dulcióra super mel, et favum.
Etenim servus tuus cu-

stódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? * ab occúltis meis munda me : et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero : * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt, ut compláceant elóquia oris mei : * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine adjútor meus, * et redémptor meus.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Unguéntum effúsum nomen tuum : ídeo adolescéntulæ dilexérunt te nimis.

Aña. O quam pulchra est.

Psalmus xxiij.

Domini est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, qui non accépit in vano ánimam suam, * nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras, et elevámini portæ æternáles : * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras, et elevámini portæ æternáles : * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. O quam pulchra est casta generátio cum claritáte!

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 7. ℣. 25.

De virgínibus præcéptum Dómini non hábeo : consílium autem do, tamquam misericórdiam con-

secútus a Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri? noli quærere solutiónem. Solútus es ab uxóre? noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem : non peccásti. Et si núpserit virgo, non peccávit. Tribulatiónem tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fratres; Tempus breve est, réliquum est, ut et qui habent uxóres, tamquam non habéntes sint : et qui flent, tamquam non flentes : et qui gaudent, tamquam non gaudéntes : et qui emunt, tamquam non possidéntes : et qui utúntur hoc mundo, tamquam non utántur : prætérit enim figúra hujus mundi.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis : * Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

℣. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem. Proptérea.

Lectio ij.

Volo autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est quæ sunt mundi, quómodo pláceat uxóri, et divísus est. Et múlier innúpta, et virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore, et spíritu. Quæ autem nupta est, cógitat quæ sunt mundi, quómodo pláceat viro. Porro hoc ad utilitátem vestram dico : non ut láqueum vobis injíciam, sed ad id quod honéstum est, et quod facultátem præbeat sine impediménto Dóminum obsecrándi.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ.

℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Lectio iij.

Si quis autem turpem se vidéri exístimat super vírgine sua, quod sit superadúlta, et ita opórtet fíeri, quod vult fáciat : non peccat, si nubat. Nam qui státuit in corde suo firmus, non habens necessitátem, potestátem autem habens suæ voluntátis, et hoc judicávit in corde suo, serváre

vírginem suam, bene facit. Igitur et qui matrimónio jungit vírginem suam, bene facit : et qui non jungit, mélius facit. Múlier alligáta est legi quanto témpore vir ejus vivit : quod si dormíerit vir ejus, liberáta est : cui vult nubat : tantum in Dómino. Beátior autem erit si sic permánserit secúndum meum consílium : puto autem quod et ego Spíritum Dei hábeam.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

℣. Audi fília, et vide; et inclína aurem tuam : et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui. Et dedúcet.

Glória Patri. Et.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Tempore Pasch. dicitur in ij. Noct. Aña. Adjuvábit eam.

Aña. Spécie tua.

Psalmus xliv.



Ructávit cor meum verbum bonum : * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea cálamus scribæ, * velóciter scribéntis.

Speciósus forma præ fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis : * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime,

Spécie tua et pulchritúdine tua * inténde, próspere procéde, et regna.

Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, * pópuli sub te cadent, in corda inimicórum regis.

Sedes tua Deus in sæculum sæculi : * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis : * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Adstitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto :* circúmdata varietáte.

Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam : * et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Et concupíscet Rex decórem tuum : * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus vultum tuum deprecabúntur : * omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ Regis ab intus, * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi vírgines post eam : * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia et exsultatióne : * adducéntur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne, et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum : * et in sæculum sæculi.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.

Aña. Adjuvábit eam.

Psalmus xlv.

DEus noster refúgium, et virtus : * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra : * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbátæ sunt aquæ eórum : * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei : * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus, in médio ejus, non commovébitur : * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt Gentes, et inclináta sunt regna : * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, et vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram : * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, et confrínget arma : * et scuta combúret igni.

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus : * exaltábor in Géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Adjuvábit eam Deus vultu suo : Deus in médio ejus non commovébitur.

Aña. Læva ejus.

Psalmus lxxxvi.

FUndaménta ejus in móntibus sanctis : * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab, et Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ, et Tyrus, et pópulus Æthíopum, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet : Homo, et homo natus est in ea : * et ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum, et príncipum : * horum, qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Sermo sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. I. de Virg.

Lectio iv.



UÓniam hódie natális est Vírginis, invítat nunc integritátis amor, ut áliquid de virginitáte dicámus : ne véluti tránsitu quodam præstrícta videátur, quæ principális est virtus. Non enim ídeo laudábilis virgínitas, quia in martyribus reperítur : sed quia ipsa mártyres fáciat. Quis autem humáno eam possit ingénio comprehéndere, quam nec natúra suis inclúsit légibus? aut quis naturáli voce compléćti, quod supra usum natúræ sit? E cœlo accersívit quod imitarétur in terris. Nec immérito vivéndi sibi usum quæsívit e cœlo, quæ sponsum sibi invénit in cœlo.

℟. Pulchra fácie, sed púlchrior fide, beáta es N. Virgo; réspuens mundum, lætáberis cum Angelis : * Intercéde pro ómnibus nobis.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Intercéde.

Lectio v.

HÆc nubes, áera, Angelos, sidéraque transgrédiens, Verbum Dei in ipso sinu Patris invénit, et toto hausit péctore. Nam quis tantum, cum invénerit, relínquat boni? Unguéntum enim exinanítum est nomen

tuum : proptérea adolescéntulæ dilexérunt te, et attraxérunt te. Postrémo, non meum est illud, quóniam quæ non nubunt, neque nubéntur, erunt sicut Angeli Dei in cœlo. Nemo ergo mirétur, si Angelis comparéntur, quæ Angelórum Dómino copulántur.

℟. Spécie tua et pulchritúdine tua : * Inténde, próspere procéde, et regna.

℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Inténde.

Lectio vj.

QUis ígitur neget hanc vitam fluxísse de cœlo, quam non fácile invenímus in terris; nisi postquam Deus in hæc terréni córporis membra descéndit? Tunc in útero Virgo concépit, et Verbum caro factum est; ut caro fíeret Deus. Dicet áliquis : Sed étiam Elías nullíus corpórei cóitus fuísse permíxtus cupiditátibus invenítur. Ideo ergo curru raptus ad cœlum : ídeo cum Dómino appáret in glória : ídeo Domínici ventúrus est præcúrsor advéntus.

℟. Veni sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum : * Pro cujus amóre sánguinem tuum fudísti, et cum Angelis in Paradísum introísti.

℣. Veni elécta mea, et ponam in te thronum meum, quia concupívit Rex spéciem tuam. Pro cujus.

Glória Patri. Pro.

Pro Virgine non Martyre.

℟. vj. Induit me Dóminus vestiménto salútis : et induménto lætítiæ circúmdedit me, et tamquam sponsam : * Decorávit me coróna.

℣. Quasi sponsum decorátum coróna, et tamquam sponsam ornátam. Decorávit.

Glória Patri. Decorávit.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Cum esset Rex.

Psalmus xcv.

CAntáte Dómino cánticum novum : * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus; * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter Gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis : * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii

Géntium dæmónia : * Dóminus autem cœlos fecit.

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus : * sanctimónia, et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriæ Géntium, afférte Dómino glóriam et honórem : * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra : * dícite in Géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ qui non commovébitur : * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cœli, et exsúltet terra, commoveátur mare, et plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, et ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte : * et pópulos in veritáte sua.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Cum esset Rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitátis.

Aña. Surge Aquilo.

Psalmus xcvj.

Dominus regnávit, exsúltet terra : * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes, et calígo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audívit, et lætáta est Sion.

Et exsultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua Dómine :

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit

Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini justi in Dómino : * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Surge Aquilo, et veni Auster : perfla hortum meum, et fluent arómata illíus.

Aña. Nigra sum.

Psalmus xcvij.

CAntáte Dómino cánticum novum : * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus : * et bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum : * in conspéctu Géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * et veritátis suæ dómui Israel.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo omnis terra : * cantáte, et exsultáte, et psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara, et voce psalmi : * in tubis ductílibus, et voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu Regis Dómini : * moveátur mare, et plenitúdo ejus, orbis terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exsultábunt a conspéctu Dómini : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * et pópulos in æquitáte.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Nigra sum, sed formósa, fíliæ Jerúsalem : ídeo diléxit me Rex, et introdúxit me in cubículum suum.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 25.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ. Hom. 12. in Evang.

SÆpe vos, fratres caríssimi, admóneo prava ópera fúgere, mundi hujus in-

quinaménta devitáre : sed hodiérna sancti Evangélii lectióne compéllor dícere, ut et bona quæ ágitis, cum magna cautéla teneátis : ne per hoc quod a vobis rectum géritur, favor, aut grátia humána requirátur : ne appetítus laudis subrépat : et quod foris osténditur, intus a mercéde vacuétur. Ecce enim Redemptóris voce decem vírgines, et omnes dicúntur vírgines, et tamen intra beatitúdinis jánuam non omnes sunt recéptæ : quia eárum quædam, dum de virginitáte sua glóriam foris éxpetunt, in vasis suis óleum habére noluérunt.

℟. Hæc est virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit : quæ accépta lámpade, sumpsit óleum : * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias.

℣. Média autem nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Et veniénte Dómino.

Lectio viij.

SEd prius quæréndum nobis est, quid sit regnum cœlórum, aut cur decem virgínibus comparétur, quæ étiam vírgines prudéntes, et fátuæ dicántur. Dum enim cœlórum regnum constat, quia reprobórum nullus ingréditur; étiam fátuis virgínibus cur símile esse perhibétur? Sed sciéndum nobis est, quod sæpe in sacro elóquio regnum cœlórum præséntis témporis Ecclésia dícitur : de quo álio in loco Dóminus dicit : Mittet Fílius hóminis Angelos suos, et cólligent de regno ejus ómnia scándala. Neque enim in illo regno beatitúdinis, in quo pax summa est, inveníri scándala póterunt, quæ colligántur.

℟. Veni elécta mea, et ponam in te thronum meum : * Quia concupívit Rex spéciem tuam.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Quia.

Lectio ix. Parum infra.

IN quinque autem córporis sénsibus unusquísque subsístit. Geminátus autem quinárius denárium pérficit. Et quia ex utróque sexu fidélium multitúdo collígitur, sancta Ecclésia decem virgínibus símilis esse denuntiátur. In qua quia mali

cum bonis, et réprobi cum eléctis admíxti sunt; recte símilis virgínibus prudéntibus et fátuis esse perhibétur. Sunt namque pleríque continéntes, qui ab appetítu exterióri se custódiunt, et spe ad interióra rapiúntur, carnem mácerant, et toto desidério ad supérnam pátriam anhélant: ætérna præmia éxpetunt, pro labóribus suis recípere laudes humánas nolunt. Hi nimírum glóriam suam non in ore hóminum ponunt, sed intra consciéntiam cóntegunt. Et sunt plerique, qui corpus per abstinéntiam afflígunt, sed de ipsa sua abstinéntia humános favóres éxpetunt.

℟. Regnum mundi, et omnem ornátum sæculi contémpsi, propter amórem Dómini mei Jesu Christi, * Quem vidi, quem amávi, in quem crédidi, quem diléxi.

℣. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. Quem.

Glória Patri. Quem.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerdotalis ℣. Veni sponsa Christi, áccipe corónam. ℟. Quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

HÆc est virgo sápiens, et una de número prudéntum.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Hæc est virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit.

Aña. Veni sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Aña. Média nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei.

Aña. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas.

Capitulum. 2. Cor. 10.



QUi gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seípsum comméndat, ille probátus est: sed quem Deus comméndat.

Hymnus. D. Ambr.

JEsu coróna Vírginum,
Quem mater illa cóncipit,
Quæ sola Virgo párturit:
Hæc vota clemens áccipe.
Qui pascis inter lília
Septus choréis Vírginum,
Sponsus decórus glória,
Sponsísque reddens præmia.
Quocúmque pergis, Vírgines
Sequúntur, atque láudibus

Post te canéntes cúrsitant,
Hymnósque dulces pérsonant.
Te deprecámur lárgius,
Nostris adáuge sénsibus
Nescíre prorsus ómnia
Corruptiónis vúlnera.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum.
Amen.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

Ad Bened. Aña. Símile est regnum cœlórum sagénæ missæ in mare, et ex omni génere píscium congregánti : quam cum impléta esset, educéntes, et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa sua, malos autem foras misérunt.

Pro comm. si occurrat, Aña. Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus : quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso, et sponsæ.

℣. Adjuvábit eam Deus.

Pro Virg. et Mart. Oratio.

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti : concéde propítius, ut qui beátæ N. Vírginis, et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Pro Virgine et Martyre.

Alia Oratio.

Indulgéntiam nobis, quæsumus Dómine, beáta N. Virgo, et Martyr implóret, quæ tibi grata semper éxstitit et mérito castitátis, et tuæ professióne virtútis. Per Dóminum.

Pro Virgine non Martyre.

Oratio.

Exáudi nos Deus salutáris noster : ut sicut de beátæ N. Vírginis tuæ festivitáte gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Capit. Qui gloriátur.

℟. Diffúsa est grátia, * In lábiis tuis. Diffúsa.

℣. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. In lábiis.

Glória Patri. Diffúsa.

℣. Spécie tua.

AD SEXTAM.

Capitulum. 2. Cor. 11.

Æmulor enim vos Dei æmulatióne : Despóndi enim vos uni viro, vírginem castam exhibére Christo.

℟. Spécie tua, * Et pulchritúdine tua. Spécie.

℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et

Glória Patri. Spécie.
℣. Adjuvábit eam Deus.

AD NONAM.

Capitulum. Eccl. 15.

Domine Deus meus, exaltásti super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecáta sum. Invocávi Dóminum Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, et in témpore superbórum sine adjutório.

℟. Adjuvábit eam * Deus vultu suo. Adjuvábit.

℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus.

Glória Patri. Adjuvábit.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

AD VESPERAS.

Añæ Laudum.

Psalmus cix.

Dixit Dóminus Dómino meo : * Sede a dextris meis :

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion : * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum : * Tu es Sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet : * proptérea exaltábit caput.

Glória Patri, et Fílio.

Psalmus cxij.

Laudáte púeri Dóminum : * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes Gentes Dóminus, * et super cœlos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cœlo et in terra?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem :

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stéri-

lem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Glória Patri, et Fílio.

Psalmus cxxi.

LÆtátus sum in his, quæ dicta sunt mihi : * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri, * in átriis tuis Jerúsalem.

Jerúsalem, quæ ædificátur ut cívitas : * cujus participátio ejus in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini :* testimónium Israel ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem : * et abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua : * et abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, et próximos meos, * loquébar pacem de te :

Propter domum Dómini Dei nostri : * quæsívi bona tibi.

Glória Patri, et Fílio.

Psalmus cxxvi

NIsi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustra vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere; * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cum déderit diléctis suis somnum : * ecce heréditas Dómini fílii; merces, fructus ventris.

Sicut sagíttæ in manu poténtis : * ita fílii excussórum.

Beátus vir, qui implévit desidérium suum ex ipsis : * non confundétur, cum loquétur inimícis suis in porta.

Glória Patri, et Fílio.

Psalmus cxlvij.

LAuda Jerúsalem Dóminum : * lauda Deum tuum Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum : * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem : * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ : * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam : * nébulam sicut cínerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas : * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emíttet verbum suum, et liquefáciet ea : * flabit spíritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob : * justítias, et judícia sua Israel.

Non fecit táliter omni natióni : * et judícia sua non manifestávit eis.

Glória Patri, et Fílio.

Capit. Hymn. et ℣. ut in primis Vesperis.

Ad Magnificat, Aña. Quinque prudéntes Vírgines accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Média autem nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei.

Pro alia comm. si occurrat, resumatur secunda Aña primarum Vesp.

ALIUD EVANGELIUM.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 13.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Símile est regnum cœlórum thesáuro abscóndito in agro. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homilia 11. in Evangelia.

CŒlórum regnum, fratres caríssimi, idcírco terrénis rebus símile dícitur, ut ex his, quæ ánimus novit, surgat ad incógnita, quæ non novit : quátenus exémplo visibílium se ad invisibília rápiat : et per ea quæ usu dídicit, quasi confricátus incaléscat : ut per hoc quod scit notum dilígere, discat et incógnita amáre. Ecce enim cœlórum regnum thesáuro abscóndito in agro comparátur : quem, qui ínvenit homo, abscóndit, et præ gáudio illíus vadit, et vendit univérsa quæ habet, et emit agrum illum.

℟. Hæc est virgo.

Lectio viij.

QUa in re hoc quoque notándum est, quod invéntus thesáurus abscónditur, ut servétur. Quia stúdium cœléstis desidérii a malígnis spirítibus custodíre non súfficit, qui hoc ab humánis láudibus non abscóndit. In præsénti étenim vita, quasi in via sumus, qua ad pátriam pérgimus. Malígni autem spíritus iter nostrum quasi quidam latrúnculi óbsident : deprædári ergo desíderat, qui thesáurum públice portat in via. Hoc autem dico, non ut próximi ópera nostra bona non vídeant, cum scriptum sit : vídeant ópera vestra bo-

na, et gloríficent Patrem vestrum, qui in cœlis est : sed ut per hoc quod ágimus, laudes extérius non quærámus. Sic autem sit opus in público, quátenus inténtio máneat in occúlto : ut et de bono ópere próximis præbeámus exémplum, et tamen per intentiónem, qua Deo soli placére quærimus, semper optémus secrétum.

℟. Veni eléсta.

Lectio ix.

THesáurus autem cœléste est desidérium : ager vero in quo thesáurus abscónditur, disciplína stúdii cœléstis. Quem proféсto agrum vénditis ómnibus cómparat, qui voluptátibus carnis renúntians, cunсta sua terréna desidéria per disciplínæ cœléstis custódiam calcat : ut nihil jam, quod caro blandítur, líbeat; nihil quod carnálem vitam trucídat, spíritus perhorréscat.

℟. Regnum mundi.

IN COMMUNI
unius Matronæ.
AD VESPERAS.

Si fuerit Duplex minus, Aña. Hæc est, quæ nescívit thorum in delíсto : habébit fruсtum in respeсtióne animárum sanсtárum.

Psalmi de Offic. præc.

Capitulum. Prov. 31.


MUlíerem fortem quis invéniet? procul, et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit.

Si fuerit Duplex, ℟. O mater nostra, o ter sanсta, quatérque beáta, * Cum prece devóta famulántum súscipe vota.

℣. Jam Christo junсta es, sponsóque tuo sociáta. Cum prece.

Glória Patri. Cum.

Hymnus.

HUjus obténtu, Deus alme, nostris
Parce jam culpis, vítia remíttens,
Quo tibi puri resonémus almum
Péсtoris hymnum.

Glória Patri, genitæque Proli;
Et tibi compar utriúsque semper
Spíritus alme, Deus unus omni
Témpore sæcli. [Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnificat, Aña. Accínxit fortitúdine lumbos

suos, et roborávit bráchium suum : ideóque lucérna ejus non exstinguétur in sempitérnum.

Pro Matrona non Mart.

Oratio.

Quæsumus omnípotens Deus, ut nobis beátæ N. veneránda festívitas salútis præstet increméntum, cujus admirábilis vita salutáre præbet exémplum. Per Dóminum.

Pro Matrona Martyre.

Oratio.

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti; concéde propítius, ut qui beátæ N. Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Christum Regem regum adorémus, * Qui devícto sæculo sanctam N. transvéxit ad glóriam.

Ps. Veníte, exsultémus. 2.

Hymnus. Hujus obténtu.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. O quam pulchra est casta generátio cum claritáte.

Ps. Dómine Dóminus noster, cum reliquis de Comm. unius Virg. [118]

Aña. Tota pulchra es amíca mea : et mácula non est in te.

Ps. Cœli enárrant.

Aña. Trahe me, post te currémus in odórem unguentórum tuórum : óleum effúsum nomen tuum.

Ps. Dómini est terra.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. Cap. 31.

Ulíerem fortem quis invéniet? procul, et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit. Reddet ei bonum, et non malum, ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsívit lanam, et linum, et operáta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris, de longe portans panem suum. Et de nocte surréxit, dedítque prædam doméstícis suis, et cibária ancíllis suis. Considerávit agrum, et emit eum : de fructu mánuum suárum plantávit víneam. Accínxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum.

℟. Diffúsa est grátia in

lábiis tuis : * Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

℣. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem. Propterea.

Lectio ij.

Gustávit, et vidit quia bona est negotiátio ejus : non exstinguétur in nocte lucérna ejus. Manum suam misit ad fórtia, et dígiti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem. Non timébit dómui suæ a frigóribus nivis : omnes enim domédstici ejus vestíti sunt duplícibus. Stragulátam vestem fecit sibi : byssus et púrpura induméntum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit, et véndidit, et cíngulum trádidit Chananæo.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ.

℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Lectio iij

Fortitúdo, et decor induméntum ejus, et ridébit in die novíssimo. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus. Considerávit sémitas domus suæ, et panem otiósa non comédit. Surrexérunt fílii ejus, et beatíssimam prædicavérunt : vir ejus, et laudávit eam. Multæ fíliæ congregavérunt divítias : tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo, múlier timens Dóminum ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum : et laudent eam in portis ópera ejus.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam, * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

℣. Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam, et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui. Et dedúcet.

Glória Patri. Et dedúcet.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Temp. Pasch. in ij. Noct. dicitur Aña. Adjuvábit.

Añæ, Psalmi et ℣. ut in Comm. unius Virg. [122]

Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi de Víduis.

Lectio iv. Sub finem.

Agrum hunc Ecclésiæ fértilem cerno : nunc integritátis flore vernántem, nunc viduitátis gravitáte

polléntem, nunc étiam conjúgii frúctibus redundántem. Nam etsi divérsi, uníus tamen agri fructus sunt : nec tanta hortórum lília, quantæ arístæ ségetum, méssium spicæ : compluriúmque spátia campórum recipiéndis aptántur semínibus, quam rédditis nováles frúctibus feriántur. Bona ergo vidúitas, quæ tóties Apostólico judício prædicátur : hæc enim magístra fídei, magístra est castitátis.

℟. Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam : et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui. Et concupíscet Rex decórem tuum : * Quóniam ipse est Dóminus Deus tuus.

℣. Induit te Dóminus vestiménto salútis : et induménto lætítiæ circúmdedit te. Quóniam.

Lectio v.

Unde et illi qui deórum suórum adultéria et probra venerántur, cœlibátus et viduitátis statuére pœnas : ut æmuli críminum mulctárent stúdia virtútum, spécie quidem, qua fecunditátem quærerent : sed stúdio, quo propósitum castitátis abolérent. Nam conféctis et miles stipéndiis arma depónit : et relícto offício quod gerébat, ad própria veteránus rura dimíttitur, ut et ipse exércitæ labóribus vitæ réquiem consequátur : et álios spes futúræ quiétis subeúndis fáciat opéribus promptióres. Agrícola quoque matúrior torquéndam áliis stivam commíttit, et juveníli gravátus ópere providéntiam curæ senílis explórat : vitem facílius tondére, quam prémere, ut juvenescéntem luxúriam réprimat, et adolescéntem lascíviam falce succídat : parcórum quamdam párvuum castitátem docens étiam in vítibus expeténdam.

℟. Spécie tua, et pulchritúdine tua : * Inténde, próspere procéde, et regna.

℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Inténde.

Lectio vj.

Similis huic vídua velut eméritis veterána stipéndiis castitátis, etsi conjúgii arma depónat, domus tamen totíus pacem gubérnat : et si vehéndis onéribus otiósa, maritándis tamen junióribus próvida, ubi cultus utílior, ubi fructus ubérior sit, quarum cópulam

aptiórem seníli gravitáte dispónit. Itaque si maturióribus quam junióribus commíttitur ager, cur putes utiliórem nuptam esse, quam víduam? Quod si persecutóres fídei, persecutóres fuérunt étiam viduitátis; útique fidem sequéntibus vidúitas non pro supplício fugiénda est, sed tenénda pro præmio.

℟. In sanctitáte fúlgida, et plena felicitáte complévit dies suos sanctíssima N. * Hacque die clara suscépit cœléstia gáudia.

℣. Pulchra fácie, sed púlchrior fide felicíssima N. Hacque.

Glória Patri. Hacque.

IN TERTIO NOCTURNO.

Añæ, Psalmi et ℣. ut in Comm. unius Virg. [125]

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo témpore : Loquénte Jesu ad turbas, ecce mater ejus, et fratres stabant foris, quæréntes loqui ei. Et réliqua.

Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri.

Fer. 4. post Dom. I. Quadr.

OCcupáto in offício prædicatiónis Dómino, stabant foris mater, et fratres ejus, quæréntes ei loqui : cui quidam nuntiávit : Mater, ínquiens, tua, et fratres stant foris voléntes loqui tibi. Non simplíciter iste Dómino hoc nuntiásse putándus est, sed sub dolo, volens experíri, utrum óperi divíno afféctum carnálium præférret propinquórum. Unde prudentíssime se matrem nosse dissímulat : ut osténdat se pótius cognóscere, et amáre eos, qui per cognatiónem spíritus propínqui sunt, quam qui per cognatiónem carnis. Unde séquitur : At ille respóndens dicénti sibi, ait : Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei?

℟. Veni elécta mea, et ponam in te thronum meum : * Quia concupívit Rex spéciem tuam.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Quia.

Lectio viij.

NOn autem Dóminus matérnæ pietátis réspuit offícium, qui per legem præcépit, dicens : Honóra patrem tuum, et matrem : sed Dei Patris ministéria matérnis præpónit afféctibus. Hinc álibi dicit : Qui amat pa-

trem et matrem super me, non est me dignus. Nec contémnit fratres, sed cognatióni carnis opus præferéndum docet esse prædicatiónis. Nemo autem turbétur, cum audit fratres : quia fratres Dómini in Evangélio vocántur consobríni ejus, fílii scílicet Maríæ matérteræ ejus, quæ fertur fuísse mater Jacóbi minóris, et Joseph, et Judæ : quos in álio Evangélio fratres Dómini légimus appellátos.

℞. Regnum mundi, et omnem ornátum sæculi contémpsi, propter amórem Dómini mei Jesu Christi : * Quem vidi, quem amávi, in quem crédidi, quem diléxi.

℣. Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea Regi. Quem.

Lectio ix.

Mystice vero mater Dómini Synagóga intellígitur, de carne cujus éditus est : fratres autem, pópulus Judæórum. Salvatóre ígitur intus pósito, mater ejus et fratres ejus stant foris : quia dum Judæi in Christum crédere nollent, dum ad eum, qui ad illórum salútem missus fúerat, intráre per fidem neglígerent; turba géntium præóccupans, ingréssa est; et nunc Dómini sermónibus frúitur, et doctrína, illis foris stántibus, et circa terrénam legis intelligéntiam, et lítteræ custódiam diversántibus. Quique, quantum in ipsis est, magis Christum ad docénda carnália foris cogunt exíre, quam ipsi ad discénda spirituália volunt intráre.

℞. O mater nostra, o ter sancta, quatérque beáta, * Cum prece devóta famulántum súscipe vota.

℣. Jam Christo juncta es, sponsóque tuo sociáta. Cum prece.

Glória Patri. Cum.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerdotalis ℣. Veni sponsa Christi, áccipe corónam. ℞. Quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

Veni elécta mea, et ponam in te thronum meum, quia concupívit Rex spéciem tuam.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Unguéntum effúsum nomen tuum; ídeo adolescéntulæ dilexérunt te nimis.

Aña. Veni sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Aña. Sicut malus inter ligna silvárum, sic amíca mea inter fílias.

Aña. Revértere, revértere Sunamítis, revértere, revértere, ut intueámur te.

Capitulum. Prov. 31.

MUlíerem fortem quis invéniet? procul, et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit.

Hymnus.

HÆc rite mundi gáudia
Hujus cadúca réspuens,
Cum Angelis cœléstibus
Læta potítur præmiis.

Hujus benígne ánnuæ
Nobis sequi vestígia :
Hujus precátu sérvulis
Dimítte noxam críminis.

Sit Christe, Rex piíssime,
Tibi, Patríque glória,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum.
Amen.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

Ad Benedictus, Aña. Símile est regnum cœlórum sagénæ missæ in mare, et ex omni génere píscium congregánti : quam, cum impléta esset, educéntes, et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa sua, malos autem foras misérunt.

Pro una Matrona non Martyre.

Oratio.

QUæsumus omnípotens Deus, ut nobis beátæ N. veneránda festívitas salútis præstet increméntum, cujus admiránda vita salutáre præbet exémplum. Per Dóminum.

Pro Matrona et Martyre.

Oratio.

DEus qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti : concéde propítius, ut qui beátæ N. Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Capitulum. Mulíerem fortem, ut supra.

℟. Diffúsa est grátia, * In lábiis tuis. Diffúsa.

℣. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. In lábiis.

Glória Patri. Diffúsa.

℣. Spécie tua.

AD SEXTAM.

Capitulum. Prov. 31.

MAnum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem. Non timébit dómui suæ a frigóribus nivis.

℞. Spécie tua, * Et pulchritúdine tua. Spécie.

℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et.

Glória Patri. Spécie.

℣. Adjuvábit eam.

AD NONAM.

Capitulum. Prov. 31.

MUltæ fíliæ congregavérunt divítias : tu supergréssa es univérsas : Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : múlier timens Dóminum ipsa laudábitur.

℞. Adjuvábit eam, * Deus vultu suo. Adjuvábit.

℣. Deus in médio ejus non commovébitur. Deus vultu.

Glória Patri. Adjuvábit.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℞. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

AD VESPERAS.

Añæ Laudum, Psalmi ut in Comm. unius Virg. [131] Capit. Hymnus, et ℣. ut in j. Vesperis.

Ad Magnificat, Aña. Símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas. Invénta una pretiósa margaríta, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

IN COMMUNI

plurimarum Virginum.

AD VESPERAS.

Si fuerit Duplex minus, Aña. Beátæ estis, vírgines sanctæ, quæ gáudiis cœléstibus pérfrui meruístis.

Psalmi de Offic. præced.

Capitulum. Sap. 4.

O Quam pulchra est casta generátio cum claritáte! Immortális est enim memória illíus; quóniam et apud Deum nota est, et apud hómines.

Si fuerit Duplex, ℞. Patris Verbum Altíssimi Christus elégit has sibi sponsas beátas Vírgines : * Quarum hódie festus est dies.

℣. Psallámus pro afféctu córdium laudes Vírginum. Quarum.

Glória Patri. Quarum.

Hymnus.

JEsu coróna Vírginum,
Quem mater illa cóncipit
Quæ sola Virgo párturit :
Hæc vota clemens áccipe.

Qui pascis inter lília
Septus choréis Vírginum,
Sponsus decórus glória,
Sponsísque reddens præmia.

Quocúmque pergis, Vírgines
Sequúntur, atque láudibus
Post te canéntes cúrsitant,
Hymnósque dulces pérsonant.

Te deprecámur lárgius,
Nostris adáuge sénsibus
Nescíre prorsus ómnia
Corruptiónis vúlnera.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum. Amen.

℣. Adducéntur Regi vírgines post eam. ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi.

Ad Magnificat, Aña. Pangámus Deo nostro glóriam : qui sanctis Virgínibus talem dedit victóriam, ut carnis calcárent desidéria, et pervenírent ad cœléstia regna.

Pro commem. si occurrat, Aña. Prudéntes Vírgines aptáte lámpades vestras : ecce sponsus venit, exíte óbviam ei.

℣. Média nocte clamor.

Pro Virginibus tantum.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui nos idóneos non esse perpéndis, ad majestátem tuam, sicut dignum est, exorándam; fac sanctas Vírgines pro nostris interveníre peccátis : quarum méritis nobis indulgéntiam largiáris. Per Dóminum.

Pro Virginibus et Martyribus.

Oratio.

DA nobis quæsumus Dómine, sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum N. et N. palmas incessábili devotióne venerári : ut, quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Agnum sponsum Vírginum, * Veníte adorémus Dóminum Jesum Christum.

Ps. Veníte, exsultémus. 2.

Hymnus. Jesu coróna.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Símile erit regnum cœlórum decem Virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso et sponsæ.

Ps. Dómine Dóminus noster, et reliqui de Communi unius Virg. [118]

Aña. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes : sed quinque fátuæ, accéptis lam-

pádibus, non sumpsérunt óleum secum.

Ps. Cœli enárrant.

Aña. Prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus : moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes, et dormiérunt.

Ps. Dómini est terra.

℣. Adducéntur Regi vírgines post eam. ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi.

Lectiones de Epist. De Virgínibus, ut supra in Communi unius Virg. [120]

℟. j. Innumerábilis Vírginum chorus spreta liberórum propágine : * Dum sponso, qui in cœlis est, perénni mente, actu, et hábitu applicári máluit.

℣. Ecce floréntem mundum mentis despéctu calcávit. Dum sponso.

℟. ij. Felíciter Vírgines vincunt mundum, * Quæ post victórias vinci non norunt.

℣. Beátæ de prælio rédeunt, et hostes suos moriéndo devíncunt. Quæ post.

℟. iij. Média nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. *Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornátis lampádibus suis, intravérunt cum eo ad núptias.

℣. Hora jam noctis média, vox intónuit de cœlo lapsa : Ecce sponsus venit. Tunc.

Glória Patri. Tunc.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Tempore Pasch. dicitur in ij. Nocturno Aña. Tunc surrexérunt.

Aña. Média nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei.

Ps. Eructávit.

Aña. Tunc surrexérunt omnes Vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt : Date nobis de óleo vestro : quia lámpades nostræ exstinguúntur.

Ps. Deus noster.

Aña. Respondérunt prudéntes, dicéntes : Ne forte non suffíciat nobis, et vobis : ite pótius ad vendéntes, et émite vobis.

Ps. Fundaménta ejus.

℣. Média nocte clamor factus est. ℟. Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei.

Ex libro sancti Cypriáni Epíscopi et Mártyris, de hábitu Vírginum.

Tract. 2. sub initium.

Lectio iv.



Unc nobis ad Vírgines sermo est, quarum quó sublímior glória est, major et

cura est. Flos est ille Ecclesiástici gérminis, decus atque ornaméntum grátiæ spiritális, læta índoles, laudis et honóris opus íntegrum atque incorrúptum, Dei imágo respóndens ad sanctimóniam Dómini, illústrior pórtio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis lárgiter floret Ecclésiæ Matris gloriósa fecúnditas : quantóque plus copiósa Virgínitas número suo addit, tanto plus gáudium Matris augéscit. Ad has lóquimur, has adhortámur affectióne pótius quam potestáte : non quod extrémi, et mínimi, et humilitátis nostræ ádmodum cónscii áliquid ad censúram licéntiæ vindicémus; sed quod ad sollicitúdinem magis cauti, plus de diáboli infestatióne timeámus.

℟. Adducéntur Regi vírgines post eam : próximæ ejus afferéntur tibi : * In lætítia, et exsultatióne.

℣. Adducéntur in templum Regi Dómino. In lætítia.

Lectio v.

Neque enim inánis hæc cáutio est, et vana formído : quæ ad salútis viam cónsulit, quæ Domínica et vitália præcépta custódit, ut quæ se Christo dicáverint, et a carnáli concupiscéntia recedéntes, tam carne quam mente se Deo vóverint, consúmment opus suum magno præmio destinátum : nec ornári jam, aut placére cuíquam, nisi Dómino suo stúdeant, a quo et mercédem virginitátis exspéctant, dicénte ipso : Non omnes cápiunt verbum, sed illi, quibus datum est. Sunt enim spadónes, qui ex útero matris sic nati sunt : et sunt spadónes, qui coácti sunt ab homínibus : et sunt spadónes, qui seípsos castravérunt propter regnum cœlórum.

℟. Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus : quæ accipiéntes lámpades suas, * Exiérunt óbviam sponso, et sponsæ.

℣. Prudéntes autem vírgines accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Exiérunt.

Lectio vj.

Denuo quoque per hanc Angeli vocem continéntiæ munus osténditur, virgínitas prædicátur : Hi sunt, qui cum muliéribus se non coinqui-

navérunt : vírgines enim permansérunt. Hi sunt qui sequúntur Agnum quocúmque íerit. Neque enim tantum másculis continéntiæ grátiam Dóminus repromíttit, et féminas præterit; sed quóniam fémina viri pórtio est, et ex eo sumpta, atque formáta est, in Scriptúris fere ómnibus ad protoplástum Deus lóquitur : quia sunt duo in carne una, et in másculo simul significátur et fémina. Quod si Christum continéntia séquitur, et regno Dei virgínitas destinátur, quid est illis cum terréno cultu, et cum ornaméntis, quibus dum homínibus placére géstiunt, Deum offéndunt?

℟. Audívi vocem de cœlo dicéntem : Veníte omnes vírgines sapientíssimæ : * Oleum recóndite in vasis vestris, dum sponsus advénerit.

℣. Média nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit. Oleum.

Glória Patri. Oleum.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Dum autem irent émere, venit sponsus, et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est jánua.

Ps. Cantáte.

Aña. Novíssime autem venérunt et réliquæ vírgines, dicéntes : Dómine, Dómine, áperi nobis.

Ps. Dóminus regnávit, exsúltet terra.

Aña. Respóndens autem Dóminus, dixit virgínibus : Amen dico vobis, néscio vos. Vigiláte ítaque, quia nescítis diem, neque horam.

Ps. Cantáte.

℣. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ. ℟. Et ornavérunt lámpades suas.

Lect. de Homilia in Evangel. Símile erit regnum.... decem, de Communi unius Virginis. [127]

℟. vij. Quinque prudéntes Vírgines accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus : média autem nocte clamor factus est : * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei.

℣. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Ecce.

℟. viij. Has vírgines et fídei, et córporis comméndat intégritas : * Has vitæ sincéritas, et meritórum exáltat sublímitas.

℣. Nomen ergo sempitérnum dabit eis Dóminus, quod non períbit. Has vitæ.

℟. ix. Patris Verbum Altíssimi Christus elégit has sibi sponsas beátas Vírgines : * Quarum hódie festus est dies.

℣. Psallámus pro afféẞtu córdium laudes Vírginum. Quarum.

Glória Patri. Quarum.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerdotalis ℣. Adducéntur Regi vírgines post eam. ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

Vírgines sanctæ Dei, oráte pro nobis, ut scélerum véniam per vos accípere mereámur.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Beátæ estis vírgines sanctæ, quæ gáudiis cœléstibus pérfrui meruístis.

Aña. Prudéntes vírgines aptáte lámpades vestras; ecce sponsus venit, exíte óbviam ei.

Aña. Vírgines Dómini, Dóminum benedícite in ætérnum.

Aña. Laus, et honor Jesu Christo : cujus dono sanctæ vírgines honoránter semper in terris, et glóriam habent perpétuam in cœlis.

Capitulum. Sap. 4.



O Quam pulchra est casta generátio cum claritáte! immortális est enim memóri illíus; quóniam et apud Deum nota est, et apud hómines.

Hymnus. D. Greg.

Rex glorióse vírginum,
Coróna confiténtium,
Qui respuéntes térrea,
Perdúcis ad cœléstia.

Aurem benígnam prótinus
Appóne nostris vócibus :
Trophæa sacra pángimus,
Ignósce quod delíquimus.

Tu vincis in Virgínibus,
Parcéndo Confessóribus;
Tu vince nostra crímina,
Donándo indulgéntiam.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum.
Amen.

℣. Prudéntes vírgines. ℟. Aptáte lámpades vestras.

Ad Benedictus, Aña. Istæ sunt prudéntes vírgines, quæ accépto óleo in vasis suis cum lampádibus, exiérunt óbviam sponso et sponsæ : quo veniénte, intravérunt cum eo parátæ ad núptias.

Pro comm. si occurrat, Aña. Pangámus Deo nostro glóriam, qui sanctis virgínibus talem dedit victóriam, ut carnis calcárent desidéria, et pervenírent ad cœléstia regna.

℣. Tunc surrexérunt.

Oratio ut in primis Vesperis.

AD TERTIAM.

Capit. O quam pulchra.

℟. Adducéntur Regi * Vírgines post eam. Adducéntur.

℣. Próximæ ejus afferéntur tibi. Vírgines.

Glória Patri. Adducéntur.

℣. Média nocte clamor.

AD SEXTAM.

Capitulum. 2. Cor. 10.

Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seípsum comméndat, ille probátus est, sed quem Deus comméndat.

℟. Média nocte * Clamor factus est. Média.

℣. Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Clamor.

Glória Patri. Média.

℣. Tunc surrexérunt.

AD NONAM.

Capitulum. 2. Cor. 11.

Æmulor enim vos Dei æmulatióne. Despóndi enim vos uni viro vírginem castam exhibére Christo.

℟. Tunc surrexérunt * Omnes vírgines illæ. Tunc.

℣. Et ornavérunt lámpades suas. Omnes.

Glória Patri. Tunc.

℣. Prudéntes vírgines.


℟. Aptáte lámpades vestras.

AD VESPERAS.

Añæ Laudum, Psalmi de Communi unius Virg. [131]

Capit., Hymnus et ℣. ut in j. Vesperis.

Ad Magnificat, Aña. Venerándæ estis Vírgines sanctæ, quæ carnis desidériis restitístis, et in Jesu Christi servítio permansístis : ipsum rogáte, ut nobis indígnis propítius esse dignétur in hoc sæculo, et in futúro.



In Communi Dedicationis Ecclesiae. Duplex majus.

AD VESPERAS.

Antiphona.

SAnctificávit Dóminus tabernáculum suum : quia hæc est domus Dei, in qua invocábitur nomen ejus : de quo scriptum est : Et erit nomen meum ibi, dicit Dóminus.

Ps. Lætátus sum. 166.

Aña. Domus hæc sancta Jerúsalem cívitas Dei nostri, et congregátio cœléstium Angelórum est.

Ps. Qui confídunt. 167.

Aña. Gloriósum, et terríbile nomen tuum Dómine, et ædificándi domum in univérsa terra magnus Dóminus, quia exaltátum est nomen ejus solíus. Beáti qui hábitant in domo tua Dómine, in sæculum sæculi laudábunt te.

Ps. Nisi Dóminus. 168.

Aña. Benedíctus es Dómine, in templo sancto glóriæ tuæ : quod ædificátum est ad laudem, et glóriam nóminis tui Dómine.

Ps. Confitébor. 175.

Aña. In dedicatióne hujus templi laudáte Deum omnis milítia cœlórum : et omnis terra laudet nomen Dómini, quia exaltátum est nomen ejus solíus.

Psalmus. Lauda Jerúsalem. 183.

Capitulum. Apoc. 21.

VIdi sanctam civitátem Jerúsalem novam descendéntem de cœlo a Deo, parátam, sicut sponsam ornátam viro suo.

℟. Terríbilis est locus iste : non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta cœli : * Vere étenim Dóminus est in loco isto, et ego nesciébam.

℣. Cumque evigilásset Jacob a somno, ait. Vere.

Glória Patri. Vere.

Hymnus. D. Ambr.

Urbs beáta Jerúsalem,
Dicta pacis vísio,
Quæ constrúitur in cœlis
Vivis ex lapídibus,
Et Angelis coronáta,
Ut sponsáta cómite.
Nova véniens e cœlo
Nuptiáli thálamo,
Præparáta, ut sponsáta
Copulétur Dómino :
Platéæ, et muri ejus
Ex auro puríssimo.
Portæ nitent margarítis
Adytis paténtibus :
Et virtúte meritórum
Illuc introdúcitur
Omnis, qui ob Christi nomen
Hic in mundo prémitur.
Tunsiónibus, pressúris
Expolíti lápides
Suis coaptántur locis
Per manus artíficis,
Disponúntur permansúri
Sacris ædifíciis.
Glória, et honor Deo
Usquequáque altíssimo,
Una Patri, Filióque,
Inclyto Paráclito,
Cui laus est, et potéstas
Per imménsa sæcula.
Amen.

℣. Domum tuam Dómine decet sanctitúdo. ℟. In longitúdinem diérum, allelúia.

Ad Magníficat, Aña. O quam metuéndus est locus iste! non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta cœli.

Primo anno.

Oratio.

Deus, qui invisibíliter ómnia cóntines, et tamen pro salúte géneris humáni signa tuæ poténtiæ visibíliter osténdis; templum hoc poténtia tuæ inhabitatiónis illústra, et concéde : ut omnes, qui huc deprecatúri convéniunt, ex quacúmque tribulatióne ad te clamáverint, consolatiónis tuæ benefícia consequántur. Per Dóminum.

Secundo anno et deinceps. Oratio.

Deus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consécratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes : exáudi preces pópuli tui, et præsta : ut quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per Dóminum nostrum.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Exsultémus Dómino summo Regi, * Qui suum sanctificávit tabernáculum.

Ps. Veníte, exsultémus. 2.

Hymnus. Urbs beáta.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Tóllite portas príncipes vestras, et elevámini portæ æternáles.

Psalmus xxiij.

Omini est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, qui non accépit in vano ánimam suam, * nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quærentium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras, et elevámini portæ æternáles : * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras, et elevámini portæ æternáles : * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Tóllite portas príncipes vestras, et elevámini portæ æternáles.

Aña. Vidit Jacob scalam, súmmitas ejus cœlos tangébat : et descendéntes Angelos, et dixit : Vere locus iste sanctus est.

Psalmus xlv.

DEus noster refúgium, et virtus : * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra : * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbátæ sunt aquæ eórum : * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei : * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus non commovébitur : * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt Gentes, et inclináta sunt regna : * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, et vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram : * áuferens bella usque ad finem terræ.
Arcum cónteret, et confrínget arma : * et scuta combúret igni.
Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus : * exaltábor in Géntibus, et exaltábor in terra.
Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.
Glória Patri, et Fílio.
Aña. Vidit Jacob scalam, súmmitas ejus cœlos tangébat, et descendéntes Angelos, et dixit : Vere locus iste sanctus est.
Aña. Cum evigilásset Jacob de somno ait : Vere locus iste sanctus est.

Psalmus xlvij.

MAgnus Dóminus, et laudábilis nimis * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.
Fundátur exsultatióne univérsæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas Regis magni.
Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cum suscípiet eam.
Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt : * convenérunt in unum.
Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt : * tremor apprehéndit eos.
Ibi dolóres ut parturiéntis, * in spíritu veheménti cónteres naves Tharsis.
Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei nostri : * Deus fundávit eam in ætérnum.
Suscépimus Deus misericórdiam tuam, * in médio templi tui.
Secúndum nomen tuum Deus, sic et laus tua in fines terræ, * justítia plena est déxtera tua.
Lætétur mons Sion, et exsúltent fíliæ Judæ, * propter judícia tua Dómine.
Circúmdate Sion, et complectímini eam : * narráte in túrribus ejus.
Pónite corda vestra in virtúte ejus : * et distribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie áltera.
Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum, et in sæculum sæculi : * ipse reget nos in sæcula.
Glória Patri, et Fílio.
Aña. Cum evigilásset Jacob de somno ait : Vere locus iste sanctus est.
℣. Domum tuam Dómine decet sanctitúdo.
℟. In longitúdinem diérum, allelúia.

De libro secúndo Paralipómenon.

Lectio j. Cap. 7.

Um complésset Sálomon fundens preces, ignis descéndit de cœlo, et devorávit holocáusta et víctimas : et majéstas Dómini implévit domum. Nec póterant sacerdótes íngredi templum Dómini, eo quod implésset majéstas Dómini templum Dómini. Sed et omnes fílii Israel vidébant descendéntem ignem, et glóriam Dómini super domum : et corruéntes proni in terram super paviméntum stratum lápide, adoravérunt et laudavérunt Dóminum : Quóniam bonus, quóniam in sæculum misericórdia ejus. Rex autem, et omnis pópulus immolábant víctimas coram Dómino. Mactávit ígitur rex Sálomon hóstias, boum vigínti duo míllia, aríetum centum vigínti míllia : et dedicávit domum Dei rex, et univérsus pópulus.

℟. In dedicatióne templi decantábat pópulus laudem : * Et in ore eórum dulcis resonábat sonus.

℣. Obtulérunt sacrifícium super altáre Dómino, et cecidérunt in fácies suas, et adoravérunt Deum. Et in ore.

Lectio ij.

SAcerdótes autem stabant in offíciis suis, et Levítæ in órganis cárminum Dómini, quæ fecit David rex ad laudándum Dóminum : Quóniam in ætérnum misericórdia ejus, hymnos David canéntes per manus suas : Porro sacerdótes canébant tubis ante eos, cunctúsque Israel stabat. Sanctificávit quoque Sálomon médium átrii ante templum Dómini : obtúlerat enim ibi holocáusta, et ádipes pacificórum : quia altáre æneum, quod fécerat, non póterat sustinére holocáusta, et sacrifícia, et ádipes. Fecit ergo Sálomon solemnitátem in témpore illo septem diébus, et omnis Israel cum eo, Ecclésia magna valde, ab introitu Emath usque ad torréntem Ægypti. Fecítque die octávo colléctam, eo quod dedicásset altáre septum diébus, et solemnitátem celebrásset diébus septem.

℟. Fundáta est domus Dómini supra vérticem

móntium, et eleváta est super omnes colles, et vénient ad eam omnes Gentes : * Et dicent : Glória tibi Dómine.

℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos. Et dicent.

Lectio iij. 3. Reg. 9. 2. Par. 7. [℣. 11.]

Complevítque Sálomon domum Dómini, et domum regis, et ómnia quæ disposúerat in corde suo, ut fáceret in domo Dómini, et in domo sua, et prosperátus est. Appáruit autem ei Dóminus nocte, et ait : Audívi oratiónem tuam, et elégi locum istum mihi in domum sacrifícii. Si cláusero cœlum, et plúvia non flúxerit, et mandávero, et præcépero locústæ, ut dévoret terram, et mísero pestiléntiam in pópulum meum : convérsus autem pópulus meus, super quos invocátum est nomen meum, deprecátus me fúerit, et exquisíerit fáciem meam, et égerit pœniténtiam a viis suis péssimis : et ego exáudiam de cœlo, et propítius ero peccátis eórum, et sanábo terram eórum. Oculi quoque mei erunt apérti, et aures meæ eréctæ ad oratiónem ejus, qui in loco isto oráverit. Elégi enim, et sanctificávi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempitérnum, et permáneant óculi mei, et cor meum ibi cunctis diébus.

℟. Mane surgens Jacob, erigébat lápidem in títulum, fundens óleum désuper, votum vovit Dómino : * Vere locus iste sanctus est, et ego nesciébam.

℣. Vidit Jacob scalam, súmmitas ejus cœlos tangébat, et descendéntes Angelos, et ait. Vere.

Glória Patri. Vere.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Non est hic áliud nisi domus Dei, et porta cœli.

Psalmus lxxxiij.



Uam dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum : * concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum, et caro mea * exsultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum : * et turtur nidum sibi ubi ponat pullos suos.

Altária tua Dómine virtútum : * Rex meus, et Deus meus.

Beáti, qui hábitant in domo tua Dómine : * in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxílium abs te : * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrymárum in loco, quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem : * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum exáudi oratiónem meam: * áuribus pércipe Deus Jacob.

Protéctor noster ádspice Deus : * et réspice in fáciem Christi tui :

Quia mélior est dies una in átriis tuis * super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei : * magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam, et veritátem díligit Deus, * grátiam, et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia : * Dómine virtútum, beátus homo, qui sperat in te.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta cœli.

Aña. Eréxit Jacob lápidem in títulum, fundens óleum désuper.

Psalmus lxxxiv.

BEnedixísti Dómine terram tuam : * avertísti captivitátem Jacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ : * operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram tuam : * avertísti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos Deus salutáris noster : * et avérte iram tuam a nobis.

Numquid in ætérnum irascéris nobis? * aut exténdes iram tuam a generatióne in generatiónem?

Deus tu convérsus vivificábis nos : * et plebs tua lætábitur in te.

Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam : * et salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus : * quóniam loquétur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos : * et in eos, qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsíus : * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia et véritas obviavérunt sibi : * justítia et pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est : * et justítia de cœlo prospéxit.
Etenim Dóminus dabit benignitátem : * et terra nostra dabit fructum suum.
Justítia ante eum ambulábit : * et ponet in via gressus suos.
Glória Patri, et Fílio.
Aña. Eréxit Jacob lápidem in títulum, fundens óleum désuper.
Aña. Erit mihi Dóminus in Deum, et lapis iste vocábitur domus Dei.

Psalmus lxxxvj.

FUndaménta ejus in móntibus sanctis : * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.
Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.
Memor ero Rahab, et Babylónis * sciéntium me.
Ecce alienígenæ, et Tyrus, et pópulus Æthíopum, * hi fuérunt illic.
Numquid Sion dicet : Homo, et homo natus est in ea : * et ipse fundávit eam Altíssimus?
Dóminus narrábit in scriptúris populórum, et príncipum : * horum, qui fuérunt in ea.
Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.
Glória Patri, et Fílio.
Aña. Erit mihi Dóminus in Deum, et lapis iste vocábitur domus Dei.
℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta. ℟. Bene fundáta est supra firmam petram, allelúia.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 1. de Anniv. Ded. Eccl. qui est 252. de Temp.

Lectio iv.


Uotiescúmque, fratres caríssimi, altáris vel templi festivitátem cólimus : si fidéliter ac diligénter atténdimus, et sancte ac juste vívimus; quidquid in templis manufáctis ágitur, totum in nobis spiritáli ædificatióne complétur. Non enim mentítus est ille, qui dixit : Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Et íterum : Nescítis, quia córpora vestra templum sunt Spíritus sancti, qui in vobis est? Et ídeo, fratres caríssimi, quia nullis præcedéntibus méritis per grátiam Dei merúimus fíeri templum Dei; quantum póssumus, cum ipsíus adjutório laborémus, ne Dóminus no-

ster in templo suo, hoc est, in nobis ipsis invéniat, quod óculos suæ majestátis offéndat.

℟. Bénedic Dómine domum istam, quam ædificávi nómini tuo, veniéntium in loco isto * Exáudi preces in excélso sólio glóriæ tuæ.

℣. Dómine, si convérsus fúerit pópulus tuus, et oráverit ad Sanctuárium tuum. Exáudi.

Lectio v.

Sed habitáculum cordis nostri evacuétur vítiis, et virtútibus repleátur : claudátur diábolo, et aperiátur Christo : et ita laborémus, ut nobis bonórum óperum clávibus jánuam regni cœléstis aperíre possímus. Sicut enim malis opéribus, quasi quibúsdam seris ac véctibus, vitæ nobis jánua cláuditur : ita absque dúbio bonis opéribus aperítur. Et ídeo, fratres caríssimi, unusquísque consíderet consciéntiam suam, et quando se áliquo crímine vulnerátum esse cognóverit; prius oratiónibus, jejúniis, vel eleemósynis stúdeat mundáre consciéntiam suam, et sic Eucharistíam præsúmat accípere.

℟. O quam metuéndus est locus iste ! * Vere non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta cœli.

℣. Mane surgens Jacob, votum vovit Dómino, et dixit. Vere.

Lectio vj.

Si enim agnóscens reátum suum, ipse se a divíno altári subtráxerit, cito ad indulgéntiam divínæ misericórdiæ pervéniet. Quia sicut, qui se exáltat humiliábitur : ita e contrário qui se humíliat, exaltábitur. Qui enim, sicut dixi, agnóscens reátum suum, ipse se humíliter ab altári Ecclésiæ pro emendatióne vitæ removére volúerit; ab ætérno illo, et cœlésti convívio excommunicári pénitus non timébit.

℟. Orántibus in loco isto dimítte Dómine peccáta pópuli tui, et osténde eis viam bonam, per quam ámbulent : * Et da glóriam nómini tuo.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam : et clamor meus ad te véniat. Et da.

Glória Patri. Et da.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Qui hábitat in adjutório Altíssimi, in protectióne Dei cœli commorábitur.

Quando haec Antiphona dicitur integra, et illi non additur in fine Allelúia, tunc principium Psalmi est a secundo versu, Dicet Dómino.

Psalmus xc.


Ui hábitat in adjutório Altíssimi, * in protectióne Dei cœli commorábitur.

Dicet Dómino : Suscéptor meus es tu, et refúgium meum : * Deus meus sperábo in eum.

Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium, * et a verbo áspero.

Scápulis suis obumbrábit tibi : * et sub pennis ejus sperábis.

Scuto circúmdabit te véritas ejus : * non timébis a timóre noctúrno,

A sagítta volánte in die, a negótio perambulánte in ténebris : * ab incúrsu, et dæmónio meridiáno.

Cadent a látere tuo mille, et decem míllia a dextris tuis : * ad te autem non appropinquábit.

Verúmtamen óculis tuis considerábis : * et retributiónem peccatórum vidébis.

Quóniam tu es Dómine spes mea : * altíssimum posuísti refúgium tuum.

Non accédet ad te malum : * et flagéllum non appropinquábit tabernáculo tuo.

Quóniam Angelis suis mandávit de te : * ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

In mánibus portábunt te : * ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

Super áspidem, et basilíscum ambulábis : * et conculcábis leónem et dracónem.

Quóniam in me sperávit, liberábo eum : * prótegam eum, quóniam cognóvit nomen meum.

Clamábit ad me, et ego exáudiam eum : * cum ipso sum in tribulatióne : erípiam eum, et glorificábo eum.

Longitúdine diérum replébo eum : * et osténdam illi salutáre meum.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Qui hábitat in adjutório Altíssimi, in protectióne Dei cœli commorábitur.

Aña. Domum istam prótege Dómine, et Angeli tui custódiant muros ejus.

Psalmus xcv.

CAntáte Dómino cánticum novum : * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus; * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter Gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis : * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii Géntium dæmónia : * Dóminus autem cœlos fecit.

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus : * sanctimónia, et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriæ Géntium, afférte Dómino glóriam et honórem : * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra : * dícite in Géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur : * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cœli, et exsúltet terra, commoveátur mare, et plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, et ómnia, quæ in eis sunt.

Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Domum istam prótege Dómine, et Angeli tui custódiant muros ejus.

Aña. Fundáta est domus Dómini super vérticem móntium : et eleváta est super omnes colles, allelúia.

Psalmus xcvj.

Dominus regnávit, exsúltet terra : * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes et calígo in circúitu ejus : * justítia et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit, et commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes,

qui adórant sculptília : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audívit, et lætáta est Sion.

Et exsultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua Dómine :

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini justi in Dómino : * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Fundáta est domus Dómini super vérticem móntium, et eleváta est super omnes colles, allel.

℣. Beáti, qui hábitant in domo tua Dómine. ℟. In sæcula sæculórum laudábunt te, allelúia.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo témpore : Ingréssus Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachæus : et hic princeps erat publicanórum, et ipse dives. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 8. in Luc.

Achæus statúra pusíllus, hoc est, nulla nobilitátis ingénitæ dignitáte sublímis, exíguus méritis sicut pópulus natiónum, audíto Dómini Salvatóris advéntu, quem sui non recéperant, vidére cupiébat. Sed nemo fácile Jesum videt : nemo potest Jesum vidére constitútus in terra. Et quia non Prophétas, non legem habébat, tamquam formæ grátiam naturális, ascéndit in sycómorum : vanitátem scílicet Judæórum vestígio suo próterens, erráta quoque córrigens superióris ætátis : et ídeo Jesum in interióris domus recépit hospítio.

℟. Lápides pretiósi omnes muri tui, * Et turres Jerúsalem gemmis ædificabúntur.

℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta : bene fundáta est supra firmam petram. Et turres.

Lectio viij.

ET bene ascéndit in árborem, ut arbor bona bonos fructus fáce-

ret : ac naturáli excísus oleástro, et contra natúram insértus in bonam olívam, fructum posset legis afférre. Radix enim sancta, etsi rami inútiles : quorum infructuósam glóriam plebs Géntium, fide resurrectiónis, quasi quadam córporis elevatióne transcéndit. Zachæus ergo in sycómoro, cæcus in via: quorum álterum Dóminus miseratúrus exspéctat, álterum, mansiónis suæ claritáte nobílitat. Alterum sanatúrus intérrogat, apud álterum se non invitátus invítat. Sciébat enim úberem hospítii sui esse mercédem : sed tamen, etsi nondum vocem invitántis audíerat, jam víderat afféctum.

℟. Domus mea domus oratiónis vocábitur, dicit Dóminus, * In ea omnis, qui petit, áccipit : et qui quærit, ínvenit : et pulsánti aperiétur.

℣. Domum tuam Dómine decet sanctitúdo, in longitúdinem diérum. In ea.

Lectio ix. Paulo ante.

Verum ne cæcum illum tamquam fastidiósi páuperum cito reliquísse videámur, et transísse ad dívitem : exspectémus eum, quia exspectávit et Dóminus : interrogémus eum, quia interrogávit et Christus. Nos interrogémus, quia nescímus : ille, quia nóverat. Nos interrogémus, ut sciámus unde iste curátus sit : ille interrogávit, ut in uno plures discerémus, unde Dóminum vidére mereámur. Interrogávit enim, ut crederémus, néminem nisi confiténtem posse salvári.

℟. Terríbilis est locus iste : non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta cœli : * Vere étenim Dóminus est in loco isto, et ego nesciébam.

℣. Cumque evigilásset Jacob a somno, ait. Vere. Glória Patri. Vere.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerdotalis ℣. Dómine diléxi decórem domus tuæ. ℟. Et locum habitatiónis glóriæ tuæ, allelúia.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

Domum tuam Dómine decet sanctitúdo, in longitúdinem diérum.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta : bene fundáta est supra firmam petram.

Aña. Domus mea domus oratiónis vocábitur.

Aña. Bene fundáta est supra firmam petram.

Aña. Lápides pretiósi omnes muri tui, et turres Jerúsalem gemmis ædificabúntur.

Capitulum. Apoc. 21.

VIdi sanctam civitátem Jerúsalem novam descendéntem de cœlo a Deo, parátam, sicut sponsam ornátam viro suo.

Hymnus. D. Ambr.

ANguláris fundaméntum
Lapis Christus missus est,
Qui compáge paríetum
In utróque néctitur :
Quem Sion sancta suscépit,
In quo credens pérmanet.

Omnis illa Deo sacra,
Et dilécta cívitas
Plena módulis in laude,
Et canóre júbilo
Trinum Deum, unicúmque
Cum fervóre prædicat.

Hoc in templo, summe Deus,
Exorátus ádveni :
Et cleménti bonitáte
Precum vota súscipe :
Largam benedictiónem
Hic infúnde júgiter.

Hic promereántur omnes
Petíta acquírere :
Et adépta possidére
Cum Sanctis perénniter :
Paradísum introíre
Transláti in réquiem.

Glória, et honor Deo
Usquequáque altíssimo,
Una Patri, Filióque,
Inclyto Paráclito,
Cui laus est, et potéstas
Per imménsa sæcula.
Amen.

℣. Domus mea. ℟. Domus oratiónis vocábitur, allelúia.

Ad Benedictus, Aña. Mane surgens Jacob, erigébat lápidem in títulum, fundens óleum désuper. Votum vovit Dómino : Vere locus iste sanctus est, et ego nesciébam.

Quando dicitur pro commem. Octav. ℣. Domus mea.

Oratio pro j. anno ut in j. Vesperis.

Pro secundo anno et deinceps. Oratio.

DEus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes : exáudi preces pópuli tui, et præsta ; ut quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Capitulum. Vidi sanctam, ut ad Laudes.

℟. Domum tuam Dómine, decet sanctitúdo, * Allelúia, allelúia.

℣. In longitúdinem diérum. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Domum.

℣. Hæc est domus.

AD SEXTAM.

Capitulum. Apoc. 21.

Ecce tabernáculum Dei cum homínibus, et habitábit cum eis : Et ipsi pópulus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eórum Deus.

℟. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta, * Allelúia, allelúia.

℣. Bene fundáta est supra firmam petram. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Hæc est.

℣. Beáti, qui hábitant.

AD NONAM.

Capitulum. I. Cor. 3.

Fundaméntum enim áliud nemo potest pónere, præter id, quod pósitum est, quod est Christus Jesus.

℟. Beáti qui hábitant in domo tua Dómine, * Allelúia, allelúia.

℣. In sæcula sæculórum laudábunt te. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Beáti.

℣. Domus mea. ℟. Domus oratiónis vocábitur.

AD VESPERAS.

Añæ Laud. Psalmi Crédidi. 164. Lætátus. 166. Nisi Dóminus ædificáverit. 168. Laudáte Dóminum, quóniam bonus. 182. Lauda Jerúsalem. 183. Capit. Hymn. et ℣. ut in primis Vesperis.

Ad Magnificat, Aña. Zachæe, festínans descénde : quia hódie in domo tua opórtet me manére. At ille festínans descéndit, et excépit illum gaudens in domum suam. Hódie huic dómui salus a Deo facta est, allelúia.

Quando dicitur pro commem. Octavæ.

℣. Domum tuam Dómine.

INFRA OCTAVAM

Dedicationis Ecclesiæ.

AD MATUTINUM.

Invitatorium, Hymn. prima Aña primi Noct. et Psalmi ut in die, ℣. et ℟. de Festo secundum ordinem dierum et Nocturnorum, Lectiones duæ de Scriptura occurrente : tertia, quæ infra de proprio signatur.

Te Deum. Sacerdotalis ℣. Dómine diléxi.

Ad Laudes, et Vesperas

prima Antiphona Laudum, cetera et ad horas ut in die.

Infra Octavam Dedicationis Ecclesiæ Festum Duplex occurrens celebratur cum commemoratione Octavæ, non vero Semiduplex, Simplex aut Simplicissimum de quibus tantum fit commemoratio.

PRIMA DIE

infra Octavam Dedicationis Ecclesiæ.

Semiduplex.

Ex Tractátu sancti Augustíni Epíscopi super Psalmos.

In Psalm. 121. Lectio iij.

JErúsalem, quæ ædificátur ut cívitas. Fratres, quando dicébat ista David, perfécta erat illa cívitas, non ædificabátur. Néscio quam ergo civitátem dicit, quæ modo ædificátur, ad quam currunt in fide lápides vivi; de quibus *Petrus* : Et vos tamquam lápides vivi coædificámini in domum spiritálem, id est, templum Dei sanctum. Quid est : Lápides vivi coædificámini? Vivis, si credis : si autem credis, efficiéris templum Dei : quia dicit Apóstolus Paulus : Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.

SECUNDA DIE

infra Octavam.

Semiduplex.

Ex Tractátu sancti Augustíni Epíscopi super Psalmos.

In Psalm. 121. Lectio iij.

IPsa ergo modo cívitas ædificátur. Præcidúntur de móntibus lápides per manus prædicántium veritátem; conquadrántur, ut intrent in structúram sempitérnam. Adhuc multi lápides in mánibus artíficis sunt : non cadant de mánibus artíficis, ut possint perfécti coædificári in structúram templi. Est ergo ista Jerúsalem, quæ ædificátur ut cívitas : fundaméntum ipsíus Christus est. Dicit Apóstolus Paulus : Fundaméntum áliud nemo potest pónere, præter id quod pósitum est, quod est Christus Jesus.

TERTIA DIE

infra Octavam. Semid.

Ex Tractátu sancti Augustíni Epíscopi super Psalmos.

In Psalm. 121. Lectio iij.

FUndaméntum quando pónitur in terra, désuper ædificántur paríetes, et pondus pa-

ríetum ad ima tendit, quia in imo pósitum est fundaméntum. Si autem fundaméntum nostrum in cœlo est, ad cœlum ædificémur. Córpora ædificavérunt istam structúram, quam vidétis amplam surrexísse hujus Basílicæ : et quia córpora ædificavérunt, fundaméntum in imo posuérunt. Quia vero spirituáliter ædificámur, fundaméntum nostrum in summo pósitum est. Illuc ergo currámus, ibi ædificémur : quia de ipsa Jerúsalem dictum est: Stantes erant pedes nostri in átriis tuis Jerúsalem.

QUARTA DIE

infra Octavam. Semid.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 256. de Tempore.

Lectio iij.

CElébritas hujus congregatiónis, dedicátio est domus oratiónis. Domus ergo nostrárum oratiónum ista, domus autem Dei nos ipsi. Si domus Dei nos ipsi, nos in hoc sæculo ædificámur, ut in fine sæculi dedicémur. Ædifícium, immo ædificátio habet labórem, dedicátio exsultatiónem. Quod hic fiébat, quando ista surgébant, hoc fit modo, cum congregántur credéntes in Christum. Credéndo enim, quasi de silvis et móntibus ligna, et lápides præcidúntur : cum vero catechizántur, baptizántur, formántur, tamquam inter manus fabrórum et opíficum dolántur, collineántur, complanántur. Verúmtamen domum Dómini non fáciunt, nisi quando caritáte compaginántur.

QUINTA DIE

infra Octavam.

Semiduplex.

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 256. de Tempore.

Lectio iij.

LIgna ista et lápides, si non sibi certo órdine cohærérent, si non se pacífice innécterent, si non se ínvicem, cohæréndo sibi, quodámmodo amárent, nemo huc intráret. Dénique quando vides in áliqua fábrica lápides et ligna bene sibi cohærére, secúrus intras, ruínam non times. Volens ergo Dóminus Christus intráre, et in nobis habitáre, tamquam ædificándo dicébat : Mandátum no-

vum do vobis : Ut vos ínvicem diligátis. Mandátum, inquit, novum do vobis : véteres enim erátis, domum mihi nondum faciebátis, in vestra ruína jacebátis. Ergo, ut eruámini a vestræ ruínæ vetustáte, vos ínvicem amáte.

SEXTA DIE

infra Octavam.

Semiduplex.

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi

Serm. 256. de Tempore.

Lectio iij.

Consíderet ergo cáritas vestra, ædificári adhuc istam domum toto, sicut prædíctum est et promíssum, orbe terrárum. Cum enim ædificátur domus post captivitátem, sicut habet álius Psalmus, dícitur : Cantáte Dómino cánticum novum : cantáte Dómino omnis terra. Quod ibi dixit, cánticum novum, hoc Dóminus dixit, mandátum novum. Quid enim habet cánticum novum, nisi amórem novum? Cantáre amántis est. Vox hujus cantóris, fervor est sancti amóris. Amémus, gratis amémus : Dóminum enim amámus, quo nihil mélius invenímus : ipsum amémus propter ipsum, et nos in ipso, tamen propter ipsum.

DOMINICA

infra Octavam.

Duplex minus.

Omnia ut in die exceptis hic signatis. In j. Vesp. j. Aña Laud. Psalmi de ij. Vesp. Festi. Cap. ℟. etc. ut in j. Vesp. Festi, comm. Domin. occurr.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

IN SECUNDO NOCTURNO.

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi.

Ex Serm. 256. de Temp.

Lectio iv.

Ergo, dum novam constructiónem sanctæ hujus Ecclésiæ libénter atténdimus, quam divíno nómini hódie dedicámus, invenímus a nobis debéri et Deo nostro máximam laudem, et sanctitáti vestræ cóngruum de divínæ domus ædificatióne sermónem. Tunc autem sermo noster cóngruus erit, si in se áliquid ædificatiónis hábeat, quod utilitáti animárum vestrárum, Deo vos intérius ædificánte, profíciat. Quod hic factum corporáliter vidémus in pariétibus, spiritáliter fiat in méntibus : et

quod hic perféctum cérnimus in lapídibus, et lignis, hoc, ædificánte grátia Dei, perficiátur in corpóribus vestris.

℟. Bénedic Dómine.

Lectio v.

PRincipáliter ergo grátias agámus Dómino Deo nostro, a quo est omne datum óptimum, et omne donum perféctum : et ejus bonitátem tota cordis alacritáte laudémus, quóniam ad construéndam istam domum oratiónis, fidélium suórum visitávit ánimum, excitávit afféctum, surrogávit auxílium, inspirávit, necdum voléntibus, ut vellent; adjúvit bonæ voluntátis conátus, ut fácerent : ac per hoc Deus, qui operátur in suis et velle, et perfícere pro bona voluntáte, hæc ómnia ipse cœpit, ipse perfécit.

℟. O quam metuéndus.

Lectio vj.

ET quia ópera bona in conspéctu suo numquam esse permíttit inánia, fidélibus suis, quibus operántibus præbuit virtútis suæ favórem, tríbuet condígnam pro tanta operatióne mercédem. Adhuc ámplius agéndæ sunt grátiæ Deo nostro. Hanc enim Ecclésiam, quam fecit nómini suo cónstrui, fecit étiam sanctórum Mártyrum relíquiis ámplius honorári.

℟. Orántibus in loco.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo témpore : Ingréssus Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachæus : et hic Princeps erat Publicanórum, et ipse dives. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Lib. 27. Moral c. 27.

SI veráciter sapiéntes esse atque ipsam sapiéntiam contemplári appétimus, stultos nos humíliter cognoscámus. Relinquámus nóxiam sapiéntiam, discámus laudábilem fatuitátem. Hinc quippe scriptum est : Stulta mundi elégit Deus, ut confúndat sapiéntes. Hinc rursum dícitur : Si quis vidétur inter vos sápiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sápiens. Hinc Evangélicæ históriæ verba testántur; quia Zachæus, cum vidére præ turba nihil posset, sycómori árbo-

rem ascéndit, ut transeúntem Dóminum cérneret. Sycómorus quippe ficus fátua dícitur.

℟. Lápides pretiósi.

Lectio viij.

Pusíllus ítaque Zachæus sycómorum súbiit, et Dóminum vidit; quia qui mundi stultítiam humíliter éligunt, ipsi Dei sapiéntiam subtíliter contemplántur. Pusillitátem namque nostram ad vidéndum Dóminum turba præpedit : quia infirmitátem humánæ mentis, ne lucem veritátis inténdat, curárum sæculárium tumúltus premit. Sed prudénter sycómorum ascéndimus, si próvide eam, quæ divínitus præcípitur, stultítiam mente tenémus. Quid enim in hoc mundo stúltius, quam amíssa non quærere, posséssa rapiéntibus relaxáre, nullam pro accéptis injúriis injúriam réddere, immo adjúnctis áliis patiéntiam præbére?

℟. Domus mea.

Nona Lect. et commem. Domin. occurr.

IN OCTAVA

Dedicationis Ecclesiæ.

Duplex minus.

Omnia ut in die exceptis hic signatis. Ad Vesp. Aña Domum tuam, quæ sola dicitur, Psalmi ut in ij. Vesp. Festi, Cap. ℟. etc. ut in j. Vesp. Festi.

In primo Nocturno Lectiones ut in die.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Ex Epístola prima sancti Felícis Papæ quarti.

De Cons. dist. 1. cap. 2.

Lectio iv.



Abernáculum Móysen, Dómino præcipiénte fecísse et sacrásse, cum mensa, et altári ejus, et céteris vasis et utensílibus ad divínum cultum expléndum, légimus : et non solum divínis précibus ea sacrásse, sed étiam sancti ólei unctióne, Dómino jubénte, perliniísse nóvimus. Quáliter autem hæc facta sint, et quómodo ipsa sacra non álii, quam sacerdótes sacra unctióne delibúti, Dominóque cum véstibus sanctis sacráti, et Levítæ tractábant, ferébant, erigébant, et deponébant, in ipsis institutiónibus, quæ jubénte Dómino conscríptæ sunt per Móysen, in lege Dómini reperítur. Quáliter ergo David regum piíssimus amplificáverit cul-

tum Dei, et templum Dómino ædificáre volúerit, sed propter multum sánguinem quem effúderat, prohíbitus est; et ipse collégerat expénsas; Sálomon quoque fílius ejus, idípsum quod ipse fácere optáverat, jubénte et auxiliánte Deo perfécit, et templum cum altári, et réliqua ad divínum cultum peragéndum consecrávit : in libro Regum légitur.

℟. Bénedic Dómine.

Lectio v.

FEcit ergo Sálomon in témpore illo festivitátem célebrem, et omnis Israel cum eo, multitúdo magna ab intróitu Emath usque ad rivum Ægypti, coram Dómino Deo nostro septem diébus, et septem diébus, id est, quatuórdecim diébus, et in die octáva dimísit pópulos. Judæi ergo loca, in quibus sacrificábant Dómino, divínis habébant supplicatiónibus consecráta; nec in áliis, quam Deo dedicátis locis, múnera Deo offerébant. Si enim Judæi, qui umbræ legis deserviébant, hoc faciébant, multo magis nos, quibus véritas patefácta, et grátia per Jesum Christum data est, templa Dómino ædificáre, et prout mélius póssumus ornáre, éaque divínis précibus, et sanctis unctiónibus, suis cum altáribus, et vasis, véstibus quoque et réliquis ad divínum cultum expléndum utensílibus devóte et solémniter sacráre, et non in áliis, quam in Dómino sacrátis ab Epíscopis Missas celebráre, nec sacrifícia Dómino offérre debémus.

℟. O quam metuéndus.

Lectio vj. Cap. 27.

SOlemnitátes dedicatiónum Ecclesiárum, et Sacerdótum per síngulos annos solémniter sunt celebrándæ, ipso Dómino exémplum dante, qui ad Festum dedicatiónis templi, ómnibus id faciéndi dans formam, cum réliquis pópulis eámdem festivitátem celebratúrus venit, sicut scriptum est : Facta sunt encænia in Jerosólymis, et hiems erat. Et ambulábat Jesus in templo, in pórticu Salomónis. Quod autem octo diébus encænia sint celebránda in libro Regum, perácta dedicatióne templi, reperiétis.

℟. Orántibus in loco.

IN FESTO

Titularis propriæ Ecclesiæ. Duplex majus j. classis cum Octava.

Omnia de Communi, nisi proprium Officium habeat.

Infra Octavam diebus, quibus celebratur de Oct. debet sumi iij. Lectio ex Octavario Bartholomæi Gavanti : vel si non habeatur, ex Lectionibus ij. Noct. de Communi secundum ordinem dierum, non autem de Lectionibus Festi.

Dominica infra Octavam fit Duplex minus de Octava. Idem fit in die Octavo, et utrobique :

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In ij. Nocturno, Lectiones de Communi.

In iij. Nocturno, de Homilia Evangelii ut in die.

NOTANDUM.

Regulares tenentur celebrare ritu duplicis majoris P. C. Festum de Patrono principali loci, Regni, seu Provinciæ, et de Titulari Ecclesiæ Cathedralis; sed ad eorum Octavas non tenentur. Ita decrevit Sac. Rit. Cong. 20. Martii 1683.

Tenentur etiam Regulares celebrare Festum de Dedicatione Ecclesiæ Cathed. sub ritu duplicis majoris S. C. sine Octava. Ita eadem Sac. Rit. Cong. 8. Aprilis 1662.

Non possunt tamen recitare Officium alicujus Ecclesiæ Parochialis, quia in hujus habitant districtu. Ita Sac. Rit. Congr.





Officium Sanctissimi Sacramenti, recitandum semel qualibet Hebdomada.

AD VESPERAS.

Capitulum. I. Cor. II.

Dominus Jesus, in qua nocte tradebátur accépit panem, et grátias agens fregit, et dixit : Accípite, et manducáte : hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradétur.

Hymnus. D. Thom. Opusc. 57.

Pange lingua gloriósi
Córporis mystérium,
Sanguinísque pretiósi,
Quem in mundi prétium
Fructus ventris generósi
Rex effúdit Géntium.

Nobis datus, nobis natus
Ex intácta Vírgine,
Et in mundo conversátus
Sparso verbi sémine,
Sui moras incolátus
Miro clausit órdine.

In suprémæ nocte cœnæ
Recúmbens cum frátribus,
Observáta lege plene
Cibis in legálibus,
Cibum turbæ duodénæ
Se dat suis mánibus.

Verbum caro, panem verum
Verbo carnem éfficit :
Fitque sanguis Christi merum,
Et si sensus déficit,
Ad firmándum cor sincérum
Sola fides súfficit.

Tantum ergo Sacraméntum
Venerémur cérnui :
Et antíquum documéntum
Novo cedat rítui :

Præstet fides suppleméntum
Sénsuum deféctui.
Genitóri, Genitóque
Laus, et jubilátio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedíctio,
Procedénti ab utróque
Compar sit laudátio.
Amen.

℣. Panem de cœlo præstitísti eis. ℟. Omne delectaméntum in se habéntem.

Ad Magnificat, Aña. O quam suávis est Dómine Spíritus tuus, qui ut dulcédinem tuam in fílios demonstráres, pane suavíssimo de cœlo præstito, esuriéntes reples bonis, fastidiósos dívites dimíttens inánes!

Oratio.

DEus, qui nobis sub Sacraménto mirábili passiónis tuæ memóriam reliquísti : tríbue, quæsumus, ita nos córporis, et sánguinis tui sacra mystéria venerári, ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus. Qui vivis.

Ad Completorium in fine Hymni dicitur. ℣. Glória tibi Dómine, qui natus es de Vírgine, et similiter ad Horas.

Ad Nunc dimittis, Aña Allelúia, Panis : ut in Psalt. Post Septuag. dicitur eadem Aña, omisso Allelúia.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Christum Regem adorémus dominántem Géntibus : * Qui se manducántibus dat spíritus pinguédinem.

Ps. Veníte, exsultémus. 2.

Hymnus. D. Thomæ.

SAcris solémniis juncta sint gáudia,
Et ex præcórdiis sonent præcónia :
Recédant vétera, nova sint ómnia,
Corda, voces, et ópera.
Noctis recólitur cœna novíssima,
Qua Christus créditur agnum, et ázyma
Dedísse frátribus, juxta legítima
Priscis indúlta pátribus.
Post agnum typicum, explétis épulis,
Corpus Domínicum datum discípulis,
Sic totum ómnibus, quod totum síngulis,
Ejus fatémur mánibus.
Dedit fragílibus córporis férculum,
Dedit et trístibus sánguinis póculum,
Dicens : Accípite quod trado vásculum,

Omnes ex eo bíbite.
Sic sacrifícium istud instítuit,
Cujus offícium commítti vóluit
Solis Presbyteris, quibus sic cóngruit,
Ut sumant, et dent céteris.
Panis Angélicus fit panis hóminum :
Dat panis cœlicus figúris términum :
O res mirábilis ! mandúcat Dóminum
Pauper servus, et húmilis.
Te trina Déitas, únaque póscimus,
Sic nos tu vísita, sicut te cólimus,
Per tuas sémitas duc nos quo téndimus,
Ad lucem, quam inhábitas. Amen.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Fructum salutíferum.

Psalmus j.

BEátus vir, qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiæ non sedit :

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo :

Et fólium ejus non défluet : * et ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic : * sed tamquam pulvis, quem prójicit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii in judício : * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum : * et iter impiórum períbit.

Glória Patri.

Aña. Fructum salutíferum gustándum dedit Dóminus mortis suæ témpore.

Aña. A fructu fruménti.

Psalmus iv.

CUm invocárem exaudívit me Deus justítiæ meæ : * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum úsquequo gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, et quæritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum : * Dóminus exáudiet me, cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre : * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, et speráte in Dómino. * Multi dicunt : Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui Dómine : * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam, et requiéscam.

Quóniam tu Dómine singuláriter in spe * constituísti me.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. A fructu fruménti, et vini multiplicáti fidéles, in pace Christi requiéscunt.

Aña. Communióne cálicis.

Psalmus xv.

Consérva me Dómine, quóniam sperávi in te. * Dixi Dómino : Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus : * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum : * póstea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus : * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hereditátis meæ, et cálicis mei : * tu es, qui restítues hereditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris; * étenim heréditas mea præclára est mihi.

Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intelléctum : * ínsuper et usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper : * quóniam a dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum, et exsultávit lingua mea : * ínsuper et caro mea requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno : * nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecísti vias vitæ, adimplébis me lætítia cum vultu tuo : * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Communióne cálicis, quo Deus ipse súmi-

tur, non vitulórum sánguine, congregávit nos Dóminus.

℣. Panem cœli dedit eis.
℟. Panem Angelórum manducávit homo.

Lectiones de Scriptura occurrente; si desint, quæ sequuntur.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 11. ℣. 20.

Conveniéntibus ergo vobis in unum, jam non est Domínicam cœnam manducáre. Unusquísque enim suam cœnam præsúmit ad manducándum. Et álius quidem ésurit : álius autem ébrius est. Numquid domos non habétis ad manducándum, et bibéndum? aut Ecclésiam Dei contémnitis, et confúnditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc non laudo.

℟. Immolábit hœdum multitúdo filiórum Israel ad vésperam Paschæ : * Et edent carnes, et ázymos panes.

℣. Pascha nostrum immolátus est Christus : ítaque epulémur in ázymis sinceritátis, et veritátis. Et edent.

Lectio ij.

Ego enim accépi a Dómino quod et trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus in qua nocte tradebátur, accépit panem, et grátias agens fregit, et dixit : Accípite, et manducáte : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur : hoc fácite in meam commemoratiónem. Simíliter et cálicem, postquam cœnávit, dicens : Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine : hoc fácite quotiescúmque bibétis, in meam commemoratiónem. Quotiescúmque enim manducábitis panem hunc, et cálicem bibétis : mortem Dómini annuntiábitis donec véniat.

℟. Comedétis carnes, et saturabímini pánibus. * Iste est panis, quem Dóminus dedit vobis ad vescéndum.

℣. Non Móyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Iste.

Lectio iij.

Itaque quicúmque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indígne : reus erit córporis, et sánguinis Dómini. Probet autem

seípsum homo : et sic de pane illo edat, et de cálice bibat. Qui enim mandúcat, et bibit indígne, judícium sibi mandúcat, et bibit; non dijúdicans corpus Dómini. Ideo inter vos multi infírmi et imbecílles, et dórmiunt multi. Quod si nosmetípsos dijudicarémus, non útique judicarémur. Dum judicámur autem, a Dómino corrípimur, ut non cum hoc mundo damnémur.

℞. Respéxit Elías ad caput suum subcinerícium panem, qui surgens comédit, et bibit, * Et ambulávit in fortitúdine cibi illíus usque ad montem Dei.

℣. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. Et ambulávit.

Glória Patri. Et.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Memor sit Dóminus.

Psalmus xix.

EXáudiat te Dóminus in die tribulatiónis : * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de sancto : * et de Sion tueátur te.

Memor sit omnis sacrifícii tui * et holocáustum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi secúndum cor tuum : * et omne consílium tuum confírmet.

Lætábimur in salutári tuo : * et in nómine Dei nostri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas : * nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus Christum suum.

Exáudiet illum de cœlo sancto suo : * in potentátibus salus déxteræ ejus.

Hi in cúrribus, et hi in equis : * nos autem in nómine Dómini Dei nostri invocábimus.

Ipsi obligáti sunt, et cecidérunt : * nos autem surréximus et erécti sumus.

Dómine salvum fac regem : * et exáudi nos in die, qua invocavérimus te.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Memor sit Dóminus omnis sacrifícii nostri, et holocáustum nostrum pingue fiat.

Aña. Parátur nobis.

Psalmus xxii.

DOminus regit me, et nihil mihi déerit : * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me : * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémi-

tas justítiæ, * propter nomen suum.

Nam, et si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala : * quóniam tu mecum es.

Virga tua, et báculus tuus : * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam, * advérsus eos, qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum : * et calix meus inébrians quam præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me : * ómnibus diébus vitæ meæ.

Et ut inhábitem in domo Dómini : * in longitúdinem diérum.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Parátur nobis mensa Dómini, advérsus omnes qui tríbulant nos.

Aña. In voce exsultatiónis.

Psalmus xlj.

Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum : * ita desíderat ánima mea ad te Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum : * quando véniam et apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte : * dum dícitur mihi quotídie : Ubi est Deus tuus?

Hæc recordátus sum, et effúdi in me ánimam meam : * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei :

In voce exsultatiónis, et confessiónis : * sonus epulántis.

Quare tristis es ánima mea? * et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Ad meípsum ánima mea conturbáta est : * proptéreamemor ero tui de terra Jordánis, et Hermóniim a monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua, et fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam : * et nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ, * dicam Deo : Suscéptor meus es,

Quare oblítus es mei? * et quare contristátus incédo, dum afflígit me inimícus?

Dum confringúntur ossa mea, * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei :
Dum dicunt mihi per síngulos dies : Ubi est Deus tuus? * quare tristis es ánima mea? et quare contúrbas me?
Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.
Glória Patri, et Fílio.
Aña. In voce exsultatiónis résonent epulántes in mensa Dómini.
℣. Cibávit eos ex ádipe fruménti. ℟. Et de petra melle saturávit eos.

Sermo sancti Cyrílli Epíscopi Jerosolymitáni.
Catechesi myst. 4.

Lectio iv.

Ipsa beáti Pauli doctrína abúnde sufficere vidétur, ut certam vobis de divínis mystériis fidem fáciat : quibus digni rédditi, concorpórei, ut ita dicam, et consanguínei Christi facti estis. Ipse enim modo clamábat, quod in nocte, qua tradebátur Dóminus noster Jesus Christus, accípiens panem et grátias agens, fregit, et dedit discípulis suis, dicens : Accípite et manducáte, hoc est corpus meum. Et accípiens cálicem, et grátias agens, dixit : Accípite, et bíbite : hic est sanguis meus. Cum ígitur ipse de pane pronuntiáverit, ac díxerit : Hoc est corpus meum : quis audébit deínceps ambígere; et cum idem ipse tam asseveránter díxerit : Hic est sanguis meus : quis unquam dubitáverit, ut dicat non esse ejus sánguinem?
℟. Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigábant ergo Judæi ad ínvicem, dicéntes :* Quómodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducándum?
℣. Locútus est pópulus contra Dóminum : Anima nostra náuseat super cibo isto levíssimo. Quómodo.

Lectio v.

Aquam olim in vinum convértit in Cana Galilææ : quod habet quamdam cum sánguine propinquitátem : et eum parum dignum existimábimus, cui credámus quod vinum in sánguinem transmutárit? Ad eas núptias, quibus córpora copulántur, vocátus, præter opiniónem ómnium, hoc fecit miráculum : et non multo magis sic eum cor-

pus et sánguinem suum fruénda nobis donásse, persuásum fírmiter habébimus; ut ea cum omni certitúdine tamquam corpus ipsíus, et sánguinem sumámus? nam in spécie panis dat nobis corpus, et in spécie vini dat nobis sánguinem : ut cum súmpseris, gustes corpus, et sánguinem Christi, factus ejúsdem córporis et sánguinis párticeps. Sic enim effícimur Christíferi, hoc est, Christum in corpóribus nostris feréntes, cum corpus ejus et sánguinem in membra nostra recípimus; sic secúndum beátum Petrum, divínæ natúræ consórtes réddimur.

℟. Cœnántibus eis, accépit Jesus panem, et benedíxit, ac fregit, dedítque discípulis suis, et ait : * Accípite et comédite : hoc est corpus meum.

℣. Dixérunt viri tabernáculi mei : Quis det de cárnibus ejus, ut saturémur? Accípite.

Lectio vj.

OLim cum Judæis Christus dísserens, nisi manducavéritis, inquit, carnem meam, et bibéritis meum sánguinem, non habébitis vitam in vobis. Cum autem illi, quæ dicta fúerant, non spiritáliter accepíssent, offénsi abiérunt retro : putábant enim, quod eos ad manducándas carnes hortarétur. Erant et in véteri testaménto panes propositiónis; verum illi cum fúerint véteris testaménti, finem jam accepérunt. In novo vero testaménto, panis est cœléstis et calix salutáris : qui et ánimam et corpus sanctíficant. Quámobrem non sic hæc atténdas velim, tamquam sint nudus et simplex panis, nudum et simplex vinum : corpus enim sunt et sanguis Christi. Nam etiámsi sensus illud tibi renúntiat, fides tamen te confírmet. Ne júdices rem ex gustu, sed te citra ullam dubitatiónem fides certum reddat, quod sis dignus factus qui córporis et sánguinis Christi párticeps fíeres.

℟. Accépit Jesus cálicem, postquam cœnávit, dicens : Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine : * Hoc fácite in meam commemoratiónem.

℣. Memória memor ero, et tabéscet in me ánima mea. Hoc fácite.

Glória Patri. Hoc.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Introíbo.

Psalmus xlij.

JUdica me Deus, et discérne causam meam de gente non sancta, * ab hómine iníquo, et dolóso érue me.

Quia tu es Deus fortitúdo mea : * quare me repulísti? et quare tristis incédo, dum afflígit me inimícus?

Emítte lucem tuam, et veritátem tuam : * ipsa me deduxérunt, et adduxérunt in montem sanctum tuum, et in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei : * ad Deum, qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara Deus Deus meus : * Quare tristis es ánima mea? et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Introíbo ad altáre Dei : sumam Christum, qui rénovat juventútem meam.

Aña. Cibávit nos.

Psalmus lxx.

EXsultáte Deo adjutóri nostro : * jubiláte Deo Jacob.

Súmite psalmum, et date tympanum : * psaltérium jucúndum cum cíthara.

Buccináte in Neoménia tuba, * in insígni die solemnitátis vestræ.

Quia præcéptum in Israel est : * et judícium Deo Jacob.

Testimónium in Joseph pósuit illud, cum exíret de terra Ægypti : * linguam, quam non nóverat, audívit.

Divértit ab onéribus dorsum ejus : * manus ejus in cóphino serviérunt.

In tribulatióne invocásti me, et liberávi te : exaudívi te in abscóndito tempestátis : * probávi te apud aquam contradictiónis.

Audi pópulus meus, et contestábor te : * Israel si audíeris me, non erit in te deus recens, neque adorábis deum aliénum.

Ego enim sum Dóminus Deus tuus, qui edúxi te de terra Ægypti : * diláta os tuum, et implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meam : * et Israel non inténdit mihi.

Et dimísi eos secúndum desidéria cordis eórum, * ibunt in adinventiónibus suis.

Si pópulus meus audísset me : * Israel si in viis meis ambulásset :

Pro níhilo fórsitan inimícos eórum humiliássem : * et super tribulántes eos misíssem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti sunt ei : * et erit tempus eórum in sæcula.

Et cibávit eos ex ádipe fruménti : * et de petra, melle saturávit eos.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Cibávit nos Dóminus ex ádipe fruménti : et de petra, melle saturávit nos.

Aña. Ex altári tuo.

Psalmus lxxxiij.

QUam dilécta tabernácula tua Dómine virtútum : * concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum et caro mea * exsultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum; * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua Dómine virtútum : * Rex meus, et Deus meus.

Beáti, qui hábitant in domo tua Dómine : * in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxílium abs te : * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrymárum, in loco, quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem : * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum exáudi oratiónem meam:* áuribus pércipe Deus Jacob.

Protéctor noster ádspice Deus : * et réspice in fáciem Christi tui :

Quia mélior est dies una in átriis tuis * super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei : * magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam et veritátem díligit Deus : * grátiam, et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia : * Dómine virtútum, beátus homo, qui sperat in te.

Glória Patri, et Fílio.

Aña. Ex altári tuo Dómine, Christum súmimus : in quem cor, et caro nostra exsúltant.

℣. Edúcas panem de terra. ℟. Et vinum lætíficet cor hóminis.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. Cap. 6.

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis Judæórum : Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Et réliqua.

Homilía sancti Cyrílli Epíscopi Alexandríni.

Lib. 4. in Joan. cap. 17.

QUi mandúcat, inquit, carnem meam et bibit sánguinem meum, in me manet, et ego in illo. Sícuti enim si quis liquefáctæ ceræ áliam ceram infúderit, álteram cum áltera per totum commísceat necésse est; sic qui carnem et sánguinem Dómini récipit, cum ipso ita conjúngitur ut Christus in ipso, et ipse in Christo inveniátur. Símile quodámmodo apud Matthæum compéries : símile est, inquit, regnum cœlórum ferménto, quod accéptum abscóndit múlier in farínæ satis tribus. Sicut parum, ut Paulus ait, ferménti totam massam ferméntat; sic párvula benedíctio totum hóminem in seípsam áttrahit, et sua grátia replet : et hoc modo in nobis Christus manet, et nos in Christo.

℟. Melchísedech vero rex Salem, próferens panem et vinum, erat enim sacérdos Dei altíssimi, * Benedíxit Abram, et ait. ℣. Benedíctus Abram Deo excélso, qui creávit cœlum, et terram. Benedíxit.

Lectio viij.

NOs vero, si vitam ætérnam cónsequi vólumus, si largitórem immortalitátis habére in nobis desiderámus, ad recipiéndam benedictiónem libénter concurrámus : caveamúsque ne loco láquei damnósam religiónem diábolus nobis præténdat. Recte (inquit) dicis : scriptum tamen esse non ignorámus, judícium sibi comédere atque bíbere illum, qui de pane cómedit, et de cálice bibit indígne. Ego ígitur probo meípsum, et indígnum invénio. Quando ígitur, quicúmque tu es, qui ista dicis, dignus eris? quando Christo teípsum ófferes? Nam si peccándo indígnus es, et peccáre non désinis (quis enim delícta intélligit? secúndum Psalmístam) expers omníno eris vivíficæ hujus sanctificatiónis.

℟. Calix benedictiónis, cui benedícimus, nonne

communicátio sánguinis Christi est? * Et panis, quem frángimus, nonne participátio córporis Christi est?

℣. Quóniam unus panis, et unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane, et de uno cálice participámus. Et.

Lectio ix.

Quare pias quæso cogitatiónes suscípias, studióse sanctéque vivas, et benedictiónem partícipes : quæ (mihi crede) non mortem solum, verum étiam morbos omnes depéllit. Sedat enim, cum in nobis máneat Christus, sæviéntem membrórum nostrórum legem, pietátem corróborat, perturbatiónes ánimi exstínguit, ægrótos curat, collísos redíntegrat : et sicut Pastor bonus, qui ánimam suam pro óvibus pósuit, ab omni nos érigit casu.

℟. Unus panis, et unum corpus multi sumus * Omnes, qui de uno pane, et de uno cálice participámus.

℣. Parásti in dulcédine tua páuperi Deus, qui habitáre facis unánimes in domo. Omnes.

Glória Patri. Omnes.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerdotalis ℣. Pluit illis manna ad manducándum.
℟. Et panem cœli dedit eis.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

Sapiéntia ædificávit sibi domum, míscuit vinum, et pósuit mensam, allelúia.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Angelórum esca nutrivísti pópulum tuum, et panem de cœlo præstitísti eis, allelúia.

Aña. Pinguis est panis Christi, et præbébit delícias régibus, allelúia.

Aña. Sacerdótes sancti incénsum, et panes ófferunt Deo, allelúia.

Aña. Vincénti dabo manna abscónditum, et nomen novum, allelúia.

Capitulum. 1. Cor. 11.

Dominus Jesus in qua nocte tradebátur, accépit panem, et grátias agens fregit, et dixit : Accípite, et manducáte, hoc est corpus meum quod pro vobis tradétur.

Hymnus.

S. Thom. Aquin.

In quo Temp. Pasch. nihil additur, neque mutatur.

Verbum supérnum pródiens,
Nec Patris linquens déxteram,

Ad opus suum éxiens
Venit ad vitæ vésperam.
In mortem a discípulo
Suis tradéndus æmulis,
Prius in vitæ férculo
Se trádidit discípulis.
Quibus sub bina spécie
Carnem dedit et sánguinem :
Ut dúplicis substántiæ
Totum cibáret hóminem.
Se nascens dedit sócium,
Convéscens in edúlium,
Se móriens in prétium,
Se regnans dat in præmium.
O salutáris Hóstia :
Quæ cœli pandis óstium,
Bella premunt hostília,
Da robur, fer auxílium.
Uni, trinóque Dómino
Sit sempitérna glória :
Qui vitam sine término
Nobis donet in pátria.
Amen.

℣. Pósuit fines tuos pacem. ℟. Et ádipe fruménti sátiat te.

Ad Benedictus, Aña. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descéndi. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum, allelúia.

Oratio.

DEus, qui nobis sub Sacraménto mirábili, passiónis tuæ memóriam reliquísti : tríbue, quæsumus, ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári, ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus. Qui vivis.

AD PRIMAM.

℣. Qui corpus tuum nobis dedísti in cibum, et sánguinem in potum.

AD TERTIAM.

Capitulum. Dóminus Jesus, ut supra.

℟. Panem cœli * Dedit eis. Panem.
℣. Panem Angelórum manducávit homo. Dedit.
Glória Patri. Panem.
℣. Cibávit eos.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. Cor. 11.

QUotiescúmque manducábitis panem hunc, et cálicem bibétis, mortem Dómini annuntiábitis, donec véniat.

℟. Cibávit eos * Ex ádipe fruménti. Cibávit.
℣. Et de petra, melle saturávit eos. Ex.
Glória Patri. Cibávit.
℣. Edúcas panem.

AD NONAM.

Capitulum. 1. Cor. 11.

QUicúmque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indígne : reus erit córporis et sánguinis Dómini.

℟. Edúcas panem * De terra. Edúcas.

℣. Et vinum lætíficet cor hóminis. De terra.

Glória Patri. Edúcas.

℣. Pósuit fines tuos pacem. ℟. Et ádipe fruménti sátiat te.

AD VESPERAS.

Prima Aña Laud. Psalmi. **Dixit Dóminus. 159. Confitébor. 159. Crédidi. 164. Beáti omnes, qui. 168. Lauda Jerúsalem. 183.**

Capit. Hymn. et ℣. de j. Vesperis.

Ad Magnificat, Aña. **O sacrum convívium, in quo Christus súmitur : recólitur memória passiónis ejus : mens implétur grátia : et futúræ glóriæ nobis pignus datur, allelúia.**

A SEPTUAGESIMA

Omnia ut supra; sed omittitur ubique **Allelúia.**

TEMPORE PASCHALI.

Omnia ut supra; sed tres Psalmi cujuslibet Nocturni dicuntur sub prima sola Antiphona, et in fine Añarum, et Responsoriorum, additur **Allelúia.**

Item in fine omnium Hymnorum (exceptis Hymnis Vesp. Matut. et Laud.) dicitur ℣. **Quæsumus Auctor.** et ℣. **Glória tibi Dómine, qui natus es de Vírgine.**



Officium Commemorationis beatissimae V. Mariae, in Sabbato, recitandum semel qualibet Hebdomada.

AD VESPERAS

in quibusdam Festis
B. Mariæ Virginis.
Antiphona.


ÆC est Regína vírginum quæ génuit Regem velut rosa decóra : Virgo Dei Génitrix, per quam reperímus Deum et hóminem, alma Virgo intercéde pro nobis ómnibus.

Ps. Laudáte púeri. 160.

Aña. Te decus virgíneum, Virgo Dei Génitrix María, te solam inter omnes vírgines castíssimam exorámus, ut pro salúte nostra apud Dóminum interveníre dignéris.

Ps. Laudáte Dóminum omnes Gentes. 164.

Aña. Sub tuum præsídium confúgimus, sancta Dei Génitrix, nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus nostris; sed a perículis cunctis líbera nos semper, Virgo gloriósa et benedícta.

Ps. Lauda ánima. 181.

Aña. Sancta María, succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles : ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu.

Ps. Laudáte Dóminum, quóniam bonus. 182.

Aña. Beáta Dei Génitrix María, Virgo perpétua, templum Dómini, sacrárium Spíritus sancti : tu sola sine exémplo placuísti Dómino Jesu Christo. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu.

Psalmus. Lauda Jerúsalem. 183.

Capitulum. Eccli. 24.


Go quasi vitis fructificávi suavitátem odóris, et flores mei fructus honóris, et honestátis : ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei.

Si duplex fieri debet in quibusdam Festis B. M. V. dicitur :

℟. Christi Virgo dilectíssima, virtútum operátrix, opem fer míseris :* Súbveni Dómina clamántibus ad te júgiter.

℣. Quóniam peccatórum mole prémimur, et non est qui ádjuvet. Súbveni.

Glória Patri. Súbveni.

Hymnus.

Ave maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cœli porta.

Sumens illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Hevæ nomen.

Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.

Virgo singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos
Mites fac, et castos.

Vitam præsta puram,
Iter para tutum :
Ut vidéntes Jesum
Semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui sancto,
Tribus honor unus.
Amen.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat, Aña.

Ave Regína cœlórum,
Ave Dómina Angelórum,
Salve radix sancta,
Ex qua mundo lux est orta :
Gaude Virgo gloriósa,
Super omnes speciósa :
Vale valde decóra,
Et pro nobis semper Christum exóra.

Oratio.

Majestátem tuam omnípotens Deus, súpplices deprecámur; ut qui exsultántibus ánimis beatíssimæ, sempérque Vírginis Maríæ commemoratiónem celebráre gaudémus, ejus gloriósis précibus et méritis, ab instántibus malis, et a morte perpétua liberémur. Per Dóminum.

In fine Hymni Completorii et Horarum dicitur ℣. Glória tibi Dómine, qui natus es.

Ad Nunc dimittis, Aña. Sub tuum præsídium. 191.

AD MATUTINUM.

Invit. In honórem beatíssimæ Maríæ Vírginis, * Jubilémus Dómino.

Ps. Veníte, exsultémus. 2.

Hymnus.

D. Greg. vel Fort.

Quem terra, pontus, æthera
Colunt, adórant, prædicant,
Trinam regéntem máchinam
Claustrum Maríæ bájulat.

Cui luna, sol, et ómnia
Desérviunt per témpora,
Perfúsa cœli grátia,
Gestant puéllæ víscera.

Beáta mater múnere,
Cujus supérnus Artifex,
Mundum pugíllo cóntinens,
Ventris sub arca clausus est.

Beáta cœli núntio,
Fœcúnda sancto Spíritu,
Desiderátus Géntibus,
Cujus per alvum fusus est.

Glória tibi Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.

Ps. Dómine Dóminus noster, cum reliq. ut in Comm. unius Virg. [118]

Aña. Beáta mater, et intácta Virgo, gloriósa Regína mundi, intercéde pro nobis ad Dóminum.

Ps. Cœli enárrant.

Aña. Dignáre me laudáre te Virgo sacráta : da mihi virtútem contra hostes tuos.

Ps. Dómini est terra.

℣. Sancta Dei Génitrix, Virgo semper María.

℟. Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum.

Lectiones j. Noct. de Scriptura occurrente; si desint, quæ sequuntur.

Benedictio. Alma Virgo Vírginum.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j.

Prov. cap. 8. ℣. 12.



EGo sapiéntia hábito in consílio, et erudítis intérsum cogitatiónibus. Timor Dómini odit malum : arrogántiam, et supérbiam, et viam pravam, et os bilíngue detéstor. Meum est consílium, et æquitas, mea est prudéntia, mea est fortitúdo. Per me reges regnant, et legum conditóres justa decérnunt. Per me Príncipes ímperant, et poténtes de-

cérnunt justítiam. Ego diligéntes me díligo : et qui mane vígilant ad me, invénient me.

℟. Sancta et immaculáta virgínitas, quibus te láudibus éfferam, néscio : * Quia quem cœli cápere non póterant, tuo grémio contulísti.

℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. Quia.

Ben. Nos cum prole pia.

Lectio ij.

Mecum sunt divítiæ, et glória, opes supérbæ, et justítia. Mélior est enim fructus meus auro, et lápide pretióso, et genímina mea argénto elécto. In viis justítiæ ámbulo, in médio semitárum judícii, ut ditem diligéntes me, et thesáuros eórum rélpleam. Dóminus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum, et ex antíquis ántequam terra fíeret. Nondum erant abyssi, et ego jam concépta eram; necdum fontes aquárum erúperant : necdum montes gravi mole constíterant : ante colles ego parturiébar.

℟. Congratulámini mihi omnes, qui dilígitis Dóminum : * Quia cum essem párvula, plácui Altíssimo, et de meis viscéribus génui Deum, et hóminem.

℣. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus. Quia.

Bened. Sancta Dei Génitrix.

Lectio iij. ℣. 34.

Beátus homo, qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino : qui autem in me peccáverit, lædet ánimam suam. Omnes, qui me odérunt, díligunt mortem. Sapiéntia ædificávit sibi domum, excídit colúmnas septem. Immolávit víctimas suas, míscuit vinum, et propósuit mensam suam. Misit ancíllas suas, ut vocárent ad arcem, et ad mœnia civitátis : Si quis est párvulus, véniat ad me. Et insipiéntibus locúta est : Veníte, comédite panem meum, et bíbite vinum quod míscui vobis.

℟. Cóntinet in grémio cœlum, terrámque regén-

tem : * Virgo Dei Génitrix : próceres comitántur heríles, per quos orbis ovans Christo sub Príncipe pollet.

℣. Virgo Dei Génitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit víscera factus homo. Virgo.

Glória Patri. Virgo.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Ps. Eructávit.

Aña. Adjuvábit eam Deus vultu suo : Deus in médio ejus, non commovébitur. Ps. Deus noster.

Aña. Sicut lætántium ómnium nostrum habitátio est in te, sancta Dei Génitrix.

Ps. Fundaménta ejus.

℣. Post partum Virgo invioláta permansísti.

℟. Dei Génitrix intercéde pro nobis.

Ben. Précibus suæ Matris.

Sermo sancti Cyrílli Epíscopi Alexandríni.

Homilia contra Nestor.

Lectio iv.

Ilarem vídeo cœtum fidélium ómnium, qui convenérunt promptis ánimis, a sancta, et Dei matre María semper Vírgine convocáti. Laus et glória sit tibi sancta Trínitas, quæ omnes nos ad hanc celebritátem convocásti. Sit étiam tibi sancta Dei mater laus : tu enim es pretiósa margaríta orbis terrárum : tu lampas inexstinguíbilis, coróna virginitátis, sceptrum orthodóxæ fídei, templum indissolúbile, cóntinens eum, qui nusquam continéri potest : mater, et virgo : tu benedícta inter mulíeres, ejus parens, qui benedíctus venit in nómine Dómini.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion : quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris.

℣. Et sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans. Dedi.

Ben. Jesus Maríæ fílius.

Lectio v.

PEr te Trínitas sanctificátur, per te crux pretiósa dícitur, et adorátur in toto orbe terrárum. Per te exsúltat cœlum, lætántur Angeli et Archángeli, fugántur dæmones, et homo ipse ad cœlum revocátur. Per te omnis creatúra idolórum erróre deténta, convérsa est ad agnitiónem veritátis, et fidéles hómines ad san-

ctum baptísma pervenérunt, atque in toto orbe terrárum constrúctæ sunt Ecclésiæ.

℟. Quæ est ista, quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam.

℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. Vidérunt.

Ben. Fílius Vírg. Maríæ.

Lectio vj.

Te adjutríce gentes véniunt ad pœniténtiam. Quid plura? Per te Unigénitus Dei Fílius, vera illa lux effúlsit sedéntibus in ténebris et umbra mortis. Per te prophétæ prænuntiárunt, per te Apóstoli salútem géntibus prædicárunt. Quisnam póterit tuárum laudum præcónia explicáre, María mater, et virgo? Hanc, fratres dilectíssimi, celebrémus, ejus fílium Ecclésiæ sponsum immaculátum adorántes : cui honor et glória in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit. * Et vidéntes eam fíliæ Sion beatíssimam prædicavérunt, dicéntes : unguéntum effúsum nomen tuum.

℣. Adstitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. Et vidéntes.

Glória Patri. Et vidéntes.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Hæc est quæ nescívit thorum in delícto : habébit fructum in respectióne animárum sanctárum.

Ps. Cantáte Dómino.

Aña. Gaude María Virgo, cunctas hæreses sola interemísti in univérso mundo.

Ps. Dóminus regnávit.

Aña. Cum jucunditáte commemoratiónem beátæ Maríæ celebrémus, ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum.

Ps. Cantáte Dómino.

℣. Speciósa facta es et suávis. ℟. In delíciis tuis sancta Dei Génitrix.

Bened. Fons Evangélii.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 11.

In illo témpore : Loquénte Jesu ad turbas : extóllens vocem quædam múlier de turba dixit illi : Beátus venter, qui te portávit, et úbera, quæ suxísti. Et réliqua.

Homilía Venerábilis Bedæ Presbyteri.

Lib. 4. cap. 49. in Luc.

MAgnæ devotiónis, et fídei, hæc múlier osténditur, quæ Scribis et Pharisæis Dóminum tentántibus, simul et blasphemántibus, tanta ejus incarnatiónem præ ómnibus sinceritáte cognóscit, tanta fidúcia confitétur; ut et præséntium prócerum calúmniam, et futurórum confúndat hæreticórum perfídiam. Si enim caro Verbi Dei secúndum carnem nascéntis a carne Vírginis matris pronuntiátur extránea, sine causa venter qui eam portásset, úbera quæ lactássent, beatificántur.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes : * Quia fecit mihi Dóminus magna, qui potens est : et sanctum nomen ejus.

℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. Quia.

Ben. Ab hoste malígno.

Lectio viij.

QUa enim consequéntia ejus lacte credátur nutrítus, cujus sémine negátur esse concéptus, cum ex unius ejusdémque fontis orígine, secúndum physicos, utérque liquor emanáre probétur? Nisi forte putánda est Virgo sementínam suæ carnis matériam nutriéndo in carne Dei Fílio suggérere potuísse, incarnándo autem quasi majóri et inusitáto miráculo mínime potuísse. Sed huic opinióni obstat Apóstolus, dicens : Quia misit Deus Fílium suum factum ex mulíere, factum sub lege.

℟. Felix namque es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima : * Quia ex te ortus est Sol justítiæ Christus Deus noster.

℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu, séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam commemoratiónem. Quia.

Ben. In omni tribulatióne.

Si Lectio ix. dicenda fuerit de alio Evangelio, Ben. Verba Redemptóris.

Lectio ix.

NEque enim audiéndi sunt, qui legéndum putant : Natum ex mulíere, factum sub lege : sed, Factum ex mulíere : quia concéptus ex útero virgináli carnem non de níhilo, non aliúnde, sed

matérna traxit ex carne : alióquin nec vere fílius hóminis dicerétur, qui oríginem non habéret ex hómine. Et nos ígitur, his contra Eútychen dictis, extollámus vocem cum Ecclésia Cathólica, cujus hæc múlier typum gessit; extollámus et mentem de médio turbárum, dicamúsque Salvatóri : Beátus venter, qui te portávit; et úbera quæ suxísti. Vere enim beáta parens, quæ, sicut quidam ait, eníxa est puérpera Regem, qui cœlum terrámque regit per sæcula.

℞. Christi Virgo dilectíssima, virtútum operátrix, opem fer míseris : * Súbveni Dómina clamántibus ad te júgiter.

℣. Quóniam peccatórum mole prémimur, et non est qui ádjuvet. Súbveni.

Glória Patri. Súbveni.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerdotalis ℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℞. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

Pulchra es, et decóra fília Jerúsalem : terríbilis, ut castrórum ácies ordináta.

Psalmus. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Sicut myrrha elécta odórem dedísti suavitátis sancta Dei Génitrix.

Aña. In odórem unguentórum tuórum cúrrimus, adolescéntulæ dilexérunt te nimis.

Aña. Benedícta fília tu a Dómino, quia per te fructum vitæ communicávimus.

Aña. Speciósa facta es et suávis in delíciis tuis, sancta Dei Génitrix.

Capitulum. Eccl. 24.

Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris, et flores mei fructus honóris, et honestátis : ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei.

Hymnus.

O Gloriósa Dómina,
Excélsa super sídera,
Qui te creávit, próvide
Lactásti sacro úbere.

Quod Heva tristis ábstulit,
Tu reddis almo gérmine :
Intrent ut astra flébiles,
Cœli fenéstra facta es.

Tu Regis alti jánua,
Et porta lucis fúlgida,
Vitam datam per Vírginem,

Gentes redémptæ pláudite.
Glória tibi, Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

Ad Benedictus, Aña. Nigra sum, sed formósa, fíliæ Jerúsalem, ídeo diléxit me Rex, et introdúxit me in cubículum suum.

Oratio.

Majestátem tuam omnípotens Deus, súpplices deprecámur; ut qui exsultántibus ánimis beatíssimæ sempérque Vírginis Maríæ commemoratiónem celebráre gaudémus, ejus gloriósis précibus et méritis, ab instántibus malis et a morte perpétua liberémur. Per Dóminum.

AD PRIMAM.

℣. Qui de Vírgine dignátus es nasci.

AD TERTIAM.

Capit. Ego quasi vitis, ut supra.

℟. Sancta Dei Génitrix, * Virgo semper María. Sancta.

℣. Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum. Virgo.

Glória Patri. Sancta.

℣. Post partum Virgo.

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccl. 24.

Spíritus meus super mel dulcis, et hérédítas mea super mel, et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum.

℟. Post partum Virgo * Invioláta permansísti. Post partum.

℣. Dei Génitrix intercéde pro nobis. Invioláta.

Glória Patri. Post.

℣. Speciósa facta es.

AD NONAM.

Capitulum. Eccl. 24.

Qui audit me, non confundétur, et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

℟. Speciósa facta es, * Et suávis. Speciósa.

℣. In delíciis tuis, sancta Dei Génitrix. Et suávis.

Glória Patri. Speciósa.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

AD VESPERAS.

Prima sola Aña Laud. Ps. de Comm. unius Virg. [131] Capit. Hymn. et ℣. de j. Vesperis.

Ad Magnificat, Aña.

ALma Redemptóris Mater quæ pérvia cœli
Porta manes, et Stella maris : succúrre cadénti,
Súrgere qui curat, pópulo : Tu quæ genuísti,
Natúra miránte, tuum sanctum Genitórem :
Virgo prius ac postérius, Gabriélis ab ore
Sumens illud Ave, peccatórum miserére.

Si pro comm. dicatur, ℣. Ora pro nobis. Oratio ut supra.

IN ADVENTU.

Omnia ut in die Annuntiationis B. V. M. 25. Martii, et Lect. j. Noct. erunt de Scriptura occurrenti si adsint, alioquin etiam ipsæ accipiantur de eodem Festo Annuntiationis. Quum autem non sit dies vacans, quo recitari posset, ideo hic omittitur hoc Officium.

A SEPTUAGESIMA

usque ad Pascha.

AD VESPERAS.

Si fuerit Duplex,

Aña. O vos omnes, qui transítis per viam, atténdite et vidéte, si est dolor sicut dolor meus.

Psalmi de Officio præc.

Capitulum. Thren. 1.



VIde, Dómine, quóniam tríbulor, conturbátus est venter meus : subvérsum est cor meum in memetípsa, quóniam amaritúdine plena sum.

Si fuerit Duplex, ℟. Vúlnera Christi moriéntis erant vúlnera matris doléntis; dolóres sævi fuérunt tortóres in ánima matris, * Mater erat laniáta morte cari pígnoris.

℣. Mente Mater erat percússa cúspide teli, quo membra Christi servi fodérunt iníqui. Mater erat. Glória Patri. Mater.

Hymnus.

LAcrymæ Matris prófluunt,
Cordis erúmpunt gémitus,
Dum crucis orbis Cónditor
Suspénsus est patíbulo.

Dum tot tuétur vúlnera,
Rivos fluéntis sánguinis,
Fossúmque pectus láncea,
Suo crucem fert péctore.

Dolóris ensem séntiunt
Piæ paréntis víscera,
Cum Jesus dire móritur,
Pro reis factus hóstia.

Illi tantum compátitur,
Quod secum fere móritur,
Nullus dolor amárior,
Nam nulla proles cárior.

O María, mater pia,
Spes única fidélium,
Tua prece mellíflua,
Natum redde propítium.
Quo mortis suæ mérito
In hujus vitæ stádio
Nos servet, nosque líberet
A gehénnæ incéndio.
Glória tibi, Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

Sic terminantur omnes Hymni.

℣. Sancta Dei Génitrix, Virgo dulcis atque pia.
℟. Christum morti tráditum pro nobis semper exóra.

Ad Magníficat, Aña. Jesu nate de Vírgine sine viríli sémine, qui mortem crucis páteris, suffóssus plagis ásperis : amóre matris ánxiæ nostræ parcas misériæ; ac ejus piis précibus cœli fruámur gáudiis.

Oratio.

INterváeniat pro nobis, quæsumus, Dómine Jesu Christe, apud tuam cleméntiam, nunc et in hora mortis nostræ, píssima Virgo María mater tua : cujus sacratíssimam ánimam in hora passiónis tuæ dolóris gládius pertransívit, et in gloriósa resurrectióne tua ingens gáudium lætificávit. Qui vivis et regnas.

Ad Nunc dimittis, Aña. Sub tuum præsídium.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Jesum pro nobis in cruce mórtuum, a Vírgine Matre lamentátum, * Veníte adorémus.
Ps. Veníte, exsultémus. 2.

Hymnus.

MEntes pungant fidélium
Dolóres et suspíria
Matris Christi, dum víscera
Pœna torquéntur áspera.
Dum stat crucis sub stípite,
Videns pendéntem Fílium,
Præ spíritus angústia
Est liquefácta pénitus.
Exors viri quæ cóncipit,
Expers dolóris péperit :
Mœrens dolóres pértulit,
Quos páriens non sénserat.
Hoc ille justus Símeon
In spíritu prædíxerat,
Ampléxibus dum párvulum
Fovens piis adstríngeret.
Auxit dolóres Fílii
Matris dolor, ut ánxiæ
Matris dolor dolóribus
Sic ingravéscit Fílii.

Qui Maríam dilígitis,
Vos ejus et suspíria
Et gémitus recólite,
Et dira Christi vúlnera.
Glória tibi, Dómine,
Qui natus es.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Surgam et circuíbo civitátem, per vicos et platéas quæram quem díligit ánima mea.

Ps. Dómine Dóminus, cum reliquis de Comm. unius Virg. [118]

Aña. Quæsívi illum, et non invéni, vocávi, et non respóndit mihi.

Ps. Cœli enárrant.

Aña. Puer non compáret, et ego quo ibo?

Ps. Dómini est terra.

℣. Sancta Dei Génitrix, Virgo dulcis atque pia.
℟. Christum morti tráditum, pro nobis semper exóra.

Ante Quadragesimam Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente : sed in Quadragesima sequentes.

Bened. Alma Virgo vírginum.

De Jeremía Prophéta.

Lectio j. Thren. 1. ℣. 20.

Vide Dómine quóniam tríbulor, conturbátus est venter meus : subvérsum est cor meum in memetípsa, quóniam amaritúdine plena sum. Foris intérficit gládius, et domi mors símilis est. Audiérunt quia ingemísco ego, et non est qui consolétur me. Omnes inimíci mei audiérunt malum meum, lætáti sunt, quóniam tu fecísti : Adduxísti diem consolatiónis, et fient símiles mei. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

℟. Adspiciébat dulcem natum Virgo María in cruce pendéntem, et morte turpíssima moriéntem. * Tantóque dolóre et tristítia vexabátur in mente, ut non possit explicári sermóne.
℣. Erat enim Jesus adspéctu dulcis, collóquio suávis, et omni conversatióne benigníssimus. Tantóque.

Ben. Nos cum prole pia.

Lectio ij. Cap. 3. ℣. 48.

Divisiónes aquárum dedúxit óculus meus, in contritióne fíliæ pópuli mei. Oculus meus afflíctus est, nec tácuit, eo quod non esset réquies, donec respíceret et vidéret Dóminus de cœlis. Oculus meus deprædátus est ánimam meam in

cunctis filiábus urbis meæ. Venatióne cepérunt me quasi avem inimíci mei gratis. Lapsa est in lacum vita mea, et posuérunt lápidem super me. Inundavérunt aquæ super caput meum : dixi : Périi. Invocávi nomen tuum Dómine de lacu novíssimo. Vocem meam audísti : ne avértas aurem tuam a singúltu meo, et clamóribus. Appropinquásti in die, quando invocávi te : dixísti : ne tímeas. Hæc dicit Dóminus.

℟. Manábat sanguis ejus ex quátuor pártibus rigántibus undis, ligno mánibus pedibúsque confíxis : de vultu illíus pulchritúdo efflúxerat omnis, * Et qui erat speciósus forma præ fíliis hóminum, videbátur ómnium indecórus.

℣. Non erat spécies ei, neque decor; vídimus eum, et non erat adspéctus. Et qui.

Ben. Sancta Dei Génitrix.

Lectio iij.

Judicásti Dómine causam ánimæ meæ, redémptor vitæ meæ. Vidísti Dómine iniquitátem illórum advérsum me : júdica judícium meum. Vidísti omnem furórem, univérsas cogitatiónes eórum advérsum me. Audísti oppróbrium eórum Dómine, omnes cogitatiónes eórum advérsum me, lábia insurgéntium mihi; et meditatiónes eórum advérsum me tota die. Sessiónem eórum, et resurrectiónem eórum vide, ego sum psalmus eórum. Reddes eis vicem, Dómine, juxta ópera mánuum suárum. Dabis eis scutum cordis labórem tuum. Persequéris in furóre, et cónteres eos sub cœlis, Dómine. Hæc dicit Dóminus.

℟. Iste erat máximus dolor Maríæ, quia vidébat se relínqui ab eo quem genúerat, nec supérerat álius, quia illi erat únicus : * Vox triste sonábat foris vulnus denúntians mentis.

℣. Amor únice, fili dulcíssime, quis dabit mihi, ut pro te móriar, fili mi? Vox triste.

Glória Patri. Vox triste.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Adjúro vos, fíliæ Jerúsalem, si invenéritis diléctum meum, ut nuntiétis ei quia amóre lángueo.

Ps. Eructávit.

Aña. Qualis est diléctus

tuus ex dilécto, o pulchérrima mulíerum, quia sic adjurásti nos?

Ps. Deus noster.

Aña. Diléctus meus cándidus et rubicúndus, eléctus ex míllibus.

Ps. Fundaménta.

℣. Virgo mater Christi juxta Crucem adstitísti. ℟. Præparáta mori propter amórem Fílii.

Bened. Précibus suæ matris.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

De Lament. B. Mariæ.

Lectio iv.

JUxta crucem Christi stabat emórtua María mater, quæ ipsum ex Spíritu sancto concépit. Vox illi non erat, quia dolóre attríta jacens pallébat. Quasi mórtua vivens, vivébat móriens; moriebátur vivens, nec mori póterat, quæ vivens mórtua erat. In illíus ánima dolor sæve sæviébat : optábat mori magis quam vívere post mortem Christi, quæ male vivens mórtua erat. Ibi stabat dolens, sævo dolóre confécta. O verum elóquium justi Simeónis, quem prædíxit, gládium sentiébat dolóris.

℟. Nunc solvis Virgo cum usúra, quod in partu non habuísti a natúra : * Dolórem pariéndo Fílium non sensísti, quem míllies replicátum Fílio moriénte passa fuísti.

℣. Juxta Crucem Christi stabat velut emórtua mater, quæ ipsum ex Spíritu sancto concépit. Dolórem.

Ben. Jesus Maríæ Fílius.

Lectio v.

STabat juxta crucem María, íntuens vultu benígno Christum pendéntem in patíbulo, pedúmque summitátibus inítens, manus levábat in altum, ampléctens rubricátam crucem, ac in óscula ejus ruens ea parte, qua unda pretiosíssimi sánguinis defluébat : sursum manus, nisu quo póterat, extendébat, únicum suum amplécti desíderans, nec valébat. Sperat enim amor multa, quæ nunquam, vel raro fíeri possunt : impátiens síquidem amor credit quod sibi débeant cédere univérsa. Volébat amplécti Christum in alto pendéntem, sed manus frustra protensæ, in se complósæ, compléxæ redíbant.

℟. Vox illi non erat, quia dolóre attríta intus

conflictabátur, quasi mórtua vivens, vivébat móriens, * Nec mori póterat, quæ vivens mórtua erat.

℣. Optábat mori magis quam vívere post mortem Christi, in cujus ánima dolor sæve sæviébat. Nec.

Bened. Fílius Vírginis Maríæ.

Lectio vj.

SEd cum de cruce corpus ejus fuísset totáliter depósitum, præ dolóris veheméntia, et amóris immensitáte, quasi exánimis facta fuit. Stabat ad caput exstíncti fílii mœstíssima mater, et ejus regálem fáciem mortis obfuscátam pallóribus, magna rigábat affluéntia lacrymárum. Adspiciébat illud reverendíssimum caput corónæ spíneæ diris acúleis perforátum, manus illas et pedes sanctos clavis férreis crudelíssime perforátos, latúsque perfóssum láncea, cum céteris membris lacerátis. Verúmtamen rectum erat amóris et mœróris cóntinens modum. Non desperábat, sed pie et juste dolébat, sperans tamen fírmiter, fortitérque tenens ipsum, secúndum promíssum suum, tértia die resúrgere.

℟. O verum elóquium justi Simeónis, quem prædíxit gládium sentiébat dolóris; cum juxta crucem staret, * Intuens vultu benígno Christum pendéntem in ligno.

℣. Ibi stabat dolens sævo dolóre conf écta. Intuens.

Glória Patri. Intuens.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Jesu Fili mi, Fili mi Jesu, quis mihi tríbuat, ut pro te móriar?

Ps. Cantáte.

Aña. Amor única, Fili dulcíssime, noli me derelínquere post te, trahe me ad te ipsum, ut ipsa móriar tecum.

Ps. Dóminus regnávit.

Aña. In tuo me súscipe patíbulo, ut qui una carne vívimus, una morte pereámus.

Ps. Cantáte.

℣. Virgo tuum Fílium in cruce clavátum. ℟. Redde tuis précibus míseris placátum.

Bened. Fons Evangélii.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 2. ℣. 33.

IN illo témpore : Erat Pater Jesu et Mater mirántes super his, quæ

dicebántur de illo. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

Libro 2. in Luc.

VIdes úberem in omnes grátiam Dómini generatióne diffúsam, et prophetíam incrédulis negátam esse, non justis. Ecce et Símeon prophétat in ruínam et resurrectiónem plurimórum veníſſe Dóminum Jesum Christum, ut justórum iniquorúmque mérita discérnat; et pro nostrórum qualitáte factórum, judex verus et justus, aut supplícia decérnat, aut præmia.

℟. Quis æstimáre potest quanta tristítia, mœróre et dolóre vulnerátum fúerit cor matérnum, super únici Fílii passióne? *Quæ tam caste concépit, tam lætánter péperit, tam dúlciter áluit.

℣. Vidit eum ligátum, et sólvere non pótuit : vidit corpus vulnerátum, et vúlnera ligáre non pótuit. Quæ.

Bened. Ab hoste malígno.

Extra Quadrag. et Vigiliam Lectio viij. dividatur in duas, et pro ix. Bened. In omni tribulatióne.

Lectio viij.

ET tuam, inquit, ipsíus ánimam pertransíbit gládius. Nec líttera, nec história docet, ex hac vita Maríam corporális necis passióne migrásse. Non enim ánima, sed corpus materiáli gládio transverberátur.

¶ Et ídeo prudéntiam Maríæ haud ignáram mystérii cœléstis osténdit : vivum enim verbum Dei et válidum, et acútius omni gládio acutíssimo, pénetrans usque ad divisiónem ánimæ et spíritus, ártuum quoque et medullárum, cogitatiónes cordis, et secréta scrutátur animórum, quia nuda et apérta sunt ómnia Dei Fílio, quem consciéntiæ secréta non fallunt.

℟. Fóderis, o dulcis Jesu, diris clavis extra; sed aspérius intra, ex compassióne Vírginis matris, tecum ómnia participántis. * O mirábilis censúræ condítio! peccávit iníquus, et vápulat justus.

℣. Delínquit homo reus, et occíditur pro eo homo Deus. O mirábilis.

In Quadrag. vel Vigilia ix. Lect. et comm. de ea.

Ben. Verba Redemptóris.

℟. ix. O dulcíssime Jesu, o benigníssima María Virgo, quid commisístis, quod tantis cruciátibus, tot et tantis afflictiónibus addícti estis? * Nos sumus qui peccávimus, qui injúste égimus; et tu innocentíssima Virgo, cum único nato pro nobis dolétis et affligímini.

℣. O peccátor, vide quómodo patiúntur, et flent pro te Jesus et María. Nos sumus.

Glória Patri. Nos.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerdotalis ℣. Tuam ipsíus ánimam dolóris gládius pertransíbit. ℟. Ut reveléntur ex multis córdibus cogitatiónes.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

STabant juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus, María Cléophæ, et María Magdaléne.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Cum vidísset ergo Jesus matrem et discípulum stantem quem diligébat, dixit matri suæ : Múlier ecce fílius tuus.

Aña. Benedíxit illis Símeon, et dixit ad Maríam matrem ejus : Ecce pósitus est hic in ruínam, et in resurrectiónem multórum in Israel, et in signum, cui contradicétur.

Aña. Et tuam ipsíus ánimam pertransíbit gládius, ut reveléntur ex multis córdibus cogitatiónes.

Aña. O vos omnes qui transítis per viam, atténdite et vidéte, si est dolor sicut dolor meus.

Capitulum. Thren. 1.



Ide, Dómine, quóniam tríbulor, conturbátus est venter meus, subvérsum est cor meum in memetípsa, quóniam amaritúdine plena sum.

Hymnus.

COndoléntes mœróribus
Maríæ matris Vírginis,
Jungámus laudes flétibus
Ad laudem sui nóminis.

Pensémus matris sérvuli
Spinas cordis acérrimas,
Dum vidit corpus Fílii
Pœnas pati tetérrimas.

Pensémus quid perpénderet;
Adstans cruci puérpera,
Dum testaméntum cónderet
Christus in vitæ véspera.

Matrem piam discípulo,
Patri comméndat spíritum :
Acéti sumpto póculo,
Carnis exsólvit débitum.

Cuncti Maríæ sérvuli,
Hujus osóres sæculi :
Jesum occísum cólite,
Et cum María plángite.
Glória tibi Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Sit nobis vita, mors Fílii Dei Patris. ℟. Prece devóta suæ piíssimæ matris.

Ad Benedictus, Aña. De cruce depósitum videns corpus Christi mœsta mater lácrymans, atque vultu tristi, dixit : O dulcíssime Fili, quid fecísti, quod has pœnas ásperas et mortem subiísti?

Oratio.

INterveniat pro nobis, quæsumus, Dómine Jesu Christe, apud tuam cleméntiam, nunc et in hora mortis nostræ, piíssima Virgo María mater tua : cujus sacratíssimam ánimam in hora passiónis tuæ dolóris gládius pertransívit, et in gloriósa resurrectióne tua ingens gáudium lætificávit. Qui vivis.

AD PRIMAM.

℟. Qui de Vírgine dignátus es nasci.

AD TERTIAM.

Capitulum. Vide Dómine, ut supra.

℟. Sancta Dei Génitrix, * Virgo dulcis atque pia. Sancta Dei Génitrix.

℣. Christum morti tráditum pro nobis semper exóra. Virgo dulcis.

Glória Patri. Sancta.

℣. Virgo mater.

AD SEXTAM.

Capitulum. Ruth. 1.

NE vocétis me Noémi, id est pulchram : sed vocáte me Mara, id est, amáram ; quia amaritúdine valde me replévit Omnípotens.

℟. Virgo mater Christi, * Juxta Crucem adstitísti. Virgo.

℣. Præparáta mori propter amórem Fílii. Juxta.

Glória Patri. Virgo.

℣. Virgo tuum Fílium.

AD NONAM.

Capitulum. Thren. 1.

DEduc, quasi torréntem lácrymas per diem et noctem, neque táceat pupílla óculi tui.

℟. Virgo tuum Fílium * In cruce clavátum. Virgo tuum.

℣. Redde tuis précibus, míseris placátum. In cruce.

Glória Patri. Virgo.

℣. Sit nobis vita mors Fílii Dei Patris. ℟. Prece devóta suæ piíssimæ matris.

Ad secundas Vesp. sola prima Aña Laudum, Ps. de Comm. unius Virg. [131] Capitul. Hymn. et ℣. de primis Vesperis.

Ad Magnificat, Aña. **Ante thronum Trinitátis miserórum miseráta, pia mater pietátis, sis pro nobis advocáta : et tuo apud Fílium intervéntu véniam peccatórum servis tuis óbtine.**

Quando dicitur pro commemóratione, ℣. **Sancta Dei Génitrix, Virgo dulcis.**

TEMP. PASCHALI.

Ut in Offic. per annum, sed ante ult. ℣. Hymnorum (Hymno Vesp. excepto) additur ℣. **Quæsumus auctor ómnium,** vel ℣. **Tu esto nostrum gáudium,** pro Temporis exigentia, et ad Matut. tres Psalmi cujuslibet Noct. dicuntur sub j. sola Aña, et in fine ubique additur **Allelúia,** ut in aliis Officiis. Ad Nunc dimittis, Aña. **Allelúia : Sancta Dei Génitrix.**

Lectiones j. Nocturni de Scriptura occurr. sed cum non habentur, legantur ut per annum, Ego Sapiéntia hábito.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 83. In Append.

Lectio iv.



Oquámur áliquid, fratres in láudibus sacratíssimæ Vírginis Maríæ. Sed quid nos tantílli, quid actióne pusílli, quid in ejus láudibus referémus : cum etsi ómnium nostrum membra verteréntur in linguas, eam laudáre suffíceret nullus? Altior cœlo est, de qua lóquimur : Abysso profúndior, cui laudes dícere conámur. Hæc est enim quæ sola méruit mater et sponsa vocári. Hæc primæ matris damna resólvit. Hæc hómini pérdito redemptiónem addúxit.

℟. Sicut cedrus.

Lectio v.

Mater enim géneris nostri pœnam íntulit mundo : Génitrix Dómini nostri salútem édidit mundo : auctrix peccáti Heva, auctrix mériti María : Heva occidéndo óbfuit : María vivificándo prófuit : illa percússit, ista sanávit. Hæc enim mirábili atque inæstimá-

bili modo ómnium rerum et suum péperit Salvatórem. Quæ hæc Virgo tam sancta, ad quam veníre dignarétur Spíritus sanctus? Quæ tam speciósa, ut eam Deus sibi elígeret Sponsam? Quæ tam casta, ut esse possit Virgo post partum? Hæc est Dei templum, fons ille signátus, et porta in domo Dei clausa. Ad hanc namque, ut dixi, Spíritus sanctus descéndit : hanc virtus Altíssimi obumbrávit.

℞. Quæ est ista.

Lectio vj.

HÆc est immaculáta cóitu, fœcúnda partu, Virgo lactans, Angelórum et hóminum cibum nútriens. Mérito namque beáta singulári a nobis præcónio extóllitur, quæ singuláre commércium mundo præbuit. Dénique tantum se ad cœli fastígia sublevávit, ut Verbum in princípio apud Deum de supérna cœli arce suscíperet. O felix María et omni laude digníssima! o Virgo Dei Génitrix gloriósa! o sublímis puérpera! cujus viscéribus auctor cœli terræque commíttitur.

℞. Ornátam monílibus.

IN TERTIO NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo témpore : Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

Exhortat. ad Virginit.



HIc Christus in vestris pectóribus alta máneat defíxus radíce, ut et fructus vester exúberet, et liquóre grátiæ spiritális, corpórei vapóris incéndia temperéntur. Hic est, qui venit in nube levi, sicut dixit Prophéta : Ecce Dóminus sedet super nubem levem, et véniet in Ægyptum. Signíficans quod in Ægyptum, id est, in afflictiónem istam mundi hujus, veníret per Vírginem. Nubem ítaque Maríam dixit, quia carnem gerébat : levem, quia Virgo erat, nullis onéribus graváta conjúgii. Ipsa est virga gérminans florem, quia pura, et ad Dóminum líbero corde dirécta virgínitas, quæ nullis in hoc sæculo curárum an-

fráctibus reflectátur. Ideo illam Dóminus de cruce discípulo suo dilectíssimo sibi trádidit sancto Joánni, qui dixit patri et matri suæ, non novi vos. Dénique vocátus a Christó, relíquit patrem, Verbum secútus.

℟. Beátam me dicent.

Lectio viij.

Huic tráditur Virgo, qui suos nésciat. Huic tráditur Virgo, qui de péctore Christi háuriat sapiéntiam. Huic tráditur Virgo, qui fratres suos non cognóvit, et fílios suos non scivit. Ideóque benedícit eum lex : date Levi veros ejus, date Levi sortes ejus. Unde et matrem Dómini ipse suscépit; scriptum enim habémus; quia ex illa hora suscépit eam discípulus in sua. Quid est, in sua, cum relíquerit patrem et Christum secútus sit? aut quómodo in sua, cum ipsi Apóstoli díxerint : ecce nos relíquimus ómnia et secúti sumus te? Quæ sua habébat Joánnes, qui mundána et seculária non habébat, quia de mundo non erat? quæ ergo habébat sua, nisi ea quæ a Christo accéperat? bonus verbi sapientiæque posséssor, bonus recéptor grátiæ.

℟. Felix namque.

Lectio ix.

Audíte quæ Apóstoli a Christoaccé perint. Accípite, inquit Spíritum sanctum; quorum remiséritis peccáta, remíssa erunt; et quorum detinuéritis, deténta. Neque enim mater Dómini Jesu, nisi ad possessórem grátiæ demigráret, ubi Christus habébat habitáculum. Date ergo et vos fílii mei, vero illi Levi veros ejus. Estóte nubes, sed leves. Eritis proféćto, si ábluat virgínitas ónera conditiónis, et ténebras, hujus limósæ carnis illúminet. Ideo dicit illa, nigra sum et decóra, fíliæ Jerúsalem. Nigra per carnem, decóra per Virginitátem.

℟. Christi Virgo.



✠ Officium Gloriosissimi Nominis beatae Virginis Mariae.

DUPLEX MAJUS S. C.

In Festo Septembr. duplex majus S. C. quater in anno duplex min. P. C. juxta Rubr. 16.

AD VESPERAS.

Antiphona.

A Solis ortu usque ad occásum, laudábile nomen Dómini, et Maríæ Matris ejus.

Ps. Laudáte púeri. 160.

Aña. Missus est Angelus Gábriel ad Vírginem desponsátam Joseph, et nomen Vírginis María.

Ps. Laudáte. 164.

Aña. Ave María, grátia plena : Dóminus tecum : Benedícta tu in muliéribus.

Ps. Lauda ánima. 181.

Aña. Permáneat, et magnificétur nomen tuum usque in sempitérnum, o María.

Ps. Laudáte. 182.

Aña. Lauda Jerúsalem Dóminum, lauda ínclytum nomen Maríæ.

Ps. Lauda Jerúsalem. 183.

Quando hoc Officium recitatur sub ritu duplici minori primæ classis, dicitur in primis Vesperis Aña. Mirábiles elatiónes maris, prima Aña de Laudibus, Psalmi de Officio præcedente.

Capitulum. Judith 13.

Benedícta es tu fília a Dómino Deo excélso, præ ómnibus muliéribus super terram : quia hódie nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum.

℟. Felix namque es sacra Virgo María, et omni laude digníssima : * Quia ex te ortus est Sol justítiæ, Christus Deus noster.

℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tui Nóminis commemoratiónem. Quia.

Glória Patri. Quia.

Hymnus. Ave maris stella. [186]

℣. Sit nomen Dóminæ benedíctum. ℟. Ex hoc nunc, et usque in sæculum, allelúia.

Ad Magnificat, Aña. Maríæ Nomen cunctas illústrat Ecclésias, cui fecit magna qui potens est, et sanctum Nomen ejus.

Oratio ut infra ad Laudes.

Ad Completor. et alias Horas, in fine Hymn. dicitur : Glória tibi Dómine, Qui natus es.

Ad Nunc dimittis, Aña. Allelúia : Sancta Dei Génitrix.

Sed post Septuagesimam, Aña. Sub tuum præsídium.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Ave María, grátia plena : * Dóminus tecum.

Ps. Veníte, exsultémus. 2.

Hymn. Quem terra. [187]

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. In univérsa terra admirábile est Nomen tuum, María.

Ps. Dómine Dóminus noster, cum reliquis de Comm. unius Virg. [118]

Aña. In omnem terram diffúsa est laus Nóminis Maríæ.

Ps. Cœli enárrant.

Aña. Super mária et flúmina fundávit Maríam, et dedit illi Nomen virtútum Rex glóriæ.

Ps. Dómini est terra.

℣. Magnificáte Maríam vírginem mecum. ℟. Et exaltémus Nomen ejus in ætérnum, allelúia.

Benedictio. Alma Virgo.

De libro Exodi.

Lectio j. Cap. 15.

Sumpsit María Prophetíssa, soror Aáron, tympanum in manu sua, egressæque sunt omnes mulíeres post eam cum tympanis et choris, quibus præcinébat, dicens : Cantémus Dómino; glorióse enim magnificátus est, equum et ascensórem ejus dejécit in mare.

℟. Laudémus Nomen sacrum atque insígne Maríæ : * Mundo enim péperit Virgo salútis opem.

℣. Lætèntur cœli de tali Nómine et orbis. Mundo enim.

Bened. Nos cum prole.

Lectio ij.

Tulit autem Móyses Israel de mari Rubro, et egréssi sunt in desértum Sur : ambulaveríntque tribus diébus per solitúdinem, et non inveniébant aquam. Et venérunt in Mara, nec póterant bíbere aquas de Mara, eo quod essent amáræ : unde et cóngruum loco nomèn impósuit, vo-

cans illum Mara, id est, amaritúdinem.

℞. Benedíctum sit Nomen Maríæ, * Cujus manus tornátiles plenæ hyacínthis.

℣. Implorántibus Maríæ Nomen, María præsto adest. Cujus.

Bened. Sancta Dei Génitrix.

Lectio iij.

ET murmurávit pópulus contra Móysen, dicens : Quid bibémus? At ille clamávit ad Dóminum, qui osténdit ei lignum : quod cum misísset in aquas, in dulcédinem versæ sunt. Ibi constítuit ei præcépta atque judícia, et ibi tentávit eum, dicens : Si audíeris vocem Dómini Dei tui, et quod rectum est coram eo féceris, et obedíeris mandátis ejus, custodierísque ómnia præcépta illíus, cunctum languórem, quem pósui in Ægypto, non indúcam super te : ego enim Dóminus sanátor tuus.

℞. Salutémus Maríam, pro nobis Fílium exorántem, * Et illi dicámus : Ave María, grátia plena, Dóminus tecum.

℣. Hæc est Gedeónis vellus, quæ levíssima oratiónis compressióne, larga éxhibet gratiárum stillicídia. Et illi.

Glória Patri. Et illi.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Speciósum Maríæ Nomen deprecabúntur omnes dívites plebis, cujus decórem concupívit Rex.

Ps. Eructávit.

Aña. Refúgium est in tribulatiónibus Maríæ Nomen; ómnibus illud invocántibus.

Ps. Deus noster.

Aña. María cívitas Dei sancta, gloriósa dicta sunt de Nómine sancto tuo.

Ps. Fundaménta ejus.

℣. Repleátur os meum laude Maríæ. ℞. Ut cantem glóriam Nómini sancto ejus, allelúia.

Bened. Précibus suæ matris.

De Sermóne sancti Epiphánii Epíscopi.

Orat. de Laud. B. V. M.

Lectio iv.


BEáta Anna grávida effécta, cœlum, et thronum Cherúbicum péperit sanctam puéllam Maríam : illa enim reperítur esse cœlum, templum, et thronus; quia Maríam interpretári solémus Dóminam, atque

étiam spem. Péperit enim Dóminum, qui est spes totíus mundi, nempe Christum. Rursum, nomen illud, María, interpretátur, myrrha maris; Myrrham vero dicet áliquis (quod ego étiam ajo) de immortalitáte, eo quod paritúra esset gemmam immortálem in mari, hoc est in mundo. Mare autem dicet univérsum mundum, cui Virgo serenitátem, et tranquillitátem cóntulit, dum portum péperit Christum.

℟. Benedícta tu a Dómino Deo tuo in omni tabernáculo Jacob : * Quóniam in omni Gente, quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Deus.

℣. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu María honorificéntia pópuli nostri. Quóniam.

Ben. Jesus Maríæ Fílius.

Lectio v.

Rursum ítaque præclárae puéllæ Maríæ beátum nomen interpretátur Illustráta, útpote quæ illustráta sit a Fílio Dei, et cunctos usque ad términos terræ credéntes Trinitáti illumináverit. Sancta enim puélla Virgo María est Sponsa Trinitátis, et thesáurus dispensatiónis plane arcánus, cui Gábriel inquit : Ave grátia plena, Dóminus tecum. Subjúnxit Gábriel : Et Pater misit arrhabónem de cœlo Spíritum sanctum, præparávit Vírginem unigénito Fílio, cœlésti sponso, quam Pater diléxit, Fílius inhabitávit, Spíritus sanctus percupívit.

℟. Mélius est nomen bonum, quam divítiæ multæ : * Turris fortíssima Maríæ nomen.

℣. Propugnáculum est ómnibus, qui ad illud confúgiunt. Turris fortíssima.

Bened. Fílius Vírginis.

Lectio vj.

Ipsa est enim sponsa, et thálamus : et ex ea Sponsus procédit Christus virgíneum induméntum juxta suávem Davídis Prophétæ cantiónem : In sole pósuit tabernáculum suum, et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo. O sponsi desidérium summæ puritátis! própriam ancíllam propensióre afféctu constítuit sponsam et matrem.

℟. Nomen sanctum meum notum fáciam in

médio pópuli mei : * Et scient, quia ego María.

℣. Delíciæ meæ, esse cum fíliis hóminum. Et scient.

Glória Patri. Et scient.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Nuntiáte inter Gentes glóriam Maríæ, in ómnibus pópulis mirabília nóminis ejus.

Ps. Cantáte.

Aña. Annuntiavérunt cœli nomen Maríæ : et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Ps. Dóminus regnávit.

Aña. Notum fecit Dóminus sacrum Maríæ nomen, et in conspéctu Géntium revelávit virtútem nóminis ejus.

Ps. Cantáte.

℣. Ave María grátia plena. ℟. Dóminus tecum, allelúia.

Bened. Fons Evangélii.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. I.

In illo témpore : Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

Hom. super Missus est.



ET nomen, inquit, Vírginis María. Loquámur pauca et super hoc nómine, quod interpretátum, maris stella dícitur, et matri Vírgini valde conveniénter aptátur. Ipsa namque aptíssime síderi comparátur : quia sicut sine sui corruptióne sidus suum emíttit rádium, sic absque sui læsióne Virgo partúriit Fílium. Nec síderi rádius suam mínuit claritátem, nec Vírgini Fílius suam integritátem. Ipsa est ígitur nóbilis illa stella ex Jacob orta, cujus rádius univérsum orbem illúminat, cujus splendor et præfúlget in supérnis, et ínferos pénetrat, terras étiam perlústrans et calefáciens magis mentes, quam córpora : fovet virtútes, éxcoquit vítia. Ipsa, inquam, est præclára et exímia stella, super hoc mare magnum et spatiósum necessário subleváta, micans méritis, illústrans exémplis.

℟. Claríssimum Maríæ Nomen ipsa stella est præfúlgens : * Peccatóres illúminat, et dírigit in portum salútis.

℣. Consolátur tristes, míseros levat, et jacéntes érigit. Peccatóres.

Ben. Ab hoste malígno.

Lectio viij.

O Quisquis te intélligis in hujus sæculi proflúvio magis inter procéllas et tempestátes fluctuáre, quam per terram ambuláre, ne avértas óculos a fulgóre hujus síderis, si non vis óbrui procéllis. Si insúrgant venti tentatiónum, si incúrras scópulos tribulatiónum, réspice stellam, voca Maríam. Si jactáris supérbiæ undis, si ambitiónis, si detractiónis, si æmulatiónis, réspice stellam, voca Maríam. Si iracúndia, aut avarítia, aut carnis illécebra navículam concússerit mentis, réspice ad Maríam. Si críminum immanitáte turbátus, consciéntiæ fœditáte confúsus, júdicis horróre pertérritus, bárathro incípias absorbéri tristítiæ, desperatiónis abysso, cógita Maríam.

℟. Omnia flúmina intrant in mare, et ipsum non redúndat. * Omnia gratiárum charísmata in Maríam, et ipsa non intuméscit.

℣. Dixit illi Angelus : Ave grátia plena. At ipsa respóndit : Ecce ancílla Dómini. Omnia.

Ben. In omni tribulatióne.

Si ix. Lectio fuerit de Hom. Evang. Benedictio. Verba Redemptóris.

Lectio ix.

IN perículis, in angústiis, in rebus dúbiis Maríam cógita, Maríam ínvoca. Non recédat ab ore, non recédat a corde: et ut ímpetres ejus oratiónis suffrágium, non déseras conversatiónis exémplum. Ipsam sequens, non dévias : ipsam rogans, non despéras : ipsam cógitans, non erras : ipsa tenénte, non córruis : ipsa protegénte, non métuis : ipsa duce, non fatigáris : ipsa propítia, pérvenis : et sic in temetípso experíris, quam mérito dictum sit : Et nomen Vírginis María.

℟. Felix namque es sacra Virgo María, et omni laude digníssima : * Quia ex te ortus est Sol justítiæ, Christus Deus noster.

℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tui Nóminis commemoratiónem. Quia. Glória Patri. Quia.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerdotalis ℣. Sit nomen Dóminæ benedíctum. ℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum, allelúia.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

Mirábiles elatiónes maris, sed mirabílior in Nómine Maríæ Dóminus.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Laudáte in exsultatióne Maríæ Nomen, quóniam suáve est.

Aña. Lábia mea laudábunt te, o María, quia dulce est Nomen tuum super mel ori meo.

Aña. Spíritus et ánimæ justórum, benedícant Maríam in Nómine sancto ejus.

Aña. Beneplácitum est Dómino in Nómine Maríæ, in quo exaltávit mansuétos in salútem.

Capitulum. Judith 13.



Benedícta es tu fília a Dómino Deo excélso, præ ómnibus muliéribus super terram : quia hódie nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum.

Hymn. O gloriósa Dómina. [192]

℣. Lætábor et exsultábo in te, María. ℟. Psalmum dicam Nómini tuo, allelúia.

Ad Benedictus. Aña. Benedíctus Deus, qui Maríæ Vírgini lucis Nomen donávit, ut illumináret eos, qui in ténebris sedent : et ut stella maris errántes dirígeret in portum pacis.

Oratio.

Deus, qui gloriósam Matrem tuam nominári Maríam voluísti : concéde quæsumus; ut, qui dulce ejúsdem Maríæ Nomen implórant, perpétuum séntiant tuæ benedictiónis effféctum. Qui vivis et regnas.

AD PRIMAM.

℣. Qui de Vírgine dignátus es nasci.

AD TERTIAM.

Capit. Benedícta es tu, ut supra ad Laudes.

℟. Magnificáte Maríam Vírginem mecum, * Allelúia, allelúia. Magnificáte.

℣. Et exaltémus Nomen ejus in ætérnum. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Magnificáte.

℣. Repleátur os meum.

AD SEXTAM.

Capitulum. Judith. 13.

BEnedícta tu a Deo tuo in omni tabernáculo Jacob; quóniam in omni Gente, quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israel.

℟. Repleátur os meum laude Maríæ, * Allelúia, allelúia. Repleátur.

℣. Ut cantem glóriam nómini sancto ejus. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Repleátur.

℣. Ave María.

AD NONAM.

Capitulum. Ezech. 16.

EGréssum est nomen tuum in Gentes propter spéciem tuam : quia perfécta eras in decóre meo, quem posúeram super te : dicit Dóminus Deus.

℟. Ave María, grátia plena, * Allelúia, allelúia. Ave María.

℣. Dóminus tecum. Allelúia, allelúia.

Glória Patri. Ave María.

℣. Lætábor et exsultábo in te, María. ℟. Psalmum dicam nómini tuo, allelúia.

AD II. VESPERAS.

Añæ Laudum, Psalmi de Comm. unius Virg. [131] Capitululum Hymnus, et ℣. ut in j. Vesperis.

Ad Magnificat, Aña. María Virgo ómnium óculis gratiósa, nominátum est nomen glóriæ ejus usque in extrémum terræ.



Officium S. P. N. Eliae. Semiduplex. Recitandum semel in mense, juxta Rubr. 17.

AD I. VESPERAS.

Capitulum. Eccli. 48.



SUrréxit Elías Prophéta quasi ignis, et verbum ipsíus quasi fácula ardébat. Qui indúxit in pópulos famem, et irritántes illum invídia sua pauci facti sunt.

Hymnus.

NUnc juvat celsi properáre ad alta
Mente Carméli juga : et ore pleno
Vatis Elíæ méritos reférre
Laudis honóres.

Hic sacri est dučtor, cólumen, decúsque
Ordinis nostri, superísque gratus :
O Pater salve, plácidus tuósque
Excipe alúmnos.
Dum fames terras prémeret, minístro
Uteris corvo; víduæ farínam
Súfficis solers; oleóque manat
Hydria pingui.
Tu, Deo fusis précibus, redúctum
Fínibus mortis púerum parénti
Illius reddis víduæ, senéctæ
Dulce levámen.
Claudis et nubes, aperísque verbo,
Imperas post tres properánter annos,
Décidant cœlo, sitiénsque tellus
Háuriat imbres.
Sit Patri summo, genitæque Proli,
Et tibi compar utriúsque sancte
Spíritus, laus, impérium, potéstas
Tempus in omne.
Amen.

℣. Verbo Dómini contínuit cœlum. ℟. Et dejécit de cœlo ignem ter.

Ad Magnificat, Aña. Ecce ego mittam vobis Elíam Prophétam, ántequam véniat dies Dómini magnus, et horríbilis. Et convértet cor patrum ad fílios, et cor filiórum ad patres eórum.

Oratio ut infra ad Laudes.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem Prophetárum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus. 2.

Hymnus.

Te magne rerum Cónditor,
Mens nostra gliscit láudibus
In hoc Thesbíte máximo,
Quem díligis extóllere.
Hic namque sacri nóminis
Tui zelátor próvocat
Vates Baal nequíssimos,
Victósque jure intérficit.
Illo precánte, víctimas
Absúmit ignis cœlitus :
Hi perstrepéntes ácriter,
Sunt ómnibus ludíbrio.
Tum Jezabélis ímpiæ
Vitans furórem nóxium,
Sub junípero dórmiens
Adésse cernit Angelum.
Panem sibi qui próferens,
Lymphámque, jussit pérgere
Cibo reféctum strénue
Ad montis Horeb vérticem.

Hoc in cibo jejúnium
Tulit quadragenárium :
Hac vi dapes sunt prædi-
tæ,
Quas dextra Dei pórrigit.
Omnis tibi sit glória
Verbum, Pater, Paráclite,
Inseparáta Trínitas,
Quæ condidísti ómnia.
Amen.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Factum est autem, ut ægrotáret fílius mulíeris matris famílias, et erat languor fortíssimus.

Ps. Beátus vir, cum reliquis, de Communi unius Conf. Pont. [76]

Aña. Dixit múlier ad Elíam : Quid mihi et tibi, vir Dei? Ingréssus es ad me, ut rememoraréntur iniquitátes meæ, et interfíceres fílium meum?

Ps. Quare fremuérunt.

Aña. Ait Elías ad víduam : Da mihi fílium tuum. Et clamávit ad Dóminum; et revíxit puer.

Ps. Dómine, quid.

℣. Verbo Dómini contínuit cœlum. ℟. Et dejécit de cœlo ignem ter.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. j. Recéde hinc, et vade contra Oriéntem, dixit Dóminus ad Elíam. * Qui ábiit, et fecit juxta verbum Dómini.

℣. Abscóndere in Torrénte Carith, et ibi de torrénte bibes : corvísque præcépi, ut pascant te ibi. Qui ábiit.

℟. ij. Abiit múlier, et fecit juxta verbum Prophétæ : * Et comédit ipse, et illa, et domus ejus.

℣. Ex illa die hydria farínæ non defécit, et lécythus ólei non est imminútus, juxta verbum Elíæ. Et comédit.

℟. iij. Revérsa est ánima púeri intra eum, et revíxit, et trádidit matri suæ, et ait illi : * En vivit fílius tuus.

℣. Tulit Elías púerum, et depósuit eum in inferiórem domum, dicens. En vivit.

Glória Patri. En vivit.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Factum est verbum Dómini ad Elíam, dicens : Vade, et osténde te Achab, ut dem plúviam super fáciem terræ.

Ps. Cum invocárem. [80]

Aña. Ait Elías ad Achab : Ascénde, cómede et bibe : quia sonus multæ plúviæ est.

Ps. Verba mea.

Aña. Manus Dómini facta est super Elíam, accinctísque lumbis curré-

bat ante Achab, donec veníret in Jézrael.

Ps. Dómine Dóminus.

℣. Tu ungis reges ad pœniténtiam. ℟. Et Prophétas facis successóres post te.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 2. ad pop. Antioch.

Lectio iv.

IN ómnibus ígitur philosophémur, et nihil nos inópia lædere póterit : quin et máxime adjuvábit, et clariores reddet, et ómnibus divítibus copiosióres. Quid enim, dic mihi, Elía paupérius? Sed proptérea omnes dívites vincébat, quóniam pauper hic erat; ipsam vero paupertátem ex mentis opuléntia elégit. Quóniam enim omnem pecuniárum cópiam ánimi sui magnitúdine esse putávit inferiórem, nec philosophía sua dignam, ídeo tantam paupertátem amplexátus est.

℟. Ait Abdías ad Elíam : Cum recéssero a te, Spíritus Dómini asportábit te in locum, quem ego ignóro, et tu dicis : * Dic dómino tuo : Adest Elías.

℣. Dixit Elías : Vivit Dóminus exercítuum, ante cujus vultum sto, quia hódie apparébo ei. Dic dómino tuo.

Lectio v.

QUod si magna præséntia putásset, non solam melótem possedísset : sed ita vitæ vanitátem condemnávit, et tamquam lutum projéctum, aurum omne despéxit, ut præter amíctum illum, nihil ámplius possidéret. Idcírco rex páuperis indigébat, et verbis nihil plus quam melótem habéntis inhiábat, qui tantum habébat auri, ádeo splendídior trábea erat melóte, et regálibus aulis justi spelúnca. Proptérea et in cœlum ascéndens, nihil áliud quam melótem discípulo relíquit. Cum hac (inquit) cum diábolo pugnávi, et tu contra illum armátus hanc cápies.

℟. Cum venísset Elías ad portam civitátis, appáruit ei múlier vídua cólligens ligna, et vocávit eam, dixítque ei : * Da mihi páululum aquæ in vase, ut bibam.

℣. Cumque illa pérgeret ut afférret, clamávit post tergum ejus, dicens : Affer mihi, óbsecro, et buccéllam panis in manu tua. Da mihi.

Lectio vj.

VAlidum enim telum inópia, et inexpugnábile habitáculum, et turris inconcússa. Tamquam máximam hereditátem Eliséus melótem suscépit : étenim vere máxima fuit heréditas, et omni auro pretiósior. Et erat posthac duplex Elías ille : et erat sursum Elías, et deórsum Elías. Novi quod justum illum beátum putátis, et vellétis quisque esse ut ille. Quid ígitur si vobis demonstrávero quid áliud, quod illo multo majus omnes sacris mystériis imbúti recípimus? Elías nempe melótem discípulo relíquit : Fílius autem Dei ascéndens, suam nobis carnem dimísit : sed Elías quidem exútus, Christus autem et nobis relíquit, et ipsam habens ascéndit.

℟. Expándit se, atque mensus est Elías super púerum tribus vícibus, et clamávit ad Dóminum : * Et exaudívit Dóminus vocem Elíæ.

℣. Dómine Deus meus, revertátur óbsecro ánima púeri hujus in víscera ejus. Et exaudívit.

Glória Patri. Et.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Dixit Elías prophétis Baal : Elígite vobis bovem unum, et invocáte nómina deórum vestrórum. Qui clamábant, et non erat qui respondéret eis.

Ps. Dómine, quis. [83]

Aña. Cum jam tempus esset, ut offerrétur holocáustum, accédens Elías orávit ad Dóminum.

Ps. Dómine in virtúte.

Aña. Oránte Elía cécidit ignis Dómini, et vorávit holocáustum, et ligna, et lápides, púlverem quoque, et aquam quæ erat in aquædúctu lambens.

Ps. Dómini est terra.

℣. Beáti sunt qui te vidérunt. ℟. Et in amicítia tua decoráti sunt.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 9.

IN illo témpore : Assúmpsit Jesus Petrum, et Jacóbum, et Joánnem, et ascéndit in montem ut oráret, et facta est dum oráret, spécies vultus ejus áltera. Et réliqua.

Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri.



ERant autem Móyses et Elías visi in majestáte, et dicébant excéssum ejus, quem completúrus erat in Jerúsalem. Móyses ergo et Elías, qui locúti sunt

cum Dómino in monte, et passiónem ejus ac resurrectiónem dicébant, orácula legis et prophetíæ desígnant, quæ in Dómino compléta, et nunc doctis quibúsque patent, et eléctis ómnibus in futúro manifestius patébunt.

℟. Ait Elías núntiis regis Samaríæ : Numquid non est Deus in Israel, ut eátis ad Beélzebub? Quam ob rem hæc dicit Dóminus : * De léctulo, super quem ascendísti, non descéndes, sed morte moriéris.

℣. Revérsi núntii ad Ochozíam dixérunt : Vir occúrrit nobis, dicens : Ite, et revertímini ad regem, et dicétis ei. De léctulo.

Lectio viij.

QUi bene visi in majestáte dicúntur, quia tunc apértius videbúntur, quando veritátis omnis divinórum eloquiórum non solum sensus, sed et sermo fúerit prolátus : quamvis cum Móyse et Elía omnes, qui cum Dómino regnatúri sunt, recte intélligi possint. In Móyse quidem, qui mórtuus et sepúltus est, hi qui in judício resuscitándi a mórte; in Elía vero, qui necdum mortis débitum solvit, hi qui in advéntu Júdicis, vivi inveniéndi sunt in carne. Qui utríque páriter in uno eodémque moménto rapti in núbibus óbviam Dómino in áera, mox peracto judício ad vitam inducéntur ætérnam.

℟. Ascéndit quinquagenárius, et quinquagínta qui erant sub eo, ad Elíam sedéntem in vértice montis. * Et descéndit ignis de cœlo, et devorávit eos.

℣. Dixit Elías : Si homo Dei sum, descéndat ignis de cœlo, et dévoret te et quinquagínta tuos. Et.

Lectio ix.

QUibus apte cónvenit, quod Móyses et Elías in majestáte fuísse visi perhibéntur : per excelléntiam namque majestátis, insígne múneris, quo sunt coronándi, monstrátur. Bene cónvenit et hoc, quod excéssum ejus, quem completúrus erat in Jerúsalem, dixísse memorántur : quia nimírum única laudis matéria fidélibus suis sit pássio Redemptóris, tanto suæ reparatiónis memóriam devóto semper in péctore versant, devóta confessióne testántur.

℟. Factum est, dum tólleret Dóminus Elíam per

túrbinem in cœlum, * Eliséus clamábat, dicens : Pater mi, pater mi, currus Israel, et auríga ejus.

℣. Cumque pérgerent, et incedéntes sermocinaréntur : ecce currus ígneus et equi ígnei divisérunt utrúmque, et ascéndit Elías per túrbinem in cœlum. Eliséus.

Glória Patri. Eliséus.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerdotalis ℣. Surréxit Elías prophéta quasi ignis.
℟. Et verbum ipsíus quasi fácula ardébat.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

ELías, dum zelat zelum legis, recéptus est in cœlum.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Factum est autem, cum leváre vellet Dóminus Elíam per túrbinem in cœlum, ibant Elías et Eliséus de Gálgalis.

Aña. Tulit Elías pállium suum, et percússit aquas, et divísæ sunt, et transiérunt ambo per siccum.

Aña. Cum Elías et Eliséus pérgerent, et incedéntes sermocinaréntur, ecce currus ígneus et equi ígnei divisérunt utrúmque.

Aña. Ascéndit Elías per túrbinem in cœlum, Eliséus autem vidébat, et clamábat : Pater mi, pater mi, currus Israel, et auríga ejus.

Capitulum. Eccli. 48.

SUrréxit Elías Prophéta quasi ignis, et verbum ipsíus quasi fácula ardébat. Qui indúxit in pópulos famem : et irritántes illum invídia sua pauci facti sunt.

Hymnus.

PErgámus sócii, tóllere cánticis
Thesbítæ, exímii Vatis, in æthera
Res gestas, hílares : nam decet hoc die
Nostri nos mémores ducis.

Audívit Dómini verba recóndita
Auræ sub ténuis múrmure síbili,
Jussus sævítiam Jézabel ímprobæ,
Atque Achab scélera ínsequi.

Succínctus túnica pellícea latus,
Carmelíque hábitans antra viréntia,
Prædícit mínitans trístia fúnera
Regi Ochozíæ ímpio.

Hujus bis précibus ignis ab æthere
Absórpsit véniens, flámmaque mílites :
Findit dein próprio flúmina pállio,
Et sicco pede præterit.

Nos nunquam auxílium destítuat, Pater,
Optatúsque tuus perpétuo favor :
Nobis quin pótius múnera Spíritus
Augéri prece póstula.
Laus Patri ingénito, summaque glória,
Sit semper génito laus quoque Fílio,
Necnon par tibi sit, ínclyte Spíritus,
Simplex únaque Trínitas. Amen.

℣. Elías in túrbine tectus est. ℟. Et in Eliséo complétus est spíritus ejus.

Ad Benedictus, Aña. Elías homo erat símilis nobis passíbilis, et oratióne orávit, ut non plúeret super terram; et non pluit annos tres et menses sex. Et rursum orávit : et cœlum dedit plúviam, et terra dedit fructum suum.

Oratio.

PRæsta, quæsumus omnípotens Deus, ut sicut beátum Elíam Prophétam tuum, et Patrem nostrum ante commúnem mortem curru ígneo aéreum elevásti ad cœlum : ita nos fácias, eo interveniénte, dum vívimus, a terrénis semper ad cœléstia spíritu sublevári; et cum eo in resurrectióne justórum páriter gaudére. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Capit. Surréxit Elías, ut supra ad Laudes.

℟. Verbo Dómini * Contínuit cœlum. Verbo.
℣. Et dejécit de cœlo ignem ter. Contínuit.
Glória Patri. Verbo.
℣. Tu ungis reges.

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccli. 48.

VErbo Dómini contínuit cœlum, et dejécit de cœlo ignem ter : sic amplificátus est Elías in mirabílibus suis.

℟. Tu ungis reges * Ad pœniténtiam. Tu ungis.
℣. Et Prophétas facis successóres post te. Ad pœniténtiam.
Glória Patri. Tu ungis.
℣. Beáti sunt.

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. 48.

TU sustulísti mórtuum ab ínferis de sorte mortis in verbo Dómini Dei. Qui scriptus es in judíciis témporum leníre iracúndiam Dómini.

℟. Beáti sunt, * Qui te vidérunt. Beáti.
℣. Et in amicítia tua decoráti sunt. Qui te.
Glória Patri. Beáti sunt.

℣. Elías in túrbine te-ctus est. ℟. Et in Eliséo complétus est spíritus ejus.

AD II. VESPERAS.

Nisi sequatur Festum duplex, dicitur prima Aña Laudum, sub qua sola dicuntur Psalmi de Dominica: et loco ult. **Lauda Jerúsalem. 183.**

Capitulum ut in j. Vesp.

Hymnus.

Audiat miras óriens, cadénsque
Sol tuas laudes, mare, terra, et aer,
Ordinis nostri cólumen, tuæque
Glória gentis.

O Deo multum (Pater alme) care,
O potens signis, meritísque felix,
Quem Deus gestis adhibére suévit
Grándibus olim.

Te triumpháli super alta curru
Igneis vectum céleres quadrígis
Angeli attóllunt, nímium corúsca
Luce micántem.

Unico ætérni Patris adfuísti
Fílio testis, sócius fidélis
Mosis, in summo pósitus Thabóris
Vértice montis.

Nos tui præsens clypeo favóris,
Ac tua magna bonitáte fretos,
Súpplices dextra fámulos benígna
Prótege semper.

Sit Patri summo, genitæque Proli,
Et tibi compar utriúsque sancte
Spíritus, laus, impérium, potéstas
Tempus in omne.
Amen.

℣. Verbo Dómini contínuit cœlum. ℟. Et dejécit de cœlo ignem ter.

Ad Magnificat, vel pro commemor. Aña. **Tulit Elías pállium suum, et invólvit illud, et percússit aquas Jordánis, quæ divísæ sunt in utrámque partem, et transiérunt ipse, et Eliséus per siccum : qui incedéntes, ecce currus ígneus, et equi ígnei divisérunt utrúmque: et ascéndit Elías per túrbinem in cœlum : Eliséus autem non vidit eum ámplius.**

Temp. Pasch. tres Psalmi cujuslibet Nocturni dicuntur sub una sola Aña; et in fine omnium Añarum, et Respons. Versuum additur **allelúia,** et ultimus versus Hymni ad Mat. mutatur. Cetera omnia ut supra.

✠ Officium S. Andreae Corsini
Episcopi et Confessoris Ordinis Nostri.

Recitandum in toto Ordine nostro bis in Mense per Annum, et semel pariter in Mense per Quadragesimam sub ritu Semiduplici, juxta Rubr. 17.

AD VESPERAS.

Capítulum. Eccli. 50.



Ecce Sacérdos magnus, qui in vita sua suffúlsit domum : et in diébus suis corroborávit templum. Qui præváluit amplificáre civitátem, qui adéptus est glóriam in conversatióne Gentis.

Hymnus.

Andréam grádibus sídera lúcidis
Scandéntem, sócii, et Præsule cérnitis
Stipátum gémino : ferte citi lyras,
Plectrúmque, et nova cántica.

Magnis ex átavis éditus áureæ
Sortis dum séquitur blanda perícula;
Ibat forte puer, qua via flórido
Fallit nóxia trámite.

Inclámat génitrix : ille pedem loco
Festínat rétrahens; áltaque per juga
Carméli evólitat, certus inánia
Mundi línquere gáudia.

Ast illum cúpide nóbilis ínfula
Quærit : sed látitans défugit ínfulam
Frustra : nam púero vox data trímulo
Noléntem ad sólium rapit.

Ergo divítias fúndere páuperi
Et rectum sérere, et prava revéllere;
Cœlóque, ac pópulo, non sibi vívere;
Hæc laus Pontíficis fuit.

Pastor summe, óvium qui regis ágmina,
Pastórum páriter Rector, et Arbiter
Christe, ad perpétuæ duc sata Pátriæ
Una cum dúcibus gregem. Amen.

℣. Ora pro nobis sancte Andréa. ℟. Ut digni effi-

ciámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat. Aña. Natus est firmaméntum gentis, rector fratrum, stabiliméntum pópuli.

Oratio.

DEus, qui in Ecclésia tua nova semper instáuras exémpla virtútum : da pópulo tuo; beáti Andréæ Confessóris tui, atque Pontíficis ita sequi vestígia, ut assequátur et præmia. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Dóminum misericórdiæ, qui prædestinávit Andréam confórmem fíeri agno immaculáto : * Veníte adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus. 2.

Hymnus.

VIrgo, Carméli decor et volúptas,
Monte subjéctos speculáta campos,
Ut lupum vidit; míserans corúsco
Térruit arcu.

Tunc feræ (mirum!) cecidére vultus,
Ora tunc agni subiére mitis,
Tunc datum cursu per amœna ferri
Cúlmina montis.

Vírginis cordi pius hæret ardor,
Vírginis formam sedet æmulári
Móribus puris : alit illa sacros
Altius ignes.

Mox jubet certam pópulis salútem
Ferre commíssis : mora nulla, late
Italas Præsul rádians per oras
Lucet, et urit.

Núminis plenus rétegit futúra,
Urbibus rixas fugat, et minaces
Artubus morbos; epulásque turbis
Dévocat axe.

Laus Patri, et Nato; tibi laus et alme
Spíritus semper; duce quo triúmphat
Victor Andréas, Mariána vivens
Signa secútus.
Amen.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Stérilis virtútem in conceptiónem accépit, et unigénitum offerébat.

Ps. Beátus vir, cum reliquis de Communi unius Confess. Pontif. [76]

Aña. Oculus Dómini respéxit eum in bono, et eréxit eum ab humilitáte sua.

Ant. Miráti sunt in illo multi, et laudavérunt Deum.

℣. Amávit eum Dóminus, ut in Communi.

Lect. j. Noct. de Script. occurr. quæ si desint, legantur sequentes.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 29. ℣. 7.

QUando procedébam ad portam civitátis, et in platéa parábant cáthedram mihi : auris áudiens beatificábat me, et óculus videns testimónium reddébat mihi. Eo quod liberássem páuperem vociferántem, et pupíllum, cui non esset adjútor. Benedíctio peritúri super me veniébat, et cor víduæ consolátus sum. Justítia indútus sum : et vestívi me, sicut vestiménto, et diadémate, judício meo. Oculus fui cæco, et pes claudo. Pater eram páuperum, et causam, quam nesciébam, diligentíssime investigábam. Dicebámque : in nídulo meo móriar et sicut palma multiplicábo dies. Radix mea apérta est secus aquas, et ros morábitur in messióne mea. Glória mea semper innovábitur.

℟. Concépit stérilis et péperit fílium quia magnificávit Dóminus misericórdiam suam cum illa. * Et congratulabántur ei.

℣. Cœpítque Spíritus Dómini esse cum eo. Et

Lectio ij. Cap. 31. ℣. 1.

PEpigi fœdus cum óculis meis, ut ne cogitárem quidem de vírgine. Quam enim partem habéret in me Deus désuper, et hereditátem Omnípotens de excélsis? Numquid non perdítio est iníquo, et alienátio operántibus injustítiam? Si ambulávi in vanitáte, et festinávit in dolo pes meus : Si declinávit gressus meus de via, et si secútum est óculos meos cor meum, et si mánibus meis adhæsit mácula : seram, et álius cómedat. Si decéptum est cor meum super mulíere, et si ad óstium amíci mei insidiátus sum. Hoc enim nefas est, et iníquitas máxima. Ignis est usque ad perditiónem dévorans, et ómnia eradícans genímina. Semper quasi tuméntes super me fluctus tímui Deum, et pondus ejus ferre non pótui.

℟. Humiliátus est póstea, eo quod exaltátum fuísset cor ejus. * Et opé-

ruit cilício carnem suam et jejunávit.

℣. Ascéndit ut immoláret Dómino hóstiam solémnem et votum suum. Et opéruit.

Lectio iij.

Si putávi aurum robur meum, et obrízo dixi fidúcia mea. Si gavísus sum ad ruínam ejus, qui me óderat : et exsultávi, quod invenísset eum malum. Non enim dedi ad peccándum guttur meum, ut expéterem maledícens ánimam ejus. Si abscóndi quasi homo peccátum meum, et celávi in sinu meo iniquitátem meam. Si expávi ad multitúdinem nímiam, et despéctio propinquórum térruit me : et non magis tácui, nec egréssus sum óstium. Si advérsum me terra mea clamat, et cum ipsa sulci ejus deflent. Si fructus ejus comédi absque pecúnia, et ánimam agricolárum ejus afflíxi : pro fruménto oriátur mihi tríbulus, et pro hórdeo spina.

℟. Invénit hóminem, qui erat cæcus, et ait : sanat te Dóminus Jesus Christus : * Et conféstim vidit.

℣. Est aqua lustratiónis aspérsus. Et conféstim.

Glória. Et conféstim.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Fecit quod plácuit Deo, et fórtiter ivit in via, quam mandávit Prophéta magnus in conspéctu Dei.

Ps. Cum invocárem. [80]

Aña. Elégit Dóminus servum suum páscere hereditátem suam, et in intelléctibus mánuum suárum dedúxit eos.

Aña. Dedit eis petitiónem ipsórum, misit saturitátem in ánimas eórum.

℣. Justum dedúxit.

Sermo sancti Gregórii Nysséni.

In fun. M. Milet.

Lectio iv.



Um primum bene moráta, ac modésta Ecclésia beátum Andréam vidit, vidit fáciem ad imáginem Dei vere formátam : vidit dilectiónem fontis modo scaturiéntem : vidit grátiam lábiis circumfúsam, ánimi demissiónis summum gradum : post quem ámplius quidquam cogitári non potest : vidit mansuetúdinem atque cleméntiam, qualis in Davíde fuit : qualis in Salomóne, intelligéntiam atque prudén-

tiam : qualis in Móyse, bonitátem : qualis in Samuéle, perfectiónem : qualis in Josépho, continéntiam pudicitiámque : qualis in Daniéle, sapiéntiam : quemádmodum magnus Elías, zelo fídei præditum : sícuti sublímis Joánnes, integritáte córporis ornátum : sícuti Paulus, inexsuperábili præditum dilectióne. Vidit tot bonórum circa unam ánimam concúrsum : amóre beáto vulneráta est, casto bonóque Sponsum suum amóre atque benevoléntia prosecúta diléxit.

℟. In médio fratrum rector illórum loquebátur de regno Dei, et eos qui cura indigébant, sanábat : Omnibus mirántibus.

℣. Ecce quidam hydrópicus erat ante illum; ipse vero sanávit eum. Omnibus.

Lectio v.

SEd priúsquam cupiditátem expléret, ántequam desidérium recreáret atque sedáret, amóris vi fervens, tentatiónibus athlétam ad certámina vocántibus, sola relícta est. Atque ille quidem in certamínibus pro pietáte suscéptis desudábat : hæc vero durábat in castitáte matrimónium consérvans. Non ablátus est a nobis Sponsus, in médio nostrum stat, étiam si nos non videámus. In ádytis, ac penetrálibus Sacérdos est. In interióribus veli, quo præcúrsor pro nobis ingréssus est Christus, relíquit carnis teguméntum. Non ámplius signo, et umbræ cœléstium servit; sed in ipsam rerum imáginem intuétur : non ámplius per spéculum, atque per transénnam, et ænígma; sed ipse fácie cum fácie colláta intercédit apud Deum.

℟. Non seípsum clarificávit, ut Póntifex fíeret * sed vocátur a Deo tamquam Aáron.

℣. Quasi sol refúlgens, sic ille effúlsit in templo Dei. Sed vocátur.

Lectio vj.

INtercédit autem pro nobis, et pópuli errátis : depósuit túnicas pellíceas, neque enim tálibus túnicis opus habent, qui in Paradíso degunt : sed habet induménta, quæ puritáte vitæ suæ contéxuit, iísque sese ornávit. Honoráta, ac pretiósa coram Dómino talis viri mors est; immo vero non mors, sed

ruptúra membrórum est. Dirupísti enim, inquit, víncula mea. Dimíssus est Símeon, liberátus est a vínculis córporis. Láqueus contrítus est, et avícula avolávit. Ingréssus est terram promissiónis : in monte cum Deo philosophátur. Solvit ánimæ calceaméntum, ut pura planta mentis terram sanctam, ubi conspícitur Deus, conscénderet.

℟. Cum turba multa esset, nec habérent quod manducárent, accípiens septem panes fregit, et dabat : * Et manducavérunt, et saturáti sunt.

℣. Non sunt fraudáti a desidério suo. Et manducavérunt.

Glória Patri. Et.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Minúitur crescens mirabíliter in consummatióne, resplendens glorióse.

Ps. Dómine quis. [83]

Aña. Dóminus dedit illi sedem glóriæ, et propter illum dejécit omnem poténtiam inimicórum.

Aña. Certe in géntibus multis non erat símilis illi diléctus Deo suo.

℣. Justus ut palma florébit.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 25.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Homo quidam péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 79. ad med.

Talénta hic pro eo, quod unusquísque fácere potest accípimus, sive auctoritáte protégere, sive pecúniis juváre, sive doctrína admonére, sive ália quápiam re próximis prodésse queas. Nemo secum dicat : Cum unum taléntum hábeam, nihil possum effícere : potest proféćto ex ea una re sola comprobári. Non es paupérior illa vídua; non es Petro, atque Joánne rustícior : qui, quamvis rudes simul atque illiteráti fuérunt, quóniam magno stúdio commúnem utilitátem compléxi fúerant, cœlórum Príncipes facti sunt.

℟. In illa hora multos curávit a languóribus et plagis : * Quia virtus de illo exíbat et sanábat.

℣. In vita sua fecit mon-

stra, et in morte mirabília operátus est. Quia virtus.

Lectio viij.

QUippe nulla res Deo grátior est, quam ut univérsam vitam ad commúne cómmodum cónferas. Idcírco ratióne, atque oratióne nos Deus decorávit, mentem, atque ingénium concéssit, manus, pedes, vires córporis dedit, ut his ómnibus, et nos ipsos, et próximos tutémur. Non enim ad agéndas grátias solúmmodo confert orátio, verum étiam ad docéndum, et ad monéndum perútilis est : qua in re, si ea diligénter utémur, Dóminum; sin vero in contráriis, diábolum imitábimur.

℞. Repúlsi sunt inimíci præ timóre ejus :* Et diréćta est salus in manu ejus.

℣. Cógnitus est in verbis suis fidélis. Et diréćta.

Lectio ix.

NAm et Petrus quidem, quando Christum confitebátur, quasi ea dicens, quæ Patris sunt, beatificabátur : quando autem crucem horrébat, atque repellébat, quasi ea, quæ diáboli sunt sápiens, ácriter increpabátur. Si ergo ignoratióne crucem recusándo reprehénsus est, quam nos sponte peccántes véniam impetrábimus? Ea ergo loquámur, quæ Christi verba esse, conféstim cognoscúntur.

℞. Spíritu magno vidit última, consolátus est lugéntes, osténdit futúra, et abscóndita. * Quæsívit bona genti suæ, et fecit pacem.

℣. Adjúvit páuperem de inópia, et pósuit sicut oves famílias. Quæsívit.

Glória Patri. Quæsívit.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerdotalis ℣. Elégit eum Dóminus.

AD LAUDES

et per Horas. Aña.

DIléxit Andréam Dóminus in odórem suavitátis.

Psalmus. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Jucunditátem et exsultatiónem thesaurizávit super illum, et nómine ætérno hereditávit illum.

Aña. In médio pópuli sui exaltátus est, et in multitúdine sanćtórum habet laudem.

Aña. Perféćtus invéntus est, et erit illi glória ætérna.

Aña. Implétus est bene-

dictiónibus, et vidéntes illum laudábunt.

Capit. Ecce Sacérdos magnus, qui in vita. [86]

Hymnus

in quo Temp. Pasch. nihil additur neque mutatur.

QUa nocte mundi Cónditor
Tenéllus infans náscitur,
María amánti Præsuli
Mortem propínquam núntiat.

Qua stella nocte ad Párvuli
Tres ducit antra Príncipes,
María, quæ stella est maris,
Ad astra ducit Præsulem.

Artus relícti léctulum,
Seu pulchra lília, aut rosæ,
Odóre perflant; ac salus
Odor fit unus lánguidis.

Quin luce mira prænitent,
Qua pulsa luce nox fugit:
Hæc nempe sunt vestígia
Nitentióris spíritus.

O qui per alta, spíritus,
Spátia vagáris ætheris,
Totus Deo jam fúlgurans,
Ne sperne res mortálium.

Te fons, Redémptor, lúminis,
Te campi odórum lílium,
Trahe nos odóre, póscimus,
Ad lumen almum glóriæ.
Amen.

℣. Justus germinábit.

Ad Benedictus. Aña. Fecit quod rectum erat in óculis Dómini, et diréxit eum in ómnibus, et adjúvit eum Deus, et divulgátum est nomen ejus.

Oratio.

DEus, qui in Ecclésia tua nova semper instáuras exémpla virtútum, da pópulo tuo beáti Andréæ Confessóris tui atque Pontíficis ita sequi vestígia, ut assequátur et præmia. Per Dóminum nostrum.

Ad Horas Capit. et ℟℟. de Communi.

Ad ij. Vesp. Aña prima Laudum, Psalmi de Dominica, et loco ultimi. Meménto Dómine David. 170.

Capit. Hymn. et ℣. ut in j. Vesperis.

Ad Magnificat. Aña. Hic est Fratrum amátor, et pópuli: hic est qui multum orat pro pópulo, et univérsa civitáte.

Tempore Paschali tres Psalmi cujuslibet Nocturni dicuntur sub una sola Aña, et in fine omnium Añarum etc. additur Allelúia. Cetera omnia ut supra.

Officium sanctae Teresiae Virginis
ORDINIS NOSTRI
semel in mense sub Ritu semid. juxta Rubr. 17.

Capitulum. Sap. 7.



Optávi, et datus est mihi sensus; et invocávi, et venit in me spíritus sapiéntiæ; et præpósui illam regnis, et sédibus, et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus.

Hymnus
in quo Temp. Pasch. nihil additur neque mutatur.

Regis supérni núntia
 Domum patérnam déseris,
Terris Terésa bárbaris
Christum datúra, aut sánguinem.

Sed te manet suávior
Mors, pœna poscit dúlcior :
Divíni amóris cúspide
In vulnus icta cóncides.

O caritátis víctima!
Tu corda nostra cóncrema,
Tibíque Gentes créditas
Avérni ab igne líbera.

Sit laus Patri cum Fílio,
Et Spíritu Paráclito,
Tibíque sancta Trínitas
Nunc, et per omne sæculum. Amen.

℣. Oblivíscere pópulum tuum et domum patris tui. ℟. Et concupíscet Rex decórem tuum.

Ad Magnificat, Aña. Quæsívi in sponsam mihi eam assúmere. Doctrix enim est disciplínæ Dei, et eléctrix óperum illíus.

Oratio.

Exáudi nos Deus salutáris noster, ut sicut de beátæ Terésiæ Vírginis tuæ commemoratióne gaudémus : ita cœléstis ejus doctrínæ pábulo nutriámur, et piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem Vírginum Dóminum, * Veníte adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus. 2.

Hymnus ut in Vesperis.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Quæ est ista, quæ ascéndit per desértum sicut vírgula fumi ex aromátibus myrrhæ et thuris?

Ps. Dómine Dóminus noster, cum reliquis de Communi unius Virg. [118]

Aña. En diléctus meus lóquitur mihi : Surge, própera amíca mea, colúmba mea, et veni.

Aña. Revértere, revértere Sunamítis : revértere, revértere, ut intueámur te

℣. Fiat cor meum immaculátum in justificatiónibus tuis. ℟. Ut non confúndar.

Lect. de Script. occurr. sed si desunt, legantur sequentes.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 7.



Optávi, et datus est mihi sensus : et invocávi, et venit in me spíritus sapiéntiæ : et præpósui illam regnis, et sédibus, et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus. Nec comparávi illi lápidem pretiósum : quóniam omne aurum in comparatióne illíus aréna est exígua, et tamquam lutum æstimábitur argéntum in conspéctu illíus. Super salútem et spéciem diléxi illam, et propósui pro luce habére illam : quóniam inexstinguíbile est lumen illíus. Venérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa, et innumerábilis honéstas per manus illíus, et lætáta sum in ómnibus : quóniam antecedébat me ista sapiéntia, et ignorábam, quóniam horum ómnium mater est. Quam sine fictióne dídici, et sine invídia commúnico, et honestátem illíus non abscóndo. Infinítus enim thesáurus est homínibus : quo qui usi sunt, partícipes facti sunt amicítiæ Dei, propter disciplínæ dona commendáti.

℟. Habitábit in solitúdine judícium, et justítia in Carmélo sedébit, et erit opus justítiæ pax, * Et cultus justítiæ siléntium, et secúritas usque in sempitérnum.

℣. Et sedébit pópulus meus in pulchritúdine pacis, et in tabernáculis fidúciæ. Et cultus.

Lectio ij.

Omnium enim ártifex dócuit me sapiéntia. Est enim in illa spíritus intelligéntiæ, sanctus, únicus, múltiplex, subtílis, disértus, móbilis, incoinquinátus, certus, suávis, amans bonum, acútus, quem nihil vetat, benefáciens, humánus, benígnus, stábilis, certus, secúrus, omnem habens virtútem, ómnia prospíciens, et qui cápiat omnes spíritus : intelligíbilis, mundus, subtílis. Omnibus enim mobílibus mobílior est sapiéntia : attíngit autem ubíque pro-

pter suam mundítiam. Vapor est enim virtútis Dei, et emanátio quædam est claritátis omnipoténtis Dei sincéra : et ídeo nihil inquinátum in eam incúrrit. Candor est enim lucis ætérnæ, et spéculum sine mácula Dei majestátis, et imágo bonitátis illíus. Et cum sit una, ómnia potest, et in se pérmanens ómnia ínnovat, et per natiónes in ánimas sanctas se transfert, amícos Dei, et Prophétas constítuit.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis : * Proptérea benedíxit te Deus ætérnum.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Proptérea.

Lectio iij.

Neminem enim díligit Deus, nisi eum, qui cum sapiéntia inhábitat. Est enim hæc speciósior sole, et super omnem dispositiónem stellárum, luci comparáta invenítur prior. Illi enim succédit nox, sapiéntiam autem non vincit malítia. Attíngit ergo a fine usque ad finem fórtiter, et dispónit ómnia suáviter. Hanc amávi et exquisívi a juventúte mea, et quæsívi sponsam mihi eam assúmere, et amátrix facta sum formæ illíus. Generositátem illíus glorífficat, contubérnium habens Dei : sed et ómnium Dóminus diléxit illam. Doctrix enim est disciplínæ Dei, et eléctrix óperum illíus. Et si divítiæ appetúntur in vita, quid sapiéntia locuplétius, quæ operátur ómnia? Si autem sensus operátur : quis horum, quæ sunt, magis, quam illa est ártifex? Et si justítiam quis díligit : labóres hujus magnas habent virtútes : sobrietátem enim, et prudéntiam docet, et justítiam, et virtútem, quibus utílius nihil est in vita homínibus.

℟. Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam; * Quia deínceps ut vera sponsa meum zelábis honórem.

℣. Sponsábo te mihi in justítia, et judício, et in misericórdia, et miseratiónibus. Quia deínceps.

Glória Patri. Quia.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Vidi Dóminum, qui dedit corónam decóris in cápite meo.

Ps. Eructávit. [122]

Aña. Induit me Génitrix Dómini vestiméntis salú-

tis, et datum est mihi, ut coopériar byssino splendénti, et cándido.

Aña. Ego autem in Dómino gaudébo, et exsultábo in Deo Jesu meo.

℣. Sitívit in te ánima mea. ℟. Quam multiplíciter tibi caro mea.

Sermo sancti Máximi Epíscopi.

Hom. in nat. S. Agnetis.

Lectio iv.

Cum in toto mundo virgíneus flos Maríæ immarcescíbiles corónas innéctat, et sceptrígeram pudóris aulam immaculáto consérvet afféctu, eoúsque intégritas perseverávit ad palmam, ut in puéllis trophæum sanctitátis arrípere, et per vestígia matris Vírginis ad cœléstem thálamum perveníret. O quam imitábile virgínibus, Virgo, tui amóris tradidísti exémplum! O quam sanctum pectóribus dandum virgíneis tribuísti respónsum, contemnéndo mundi divítias, exsecrándo carnis concupiscéntias, et solam Christi pulchritúdinem adamándo! Accédite ad puéllam puéllæ, et díscite, quales in péctore suo circa amórem Christi flammas accéndit. Díscite, vírgines, Christi amórem in ea fervéntem, et omnes mundi divítias velut stércora recusántem.

℟. Dixit mihi Dóminus meus : Ne tímeas fília : * Non rápiet te quisquam de manu mea.

℣. Neque mors, neque vita, neque creatúra ália póterit me separáre a caritáte Dei. Non rápiet.

Lectio v.

Ideo enim sanctórum per lítteras tradúntur exémpla, ut unusquísque pro qualitáte sexus modum sui propósiti téneat, et sicut per vírginem vírgines, ita per cónjugem cónjuges víncere sæculum pro Christi amóre stúdeant, ac repugnatióne ánimi, mundi dúlcia recusántes, et ejus non recusántes austéra, ad delectatiónes perpétuas, et ad gáudia ætérna pertíngant. Hæc dicéntes, non vituperámus cónjugum casta commércia, sed vírginum perseverántiam adornámus. Non enim virgínitas malis rebus superponénda est, sed est rebus óptimis præferénda : quæ enim mundis múndior, et sanctis est sánctior, non índiget malárum rerum vituperatióne laudári.

℟. Gaudens gaudébo in Dómino, et exsultábit ánima mea in Deo meo, quia índuit me vestiméntis salútis; * Et induménto justítiæ circúmdedit me.

℣. Quasi sponsam decorátam coróna, et quasi sponsam ornátam monílibus suis. Et induménto.

Lectio vj.

VEni jam, Virgo, ad thálamum, quem quæsísti, ut sponsam te virgínitas immaculáta cómprobet Christi. Felix catérva vírginum, quibus stúdium est tuæ sequi confessiónis vestígia. Habébunt enim tecum corónam in cœlo, quæ tecum superavérunt inimícum in mundo. Nam sicut tibi vestígia Maríæ prosequénti participátio ætérnæ remuneratiónis appáruit : ita eis te imitántibus ætérna crédimus gáudia non negánda. Itaque o spléndida Christo Dei Fílio, et ómnibus Angelis, atque Archángelis grata! ut nostri meminísse dignéris, quibus póssumus précibus exorámus, ut nobis ille tríbuat indulgéntiam, qui tibi tuórum ómnium labórum trádidit palmam.

℟. Pulchra fácie, sed púlchrior fide beáta es Terésia virgo, réspuens mundum, lætáberis cum Angelis : * Intercéde pro ómnibus nobis.

℣. Gaudeámus, et exsultémus, et demus glóriam ei, quia venérunt núptiæ Agni. Intercéde.

Glória Patri. Intercéde.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Diléctus meus mihi, et ego illi, qui páscitur inter lília.

Ps. Cantáte. [125]

Aña. Dómine prævenísti eam in benedictiónibus dulcédinis *: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Aña. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus.

℣. Deus præcínxit me virtúte. ℟. Et pósuit immaculátam viam meam.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo témpore : Respóndens Jesus dixit : Confíteor tibi Pater, Dómine cœli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus, et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Et réliqua.

Homilía sanƈti Augustíni Epíscopi.

Serm. 9. de Verbis Dom.

On immérito ille vas eleƈtiónis cum ingénti lætítia dixit : Non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Ecce unde illud jugum suáve est, et sárcina levis, et si angústa est paucis eligéntibus, fácilis tamen ómnibus diligéntibus. Dixit Psalmísta : Propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras. Sed quæ dura sunt laborántibus, éadem ipsa mitéscunt amántibus.

℟. Habitáre fecit eam Deus stérilem in domo : * Matrem filiórum lætántem.

℣. Cibávit eam pane vitæ, et intelléƈtus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illam. Matrem.

Lectio viij.

PRopter quod ita divínæ pietátis dispensatióne aƈtum est, ut intérior homo, qui renovátur de die in diem, non adhuc sub lege pósitus, sed jam sub grátia exonerátus sárcinis innumerabílium observatiónum, quod erat revéra grave jugum, sed duræ cervíci conveniénter impósitum, facilitáte símplicis fídei, et bonæ spei, et sanƈtæ caritátis, quidquid molestiárum exterióri hómini forínsecus intulísset ille princeps, qui missus est foras, interióri gáudio fíeret leve. Nihil enim tam fácile bonæ voluntáti est, quam ipsa sibi : et hæc súfficit Deo.

℟. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri, quia fecísti viríliter, et confortátum est cor tuum : ídeo et manus Dómini confortábit te : * Et eris benedíƈta in ætérnum.

℣. Surrexérunt fílii tui, et beatíssimam prædicavérunt. Et eris.

Lectio ix.

QUantúmlibet ergo sæviat iste mundus, veríssime Angeli, nato in carne Dómino clamavérunt : Glória in excélsis Deo, et in terra pax homínibus bonæ voluntátis; quia, qui natus erat, suáve jugum est, et sárcina levis. Et sicut dicit Apóstolus : Fidélis Deus, qui nos non sinit tentári supra id, quod póssumus ferre, sed facit cum tentatióne

étiam éxitum, ut possímus sustinére.

℟. Super salútem et spéciem diléxi sapiéntiam, et propósui pro luce habére illam : * Quóniam inexstinguíbile est lumen illíus.

℣. Lætáta sum in ómnibus, quóniam antecedébat me ista sapiéntia. Quóniam.

Glória Patri. Quóniam.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerdotalis ℣. Veni sponsa Christi.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

HÆc est virgo sápiens, et una de número prudéntum.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

Aña. Sitívit in te Dómine ánima sponsæ tuæ, et lætáta est in his, qūæ dicta sunt illi.

Aña. Trahe me post te, in odórem currémus unguentórum tuórum : óleum effúsum nomen tuum.

Aña. Lætáre Terésia in eo, qui te fecit : quóniam benedíxit tibi Dóminus, et ádipe fruménti sátiat te.

Capitulum. Sap. 7.

OPtávi, et datus est mihi sensus; et invocávi, et venit in me spíritus sapiéntiæ, et præpósui illam regnis et sédibus, et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus.

Hymnus

in quo Temp. Pasch. nihil additur, neque mutatur.

FElix dies, qua cándidæ
Instar colúmbæ, cœlitum
Ad sacra templa spíritus
Se tránstulit Terésiæ;

Sponsíque voces áudiit :
Veni soror de vértice
Carméli, ad Agni núptias;
Veni ad corónam glóriæ.

Te sponse Jesu Vírginum
Beáti adórent órdines,
Et nuptiáli cántico
Laudent per omne sæculum. Amen.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus non commovébitur.

Ad Benedictus, Aña. Dedit ei Dóminus sapiéntiam et prudéntiam multam nimis, et latitúdinem cordis, quasi arénam, quæ est in líttore maris.

Oratio.

EXáudi nos Deus salutáris noster, ut sicut de beátæ Terésiæ Vírginis tuæ commemoratióne

gaudémus : ita cœléstis ejus doctrínæ pábulo nutriámur, et piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum nostrum.

AD TERTIAM.

Capit. Optávi, ut supra.

℟. Tibi dixit cor meum, * Exquisívit te fácies mea. Tibi dixit.

℣. Fáciem tuam Dómine requíram. Exquisívit.

Glória Patri. Tibi dixit.

℣. Anima mea.

AD SEXTAM.

Capitulum. Sap. 7.

SUper salútem et spéciem diléxi illam, et propósui pro luce habére illam, quóniam inexstinguíbile est lumen illíus.

℟. Anima mea exsultábit * In Dómino. Anima mea.

℣. Et delectábitur super salutári suo. In Dómino.

Glória Patri. Anima.

℣. Apud me.

AD NONAM.

Capitulum. Sap. 7.

VEnérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa, et innumerábilis honéstas per manus illíus, et lætáta sum in ómnibus : quóniam antecedébat me ista sapiéntia.

℟. Apud me orátio * Deo vitæ meæ. Apud me.

℣. Dicam Deo : suscéptor meus es. Deo.

Glória Patri. Apud me.

℣. Passer invénit sibi domum. ℟. Et turtur nidum sibi ubi ponat pullos suos.

AD VESPERAS.

Aña j. Laud. Psalmi de Comm. unius Virg. [131.] Capit. Hymn. et ℣. de j. Vesperis..

Ad Magnificat, Aña. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, et laudem ejus enuntiábit Ecclésia.

Tempore Paschali tres Psalmi cujuslibet Nocturni dicuntur sub una sola Aña; et in fine Antiphonar. Responsor. et ℣. additur allelúia, cetera omnia ut supra.



Officium sanctae Mariae Magdalenae de Pazzis, Virginis
ORDINIS NOSTRI

semel in mense sub Ritu semid. juxta Rubr. 17.

Capitulum. Cant. 3.



IN léctulo meo per noctes quæsívi quem díligit ánima mea : quæsívi illum, et non invéni. Surgam, et circuíbo civitátem : per vicos et platéas quæram quem díligit ánima mea.

Hymnus.

PAnge Carméli specióse vertex
Vírginis sanctæ memoránda gesta,
Inclytum cujus decus univérsus
Cóncinit orbis.

Cándido velans scápulas amíctu,
Síngulos Christi pátitur dolóres :
Pérvigil cunctos súperat furéntis
Dæmonis astus.

Inter urtícas, rigidásque spinas
Innocens puro rútilat cruóre :
Cándida sacris mánibus Maríæ
Veste beátur.

Cordis humáni pénetrat secréta,
Orbis evéntus mémorat futúros,
Imperat morbis, fébribus medétur,
Ulcera sanat.

Próprium nunquam plácitum secúta,
In nono vitæ moritúra lustro,
Spíritum jussu cóhibens patérno,
Vincit agónem.

In lacu quinos Erebi per annos
Sústinet larvas, móritur; nec unquam
Gnara quid fœdet sacra virginális
Lília cordis.

Horret in tumba júvenem protérvum :
Cláruit vivens, moriénsque signis :
Integrum miros hódie profúndit
Corpus odóres.

Laus Deo summo, Genitóque Patris,
Flámini sancto sit honor perénnis :
Et Deum trinum venerémur uno
Semper honóre. Am.

℣. Ora pro nobis sancta María Magdaléna. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat, Aña. Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem ejus, nec flúmina óbruent illam; quia fortis est ut mors diléctio.

Oratio.

DEus virginitátis amátor, qui beátam Maríam Magdalénam vírginem, tuo amóre succénsam, cœléstibus donis decorásti; da, ut quam devóta commemoratióne venerámur, puritáte, et caritáte imitémur. Per Dóminum nostrum.

AD MATUTINUM.

Invitat. Jesum sponsum Vírginum, quem Magdaléna diléxit multum, * Veníte adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus. 2.

Hymnus

in quo Temp. Pasch. nihil additur neque mutatur.

HÆc est Etrúsca Mágdala,
Magístra veri spíritus :
Partem prehéndit óptimam,
Non auferéndam sæculis.

Cum Rege sacras cœlitum
Vovens decénnis núptias,
Exspéctat indelébili
Sponsum coléndum lámpade.

Manúque dotem própria
Crucem, flagélla, vúlnera,
Cor, ánnulum, spinas, dapes
Dat Sponsus Eucharísticas.

Scriptóris augústi manu
In corde descríptum suo,
Verbum caro factum est, legit,
Verbúmque grande intélligit.

Mirábili sub schémate
Ignis, colúmnæ, flúminis,
Linguæ, colúmbæ, flúminis,
Sanctum recépit Spíritum.

Amóris æstro pércita,
Compúlsat æra túrrium,
Ut totus orbis cónvolet,
Deúmque amórem díligat.

Te Sponse Jesu Vírginum
Beáti adórent Ordines,
Et nuptiáli cántico
Laudent per omne sæculum. Amen.

IN PRIMO NOCTURNO.

Aña. Ex ore puéllæ perfecísti laudem Dómine, quia novit quam admirábile est nomen tuum.

Ps. Dómine Dóminus noster, cum reliquis de Comm. unius Virg. [118.]

Ant. Dóminus præstitit sapiéntiam párvulæ desiderábilem super aurum et lápidem pretiósum multum.

Ant. Accépit benedictiónem a Dómino, quia fuit ínnocens, et mundo corde.

℣. Diffúsa est grátia.

Lectiones de Scriptura occurr. si desint, legantur sequentes.

De Cánticis Canticórum.

Lectio j. Cant. 3.

IN léctulo meo per noctes quæsívi quem díligit ánima mea : quæsívi illum, et non invéni. Surgam, et circuíbo civitátem : per vicos et platéas quæram quem díligit ánima mea : quæsívi illum, et non invéni. Invenérunt me vígiles, qui custódiunt civitátem : Num quem díligit ánima mea vidístis? Páululum cum pertransíssem eos, invéni quem díligit ánima mea : ténui eum, nec dimíttam, donec introdúcam illum in domum matris meæ, et in cubículum genitrícis meæ.

℟. Flos campi diléctus meus Jesus, cujus adspéctu lætántur Angeli :* Cujus pulchritúdine pascúntur beáti, cujus odóre revivíscunt mórtui.

℣. Sicut malus inter ligna silvárum, sic diléctus meus inter fílias. Cujus.

Lectio ij. Cant. 8.

QUis mihi det te fratrem meum sugéntem úbera matris meæ, ut invéniam te foris, et deósculer te, et jam me nemo despíciat? Apprehéndam te, et ducam in domum matris meæ : ibi me docébis, et dabo tibi póculum ex vino condíto, et mustum malórum granatórum meórum. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos, fíliæ Jerúsalem, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, donec ipsa velit.

℟. Sponsa Jesu ardet caritáte, fervet desidério, * Amóris æstu rapta quo se vertat nescit.

℣. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis, quia amóre lángueo. Amóris.

Lectio iij.

QUæ est ista, quæ ascéndit de desérto delíciis áffluens inníxa super diléctum suum? Sub árbore malo suscitávi te : ibi corrúpta est mater tua, ibi violáta est génitrix tua. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super brá-

chium tuum : quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio : lámpades ejus lámpades ignis, atque flammárum. Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam. Si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam.

℟. O felícem Magdalénæ ánimam caritátis ádeo succénsam ardóribus, * Ut præ amóre languens defíceret.

℣. Déficit cor meum, et caro mea, Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætérnum. Ut.

Glória Patri. Ut.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Aña. Magdaléna oblíta est pópulum suum, et domum patris sui, et concupívit Rex decórem illíus.

Ps. Eructávit. [122]

Aña. Deus, adjútor in tribulatiónibus, fuit cum Magdaléna : ídeo non tímuit, cum transferrétur in lacum leónum.

Aña. Magdalénæ fundaménta in Monte Carmélo, et diléxit eam Dóminus super ómnia tabernácula Jacob.

℣. Spécie tua.

Sermo sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. I. de Virg. Lectio iv.



EGo licet laudatiónem non suscéperim Virginitátis, sed expressiónem, ad rem tamen pertinére árbitror, ut quæ sit ei pátria, et quis auctor appáreat. Ac prius ubi sit pátria definiámus. Si enim ibi est pátria, ubi genitále domicílium : in cœlo profécto est pátria castitátis : ítaque hic ádvena, ibi íncola est. Quid autem est cástitas virginális, nisi expers contagiónis intégritas? atque ejus auctórem, quem póssumus existimáre, nisi immaculátum Dei Fílium, cujus caro non vidit corruptiónem, divínitas non est expérta contagiónem?

℟. Cum adhuc júnior essem quæsívi sapiéntiam in oratióne mea : * Animam meam diréxi ad illam, et excépi eam.

℣. Spíritus tuus bonus dedúxit me in terram rectam, et docuísti me fácere voluntátem tuam. Animam meam.

Lectio v.

VIdéte ígitur quanta virginitátis mérita sint. Christus ante Vírgi-

nem, Christus ex Vírgine : a Patre quidem natus ante sæcula, sed ex Vírgine natus ob sæcula. Illud naturæ suæ, hoc nostræ utilitátis est. Illud erat semper, hoc esse vóluit. Spectáte áliud virginitátis méritum, Christus virgo vírginis Sponsus, et si dici potest, Christus virgíneæ castitátis : virgínitas enim Christi, non virginitátis est Christus. Virgo est ergo quæ nupsit, Virgo, quæ nos suo útero portávit, Virgo, quæ génuit, Virgo, quæ próprio lacte nutrívit. Sed jam a matre descendámus ad fílias.

℟. Certámen forte dedit illi ut vínceret, et sciret quóniam ómnium poténtior est sapiéntia, descendítque cum illa in fóveam, * Et non derelíquit eam.

℣. Secúndum multitúdinem dolórum meórum consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam. Et non.

Lectio vj.

De virgínibus, inquit Apóstolus, præcéptum Dómini non hábeo. Si Doctor géntium non hábuit, habére quis pótuit? Et præcéptum quidem non hábuit, sed hábuit exémplum. Non enim imperári potest virgínitas; sed optári. Nam quæ super nos sunt, in voto magis, quam in magistério sunt. Sed volo vos, inquit, sine sollicitúdine esse : nam qui sine uxóre est, sollícitus est quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo : et virgo cógitat, quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore et spíritu. Non ego quidem dissuádeo matrimónium, sed virginitátis attéxo benefícium.

℟. Absit mihi gloriári nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi, * Per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo.

℣. Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus. Per quem mihi.

Glória Patri. Per quem.

IN TERTIO NOCTURNO.

Aña. Introívit in átria sancta Religiónis, et Dómino hóstiam própriæ voluntátis óbtulit.

Ps. Cantáte. [125]

Aña. De manu dæmonum liberávit Magdalénam Dóminus, et vidérunt omnes pópuli glóriam sanctificatiónis ejus.

Aña. Mons Carméli exsúltet in conspéctu Dómi-

ni, qui mirabília fecit in Magdaléna.

℣. Adjuvábit eam Deus.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo témpore : Respóndens Jesus dixit : Confíteor tibi Pater, Dómine cœli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 9. de Verb. Dom.



OMnia sæva, et immánia prorsus facília et prope nulla éfficit amor. Quanto ergo cértius ac facílius ad veram beatitúdinem cáritas facit, quod ad misériam, quantum pótuit, cupíditas fecit! quam fácile tolerátur quælibet advérsitas temporális, ut ætérna pœna vitétur, ætérna réquies comparétur. Non immérito ille vas electiónis cum ingénti lætítia dixit : Non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad superventúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Ecce unde illud jugum suáve est, et sárcina levis, et si angústa est paucis eligéntibus, fácilis tamen ómnibus diligéntibus. Dixit Psalmísta : Propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras.

℟. Diléxi decórem domus tuæ, et locum habitatiónis glóriæ tuæ, * Elégi abjécta esse in domo tua, magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

℣. Quam dilécta tabernácula tua Dómine virtútum, concupíscit, et déficit ánima mea in átria sanctæ Religiónis. Elégi.

Lectio viij.

SEd quæ dura sunt laborántibus, éadem ipsa mitéscunt amántibus. Propter quod ita divínæ pietátis dispensatióne actum est, ut intérior homo, qui renovátur de die in diem, non adhuc sub lege pósitus, sed jam sub grátia exonerátus sárcinis innumerabílium observatiónum, quod erat revéra grave jugum, sed duræ cervíci conveniénter impósitum, facilitáte símplicis fídei, et bonæ spei et sanctæ caritátis, quidquid molestiárum exterióri hómini forínsecus intulísset ille princeps, qui missus est foras, interióri gáudio fíeret leve.

℟. Fascículus myrrhæ diléctus meus mihi, inter úbera mea commorábitur : * Pósui eum ut signáculum, super cor meum, et super bráchium meum.

℣. Adjúro vos fíliæ Jerúsalem, si invenéritis diléctum meum, ut nuntiétis ei, quia amóre lángueo. Pósui.

Lectio ix.

Nihil enim tam fácile bonæ voluntáti est quam ipsa sibi, et hæc súfficit Deo. Quantúmlibet ergo sæviat iste mundus, veríssime Angeli, nato in carne Dómino, clamavérunt : Glória in excélsis Deo, et in terra pax homínibus bonæ voluntátis. Quia, qui natus erat, suáve jugum est, et sárcina levis. Et sicut dicit Apóstolus : Fidélis Deus, qui nos non sinit tentári supra id, quod póssumus ferre, sed facit cum tentatióne étiam éxitum, ut possímus sustinére.

℟. Egredímini fíliæ Sion, et vidéte Sponsam in diadémate, quo coronávit eam Sponsus suus : * In die desponsatiónis illíus, et lætítiæ cordis ejus.

℣. Collocávit super caput sponsæ suæ corónam spíneam, quæ pósita fuit super caput suum. In die.

Glória Patri. In die.

Te Deum laudámus. 20.

Sacerdotalis ℣. Ora pro nobis sancta María Magdaléna.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

Mirábilis in Magdaléna Dóminus, quam e vulnéribus suis decórem índuit, et advérsus dæmonum insídias fortitúdine præcínxit.

Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 21.

Aña. Relíctis sæculi pompis, introívit in conspéctu Dei Magdaléna, quam ánnulo suo subarrhávit Dóminus.

Aña. In terra desérta tentatiónum appáruit Magdaléna, ut vidéret virtútem et glóriam tuam.

Aña. Patrem, et Fílium cum sancto Spíritu puérula benedicébat, dum sanctæ Trinitátis fidem párvulos docébat.

Aña. In tympano et choro, in chordis, et órgano omnis spíritus laudet Dóminum, cujus in Magdaléna nomen exaltátum est.

Capitulum. Cant. 3.

IN léctulo meo per noctes quæsívi quem díligit ánima mea : quæsívi illum, et non invéni. Surgam, et circuíbo civitátem : per vicos et platéas quæram quem díligit ánima mea.

Hymnus.

Corporis nexus óbitu rescíndens,
Plena virtútum, méritis onústa,
Scandit ætérnas, comitánte Sponso,
Mágdala sedes.

Abdito ventris látitans recéssu,
Non gravat matris grémium, nec unquam
Críminis pressit própriam molésto
Póndere mentem.

Obtegit nudos, docet imperítos,
Cárceres visit, juvat univérsos :
Plúrimas fusis ánimas ab orco
Flétibus arcet.

Déserens mundum, crucifíxa Christo,
Corpus afflíxit précibus, caténis
Férreis, flagris, fame, felle, spinis,
Frígore, flamma.

Cum suis Horas cécinit Patrónis,
Extases, raptus pátitur frequénter,
Osculo Sponsi recreáta, Jesum
Portat in ulnis.

Nunc opem nobis miseráta confer,
Qui tuos læti cánimus triúmphos;
Erudi mentem, refluátque amóris
Flamma perénnis.

Laus Deo summo, Genitóque Patris,
Flámini sancto sit honor perénnis :
Et Deum Trinum venerémur uno
Semper honóre.
Amen.

℣. Elégit eam Deus.

Ad Benedictus Ant.

Magdaléna Virgo óptimam partem elégit, quæ non auferétur ab ea : puríssima in vita, adhuc post mortem ab omni corruptióne manet immúnis.

Oratio.

DEus Virginitátis amátor, qui beátam Maríam Magdalénam Vírginem, tuo amóre succénsam, cœléstibus donis decorásti : da, ut quam devóta commemoratióne venerámur, puritáte et caritáte imitémur. Per Dóminum nostrum.

AD TERTIAM.

Capit. In léctulo meo.

℟. Diffúsa est, ut in Communi unius Virg. [130]

AD SEXTAM.

Capitulum. Cant. 3.

INvenérunt me vígiles, qui custódiunt civitátem : num quem díligit ánima mea vidístis? Páululum cum pertransíssem eos, invéni quem díligit ánima mea : ténui eum nec dimíttam.

℟. Spécie tua.

AD NONAM.

Capitulum. Cant. 3.

ADjúro vos, fíliæ Jerúsalem, si invenéritis diléctum meum, ut nuntiétis ei, quia amóre lángueo.

℟. Adjuvábit eam.

℣. Elégit eam Deus.

AD II. VESPERAS.

Aña j. Laud. Psalmi de Comm. unius Virg. [131] Capit. Hymn. et ℣. ut in j. Vesperis.

Ad Magnificat. Aña. Veni Sponsa de Líbano, veni, coronáberis de cápite Amana, de vértice Sanir, et Hermon, de cubílibus leónum, et móntibus pardórum.

Tempore Paschali tres Psalmi cujuslibet Nocturni dicuntur sub una sola Antiphona, et in fine Añarum etc. additur allelúia. Cetera omnia ut supra.



✠ Officium Parvum beatae Virginis Mariae.



Dicitur per totum annum in Choro; excepto, quod intermittitur a dicto Completorio ante Vigiliam Nativitatis Domini usque ad Octavam Epiphaniæ inclusive. Item intermittitur a dicta Nona Sabbati Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusive. Item a dicta Nona in Vigilia Ascensionis usque ad Octavam Corporis Christi. Item non dicitur in Dominicis per totum annum : nec in Festis Duplicibus et Semiduplicibus, nec per quascumque Octavas de quocumque fiat Officium. Intermittitur etiam ad Matutinum, et ad Horas usque ad Vesperas exclusive in Feria quarta Quatuor Temporum Adventus.

Cum autem dicitur in Choro, in Matutinis, Vesperis et Horis, præponitur Officio diei, in Completorio autem postponitur.

Si vero aliquis in Choro adesse non poterit, recitet illud pro temporis opportunitate. Quod etiam observetur ab eis, qui ex devotione illud recitaverint, quando non tenentur ex præcepto.

Officium Parvum beatae Mariae Virginis,
a Purificatione usque ad Adventum.

AD MATUTINUM.

Ave María, grátia plena, Dóminus tecum. ℟. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.

Sic dicitur in principio omnium horarum, etiam Laudum, quando separatim a Matutino dicuntur.

Deinde dicitur ℣.

Dómine lábia mea apéries. ℟. Et os meum annuntiábit laudem tuam.

℣. Deus in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine ad adjuvándum me festína.

Glória Patri.

Et in fine, Allelúia, vel, Laus tibi Dómine, Rex ætérnæ glóriæ, pro temporis diversitate.

Invitatorium. Ave María, grátia plena : * Dóminus tecum.

Ps. Veníte, exsultémus. 2.

Hymnus. Quem terra, ut in Off. B. M. V. [187]

Diebus Dominicis, Feriis secundis et quintis dicitur

Aña. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.

Psalmi. Dómine Dóminus noster. Cœli enárrant. Dómini est terra, ut in primo Nocturno de Communi unius Virg. [118]

℣. Sancta Dei Génitrix Virgo semper María. ℟. Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum.

Pater noster.

Feriis tertiis et sextis dicitur

Aña. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.

Psalmi. Eructávit cor meum. Deus noster. Fundaménta ejus, ut in ij. Noct. de Comm. unius Virg [122]

℣. Post partum Virgo invioláta permansísti. ℟. Dei Génitrix intercéde pro nobis.

Pater noster.

Feriis quartis et Sabbatis dicitur

Aña. Gaude María Virgo, cunctas hæreses sola interemísti in univérso mundo.

Psalmi. Cantáte Dómino. Dóminus regnávit. Cantáte Dómino, ut in tertio Nocturno de Communi unius Virg. [125]

℣. Speciósa facta es et suávis. ℟. In delíciis tuis sancta Dei Génitrix.

Pater noster.

℣. Et ne nos. ℟. Sed líbera nos.

℣. Jube domne benedícere.

Benedictio. Alma Virgo vírginum intercédat pro nobis ad Dóminum.

℟. Amen.

Lectio j. Cant. 3. ℣. 6.

Uæ est ista, quæ ascéndit per desértum sicut vírgula fumi ex aromátibus myrrhæ, et thuris, et univérsi púlveris pigmentárii? Tota pulchra es amíca mea, et mácula non est in te. Hortus conclúsus soror mea sponsa, hortus conclúsus, fons signátus. Tu autem.

℟. Sancta, et immaculáta virgínitas, quibus te láudibus éfferam, néscio : * Quia quem cœli cápere

non póterant, tuo grémio contulísti.

℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. Quia.

℣. Jube domne benedícere.

Bened. Nos cum prole pia benedícat Virgo María. ℟. Amen

Lectio ij. Eccl. 24. ℣. 22.

Ego quasi terebínthus extendi ramos meos, et rami mei honóris et grátiæ. Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris : et flores mei fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis. Tu autem.

℟. Beáta es Virgo María, quæ Dóminum portásti, Creatórem mundi : * Genuísti qui te fecit, et in ætérnum pérmanes Virgo.

℣. Ave María, grátia plena : Dóminus tecum. Genuísti.

℣. Jube domne benedícere.

Bened. Sancta Dei Génitrix sit nobis auxiliátrix. ℟. Amen.

Lectio iij.

Transíte ad me omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini : Spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum : Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui audit me, non confundétur : et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt. Tu autem.

℟. Felix namque es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima : * Quia ex te ortus est Sol justítiæ Christus Deus noster.

℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam commemoratiónem. Quia ex te.

Glória Patri. Quia ex te.

Quando in Officio diei a Nativitate usque ad Septuagesimam, et a Paschate usque ad Adventum dicitur **Te Deum,** dicitur etiam in Officio parvo : et quando in Officio diei non dicitur, nec in parvo Officio dicitur. In Adventu vero, et a Septuagesima usque ad Pascha non dicitur **Te**

Deum, in Officio parvo, etiamsi in Officio diei dicatur.

Ab iis autem, qui ex devotione illud recitant, in eo dicitur **Te Deum**, in diebus, in quibus recitatur Officium de Festis Immaculatæ Conceptionis, Exspectationis Partus, Desponsat, Purificat. Annuntiat. et Septem Dolorum B. M. V.

Dum vero **Te Deum**, non dicitur, ℟. **Felix**, propter hoc non resumitur.

Sacerdotalis ℣. **Ora pro nobis sancta Dei Génitrix.** ℟. **Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.**

AD LAUDES.

Deus in adjutórium.

Aña. **Assúmpta est María.**

Ps. **Dóminus regnávit,** cum reliquis. **21.**

Aña. **Assúmpta est María in cœlum, gaudent Angeli, laudántes benedícunt Dóminum.**

Capitulum. Cant. 6.

VIdérunt eam fíliæ Sion, et beatíssimam prædicavérunt, et regínæ laudavérunt eam.

Hymnus. **O glorióśa Dómina,** ut in Off. B. M. V. **[192]**

℣. **Elégit eam.**

Ad Benedictus, Aña. **O glorióśa Dei Génitrix Virgo semper María, quæ Dóminum ómnium meruísti portáre, et Regem Angelórum sola Virgo lactáre : nostri quæsumus, pia memoráre, et pro nobis semper Christum deprecáre : ut tuis fulti patrocíniis, ad cœléstia regna mereámur perveníre.**

Oratio.

DEus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero, Verbum tuum Angelo nuntiánte carnem suscípere voluísti : præsta supplícibus tuis; ut qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem Dóminum.

Aña. **Virgo María non est tibi símilis orta in mundo inter mulíeres : florens ut rosa, fragrans sicut lílium : ora pro nobis sancta Dei Génitrix.**

℣. **Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta.** ℟. **Da mihi virtútem contra hostes tuos.**

Oratio.

BEátæ et gloriósæ sempérque Vírginis Maríæ, quæsumus Dómine, intercéssio gloriósa nos prótegat, et ad vitam perdúcat ætérnam. Per Christum Dóminum.

AD PRIMAM.

Ave María. Deus in adjutórium.

Hymnus. D. Greg.

MEménto salútis Auctor,
Quod nostri quondam córporis,
Ex illibáta Vírgine
Nascéndo, formam súmpseris.
María mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et hora mortis súscipe.
Glória tibi Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

Aña. Assúmpta est María.

Ps. Deus in nómine tuo salvum me fac. 131.

Ps. Laudáte Dóminum omnes Gentes. 164.

Ps. Confitémini Dómino quóniam bonus. 131.

Aña. Assúmpta est María in cœlum, gaudent Angeli, laudántes benedícunt Dóminum.

Capitulum. Cant. 6.

QUæ est ista, quæ progréditur quasi auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta?

℟. Sancta María mater Christi, * Audi rogántes sérvulos. Sancta.

℣. Et impetrátam nobis cœlitus tu defer indulgéntiam. Audi.

Glória Patri. Sancta.

℣. Sancta Dei Génitrix.

Oratio.

COncéde, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium : ut qui sanctæ Dei Genitrícis memóriam ágimus : intercessiónis ejus auxílio, a nostris iniquitátibus resurgámus. Per eúmdem Dóminum.

Aña. Virgo María, et cetera ut supra ad Laudes.

AD TERTIAM.

Ave María. Deus in adjutórium.

Hymnus. Meménto salútis Auctor, ut supra ad Primam.

Aña. María Virgo.

Ps. Ad Dóminum cum tribulárer. 164.

Ps. Levávi óculos. 165.

Ps. Lætátus sum. 166.

Aña. María Virgo assúmpta est ad æthéreum thálamum, in quo Rex regum stelláto sedet sólio.

Capitulum. Eccli. 24.

ET sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta símiliter re-

quiévi, et in Jerúsalem potéstas mea.

℟. Sancta Dei Génitrix : * Virgo semper María. Sancta.

℣. Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum. Virgo.

Glória Patri. Sancta.

℣. Post partum Virgo.

Oratio.

Deus, qui salútis ætérnæ, beátæ Maríæ virginitáte fecúnda, humáno géneri præmia præstitísti, tríbue quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ suscípere Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit.

Cetera ut supra ad Laudes.

AD SEXTAM.

Ave María. Deus in adjutórium.

Hymnus. Meménto salútis Auctor, ut supra.

Aña. In odórem.

Ps. Ad te levávi. 166.

Ps. Nisi quia Dñus. 166.

Ps. Qui confídunt in Dómino. 167.

Aña. In odórem unguentórum tuórum cúrrimus : adolescéntulæ dilexérunt te nimis.

Capitulum. Eccli. 24.

Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℟. Post partum Virgo * Invioláta permansísti. Post partum.

℣. Dei Génitrix intercéde pro nobis. Invioláta.

Glória Patri. Post.

℣. Speciósa facta es.

Oratio.

Deus, qui virginálem aulam beátæ Maríæ Vírginis, in qua habitáres, elígere dignátus es : da quæsumus ; ut sua nos defensióne munítos, jucúndos suæ fácias interésse commemoratióni. Qui vivis et regnas.

Cetera ut supra ad Laudes.

AD NONAM.

Ave María. Deus in adjutórium.

Hymnus. Meménto salútis Auctor, ut supra.

Aña. Pulchra es.

Ps. In converténdo. 167.

Ps. Nisi Dóminus. 168.

Ps. Beáti omnes qui timent. 168.

Aña. Pulchra es et decóra, fília Jerúsalem : terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

Capitulum. Eccli. 24.

IN platéis, sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha eléćta dedi suavitátem odóris.

℟. Speciósa fáćta es, * Et suávis. Speciósa.

℣. In delíciis tuis, sanćta Dei Génitrix. Et suávis.

Glória Patri. Speciósa.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

Oratio.

FAmulórum tuórum, quæsumus Dómine, delíćtis ignósce : ut qui tibi placére de áćtibus nostris non valémus, Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur. Per eúmdem Dóminum.

Cetera ut supra ad Laudes.

AD VESPERAS.

Ave María. Deus in adjutórium.

Aña. Beáta Mater, et intáćta Virgo, gloriósa Regína mundi, intercéde pro nobis ad Dóminum.

Psalmi. Dixit Dóminus. Laudáte púeri. Lætátus sum. Nisi Dóminus. Lauda Jerúsalem, ut ad Vesperas de Comm. unius Virginis. [131]

Capitulum. Eccl. 24.

AB inítio, et ante sæcula creáta sum, et usque ad futúrum sæculum non désinam, et in habitatióne sanćta coram ipso ministrávi.

Hymn. Ave maris stella.

℣. Ora pro nobis, ut supra in Officio Sabb. B. M. V. [186]

Ad Magnificat, Aña. Sanćta María succúrre míseris : juva pusillánimes : réfove flébiles : ora pro pópulo : intérveni pro clero : intercéde pro devóto femíneo sexu.

Oratio.

COncéde nos fámulos tuos, quæsumus Dómine Deus, perpétua mentis, et córporis sanitáte gaudére : et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. Per Dóminum.

Aña. Virgo María non est tibi, et cetera ut supra ad Laudes.

AD COMPLETORIUM.

Ave María. ℣.

COnvérte nos Deus salutáris noster. ℟. Et avérte iram tuam a nobis.

℣. Deus in adjutórium.
Aña. Cum jucunditáte.
Ps. Usquequo Dómine obliviscéris me. 10.
Ps. Júdica me Deus, et discérne causam. 58.
Ps. Sæpe expugnavérunt me a juventúte mea. 169.
Ps. Dómine non est exaltátum cor meum. 170.
Aña. Cum jucunditáte memóriam beátæ Maríæ celebrémus : ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum.

Capitulum. Eccl. 24.

EGo mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei.

Hymnus.

Virgo singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos,
Mites fac et castos.
Vitam præsta puram,
Iter para tutum :
Ut vidéntes Jesum
Semper collætémur.
Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui sancto;
Tribus honor unus.
Amen.

℣. Ecce ancílla Dómini.
℟. Fiat mihi secúndum verbum tuum.
Ad Nunc dimittis, Aña. Sub tuum præsídium confúgimus, sancta Dei Génitrix, nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus nostris; sed a perículis cunctis líbera nos semper, Virgo gloriósa et benedícta.

Oratio.

GRátiam tuam, quæsumus Dómine, méntibus nostris infúnde; ut qui Angelo nuntiánte, Christi Fílii tui incarnatiónem cognóvimus, per passiónem ejus, et crucem ad resurrectiónis glóriam perducámur. Per eúmdem Dóminum.

Aña. Virgo, etc. ut supra ad Laudes; nisi Completorium cum Officio diei dicatur.

TEMPORE PASCHALI.

A Vesperis Sabbati sancti usque ad Nonam Sabbati Trinit. inclusive dic. ut supra notatum est pro tempore post Oct. Purificat. exceptis hic signatis.

Ad Magnificat, et ad Benedictus, Aña.

REgína cœli lætáre, allelúia.
Quia, quem meruísti portáre, allelúia.
Resurréxit sicut dixit, allelúia.
Ora pro nobis Deum, allelúia.

Omnes aliæ Aññæ, Invitatorium, Responsoria post Lect. ante ℣. et Responsiones Versiculorum terminantur cum **Allelúia.** Responsoria vero Horarum dicuntur cum duplici **Allelúia.** Item **Benedicámus,** in Laud. et Vesp. dicitur cum duplici **Allelúia.** In aliis autem Horis dicitur cum uno tantum **Allelúia.**

In fine omnium Hymnorum, (exceptis Hymn. de Vesp. et Completorio) dicitur ℣. **Quæsumus auctor.** et ℣. **Glória tibi Dómine, qui natus es.**

Sed illi, qui ex devotione Officium parvum quotidie recitant, ab Ascensione usque ad Pentecosten dicant.

℣. **Tu esto nostrum,** et ℣. **Glória tibi Dómine qui natus es.**

Et a Pentecoste usque ad Trinit. ℣. **Dudum sacráta,** et ℣. **Glória tibi Dómine, qui natus es.**

IN ADVENTU.

A Vesp. Sabbati ante Dom. j. Adventus usque ad Nonam Vigiliæ Nativ. Dom. inclusive, et in die Annuntiat. dic. ut supra notatum est pro tempore post Oct. Purificat. exceptis his, quæ sequuntur.

AD VESPERAS.

Aña. **Prophétæ prædicavérunt nasci Salvatórem de Vírgine María.**

Capitulum. Isa. 7.

ECce Virgo concípiet, et páriet fílium, et vocábitur nomen ejus Emmánuel. Butyrum et mel cómedet, ut sciat reprobáre malum, et elígere bonum.

Hymn. **Ave maris stella.**
℣. **Ora pro nobis.** [186]

Ad Magnificat, Aña. **Ave María, grátia plena; Dóminus tecum, benedícta tu in muliéribus, allelúia.**

Oratio.

DEus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero, Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti : præsta supplícibus tuis; ut qui vere eam Genitrícem Dei crédimus ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem Dóminum.

Aña. **Virgo María non est tibi,** et cetera ut supra ad Laudes.

AD MATUTINUM.

Bened. **Alma Virgo vírginum.**

Lectio j. Luc. 1. ℣. 26.

MIssus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth,

ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et et nomen Vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam dixit : Ave grátia plena : Dóminus tecum : Benedícta tu in muliéribus.

℟. Missus est Angelus Gábriel ad Maríam Vírginem desponsátam Joseph, núntians ei verbum : et expavéscit Virgo de lúmine. Ne tímeas María, invenísti enim grátiam apud Deum : * Ecce concípies, et páries, et Fílius Altíssimi vocábitur.

℣. Dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus : et regnábit in domo Jacob in ætérnum. Ecce.

Ben. Nos cum prole pia.

Lectio ij.

QUæ cum audísset, turbáta est in sermóne ejus, et cogitábat qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei : Ne tímeas María, invenísti enim grátiam apud Deum : ecce concípies in útero, et páries Fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus : et regnábit in domo Jacob in ætérnum, et regni ejus non erit finis.

℟. Ave María, grátia plena : Dóminus tecum : * Spíritus sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Ideóque et quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei.

℣. Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Angelus dixit ei. Spíritus.

Bened. Sancta Dei Génitrix.

Lectio iij.

DIxit autem María ad Angelum : Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Angelus dixit ei : Spíritus sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Ideóque et quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. Et ecce Elísabeth cognáta tua et ipsa concépit fílium in senectúte sua; et hic mensis sextus est illi, quæ vocátur stérilis : quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum. Dixit autem María : Ecce ancílla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum.

℟. Súscipe verbum Virgo María, quod tibi a Dó-

mino per Angelum transmíssum est : concípies, et páries Deum páriter et hóminem : * Ut benedícta dicáris inter omnes mulíeres.

℣. Páries quidem Fílium, et virginitátis non patiéris detriméntum : efficiéris grávida, et eris mater semper intácta. Ut benedícta.

Glória Patri. Ut.

Te Deum non dicitur nisi in Festis B. M. V.

AD LAUDES.

Aña. Prophétæ prædicavérunt nasci Salvatórem de Vírgine María.

Capitulum. Isa. 11.

Grediétur virga de radíce Jesse, et flos de radíce ejus ascéndet. Et requiéscet super eum Spíritus Dómini.

Ad Benedictus, Aña. Spíritus sanctus in te descéndet, María, ne tímeas : habébis in útero Fílium Dei, allelúia.

Oratio. Deus, qui de beátæ, ut supra in Vesperis, quæ dicitur ad omnes Horas, Completorio excepto.

AD PRIMAM.

Aña. Prophétæ prædicavérunt nasci Salvatórem de Vírgine María.

Capitulum. Isa. 45.

Roráte cœli désuper, et nubes pluant justum : aperiátur terra, et gérminet Salvatórem : et justítia oriátur simul : ego Dóminus creávi eum.

AD TERTIAM.

Aña. Angelus Dómini nuntiávit Maríæ, et concépit de Spíritu sancto.

Capit. Ecce virgo concípiet, ut in Vesperis.

AD SEXTAM.

Aña. Oriétur sicut sol Salvátor mundi : et descéndet in úterum Vírginis, sicut imber super gramen.

Capit. Egrediétur, ut in Laudibus.

AD NONAM.

Aña. María autem conservábat ómnia verba hæc, cónferens in corde suo.

Capitulum. Luc. 1.

Dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus : et regnábit in domo Jacob in ætérnum, et regni ejus non erit finis.

A NATIVITATE

Usque ad Octavam Purificat. inclusive, ut supra notatum est pro tempore post Purificationem, exceptis hic signatis.

AD VESPERAS.

Antiphona.

O Admirábile commércium! Creátor géneris humáni, animátum corpus sumens, de Vírgine nasci dignátus est : et procédens homo sine sémine, largítus est nobis suam Deitátem.

Ad Magníficat, Aña. Nésciens mater Virgo virum, péperit sine dolóre Salvatórem sæculórum : ipsum Regem Angelórum sola Virgo lactábat úbere de cœlo pleno.

Oratio.

Deus, qui salútis ætérnæ, beátæ Maríæ virginitáte fecúnda, humáno géneri præmia præstitísti : tríbue quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ suscípere Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit.

Quæ dicitur ad omnes Horas, excepto Complet.

AD LAUDES.

Aña. O admirábile, ut supra.

Ad Benedictus, Aña. Virgo verbo concépit, Virgo permánsit, Virgo péperit Regem ómnium regum.

AD PRIMAM.

Aña. O admirábile, ut supra.

AD TERTIAM.

Aña. Quando natus es ineffabíliter ex Vírgine, tunc implétæ sunt Scriptúræ : sicut plúvia in vellus descendísti, ut salvum fáceres genus humánum : te laudámus, Deus noster.


AD SEXTAM.

Aña. Rubum, quem víderat Móyses incombústum, conservátam agnóvimus tuam laudábilem virginitátem : Dei Génitrix, intercéde pro nobis.

AD NONAM.

Aña. Ecce María génuit nobis Salvatórem, quem Joánnes videns, exclamávit, dicens : Ecce Agnus Dei : ecce qui tollit peccáta mundi, allelúia.





Officium Defunctorum.

Dicitur prima die cujusque mensis, in qua si occurrat Dominica, Sabbatum, vel Festum Duplex etiam translatum, dicitur die similiter non impedita proximiori : dicuntur Vesperæ et unus Nocturnus secundum ordinem Feriarum cum Laudibus. Non dicitur a Dominica Palmar. usque ad Oct. Corporis Christi : nec in mensibus, in quibus Ternaria leguntur : nec in quibus recitatur hoc Offic. ratione Officii de aliqua Feria secunda Adventus vel Quadrag. quia in Adventu, et Quadragesima dicuntur Vesperæ, primus Nocturnus et Laudes in qualibet Feria secunda, quando de Tempore agitur, præterquam in majori Hebdomada.

In Choro dicitur absolute post Officium diei, id est, Vesp. post Vesperas, et Matutinum post Laudes diei; omisso Fidélium ánimæ, Pater noster, et Ave María. sed si post alias Horas dicatur, dici etiam debent Pater noster, et Ave María, ac ante Matutinum Credo. Juxta Cerem. l. 2. Rub. 61. § 3.

AD VESPERAS.

Dicto Pater noster, et Ave María, absolute incipitur

Aña. Placébo Dómino.

Psalmus cxiv.


Diléxi, quóniam exáudiet Dóminus * vocem oratiónis meæ.

Quia inclinávit aurem suam mihi : * et in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis : * et perícula inférni invenérunt me.

Tribulatiónem, et dolórem invéni : * et nomen Dómini invocávi.

O Dómine líbera ánimam meam : * miséricors Dóminus, et justus, et Deus noster miserétur.

Custódiens párvulos Dóminus : * humiliátus sum, et liberávit me.

Convértere ánima mea in réquiem tuam : * quia Dóminus benefécit tibi.

Quia erípuit ánimam meam de morte : * óculos meos a lácrymis, pedes meos a lapsu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

Réquiem ætérnam * dona eis Dómine.

Et lux perpétua * lúceat eis.

Aña. Placébo Dómino in regióne vivórum.

Aña. Heu mihi.

Psalmus cxix.

AD Dóminum, cum tribulárer, clamávi : * et exaudívit me.

Dómine líbera ánimam meam a lábiis iníquis, * et a lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam?

Sagíttæ poténtis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est : habitávi cum habitántibus Cedar : * multum íncola fuit ánima mea.

Cum his, qui odérunt pacem, eram pacíficus : * cum loquébar illis : impugnábant me gratis.

Réquiem ætérnam.

Aña. Heu mihi Dómine, quia incolátus meus prolongátus est.

Aña. Dóminus.

Psalmus cxx.

LEvávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum a Dómino, * qui fecit cœlum et terram.

Non det in commotiónem pedem tuum : * neque dormítet, qui custódit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet, * qui custódit Israel.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua, * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te; * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo : * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat introitum tuum, et éxitum tuum : * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Réquiem ætérnam.

Aña. Dóminus custódit te ab omni malo : custódiat ánimam tuam Dóminus.

Aña. Si iniquitátes.

Psalmus cxxix.

De profúndis clamávi ad te Dómine : * Dómine exáudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes, * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris Dómine : * Dómine quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est : * et propter legem tuam sustínui te Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus : * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem : * speret Israel in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia : * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israel, * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Réquiem ætérnam.

Aña. Si iniquitátes observáveris, Dómine : Dómine, quis sustinébit?

Aña. Opera.

Psalmus cxxxvij.

Confitébor tibi Dómine in toto corde meo : * quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi : * adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Super misericórdia tua, et veritáte tua : * quóniam magnificásti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exáudi me : * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi Dómine omnes reges terræ : * quia audiérunt ómnia verba oris tui :

Et cantent in viis Dómini : * quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excélsus Dóminus, et humília réspicit : * et alta a longe cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me : * et super iram ini-

micórum meórum extendísti manum tuam, et salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me : * Dómine misericórdia tua in sæculum, ópera mánuum tuárum ne despícias.

Réquiem ætérnam.

Aña. Opera mánuum tuárum, Dómine, ne despícias.

Aña. Audívi vocem.

Cantic. Magníficat. 163.

Réquiem ætérnam.

Aña. Audívi vocem de cœlo, dicéntem mihi : Beáti mórtui, qui in Dómino moriúntur.

Preces infrascriptæ dicuntur flexis genibus usque ad finem Orationum, quando dicuntur pro Feriis secundis Adventus, et Quadragesimæ, et pro prima die mensis; de quocumque fiat Officium.

Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos. ℟. Sed líbera nos.

Sequens vero Psalmus non dicitur in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, ac omnium Fratrum, et Sororum Defunctorum Ordinis nostri die 15. Novembris; necnon in die depositionis alicujus Defuncti. Ex Decr. S. R. C. 9. Maji. 1739. Idem servetur in Laud.

Psalmus cxlv.

LAuda ánima mea Dóminum, laudábo Dóminum in vita mea : * psallam Deo meo quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus : * in fíliis hóminum, in quibus non est salus.

Exíbit spíritus ejus, et revertétur in terram suam : * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus, cujus Deus Jacob adjútor ejus, spes ejus in Dómino Deo ipsíus : * qui fecit cœlum et terram, mare, et ómnia quæ in eis sunt.

Qui custódit veritátem in sæculum, facit judícium injúriam patiéntibus : * dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedítos : * Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit elísos, * Dóminus díligit justos.

Dóminus custódit ádvenas, pupíllum, et víduam suscípiet : * et vias peccatórum dispérdet.

Regnábit Dóminus in sæcula, Deus tuus Sion, * in generatiónem, et generatiónem.

Réquiem ætérnam.

℣. A porta ínferi. ℟. Erue Dómine ánimas eórum.

℣. Credo vidére bona Dómini. ℟. In terra vivéntium.

℣. Dómine exáudi oratiónem.

℣. Dóminus vobíscum.

Orémus. Oratio.

DEus, qui nos patrem et matrem honoráre præcepísti : miserére cleménter animábus paréntum nostrórum; eorúmque ómnia peccáta dimítte, nosque illos in ætérnæ claritátis gáudio fac vidére.

Oratio.

ABsólve, quæsumus Dómine, ánimas famulórum, famularúmque tuárum ab omni vínculo delictórum, ut in resurrectiónis glória inter Sanctos, et eléctos tuos resuscitáti respírent. Per Dóminum.

℣. Réquiem ætérnam dona eis Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat eis.

℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen.

Pater noster, et Ave María.

AD MATUTINUM.

Quando non dicitur cum Officio diei, dictis **Pater noster, Ave María,**et **Credo,** absolute incipitur Invitatorium. **Regem, cui ómnia vivunt, * Veníte adorémus.**

Ps. **Veníte, exsultémus. 2.** cum **Réquiem ætérnam** in fine, quæ tamen dicuntur tantum quando recitatur integrum Officium Defunctorum.

IN PRIMO NOCTURNO

et pro Feriis secundis et quintis.

Aña. **Dírige.**

Psalmus v.

VErba mea áuribus pércipe Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus, et Deus meus.

Quóniam ad te orábo : * Dómine mane exáudies vocem meam.

Mane adstábo tibi, et vidébo :* quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus : * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem : * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum, et dolósum abominábitur Dóminus : * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Introíbo in domum tuam : * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine deduc me in justítia tua : * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas : * cor eórum vanum est.

Sepúlcrum patens est guttur eórum, linguis suis dolóse agébant, * júdica illos Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos : * quóniam irritavérunt te Dómine.

Et læténtur omnes, qui sperant in te, in ætérnum exsultábunt : * et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum : * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronásti nos.

Réquiem ætérnam.

Aña. Dírige Dómine Deus meus in conspéctu tuo viam meam.

Aña. Convértere Dómine.

Psalmus vj.

Dómine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miserére mei Dómine, quóniam infírmus sum : * sana me Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde : * sed tu Dómine úsquequo?

Convértere Dómine, et éripe ánimam meam : * salvum me fac propter misericórdiam tuam,

Quóniam non est in morte qui memor sit tui : * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum : * lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est a furóre óculus meus : * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite a me omnes, qui operámini iniquitátem : * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletus mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam, * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubéscant, et contur-

béntur veheménter omnes inimíci mei : * convertántur, et erubéscant valde velóciter.

Réquiem ætérnam.

Aña. Convértere Dómine, et éripe ánimam meam : quóniam non est in morte, qui memor sit tui.

Aña. Nequándo.

Psalmus vij.

Domine Deus meus in te sperávi : * salvum me fac ex ómnibus persequéntibus me, et líbera me.

Nequándo rápiat ut leo ánimam meam, * dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

Dómine Deus meus si feci istud, * si est iníquitas in mánibus meis :

Si réddidi retribuéntibus mihi mala, * décidam mérito ab inimícis meis inánis.

Persequátur inimícus ánimam meam, et comprehéndat, et concúlcet in terra vitam meam, * et glóriam meam in púlverem dedúcat.

Exsúrge Dómine in ira tua : * et exaltáre in fínibus inimicórum meórum.

Et exsúrge Dómine Deus meus in præcépto quod mandásti : * et synagóga populórum circúmdabit te.

Et propter hanc in altum regrédere : * Dóminus júdicat pópulos.

Júdica me Dómine secúndum justítiam meam,* et secúndum innocéntiam meam super me.

Consumétur nequítia peccatórum, et díriges justum, * scrutans corda et renes Deus.

Justum adjutórium meum a Dómino, * qui salvos facit rectos corde.

Deus judex justus, fortis, et pátiens : * numquid iráscitur per síngulos dies?

Nisi convérsi fuéritis, gládium suum vibrábit : * arcum suum teténdit, et parávit illum.

Et in eo parávit vasa mortis, * sagíttas suas ardéntibus effécit.

Ecce partúriit injustítiam : * concépit dolórem, et péperit iniquitátem.

Lacum apéruit, et effódit eum : * et íncidit in fóveam, quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caput ejus : * et in vérticem ipsíus iníquitas ejus descéndet.

Confitébor Dómino secúndum justítiam ejus : *

et psallam nómini Dómini altíssimi.

Réquiem ætérnam.

Aña. Nequándo rápiat ut leo ánimam meam, dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

℣. A porta ínferi. ℟. Erue Dómine ánimas eórum.

Pater noster.

℣. Et ne nos. ℟. Sed líbera nos.

Lectiones leguntur sine benedictionibus, et sine titulo.

Lectio j. Job. 7. ℣. 16.

PArce mihi, Dómine, nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magníficas eum? Aut quid appónis erga eum cor tuum? Vísitas eum dilúculo, et súbito probas illum. Usquequo non parcis mihi, nec dimíttis me, ut glútiam salívam meam? Peccávi, quid fáciam tibi, o custos hóminum? Quare posuísti me contrárium tibi, et factus sum mihimetípsi gravis? Cur non tollis peccátum meum, et quare non aufers iniquitátem meam? Ecce, nunc in púlvere dórmiam : et si mane me quæsíeris, non subsístam.

Sic terminantur Lectiones sine Tu autem.

℟. Credo quod Redémptor meus vivit, et in novíssimo die de terra surrectúrus sum : * Et in carne mea vidébo Deum Salvatórem meum.

℣. Quem visúrus sum ego ipse, et non álius, et óculi mei conspectúri sunt. Et.

Lectio ij. Job. 10.

TÆdet ánimam meam vitæ meæ, dimíttam advérsum me elóquium meum, loquar in amaritúdine ánimæ meæ. Dicam Deo : Noli me condemnáre : índica mihi cur me ita júdices. Numquid bonum tibi vidétur, si calumniéris me, et ópprimas me opus mánuum tuárum, et consílium impiórum ádjuves? Numquid óculi cárnei tibi sunt : aut sicut videt homo, et tu vidébis? Numquid sicut dies hóminis dies tui, et anni tui sicut humána sunt témpora, ut quæras iniquitátem meam, et peccátum meum scrutéris? Et scias quia nihil ímpium fécerim, cum sit nemo, qui de manu tua possit erúere.

℟. Qui Lázarum resuscitásti a monuménto fœtidum : * Tu eis Dómine dona réquiem, et locum indulgéntiæ.

℣. Qui ventúrus es judicáre vivos, et mórtuos, et sæculum per ignem. Tu eis.

Lectio iij. Job. 10.

Manus tuæ, Dómine, fecérunt me, et plasmavérunt me totum in circúitu : et sic repénte præcípitas me? Meménto quæso, quod sicut lutum féceris me, et in púlverem redúces me. Nonne sicut lac mulsísti me, et sicut cáseum me coagulásti? Pelle, et cárnibus vestísti me : óssibus, et nervis compegísti me : Vitam, et misericórdiam tribuísti mihi, et visitátio tua custodívit spíritum meum.

℟. Dómine, quando véneris judicáre terram, ubi me abscóndam a vultu iræ tuæ : * Quia peccávi nimis in vita mea.

℣. Commíssa mea pavésco, et ante te erubésco : dum véneris judicáre, noli me condemnáre. Quia.

Réquiem ætérnam. Quia.

IN SECUNDO NOCTURNO et pro Feriis tertiis, et sextis.

Aña. In loco páscuæ.

Psalmus xxij.



Dominus regit me, et nihil mihi déerit : * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me : * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justítiæ, * propter nomen suum.

Nam, et si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala : * quóniam tu mecum es.

Virga tua, et báculus tuus : * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam, * advérsus eos, qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum : * et calix meus inébrians quam præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me : * ómnibus diébus vitæ meæ.

Et ut inhábitem in domo Dómini : * in longitúdinem diérum.

Réquiem ætérnam.

Aña. In loco páscuæ ibi me collocávit.

Aña. Delícta.

Psalmus xxiv.

Ad te Dómine levávi ánimam meam : * Deus meus in te confído, non erubéscam :

Neque irrídeant me inimíci mei : * étenim univérsi, qui sústinent te, non confundéntur.

Confundántur omnes iní-

qua agéntes * supervácue.

Vias tuas Dómine demónstra mihi : * et sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, et doce me : * quia tu es Deus salvátor meus, et te sustínui tota die.

Reminíscere miseratiónum tuárum Dómine, * et misericordiárum tuárum, quæ a sæculo sunt.

Delícta juventútis meæ, * et ignorántias meas ne memíneris.

Secúndum misericórdiam tuam meménto mei tu : * propter bonitátem tuam Dómine.

Dulcis et rectus Dóminus : * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget mansuétos in judício : * docébit mites vias suas.

Univérsæ viæ Dómini, misericórdia, et véritas, * requiréntibus testaméntum ejus, et testimónia ejus.

Propter nomen tuum Dómine propitiáberis peccáto meo : * multum est enim.

Quis est homo qui timet Dóminum? * legem státuit ei in via, quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur : * et semen ejus hereditábit terram.

Firmaméntum est Dóminus timéntibus eum : * et testaméntum ipsíus ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad Dóminum : * quóniam ipse evéllet de láqueo pedes meos.

Réspice in me, et miserére mei : * quia únicus et pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ sunt : * de necessitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam, et labórem meum : * et dimítte univérsa delícta mea.

Réspice inimícos meos, quóniam multiplicáti sunt, * et ódio iníquo odérunt me.

Custódi ánimam meam, et érue me : * non erubéscam, quóniam sperávi in te.

Innocéntes, et recti adhæsérunt mihi : * quia sustínui te.

Líbera Deus Israel, * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

Réquiem ætérnam.

Aña. Delícta juventútis meæ, et ignorántias meas ne memíneris Dómine.

Aña. Credo vidére.

Psalmus xxvj.

Dominus illuminátio mea, et salus mea, * quem timébo?
Dóminus protéctor vitæ meæ, * a quo trepidábo?
Dum appropiant super me nocéntes, * ut edant carnes meas :
Qui tríbulant me inimíci mei, * ipsi infirmáti sunt, et cecidérunt.
Si consístant advérsum me castra, * non timébit cor meum.
Si exsúrgat advérsum me prælium, * in hoc ego sperábo.
Unam pétii a Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ:
Ut vídeam voluptátem Dómini, * et vísitem templum ejus.
Quóniam abscóndit me in tabernáculo suo : * in die malórum protéxit me in abscóndito tabernáculi sui.
In petra exaltávit me : * et nunc exaltávit caput meum super inimícos meos.
Circuívi, et immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis : * cantábo, et psalmum dicam Dómino.
Exáudi Dómine vocem meam, qua clamávi ad te : * miserére mei, et exáudi me.
Tibi dixit cor meum, exquisívit te fácies mea : * fáciem tuam Dómine requíram.
Ne avértas fáciem tuam a me : * ne declínes in ira a servo tuo.
Adjútor meus esto : * ne derelínquas me, neque despícias me Deus salutáris meus.
Quóniam pater meus, et mater mea dereliquérunt me : * Dóminus autem assúmpsit me.
Legem pone mihi Dómine in via tua : * et dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.
Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me : * quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, et mentíta est iníquitas sibi.
Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.
Exspécta Dóminum, viríliter age : * et confortétur cor tuum, et sústine Dóminum.
Réquiem ætérnam.
Ant. Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium.
℣. In memória ætérna erunt justi. ℟. Ab auditióne mala non timébunt.
Pater noster.

Lectio iv. Job. 13. ℣. 23.

QUantas hábeo iniquitátes, et peccáta, scélera mea et delícta osténde mihi. Cur fáciem tuam abscóndis, et arbitráris me inimícum tuum? Contra fólium, quod vento rápitur, osténdis poténtiam tuam, et stípulam siccam perséqueris : scribis enim contra me amaritúdines, et consúmere me vis peccátis adolescéntiæ meæ. Posuísti in nervo pedem meum, et observásti omnes sémitas meas, et vestígia pedum meorum considerásti : qui quasi putrédo consuméndus sum, et quasi vestiméntum, quod coméditur a tínea.

℟. Heu mihi Dómine, quia peccávi nimis in vita mea : quid fáciam miser? ubi fúgiam nisi ad te Deus meus? miserére mei, * Dum véneris in novíssimo die.

℣. Anima mea turbáta est valde, sed tu Dómine succúrre ei. Dum.

Lectio v. Job. 14.

HOmo natus de muliere, brevi vivens témpore, replétur multis misériis. Qui quasi flos egréditur et contéritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eódem statu pérmanet. Et dignum ducis super hujuscémodi aperíre óculos tuos, et addúcere eum tecum in judícium? Quis potest fácere mundum de immúndo concéptum sémine? Nonne tu qui solus es? Breves dies hóminis sunt, númerus ménsium ejus apud te est; constituísti términos ejus, qui præteríri non póterunt. Recéde páululum ab eo, ut quiéscat, donec optáta véniat, sicut mercenárii dies ejus.

℟. Ne recordéris peccáta mea Dómine, * Dum véneris judicáre sæculum per ignem.

℣. Dírige Dómine Deus meus in conspéctu tuo viam meam. Dum.

Lectio vj. ℣. 13.

QUis mihi hoc tríbuat, ut in inférno prótegas me, et abscóndas me, donec pertránseat furor tuus, et constítuas mihi tempus, in quo recordéris mei? Putásne mórtuus homo rursum vivat? Cunctis diébus, quibus nunc mílito, exspécto donec véniat immutátio mea. Vocábis me, et ego respondébo tibi : óperi mánuum tuárum pórriges déxteram. Tu quidem gressus meos

dinumerásti, sed parce peccátis meis.

℟. Dómine secúndum actum meum noli me judicáre, nihil dignum in conspéctu tuo egi : * Ideo déprecor majestátem tuam, ut tu Deus déleas iniquitátem meam.

℣. Amplius lava me Dómine ab iniquitáte mea : et a peccáto meo munda me, quia tibi soli peccávi. Ideo.

Réquiem ætérnam. Ideo.

IN TERTIO NOCTURNO

et pro Feriis quartis, et Sabbatis.

Aña. Compláceat.

Psalmus xxxix.



Xspéctans exspectávi Dóminum, * et inténdit mihi.

Et exaudívit preces meas : * et edúxit me de lacu misériæ, et de luto fæcis.

Et státuit super petram pedes meos : * et diréxit gressus meos.

Et immísit in os meum cánticum novum, * carmen Deo nostro.

Vidébunt multi et timébunt : * et sperábunt in Dómino.

Beátus vir, cujus est nomen Dómini spes ejus : * et non respéxit in vanitátes et insánias falsas.

Multa fecísti tu Dómine Deus meus mirabília tua:* et cogitatiónibus tuis non est qui símilis sit tibi.

Annuntiávi et locútus sum : * multiplicáti sunt super númerum.

Sacrifícium et oblatiónem noluísti : * aures autem perfecísti mihi.

Holocáustum et pro peccáto non postulásti : * tunc dixi : Ecce vénio.

In cápite libri scriptum est de me ut fácerem voluntátem tuam : * Deus meus vólui, et legem tuam in médio cordis mei.

Annuntiávi justítiam tuam in Ecclésia magna, ecce lábia mea non prohibébo : * Dómine tu scisti.

Justítiam tuam non abscóndi in corde meo : * veritátem tuam, et salutáre tuum dixi.

Non abscóndi misericórdiam tuam : * et veritátem tuam a concílio multo.

Tu autem Dómine ne longe fácias miseratiónes tuas a me : * misericórdia tua et véritas tua semper suscepérunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non est númerus : * comprehendérunt me iniqui-

tátes meæ, et non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ sunt super capíllos cápitis mei : * et cor meum derelíquit me.

Compláceat tibi Dómine ut éruas me : * Dómine, ad adjuvándum me réspice.

Confundántur et revereántur simul, qui quærunt ánimam meam, * ut áuferant eam.

Convertántur retrórsum, et revereántur * qui volunt mihi mala.

Ferant conféstim confusiónem suam, * qui dicunt mihi : Euge, euge.

Exsúltent et læténtur super te omnes quæréntes te : * et dicant semper : Magnificétur Dóminus : qui díligunt salutáre tuum.

Ego autem mendícus sum, et pauper : * Dóminus sollícitus est mei.

Adjútor meus, et protéctor meus tu es : * Deus meus ne tardáveris.

Réquiem ætérnam.

Aña. Compláceat tibi Dómine, ut éruas me : Dómine ad adjuvándum me réspice.

Aña. Sana Dómine.

Psalmus xl.

BEátus qui intélligit super egénum, et páuperem : * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, et beátum fáciat eum in terra : * et non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus : * univérsum stratum ejus versásti in infirmitáte ejus.

Ego dixi : Dómine miserére mei : * sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi : * Quando moriétur, et períbit nomen ejus?

Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur, * cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur foras, * et loquebátur in idípsum.

Advérsum me susurrábant omnes inimíci mei : * advérsum me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt advérsum me : * Numquid qui dormit non adjíciet ut resúrgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo sperávi : * qui edébat panes meos, magnificávit super me supplantatiónem.

Tu autem Dómine miserére mei, et resúscita me : * et retríbuam eis.

In hoc cognóvi, quóniam

voluísti me : * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepísti : * et confirmásti me in conspéctu tuo in ætérnum.

Benedíctus Dóminus Deus Israel a sæculo, et usque in sæculum : * fiat, fiat.

Réquiem ætérnam.

Aña. Sana Dómine ánimam meam, quia peccávi tibi.

Aña. Sitívit ánima mea.

Psalmus xlj.

Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum : * ita desíderat ánima mea ad te Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum : * quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte : * dum dícitur mihi quotídie : Ubi est Deus tuus?

Hæc recordátus sum, et effúdi in me ánimam meam : * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei :

In voce exsultatiónis, et confessiónis : * sonus epulántis.

Quare tristis es ánima mea? * et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Ad meípsum ánima mea conturbáta est : * proptérea memor ero tui de terra Jordánis, et Hermóniim a monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua, et fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam :* et nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ, * dicam Deo : Suscéptor meus es,

Quare oblítus es mei :* et quare contristátus incédo, dum afflígit me inimícus?

Dum confringúntur ossa mea : * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei.

Dum dicunt mihi per síngulos dies : Ubi est Deus tuus? * quare tristis es ánima mea, et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Réquiem ætérnam.

Aña. Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum : quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei.

℣. Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi. ℟. Et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem.

Pater noster.

Lectio vii. Job. 17.

SPíritus meus attenuábitur, dies mei breviabúntur, et solum mihi súperest sepúlcrum. Non peccávi, et in amaritudínibus morátur óculus meus. Líbera me Dómine, et pone me juxta te, et cujúsvis manus pugnet contra me. Dies mei transiérunt, cogitatiónes meæ dissipátæ sunt, torquéntes cor meum : noctem vertérunt in diem, et rursum post ténebras spero lucem. Si sustinúero, inférnus domus mea est, et in ténebris stravi léctulum meum. Putrédini dixi : Pater meus es, mater mea, et soror mea, vérmibus. Ubi est ergo nunc præstolátio mea, et patiéntia mea? Tu es Dómine Deus meus.

℟. Peccántem me quotídie, et non me pœniténtem, timor mortis contúrbat me : * Quia in inférno nulla est redémptio, miserére mei Deus, et salva me.

℣. Deus in nómine tuo salvum me fac : et in virtúte tua júdica me. Quia.

Lectio viii. Job. 19. ℣. 20.

PElli meæ, consúmptis cárnibus, adhæsit os meum, et derelícta sunt tantúmmodo lábia circa dentes meos. Miserémini mei, miserémini mei, saltem vos amíci mei, quia manus Dómini tétigit me. Quare persequímini me sicut Deus, et cárnibus meis saturámini? Quis mihi tríbuat, ut scribántur sermónes mei? Quis mihi det, ut exaréntur in libro stylo férreo, et plumbi lámina, vel celte sculpántur in sílice? Scio enim quod Redémptor meus vivit, et in novíssimo die de terra surrectúrus sum : et rursum circúmdabor pelle mea, et in carne mea vidébo Deum meum. Quem visúrus sum ego ipse, et óculi mei conspectúri sunt, et non álius : repósita est hæc spes mea in sinu meo.

℟. Réquiem ætérnam dona eis Dómine, * Et lux perpétua lúceat eis.

℣. Qui Lázarum resuscitásti a monuménto fœ-

tidum, tu eis Dómine dona réquiem, et locum indulgéntiæ. Et lux.

Lectio ix. Cap. 10. V. 18.

Quare de vulva eduxísti me? Qui útinam consúmptus essem, ne óculus me vidéret. Fuíssem quasi non essem, de útero translátus ad túmulum. Numquid non páucitas diérum meórum finiétur brevi? Dimítte ergo me, ut plangam páululum dolórem meum : ántequam vadam, et non revértar, ad terram tenebrósam, et opértam mortis calígine : terram misériæ, et tenebrárum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempitérnus horror inhábitat.

℟. Líbera me Dómine de morte ætérna in die illa treménda, * Quando cœli movéndi sunt, et terra, dum véneris judicáre sæculum per ignem.

℣. Dies illa, dies iræ, calamitátis, et misériæ : dies magna et amára valde. Quando.

Réquiem. Quando.

AD LAUDES.

Aña. Exsultábunt Dómino.

Ps. Miserére mei. 42. cum Réquiem ætérnam.

Aña. Exsultábunt Dómino ossa humiliáta.

Aña. Exáudi Dómine.

Psalmus lxiv.



TE decet hymnus Deus in Sion : * et tibi reddétur votum in Jerúsalem.

Exáudi oratiónem meam : * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt super nos : * et impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus, quem elegísti, et assumpsísti : * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domus tuæ : * sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exáudi nos Deus salutáris noster : * spes ómnium fínium terræ, et in mari longe.

Præparans montes in virtúte tua, accínctus poténtia : * qui contúrbas profúndum maris sonum flúctuum ejus.

Turbabúntur Gentes, et timébunt qui hábitant términos a signis tuis : * éxitus matutíni, et véspere delectábis.

Visitásti terram, et inebriásti eam : * multiplicásti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum

est aquis, parásti cibum illórum : * quóniam ita est præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus : * in stillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ : * et campi tui replebúntur ubertáte.

Pinguéscent speciósa desérti : * et exsultatióne colles accingéntur.

Indúti sunt aríetes óvium, et valles abundábunt fruménto : * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Réquiem ætérnam.

Aña. Exáudi Dómine oratiónem meam, ad te omnis caro véniet.

Aña. Me suscépit.

Ps. Deus Deus meus. 22. cum Réquiem ætérnam.

Ana. Me suscépit déxtera tua Dómine.

Aña. A porta ínferi.

Canticum Ezechiae. Isaiæ 38.

Ego dixi : In dimídio diérum meórum * vadam ad portas ínferi.

Quæsívi resíduum annórum meórum. * Dixi : Non vidébo Dóminum Deum in terra vivéntium.

Non adspíciam hóminem ultra, * et habitatórem quiétis.

Generátio mea abláta est : * et convolúta est a me, quasi tabernáculum pastórum.

Præcísa est velut a texénte, vita mea : dum adhuc ordírer, succídit me : * de mane usque ad vésperam fínies me.

Sperábam usque ad mane, * quasi leo sic contrívit ómnia ossa mea :

De mane usque ad vésperam fínies me : * sicut pullus hirúndinis sic clamábo, meditábor ut colúmba :

Attenuáti sunt óculi mei, * suspiciéntes in excélsum.

Dómine vim pátior, respónde pro me. * Quid dicam, aut quid respondébit mihi, cum ipse fécerit?

Recogitábo tibi omnes annos meos * in amaritúdine ánimæ meæ.

Dómine si sic vívitur, et in tálibus vita spíritus mei, corrípies me, et vivificábis me : * ecce in pace amaritúdo mea amaríssima :

Tu autem eruísti ánimam meam, ut non períret, * projecísti post tergum tuum ómnia peccáta mea.

Quia non inférnus confitébitur tibi, neque mors

laudábit te : * non exspectábunt qui descéndunt in lacum, veritátem tuam.

Vivens vivens ipse confitébitur tibi, sicut et ego hódie : * pater fíliis notam fáciet veritátem tuam.

Dómine salvum me fac, * et psalmos nostros cantábimus cunctis diébus vitæ nostræ in domo Dómini.

Réquiem ætérnam.

Aña. A porta ínferi érue Dómine ánimas eórum.

Aña. Omnis spíritus.

Psalm. Laudáte Dóminum de cœlis. 24. cum Réquiem ætérnam.

Aña. Omnis spíritus laudet Dóminum.

Ad Benedictus, Aña. Ego sum resurréctio, et vita : qui credit in me, etiámsi mórtuus fúerit, vivet, et omnis qui vivit et credit in me, non moriétur in ætérnum.

Cant. Benedíctus. 26. cum Réquiem ætérnam.

Preces infrascriptæ dicuntur flexis genibus, usque ad finem Orationum, quando dicuntur pro Feriis secundis Adventus, et Quadragesimæ ac pro 1. die mensis.

Pater noster. ℣. Et ne nos.

Psalmus cxlj.

Voce mea ad Dóminum clamávi : * voce mea ad Dóminum deprecátus sum :

Effúndo in conspéctu ejus oratiónem meam, * et tribulatiónem meam ante ipsum pronúntio.

In deficiéndo ex me spíritum meum, * et tu cognovísti sémitas meas.

In via hac, qua ambulábam, * abscondérunt láqueum mihi.

Considerábam ad dénteram, et vidébam : * et non erat qui cognósceret me.

Périit fuga a me, * et non est qui requírat ánimam meam.

Clamávi ad te Dómine, * dixi : Tu es spes mea, pórtio mea in terra vivéntium.

Inténde ad deprecatiónem meam : * quia humiliátus sum nimis.

Líbera me a persequéntibus me : * quia confortáti sunt super me.

Educ de custódia ánimam meam ad confiténdum nómini tuo : * me exspéctant justi, donec retríbuas mihi.

Ps. De profúndis. 169. sub uno Réquiem ætérnam.

℣. A porta ínferi.
℣. Credo vidére bona Dómini.
℣. Dómine exáudi.
℣. Dóminus vobíscum.

Oratio.

DEus, qui nos patrem et matrem honoráre præcepísti, miserére cleménter animábus paréntum nostrórum, eorúmque ómnia peccáta dimítte, nosque illos in ætérnæ claritátis gáudio fac vidére.

Oratio.

DEus, véniæ largítor, et humánæ salútis amátor; quæsumus cleméntiam tuam, ut nostræ congregatiónis fratres, familiáres et benefactóres nostros, qui ex hoc sæculo transiérunt, beáta María semper Vírgine intercedénte, cum ómnibus sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium perveníre concédas.

Oratio.

FIdélium Deus ómnium Cónditor et Redémptor, animábus famulórum, famularúmque tuárum, remissiónem cunctórum tríbue peccatórum: ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur. Qui vivis et regnas.

℣. Réquiem ætérnam dona eis Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat eis.
℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen.
Pater noster. Ave María.

IN DIE
DEPOSITIONIS

Alicujus defuncti dicitur prædictum Officium cum hoc Invitatorio Regem, cui ómnia vivunt, * Veníte adorémus. Ps. Veníte, exsultémus. 2. in fine Réquiem ætérnam, et dicuntur omnes tres Nocturni. Añæ vero ad Magnificat et ad Benedictus integræ ante et post. Cantica dicuntur, ut in Dupl. min. absque Precibus, cum una ex sequentibus Orationibus, quæ sola dicitur.

Totum Officium dicatur in plurali numero, exceptis tantum versiculis immediate ante et post Orationem; et ad Psalmodiam uterque chorus sedebit.

Pro defuncto Summo Pontifice. Oratio.

DEus, qui inter summos Sacerdótes fámulum tuum N. ineffábili tua dispositióne connumerári voluísti: præsta quæsumus; ut qui Unigéniti Fílii tui vices in terris gerébat, sanctórum tuórum

Pontíficum consórtio perpétuo aggregétur. Per eúmdem Dóminum.

Pro defuncto Episcopo.

Oratio.

DEus, qui inter Apostólicos Sacerdótes fámulum tuum N. Pontificáli fecísti dignitáte vigére; præsta quæsumus; ut quorum vicem ad horam gerébat in terris, eórum perpétuo consórtio lætétur in cœlis. Per Dóminum.

Pro defuncto Sacerdote dicatur supradicta Oratio, sed ubi habetur **Pontificáli,** pronuntietur **Sacerdotáli.**

Pro Episcopo Cardinali dicatur **fámulum tuum** N. **Epíscopum Cardinálem Pontificáli fecísti dignitáte,** etc.

Pro Presbytero Cardinali dicatur **fámulum tuum** N. **Presbyterum Cardinálem Sacerdotáli fecísti dignitáte,** etc.

Pro Diacono autem Cardinali dicitur Oratio. **Inclína Dómine,** quæ sequitur hoc modo, **ut ánimam fámuli tui** N. **Diáconi Cardinális, quam de hoc sæculo,** etc.

Pro defuncto Generali.

Oratio.

DA nobis, Dómine, ut ánimam fámuli tui Patris nostri N. Generális, quam de hujus sæculi eduxísti laborióso certámine, sanctórum tuórum cœtui tríbuas esse consórtem. Per Dóminum.

Si fuerit Procurator Generalis vel Provincialis, dicitur suprascripta Oratio sed loco **Generális,** dicitur **Procuratóris Generális,** vel **Provinciális.**

Pro defuncto.

Oratio.

INclína Dómine aurem tuam ad preces nostras, quibus misericórdiam tuam súpplices deprecámur; ut ánimam fámuli tui N. quam de hoc sæculo migráre jussísti, in pacis, ac lucis regióne constítuas: et Sanctórum tuórum júbeas esse consórtem. Per Dóminum.

Pro fratre nostro defuncto dicitur supradicta Oratio: sed ubi dicitur **ánimam fámuli tui** N. dicatur **ánimam fámuli tui Fratris nostri** N.

Pro defuncta.

Oratio.

QUæsumus, Dómine, pro tua pietáte miserére ánimæ fámulæ tuæ N. et a contágiis mortalitátis exútam, in ætérnæ salvatiónis partem restítue. Per Dóminum.

Pro Moniali nostra defuncta dicitur supradicta Oratio, sed ubi dicitur **ánimæ fámulæ tuæ** N. dicatur **ánimæ fámulæ tuæ Soróris nostræ** N.

IN ANNIVERSARIO

Alicujus defuncti, prædictum Officium dicitur cum Invitator. et tribus Nocturnis, cum hac Oratione.

DEus indulgentiárum Dómine, da ánimæ fámuli tui N. **cujus anniversárium depositiónis diem commemorámus, refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem, et lúminis claritátem. Per Dóminum.**

Quando anniversarium dicitur pro defuncta, dicatur eadem Oratio, sed loco, **fámuli tui**, dicatur **fámulæ tuæ**, etc. Et si pro pluribus dicatur, **famulórum tuórum, quorum** vel **famulórum famularúmque tuárum, quorum, quarúmque.**

DE TERNARIIS.

NOtandum est, quod ter in anno facimus Ternarium pro Fratribus, et Sororibus defunctis Ord. N. Parentibus, Patronis, Amicis, Familiaribus, Benefactoribus, et litteras Confraternitatis habentibus, et sepultis in Ecclesiis nostri Ordinis.

Primum Ternarium dicimus post Octavam Epiphaniæ, et ante Feriam IV. Cinerum.

Secundum post Octav. Paschæ, et ante Festum Ascensionis.

Tertium post Festum S. Michaelis, et ante Festum omnium Sanctorum. Et dicitur sub ritu Semid. tribus diebus continuis, dummodo non occurrat in illis Festum Dupl. vel Dominica, hoc Ordine.

Prima die cujuslibet Ternarii dicuntur Vesperæ defunctorum cum his Orationibus.

INclína Dómine aurem tuam ad preces nostras, quibus misericórdiam tuam súpplices deprecámur, ut ánimas famulórum tuórum Fratrum nostrórum, quas de hoc sæculo migráre jussísti; in pacis ac lucis regióne constítuas, et Sanctórum tuórum júbeas esse consórtes.

Oratio. **Absólve,** ambæ sub uno **Per Dóminum.**

Ad Matutinum dicuntur primus Nocturnus et Laudes cum Orationibus **Inclína,** ut supra. **Deus véniæ largítor,** et **Fidélium.** [278] sub uno fine **Qui vivis.**

Secunda die cujuslibet Ternarii dicuntur Vesperæ cum Orationibus **Deus, qui nos patrem,** et **Absólve.**

Ad Matutinum dicuntur secundus Nocturnus, et Laudes cum Orationibus. **Deus qui nos patrem.**

DEus, cujus miseratióne ánimæ fidélium requiéscunt, fámulis, et famulábus tuis, ómnibus hic, et ubíque in Christo quiescéntibus, da propítius véniam peccatórum, ut a cunctis reátibus absolúti, tecum sine fine lætentur. et **Fidélium Deus.**

Tertia die cujuslibet Ternarii dicuntur Vesp. cum Orationibus **Deus véniæ largítor.** [278] et **Absólve.**

Ad Matutinum dicuntur tertius Nocturnus, et Laudes cum Orationibus. **Deus, véniæ largítor.**

MIserére, quæsumus Dómine, animábus ómnium benefactórum nostrórum defunctórum; et de benefíciis, quæ nobis largíti sunt in terris, præmia ætérna consequántur in cœlis, et **Fidélium.**

PSALMI GRADUALES dicuntur

FEria Quarta cujuslibet Hebdomadæ in Quadragesima non impedita aliquo Festo novem Lect. præterquam in majori Hebdomada. In Choro ante Matutinum B. Virginis, extra Chorum pro opportunitate temporis dicuntur.

Cum igitur dicendi fuerint, Hebdomadarius absolute incipit:

℣. **Adjutórium nostrum in nómine Dómini.** Chorus ℟. **Qui fecit cœlum et terram.**

Deinde uterque Chorus sedens, prosequitur alternatim Psalmos sequentes et singuli terminantur cum **Glória Patri,** ad quod sedendo inclinant. Psalm. **Ad Dóminum. 164.** cum sequent. **Levávi óculos. Lætátus sum. Ad te levávi. Nisi quia.**

Deinde dicitur flexis genibus **Kyrie eléïson. Christe eléïson. Kyrie eléïson.**

Pater noster.

℣. **Et ne nos indúcas.**

℣. **Meménto nostri Dómine in beneplácito pópuli tui.** ℟. **Vísita nos in salutári tuo.**

℣. **Memor esto congregatiónis tuæ.** ℟. **Quam possedísti ab inítio.**

℣. **Dómine exáudi.**

℣. **Dóminus vobíscum.**

Orémus. Oratio.

DEus, cui próprium est miseréri semper et párcere; súscipe deprecatiónem nostram : ut nos, et omnes fámulos tuos, quos delictórum caténa constríngit, miserátio tuæ pietátis cleménter absólvat. Per Christum.

Deinde immediate dicuntur sequentes Psalmi, singulos terminando cum Glória Patri. ut supra.

Psalm. Qui confídunt in Dómino. 167. cum sequent. In converténdo. Nisi Dóminus. Beáti omnes. Sæpe expugnavérunt.

Deinde dicitur flexis genibus Kyrie eléïson. Christe eléïson. Kyrie eléïson.

Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas.

℣. Dómine, salvum fac regem. ℟. Et exáudi nos in die, qua invocavérimus te.

℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus sperántes in te.

℣. Dómine exáudi.

℣. Dóminus vobíscum.

Orémus. Oratio.

PRæténde Dómine fámulis, et famulábus tuis déxteram cœléstis auxílii, ut te toto corde perquírant, et quæ digne póstulant, cónsequi mereántur. Per Christum Dóminum.

Denique immediate dicuntur sequentes quinque Psalmi, terminando omnes sub uno Réquiem ætérnam. Psalm. De profúndis 169. cum sequent. Dómine non est exaltátum. Meménto Dómine David. Ecce quam bonum. Ecce nunc benedícite. 185.

Deinde flexis genibus, sine Kyrie eléïson. dicitur Pater noster.

℣. Et ne nos.

℣. A porta ínferi.

℟. Erue Dómine ánimas eórum.

℣. Requiéscant in pace.

℟. Amen.

℣. Dómine exáudi.

℣. Dóminus vobíscum.

Orémus. Oratio.

ABsólve, quæsumus Dómine, ánimas famulórum, famularúmque tuárum ab omni vínculo delictórum : ut in resurrectiónis glória inter Sanctos et eléctos tuos resuscitáti respírent. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

SEPTEM PSALMI PŒNITENTIALES

DIcuntur cum Litaniis in omnibus Sextis Feriis Quadragesimæ.

quando Officium fit de Feria.

Cum igitur dicendi fuerint in Choro finitis Matutinis sine **Fidélium,** et sine **Pater noster,** absolute incipiuntur : et dicuntur stando : sed in fine cujusque Psalmi ad **Glória Patri,** flectuntur genua. Litaniæ etiam dicuntur genibus flexis. Extra Chorum dicuntur pro opportunitate temporis.

Litaniæ autem cum Precibus, et Orationibus (omissis Septem Psalmis) dicuntur etiam in Litaniis majoribus, scilicet in Festo sancti Marci : et in tribus diebus Rogationum.

Aña. **Ne reminiscáris.**

Psalmus. **Dómine, ne in furóre tuo árguas me. 5.**

Ps. **Beáti, quorum remíssæ sunt iniquitátes. 33.**

Ps. **Dómine, ne in furóre tuo árguas me. 40.**

Ps. **Miserére mei. 42.**

Ps. **Dómine exáudi oratiónem meam. 109.**

Ps. **De profúndis. 169.**

Ps. **Dómine exáudi oratiónem meam. 103.**

Aña. Ne reminiscáris **Dómine delícta nostra, vel paréntum nostrórum, neque vindíctam sumas de peccátis nostris.**

LITANIÆ.

Kyrie eléïson. Christe eléïson. Kyrie eléïson.
Christe audi nos.
Christe exáudi nos.
Pater de cœlis Deus, miserére nobis.
Fili Redémptor mundi Deus, miserére nobis.
Spíritus sancte Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas unus Deus, miserére nobis.
Sancta María, ora pro nobis.
Sancta Dei Génitrix, ora.
Sancta Virgo vírginum, ora pro nobis.
Sancte Míchaël, ora.
Sancte Gábriël, ora.
Sancte Ráphaël, ora.
Omnes sancti Angeli, et Archángeli, oráte.
Omnes sancti beatórum Spiríttuum órdines, oráte.
Sancte Joánnes Baptísta, ora pro nobis.
Sancte Joseph, ora.
Sancte Pater Elía, ora.
Sancte Elisée, ora.
Omnes sancti Patriárchæ, et Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Joánnes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Jacóbe, ora.

Sancte Philíppe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thaddæe, ora.
Sancte Mathía, ora.
Sancte Bárnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes sancti Apóstoli, et Evangelístæ, oráte.
Omnes sancti discípuli Dómini, oráte.
Omnes sancti Innocéntes, oráte pro nobis.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Lauréntí, ora.
Sancte Vincénti, ora.
Sancte Angele, ora.
Sancti Fabiáne et Sebastiáne, oráte.
Sancti Joánnes et Paule, oráte pro nobis.
Sancti Cosma et Damiáne, oráte.
Sancti Gervási et Protási, oráte.
Omnes sancti Mártyres, oráte pro nobis.
Sancte Silvéster, ora.
Sancte Gregóri, ora.
Sancte Ambrósi, ora.
Sancte Augustíne, ora.
Sancte Hierónyme, ora.
Sancte Basíli, ora.
Sancte Cyrílle, ora.
Sancte Bernárde, ora.
Sancte Martíne, ora.
Sancte Nicoláe, ora.
Sancte Andréa, ora.
Omnes sancti Pontífices, et Confessóres, oráte.
Omnes sancti Doctóres, oráte pro nobis.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Antóni, ora.
Sancte Albérte, ora.
Sancte Domínice, ora.
Sancte Francísce, ora.
Omnes sancti Sacerdótes, et Levítæ, oráte.
Omnes sancti Mónachi, et Eremítæ, oráte.
Sancta Anna, ora.
Sancta María Magdaléna, ora pro nobis.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcília, ora.
Sancta Catharína, ora.
Sancta Bárbara, ora.
Sancta Margaríta, ora.
Sancta Anastásia, ora.
Sancta Terésia, ora.
Sancta María Magdaléna, ora pro nobis.
Omnes sanctæ Vírgines, et Víduæ, oráte.
Omnes Sancti et Sanctæ Dei, intercédite pro nobis,
Propítius esto, parce nobis Dómine,
Propítius esto, exáudi nos Dómine.
Ab omni malo, líbera nos Dómine.
Ab omni peccáto, líbera.
Ab ira tua, líbera.

A subitánea, et improvísa morte, líbera.
Ab insídiis diáboli, líbera.
Ab ira, et ódio, et omni mala voluntáte, líbera.
A spíritu fornicatiónis, líbera nos Dómine.
A fúlgure, et tempestáte, líbera nos Dómine.
A flagéllo terræmótus, líbera nos Dómine.
A peste, fame et bello, líbera nos Dómine.
A morte perpétua, líbera.
Per mystérium sanctæ Incarnatiónis tuæ, líbera.
Per advéntum tuum, líbera nos Dómine.
Per nativitátem tuam, líbera nos Dómine.
Per baptísmum, et sanctum jejúnium tuum, líbera nos Dómine.
Per crucem et passiónem tuam, líbera.
Per mortem et sepultúram tuam, líbera.
Per sanctam Resurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem Ascensiónem tuam, líbera.
Per advéntum Spíritus sancti Parácliti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, te rogámus audi nos.
Ut nobis parcas, te rogámus audi nos.
Ut nobis indúlgeas, te rogámus audi nos.
Ut ad veram pœniténtiam nos perdúcere dignéris, te rogámus.
Ut Ecclésiam tuam sanctam régere, et conserváre dignéris, te rogámus audi nos.
Ut domnum Apostólicum, et omnes Ecclesiásticos órdines in sancta religióne conserváre dignéris, te rogámus.
Ut inimícos sanctæ Ecclésiæ humiliáre dignéris, te rogámus.
Ut Régibus, et Princípibus Christiánis pacem, et veram concórdiam donáre dignéris, te rogámus audi nos.
Ut cuncto pópulo Christiáno pacem, et unitátem largíri dignéris, te rogámus audi nos.
Ut nosmetípsos in tuo sancto servítio confortáre, et conserváre dignéris, te rogámus.
Ut mentes nostras ad cœléstia desidéria érigas, te rogámus audi nos.
Ut ómnibus benefactóribus nostris sempitérna bona retríbuas, te rogámus audi nos.
Ut ánimas nostras, fratrum, propinquórum, et benefactórum nostrórum ab ætérna damnatióne erípias, te rogámus.

Ut fructus terræ dare, et conserváre dignéris, te rogámus audi nos.
Ut omnes fidéles navigántes ad portum salútis perdúcere dignéris, te rogámus audi nos.
Ut ómnibus fidélibus defúnctis réquiem ætérnam donáre dignéris, te rogámus audi nos.
Ut nos exaudíre dignéris, te rogámus audi nos.
Fili Dei, te rogámus.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exáudi nos Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis.
Christe audi nos.
Christe exáudi nos.
Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.
Pater noster, secreto.
℣. Et ne nos. ℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus, sperántes in te.
℣. Esto nobis Dómine turris fortitúdinis. ℟. A fácie inimíci.
℣. Nihil profíciat inimícus in nobis. ℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére nobis.
℣. Dómine non secúndum peccáta nostra fácias nobis. ℟. Neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis.
℣. Orémus pro Pontífice nostro N. ℟. Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, et beátum fáciat eum in terrâ, et non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.
℣. Orémus pro benefactóribus nostris. ℟. Retribúere dignáre Dómine, ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen tuum vitam ætérnam. Amen.
℣. Orémus pro fidélibus defúnctis. ℟. Réquiem ætérnam dona eis Dómine, et lux perpétua lúceat eis.
℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen.
℣. Pro frátribus nostris absféntibus. ℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus sperántes in te
℣. Mitte eis Dómine auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére eos.
℣. Dómine exáudi.
℣. Dóminus vobíscum.
Orémus. Oratio.

Deus, cui próprium est miseréri semper, et párcere : súscipe deprecatiónem nostram : ut

nos, et omnes fámulos tuos, quos delictórum caténa constríngit, miserátio tuæ pietátis cleménter absólvat.

Exáudi, quæsumus Dómine, súpplicum preces, et confiténtium tibi parce peccátis : ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benígnus, et pacem.

Ineffábilem nobis, Dómine, misericórdiam tuam cleménter osténde : ut simul nos et a peccátis ómnibus éxuas, et a pœnis, quas pro his merémur, erípias.

Deus, qui culpa offénderis, pœniténtia placáris; preces pópuli tui supplicántis propítius réspice : et flagélla tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis nostris merémur, avérte.

Omnípotens sempitérne Deus, miserére fámulo tuo Pontífici nostro N. et dírige eum secúndum tuam cleméntiam in viam salútis ætérnæ : ut, te donánte, tibi plácita cúpiat, et tota virtúte perfíciat.

Deus, a quo sancta desidéria, recta consília, et justa sunt ópera : da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem : ut et corda nostra mandátis tuis dédita, et hóstium subláta formídine, témpora sint tua protectióne tranquílla.

Ure igne sancti Spíritus renes nostros, et cor nostrum, Dómine : ut tibi casto córpore serviámus, et mundo corde placeámus.

Fidélium Deus ómnium Cónditor, et Redémptor, animábus famulórum, famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum : ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur.

Actiónes nostras, quæsumus Dómine, adspirándo præveni, et adjuvándo proséquere : ut cuncta nostra orátio, et operátio a te semper incípiat, et per te cœpta finiátur.

Omnípotens sempitérne Deus, qui vivórum domináris simul et mortuórum, omniúmque miseréris, quos tuos fide, et ópere futúros esse prænóscis, te súpplices exorámus : ut pro quibus effúndere preces decrévimus, quosque vel præsens sæculum adhuc in carne ré-

tinet, vel futúrum jam exútos córpore suscépit, intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis, pietátis tuæ cleméntia, ómnium delictórum suórum véniam consequántur. Per Dóminum nostrum.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Exáudiat nos omnípotens, et miséricors Dóminus. ℟. Amen.

℣. Et fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace.

℟. Amen.

Pater noster, et Ave Maria.

FORMA ABSOLUTIONIS

a peccatis, quæ communiter fit.

Primo dicat Sacerdos Misereátur, et Indulgéntiam.

Absolutio.

Dominus noster Jesus Christus per suam infinítam misericórdiam parcat tibi, et ipse te absólvat, et ego auctoritáte ipsíus te absólvo in primis a vínculo excommunicatiónis in quantum possum et índiges. Deínde ego te absólvo a peccátis tuis. In nómine Pa✠tris, et Fílii, et Spíritus sancti. Amen. Pássio Dómini nostri Jesu Christi, et mérita beátæ Maríæ semper Vírginis, et ómnium sanctórum, et quidquid boni féceris, et mali sustinúeris, sint tibi in remissiónem peccatórum tuórum, in augméntum grátiæ, et præmium vitæ ætérnæ. Amen.

FORMA ABSOLUTIONIS

pro illis, qui habent indulgentiam eligendi sibi semel tantum Confessorem, qui eos absolvat ab omni casu etiam pertinente ad Papam.

Absolutio.

Dominus noster Jesus Christus te absólvat : et ego auctoritáte ipsíus, et beatórum Apostolórum Petri et Pauli, et summi Pontíficis mihi commíssa, tibi in hac vice concéssa, absólvo te ab omni vínculo excommunicatiónis majóris, vel minóris, vel senténtia suspensiónis, et interdícti : et dispénso tecum super omni irregularitáte, si quam incurrísti : et restítuo te unióni, et participatióni fidélium, necnon sanctis Sacraméntis Ecclésiæ. Item absólvo te

ab ómnibus peccátis tuis. In nómine Pa ✠ tris, et Fílii, et Spíritus sancti. Amen.

FORMA ABSOLUTIONIS GENERALIS

dandæ Fratribus nostris in magnis Solemnitatibus, Capitulis et Visitationibus.

Aña. Ne reminiscáris, Dómine, delícta nostra, vel paréntum nostrórum; neque vindíctam sumas de peccátis nostris.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam. ℟. Et salutáre tuum da nobis.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Deus, cui próprium est miseréri semper et párcere : súscipe deprecatiónem nostram; ut nos et omnes fámulos tuos, quos delictórum caténa constríngit, miserátio tuæ pietátis cleménter absólvat.

Exáudi, quæsumus Dómine, súpplicum preces, et confiténtium tibi parce peccátis : ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benígnus et pacem.

Ineffábilem nobis, Dómine, misericórdiam tuam cleménter osténde : ut simul nos et a peccátis ómnibus éxuas, et a pœnis, quas pro his merémur, erípias.

Deus, qui culpa offénderis, pœniténtia placáris : preces pópuli tui supplicántis propítius réspice; et flagélla tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis nostris merémur, avérte. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Dictis precibus, ab uno ex adstantibus dicitur Confíteor.

Deinde Prior dicit : Misereátur vestri, etc. Indulgéntiam, absolutiónem, etc.

Postea subjungit : Dóminus noster Jesus Christus per mérita suæ sacratíssimæ passiónis vos absólvat et grátiam suam vobis infúndat. Et ego, auctoritáte ipsíus, et beatórum Apostolórum Petri et Pauli et Summórum Pontíficum Ordini nostro ac vobis concéssa, et mihi

in hac parte commíssa, absólvo vos ab omni vínculo excommunicatiónis, majóris vel minóris, suspensiónis et interdícti, si quod forte incurrístis, et restítuo vos unióni et participatióni fidélium, nec non sacrosánctis Ecclésiæ Sacraméntis. Item eádem auctoritáte absólvo vos ab omni transgressióne votórum et régulæ, constitutiónum, ordinatiónum et admonitiónum majórum nostrórum, ab ómnibus pœniténtiis oblítis, seu étiam negléctis, concédens vobis remissiónem ómnium peccatórum, quibus contra Deum et próximum fragilitáte humána, ignorántia, vel malítia deliquístis, ac de quibus jam conféssi estis :

In nómine Patris ✠ et Fílii et Spíritus sancti.

Amen.

Postea pœnitentiam injungat salutarem ad libitum suum.

FORMULA ABSOLUTIONIS GENERALIS

seu Benedictionis cum Indulgentia plenaria pro Tertiariis sæcularibus Ordinis nostri.

Aña. Intret orátio mea in conspéctu tuo, Dómine; inclína aurem tuam ad preces nostras, parce Dómine, parce pópulo tuo, quem redemísti sánguine tuo pretióso, ne in ætérnum irascáris nobis.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus sperántes in te.

℣. Mitte eis Dómine auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére eos.

℣. Esto eis Dómine turris fortitúdinis. ℟. A fácie inimíci.

℣. Nihil profíciat inimícus in nobis. ℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére nobis.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

DEus, cui próprium est miseréri semper et párcere : súscipe deprecatiónem nostram; ut nos et omnes fámulos tuos, quos delictórum caténa constríngit, miserátio tuæ pietátis cleménter absólvat.

Exáudi, quæsumus Dómine, súpplicum preces, et confiténtium tibi parce peccátis : ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benígnus et pacem.

Ineffábilem nobis, Dómine, misericórdiam tuam cleménter osténde; ut simul nos et a peccátis ómnibus éxuas, et a pœnis, quas pro his merémur, erípias.

Deus, qui culpa offénderis, pœniténtia placáris; preces pópuli tui supplicántis propítius réspice; et flagélla tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis nostris merémur, avérte. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Dicto deinde : **Confíteor** etc. **Misereátur** etc. **Indulgéntiam** etc.

Sacerdos prosequitur : **Dóminus noster Jesus Christus, qui beáto Petro Apóstolo dedit potestátem ligándi atque solvéndi : Ille vos absólvat ab omni vínculo delictórum, ut habeátis vitam ætérnam, et vivátis in sæcula sæculórum. ℟. Amen.**

Per sacratíssimam Passiónem et Mortem Dómini nostri Jesu Christi; précibus et méritis beatíssimæ semper Vírginis Maríæ, beatórum Apostolórum Petri et Pauli, beáti Patris nostri Elíæ et ómnium Sanctórum, auctoritáte a Summis Pontifícibus mihi concéssa, plenáriam Indulgéntiam ómnium peccatórum vestrórum vobis impértior. In nómine Patris ✠ et Fílii et Spíritus sancti. ℟. Amen.

Si hanc Indulgentiam immediate post Sacramentalem Absolutionem impertiatur, reliquis omissis, sacerdos absolute incipiat a verbis : **Dóminus noster Jesus Christus** etc. et ita prosequatur usque ad finem, plurali tantum numero in singularem immutato.

FORMULA BENEDICTIONIS SEU ABSOLUTIONIS IN ARTICULO MORTIS

dandæ Fratribus et Confratribus Sacrum Scapulare B. M. V. de Monte Carmelo gestantibus, a Sacerdotibus facultatem habentibus, vel etiam aliis fidelibus, dummodo Sacerdos opportunam habeat auctoritatem.

Ingrediendo cubiculum, ubi jacet infirmus, et facta de more aspersione

aquæ benedictæ recitando : Pax huic dómui, etc. et Aña Aspérges me, etc. Sacerdos dicat :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cœlum et terram.

Aña. Ne reminiscáris Dómine delícta fámuli tui (vel ancíllæ tuæ), neque vindíctam sumas de peccátis ejus.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Salvum fac servum tuum (vel ancíllam tuam). ℟. Deus meus sperántem in te.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

CLementíssime Deus, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui néminem vis períre in te credéntem, atque sperántem : secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum réspice propítius fámulum tuum N. (ancíllam tuam N. quam) quem tibi vera fides et spes christiána comméndat. Vísita eum (eam) in salutári tuo, et per Unigéniti tui passiónem et mortem, ómnium ei delictórum suórum remissiónem et véniam cleménter indúlge : ut ejus ánima in hora éxitus sui te Júdicem propitiátum invéniat et in sánguine ejúsdem Fílii tui ab omni mácula ablúta, transíre ad vitam mereátur perpétuam. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Tum dicto ab uno ex clericis adstantibus Confíteor, Sacerdos dicat : Misereátur etc. Deinde :

Dóminus noster Jesus Christus Fílius Dei vivi, qui beáto Petro Apóstolo suo dedit potestátem ligándi atque solvéndi per suam piíssimam misericórdiam recípiat Confessiónem tuam, et restítuat tibi stolam primam, quam in Baptísmate recepísti : et ego facultáte mihi ab Apostólica Sede tribúta, Indulgéntiam Plenáriam et remissiónem ómnium peccatórum tibi concédo. In nómine Patris ✠ et Fílii et Spíritus sancti. Amen.

Per sacrosánctæ humánæ reparatiónis mystéria, remíttat tibi omnípotens Deus, omnes præséntis et futúræ vitæ pœnas, Paradísi portas apériat, et ad gáudia sempitérna perdúcat. Amen.

Benedícat te omnípotens Deus, ✠ Pater, Fílius et Spíritus sanctus. Amen.

Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut neque Confessionis generalis faciendæ, neque præmissarum precum recitandarum tempus suppetat, statim Sacerdos Benedictionem ei impertiatur.

FORMA ABSOLUTIONIS AB EXCOMMUNICATIONE MAJORI.

Primo excommunicatus dicat : **Confíteor Deo,** etc. Sacerdos percutiendo excommunicatum subjungat: **Misereátur** et **Indulgéntiam,** etc. Hic dicatur unum **Pater noster,** et **Ave María,** seu aliquid aliud pro speciali pœnitentia. Et ita fiat in aliis absolutionibus, excepta tamen flagellatione : hoc tamen observando, quod antequam incipias absolvere, peccatori salutarem pœnitentiam imponas.

Dominus noster Jesus Christus per suam sanctam misericórdiam, et passiónem, te absólvat : Et ego auctoritáte ipsíus, mihi in hac parte commíssa, in quantum possum, et débeo, te absólvo ab isto vínculo excommunicatiónis, quam incurrísti, percutiéndo cléricum, vel dimitténdo hábitum, vel transgrediéndo præcéptum majóris, vel committéndo ália per quæ in excommunicatiónem incúrritur, (hic delictum semper nominari debet, per quod in excommunicationem incurrit.) et restítuo te Sacraméntis sanctæ Matris Ecclésiæ, et oratiónibus divínis, absolútum. In nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus san ✠ cti. Amen. Cétera bona, quæ fecísti, et inténdis fácere, sint, et váleant tibi in remissiónem ómnium peccatórum tuórum, in augméntum grátiæ, et glóriæ, et præmium vitæ ætérnæ. Amen. Vade in pace, et noli ámplius peccáre : et dolóre prætérita plange, atque futúra cave. In nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus san ✠ cti. Amen.

FORMULA DANDI ABSOLUTIONEM GENERALEM

et Pontificiam Benedictionem Christi fidelibus utriusque sexus, in omnibus Ecclesiis Ordinis Carmelitarum quater in Anno, videlicet :

In Festo S. Stephani Protomartyris.

Feria tertia infra Octavam Paschæ.

Feria tertia infra Octavam Pentecostes.

In Festo B. V. MARIÆ de Monte Carmelo.

Ex Indulto Summorum Pontificum Benedicti XIII. sub die 27. Martii 1729. et Benedicti XIV. sub die 18. Augusti 1745. cujus facultatis Brevia servantur Romæ in Archivio Ordinis;

ac

Juxta ejusdem San. Mem. Benedicti PP. XIV. Epistolam Encyclicam, die 19. Martii 1748. expeditam, accommodata.

ANtequam procedatur ad hanc functionem : Superior vel alter Sacerdos, ab ipso delegatus, superpelliceo, et stola tantum indutus, debet docere Populum de contentis in Indulto Pontificio, et de præparatione necessaria, ad Generalem Absolutionem et Benedictionem Pontificiam recipiendam.

Deinde a Populo, vel ab aliquo pro omnibus, dicatur, **Confíteor Deo,** etc. Quo finito, Sacerdos ante Altare genuflexus incipiat Psalmum **Miserére, 42.** cum **Glória Patri;** et postea Ps. **Deus misereátur nostri, 23.** etiam cum **Glória Patri** : Quibus finitis, Sacerdos sic genuflexus dicat : **Kyrie eléison.**

Populus ℟. **Christe eléison. Kyrie eléison.**

Pater noster.

℣. **Et ne nos indúcas in tentatiónem.** ℟. **Sed líbera nos a malo.**

℣. **Salvos fac servos tuos.** ℟. **Deus meus sperántes in te.**

℣. **Nihil profíciat inimícus in eis.** ℟. **Et fílius iniquitátis non appónat nocére eis.**

℣. **Esto eis Dómine turris fortitúdinis.** ℟. **A fácie inimíci.**

℣. **Dómine exáudi oratiónem meam.** ℟. **Et clamor meus ad te véniat.**

Hic Sacerdos surgit, et prosequitur :

℣. **Dóminus vobíscum.** ℟. **Et cum spíritu tuo.**

Orémus.

DEus, cui próprium est miseréri semper, et párcere : súscipe de-

precatiónem nostram, ut nos, et omnes fámulos tuos, quos delictórum caténa constríngit, miserátio tuæ pietátis cleménter absólvat. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit, et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos dicit **Misereátur vestri,** etc. **Indulgéntiam,** etc.

Deinde manu dextera super Populum genuflexum extensa addit :

Auctoritáte Dei Omnipoténtis, et beatórum Apostolórum Petri et Pauli, a Sanctíssimo Dómino Nostro Papa mihi concéssa, absólvo vos ab omni vínculo excommunicatiónis, suspensiónis, interdícti, aliísque Ecclesiásticis senténtiis, censúris, et pœnis, quas modo ignorátis, per vos incúrsis, juxta indúltum nobis concéssum, et restítuo vos omnes communióni, et unitáti Fidélium, et sanctis Sacraméntis Ecclésiæ. In nómine ✠ Patris, et Fílii et Spíritus sancti. ℟. Amen.

Postea Sacerdos, denuo genuflexus procedat ad dandam Papalem Benedictionem, dicendo :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Salvum fac pópulum tuum Dómine. ℟. Et bénedic hereditáti tuæ.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Deinde Sacerdos stans, sequentem recitet Orationem.

Orémus.

Omnípotens et miséricors Deus, da nobis auxílium de sancto, et vota pópuli hujus in humilitáte cordis véniam peccatórum poscéntis, tuámque benedictiónem præstolántis et grátiam, cleménter exáudi : dénteram tuam super eum benígnus exténde, ac plenitúdinem divínæ benedictiónis effúnde : qua bonis ómnibus cumulátus, felicitátem et vitam consequátur ætérnam. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Tandem ad cornu Epistolæ accedat, ut in Actis Ecclesiæ Mediolanensis par. 4. Benedicet in Ecclesia ad Altare, stans in cornu Epistolæ : et stans

in cornu Epistolæ, non trina, hoc est triplici signo Crucis, sed una Benedictione, unico videlicet Signo Crucis, benedicat proferens alta voce hæc verba : **Benedícat vos omnípotens Deus ✠ Pater, et Fílius, et Spíritus sanctus.** ℟. **Amen.**

BENEDICTIO MENSÆ.

Audita Refectorii nola, statim omnes ad illud confluant, et ex utroque latere ad mensam secundum ordinem professionis Crucifixo adstent cum silentio et modestia, conscientiæ examini per octavam partem horæ vacaturi : audito Præsidentis signo, cantor inchoat Ps. **De profúndis,** quem chorus vultibus ad invicem conversis alternatim prosequitur cum **Réquiem ætérnam,** quo finito : Hebdomadarius subdit :

℣. **A porta ínferi.**

℣. **Credo vidére bona Dómini.**

℣. **Dómine exáudi oratiónem.**

℣. **Dóminus vobíscum.**

Orémus. Deus véniæ largítor. 278. Absólve quæsumus. 263. terminando **Per Christum.**

℣. **Requiéscant in pace.** Mox Lector incipit **Benedícite.** Deinde Cantor, aliis prosequentibus :

℣. **Oculi ómnium in te sperant Dómine : et tu das escam illórum in témpore opportúno. Aperis tu manum tuam : et imples omne ánimal benedictióne.**

Glória Patri.

Sicut erat in princípio. Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster, secreto.

℣. **Et ne nos.**

℟. **Sed líbera.**

Postea Hebdomadarius faciendo unicam crucem super omnes mensas clara voce dicit :

Orémus.

Benedic Dómine nos, et hæc tua dona, quæ de tua largitáte sumus sumptúri. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. **Amen.**

Deinde Lector : **Jube domne benedícere.** Benedictio. **Mensæ cœléstis partícipes fáciat nos Rex ætérnæ glóriæ.** ℟. **Amen.**

Lector vadat ad locum ubi legendum est, et ad signum Præsidentis, legere incipiat dicens : **In nómine Dómini nostri Jesu Christi. Amen.** Deinde li-

bri, quem lecturus est, titulum, et capituli numerum præmittendo, pergat. Lectio vero regulariter de sacra Scriptura esse debet, quæ, lectore stante, capite discooperto, cantando in tono Lectionum, pronuntiari debet. Superaddi illi poterit aliqua Homilia festivitati congrua, vel vita Sancti, aut lectio ex libro pio, prout Priori videbitur.

GRATIARUM ACTIO POST PRANDIUM.

Dicto a lectore : **Tu autem Dómine miserére nostri.** ℟. **Deo grátias,** Cantor incipit : **Confiteántur tibi Dómine ómnia ópera tua : et sancti tui benedícant tibi.**

Glória Patri.

Sicut erat.

Postea Hebdomadarius dicit absolute:

Agimus tibi grátias omnípotens Deus, pro univérsis benefíciis tuis. Qui vivis, et regnas in sæcula sæculórum.

℟. **Amen.**

Deinde alternatim exeundo Refectorio dicitur Ps. **Miserére. 42.** cum **Glória Patri. Kyrie eléïson. Christe eléïson. Kyrie eléïson. Pater noster,** secreto. Hebdomadarius dicit : ℣. **Et ne nos indúcas.** ℟. **Sed líbera.**

℣. **Dispérsit, dedit paupéribus.** ℟. **Justítia ejus manet in sæculum sæculi.**

℣. **Benedícam Dóminum in omni témpore.** ℟. **Semper laus ejus in ore meo.**

℣. **In Dómino laudábitur ánima mea.** ℟. **Audiant mansuéti, et læténtur.**

℣. **Magnificáte Dóminum mecum.** ℟. **Et exaltémus nomen ejus in idípsum.**

℣. **Sit nomen Dómini benedíctum.** ℟. **Ex hoc nunc, et usque in sæculum.**

Deinde absolute dicat :

Retribúere dignáre Dómine ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen tuum vitam ætérnam. ℟. **Amen.**

℣. **Benedicámus Dómino.** ℟. **Deo grátias.** Quod etiam tempore Paschali non dicitur cum **Allelúia.**

Deinde dicitur Aña. **Salve Regína.** ℣. **Ora pro nobis.** Oratio. **Prótege Dómine. Fidélium. Pater noster. Ave María.**

Tempore Paschali loco **Salve Regína** dicitur Aña. **Regína cœli.** ℣. **Gaude et lætáre.** Oratio. **Deus qui per resurrectiónem. 28.**

Si tamen gratiæ extra chorum vel Capitulum sint dicendæ loco Psalm. **Miserére** dicitur Psalm. **Laudáte Dóminum omnes gentes. 164.** et loco **Salve Regína** dicitur versis vultibus ad imaginem Aña.

Ave Regína cœlórum, Mater Regis Angelórum,
O María flos vírginum,
Velut rosa, vel lílium,
Funde preces ad Fílium,
Pro salúte fidélium.

℣. **Ora pro nobis.**

Oratio. **Prótege Dómine.** etc. ut supra.

Dum autem prædicti ℣. dicuntur, Fratres stent versus altare vel imaginem ad Orationem vero **Retribúere,** et ad **Pater noster,** tam infra gratias, quam post gratias, semper inclinent.

IN CŒNA.

Prædictus modus etiam servatur, hoc excepto, quod ante cœnam loco ℣. **Oculi ómnium,** dicatur ℣. **Edent páuperes, et saturabúntur, et laudábunt Dóminum, qui requírunt eum : vivent corda eórum in sæculum sæculi.**

Glória Patri. Sicut erat. et Benedictio alia, scilicet; **Ad cœnam vitæ ætérnæ perdúcat nos Rex ætérnæ glóriæ.** ℟. **Amen.**

In fine cœnæ dicitur ℣. **Memóriam fecit mirabílium suórum misericors et miserátor Dóminus; escam dedit timéntibus se.**

Glória Patri. Sicut erat.

Hebdomadarius dicat :

Benedíctus Deus in donis suis, et sanctus in ómnibus opéribus suis. Qui vivit, et regnat in sæcula sæculórum.

℟. **Amen.**

Deinde alternatim dicitur Psalmus. **Laudáte Dóminum omnes Gentes. 164.** et reliqua, ut supra.

Quando autem jejunatur, tunc ante prandium dicitur ℣. **Edent páuperes.** Post prandium vero dicitur ℣. **Memóriam fecit.** Cetera non mutantur.

AD COLLATIONEM.

Fratres ut supra dictum est conveniant, et se in mensa ordinate collocent quibus collocatis, ad signum Præsidis lector in loco, quo legendum est, dicat : **Jube domne benedícere.** Hebdomadarius surgens dicat : **Divínum auxílium máneat semper nobíscum.** ℟. **Amen.**

Deinde infra Lectionem facto signo a Prælato su-

per mensam, dicat Lector : **Benedícite.** Hebdomadarius stans in loco suo benedicat dicens : **Largítor ómnium bonórum benedícat refectiónem servórum suórum.** ℟. **Amen.**

In jejuniis vero Ecclesiæ loco : **refectiónem,** dicitur **potum.**

Postea ad signum Prælati finiatur Lectio per **Tu autem.** Et Hebdomadarius versus ad imaginem dicat : **Sit nomen Dómini benedíctum.** ℟. **Ex hoc nunc,** etc.

Prædictus modus benedicendi mensam, et agendi gratias servatur omni tempore, præterquam diebus infrascriptis, in quibus Versiculi, et Psalmi tantum variantur.

IN NATIVITATE

Domini, et per Octavam dicitur ℣. **Verbum caro factum est, allelúia : et habitávit in nobis, allelúia.**

Glória Patri.

In fine dicitur ℣. **Notum fecit Dóminus, allelúia. Salutáre suum, allelúia.**

Alia ut supra.

Psalm. **Cantáte. 107.** vel Psalmus **Laudáte Dóminum omnes. 164.** qui Psalmus semper ad beneplacitum dici potest, etiam in aliis solemnitatibus.

IN EPIPHANIA

et per totam Octavam, ℣. **Reges Tharsis, et ínsulæ múnera ófferent, allelúia : Reges Arabum et Saba dona addúcent, allelúia.**

Glória Patri.

In fine dicitur ℣. **Omnes de Saba vénient, allelúia : aurum, et thus deferéntes, allelúia.**

Glória Patri. Ps. **Deus judícium tuum Regi da. 77.**

IN CŒNA DOMINI,

et Parasceve

ad signum Præsidentis a Cantore inchoatur absolute et sine nota ℣. **Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis.**

Deinde **Pater noster,** totum secreto. Quo dicto sine pronuntiatione aliqua, Prior signo crucis benedicit mensam : nec dicitur : **Jube domne,** nec **In nómine Dómini nostri,** nec **Tu autem.** In fine repetitur a Cantore ℣. **Christus,** ut supra. Postea Ps. **Miserére. 42.** Quo finito sine **Glória Patri,** secreto dicitur **Pater noster.**

Deinde Prior dicit absolute Orationem **Réspice,**

quæsumus, ut in Officio diei : et non pronuntiatur **Qui tecum,** nec **Fidélium ánimæ,** sed secreto dicitur **Pater noster,** et **Ave María.**

Ad collationem, Prior inchoat: **Christus factus est.** Deinde signo crucis benedicit potum nihil dicendo in fine dicit Orat. **Réspice,** eo modo, quo dicitur ad gratias in fine comestionis. Sed non dicitur Psalm. **Miserére,** nec **Pater noster,** et **Ave María.**

SABBATO SANCTO

ad benedictionem mensæ dicitur : **Benedícite.** ℣. **Véspere autem Sábbati, quæ lucéscit in prima Sábbati, allelúia : venit María Magdaléna, et áltera María vidére sepúlcrum, allelúia.**

Glória Patri.

In fine repetitur ℣. **Véspere autem,** ut supra cum **Glória Patri.** Psalm. **Laudáte Dóminum omnes Gentes. 164.** cum **Glória Patri. Kyrie eléïson. Christe eléïson. Kyrie eléïson.**

Alia ut supra in prima Benedictione : sed loco **Salve Regína ,** dicitur **Regína cœli,** quæ dicitur per totum tempus Paschale.

IN DIE PASCHÆ

et per Octavam

ad Benedictionem mensæ dicitur ℣. **Hæc est dies, quam fecit Dóminus, allelúia : exsultémus, et lætémur in ea, allelúia.**

Glória Patri.

In fine dicitur ℣. **Hæc est dies, quam** cum **Glória Patri.**

Ps. **Confitémini. 131.**

IN ASCENSIONE

Domini, et per Octavam,

℣. **Ascéndit Deus in jubilatióne, allelúia : et Dóminus in voce tubæ, allelúia.**

Glória Patri.

In fine dicitur ℣. **Ascéndens Christus in altum, allelúia : captívam duxit captivitátem, allelúia.**

Glória Patri.

Ps. **Omnes Gentes. 53.**

IN PENTECOSTE

et per Octavam,

℣. **Spíritus Dómini replévit orbem terrárum, allelúia : et hoc, quod cóntinet ómnia, sciéntiam habet vocis, allelúia.**

Glória Patri.

In fine dicitur ℣. **Repléti sunt omnes Spíritu sancto, allelúia : et cœpérunt loqui, allelúia.**

Glória Patri.

Ps. **Magnus Dóminus et laudábilis nimis. 54.**

ITINERARIUM.

FRatres in ipso itineris ingressu dicant Añam. In viam pacis. Canticum. Benedíctus. 26. in fine Glória Patri.

Postea repetitur Aña. In viam pacis, et prosperitátis dírigat *nos* omnípotens, et miséricors Dóminus, et Angelus Ráphael comitétur *nobíscum* in via : ut cum pace, salúte, et gáudio *revertámur* ad própria.

Kyrie eléïson. Christe eléïson. Kyrie eléïson. Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas.

℣. *Salvos* fac *servos tuos.* ℟. Deus meus *sperántes* in te.

℣. Mitte *nobis* Dómine auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére *nos.*

℣. Esto *nobis* Dómine turris fortitúdinis. ℟. A fácie inimíci.

℣. Nihil profíciat inimícus in *nobis.* ℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére *nobis.*

℣. Benedíctus Dóminus die quotídie. ℟. Prósperum iter fáciat *nobis* Deus salutárium nostrórum.

℣. Vias tuas Dómine demónstra *nobis.* ℟. Et sémitas tuas édoce *nos.*

℣. Utinam dirigántur viæ *nostræ.* ℟. Ad custodiéndas justificatiónes tuas.

℣. Erunt prava in dirécta. ℟. Et áspera in vias planas.

℣. Angelis suis Deus mandávit de te. ℟. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

℣. Dómine exáudi.

℣. Dóminus vobíscum.

Orémus. Oratio.

DEus, qui fílios Israel per maris médium sicco vestígio ire fecísti; quique tribus Magis iter ad te, stella duce pandísti; tríbue *nobis quæsumus*, iter prósperum, tempúsque tranquíllum : ut Angelo tuo sancto cómite, ad eum, quo *pérgimus* locum, ac demum ad ætérnæ salútis portum perveníre felíciter *valeámus.*

Oratio.

DEus, qui Abraham púerum tuum de Ur Chaldæórum edúctum, per omnes suæ peregrinatiónis vias illæsum custodísti; *quæsumus* ut *nos fámulos tuos* custodíre dignéris : esto *nobis* Dómine in procínctu suffrágium : in via solátium : in æstu umbráculum : in plúvia, et frígore tegu-

méntum, in lassitúdine vehículum : in adversitáte præsídium : in lúbrico báculus : in naufrágio portus : ut te duce, quo *téndimus*, próspere *perveniámus* : et demum *incólumes* ad própria *redeámus*.

Oratio.

Adésto, *quæsumus* Dómine supplicatiónibus *nostris* : et viam *famulórum tuórum* in salútis tuæ prosperitáte dispóne, ut inter omnes viæ, et vitæ hujus varietátes, tuo semper *protegámur* auxílio.

Oratio.

PRæsta, quæsumus omnípotens Deus, ut família tua per viam salútis incédat : et beáti Joánnis præcursóris hortaménta sectándo, ad eum, quem prædíxit, secúra pervéniat, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum vivit, et regnat.

Deinde juxta piam nonnullorum consuetudinem addi poterunt : Litaniæ B. V. Mariæ cum Antiphona. Sub tuum præsídium. ℣. Ora pro nobis, Oratio Prótege. Item Aña. Similábo eum. ℣. Ora pro nobis beatíssime Joseph. Oratio. Sanctíssimæ.

Denique pro Defunctis Psalmi Miserére et De profúndis. cum Oration. Deus qui nos Patrem et Matrem, Deus véniæ largítor, et Fidélium Deus, ómnium Cónditor.

℣. Réquiem ætérnam.

℣. Requiéscant in Pace.

Pater noster. Ave María.

℣. Procedámus in Pace.

℟. In nómine Dómini. Amen.

Si frater solus sine socio fuerit, supradicta in singulari dicantur.

CONJURATIO

contra Tempestates, et grandinem imminentem.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini nostri Jesu Christi. ℟. Amen.

Symbolum sancti Athanasii Quicúmque vult salvus esse. 134. usque in finem cum Glória Patri. deinde Kyrie eléïson. Christe eléïson. Kyrie eléïson.

Pater noster.

℣. Dóminus vobíscum.

Oratio.

DOmine Jesu Christe, qui fecísti cœlum, et terram, mare, et ómnia, quæ in eis sunt : quique flúmini Jordáni benedixí-

sti; atque in eo baptizári voluísti; et tuas sanctíssimas manus, et bráchia sanctíssima in cruce extendísti, quibus áërem sanctificásti; obsecrámus imménsam pietátis et bonitátis tuæ abundántiam; quátenus has nubes, quas ante me, et post me, et supra me, et a dextris, et a sinístris vídeo áërem perturbáre, dissólvere, et annihiláre dignéris, ut alligáta potéstas dæmonum ímpie desæviens, defíciat et turbétur, ad laudem tui sanctíssimi nóminis, et omnipotentíssimæ Majestátis tuæ. Qui vivis, et regnas cum Deo Patre in unitáte, etc.

Postea conversus ad nubes, eas signo crucis signans, dicat : **Circúmdet te nubes, Deus Pa ✠ ter : circúmdet te Deus Fí ✠ lius : circúmdet te Deus Spíritus ✠ sanctus : Déstruat te Deus Pa ✠ ter : déstruat te Deus Fí ✠ lius : déstruat te Deus Spíritus ✠ sanctus. Amen. Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus et immortális, miserére nobis. Dispérgat vos Deus, ne nobis noceátis. In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus sancti. Amen.**

Ecce cru ✠ cem Dómini, fúgite partes advérsæ : vicit Leo de tribu Juda, radix David. Qui vivit, et regnat in sæcula sæculórum. Amen.

FORMULA BENEDICENDI AQUAM LUSTRALEM,

quæ per totum annum in ædibus fidelium servatur, et singulis diebus Dominicis renovatur.

Sacerdos cum stola circa collum, habens ante se sal et aquam dicit :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum. ℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.

Deinde convertendo se specialiter ad sal, absolute incipit Exorcismum dicens :

Exorcízo te, creatúra salis per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum, per Deum, qui te per Eliséum Prophétam in aquam mitti jussit, ut sanarétur sterílitas aquæ : ut efficiáris sal exorcizátum in salútem credéntium, et sis ómnibus te suméntibus sánitas ánimæ et córporis : et effúgiat

atque discédat a loco in quo aspérsum fúeris, omnis phantasía, et nequítia vel versútia diabólicæ fraudis, omnísque spíritus immúndus adjurátus. Per eum qui ventúrus est judicáre vivos, et mórtuos, et sæculum per ignem.

℞. Amen.

Orémus. Oratio.

IMménsam cleméntiam tuam, omnípotens ætérne Deus, humíliter implorámus : ut hanc creatúram salis, quam in usum géneris humáni tribuísti, bene ✠ dícere, et sancti ✠ ficáre tua pietáte dignéris : ut sit ómnibus suméntibus salus mentis et córporis : et quidquid ex eo tactum vel respérsum fúerit, cáreat omni immundítia, omníque impugnatióne spiritális nequítiæ. Per Dóminum nostrum.

Postea convertendo se specialiter ad aquam, absolute dicit Exorcismum.

EXorcízo te creatúra aquæ in nómine Dei ✠ Patris omnipoténtis, et in nómine Jesu ✠ Christi Fílii ejus Dómini nostri, et in virtúte sancti ✠ Spíritus : ut fias aqua exorcizáta ad effugándam omnem potestátem inimíci : et ipsum inimícum eradicáre et explantáre váleas cum Angelis suis apostáticis, per virtútem ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi. Qui ventúrus est judicáre vivos, et mórtuos, et sæculum per ignem.

℞. Amen.

Orémus. Oratio.

DEus, qui ad salútem humáni géneris máxima quæque Sacraménta in aquárum substántia condidísti; adésto propítius invocatiónibus nostris : et eleménto huic multímodis, purificatiónibus præparáto, virtútem tuæ bene ✠ dictiónis infúnde : ut creatúra tua mystériis tuis sérviens, ad abigéndos dæmones, morbósque pelléndos divínæ grátiæ sumat efféctum : ut quidquid in dómibus vel in locis fidélium hæc unda respérserit, cáreat omni immundítia : liberétur a noxa : non illic resídeat spíritus péstilens, non aura corrúmpens : discédant omnes insídiæ laténtis inimíci : et si quid est, quod aut incolumitáti habitántium ínvidet aut quiéti, aspersióne hujus aquæ effúgiat : ut salúbritas, per invocatiónem sancti tui nóminis expetíta, ab óm-

nibus sit impugnatiónibus defénsa. Per Dóminum nostrum.

Hic mittat sal in aquam in modum Crucis ter, dicendo semel :

COmmíxtio salis, et aquæ páriter fiat, in nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ sancti. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

DEus invíctæ virtútis auctor, et insuperábilis impérii Rex ac semper magníficus triumphátor; qui advérsæ dominatiónis vires réprimis, qui inimíci rugiéntis sævítiam súperas, qui hostíles nequítias poténter expúgnas, te Dómine treméntes et súpplices deprecámur ac pétimus; ut hanc creatúram salis et aquæ dignánter adspícias : benígnus illústres : pietátis tuæ rore sanctífices : ut ubicúmque fúerit adspérsa per invocatiónem sancti tui nóminis, omnis infestátio immúndi spíritus abigátur, terrórque venenósi serpéntis procul pellátur : et præséntia sancti Spíritus, nobis misericórdiam tuam poscéntibus ubíque adésse dignétur. Per Dóminum nostrum. In unitáte ejúsdem Spíritus sancti Deus.

BENEDICTIO PALMARUM in Festo sancti Angeli Martyris Carmelitæ.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cœlum, et terram.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum. ℟. Ex hoc, nunc, et usque in sæculum.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

DEus creátor et conservátor géneris humáni, largítor ætérnæ salútis, et dator grátiæ spirituális, benedictióne tua sancta bé ✠ nedic has palmas, quas cum devotióne, ac veneratióne sancti Angeli Ordinis beátæ Maríæ Vírginis de Monte Carmélo, et Mártyris tui hódie tibi præsentámus, et pétimus benedíci, et infúndi in eis per virtútem sanctæ ✠ Crucis benedictiónem cœléstem, ut qui eas ad domos, víneas, vel agros mitténdas talem signáculo sanctæ ✠ Crucis benedictiónem accípiant, ut quibuscúmque locis appósitæ fúerint, vel cum devotióne habúerint, aut portáverint, infirmitátes

sanéntur, grándines, et tempestátes imminéntes eradicéntur, discédant diáboli, contremíscant et fúgiant pérfidi cum suis minístris de locis illis, nec ámplius, tibi serviéntes inquietáre præsúmant. Per Dóminum

Aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO
AQUÆ SANCTI ALBERTI.

Sacerdos habens ad collum Stolam dicit primo

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cœlum, et terram.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum. ℟. Ex hoc nunc, et usque in sæculum.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

Fidélium Deus ómnium fortitúdo et salus, qui socrum beáti Petri Apóstoli tui, fébribus magnis deténtam, pio rogatiónis intúitu perfécte sanásti, san ✠ ctífica, et bé ✠ nedic creatúram hanc aquæ in tuo sacratíssimo nómine, et relíquiis sanctíssimi Confessóris tui Alberti, quem spreto sæculo ad almæ tuæ Genitrícis Religiónem vocáre dignátus es : et concéde ejus gloriósis méritis, atque intercessiónibus : ut quicúmque fébrium vexatióne gravántur, per hujus aquæ sumptiónem húmilem a cunctis ánimæ, et córporis languóribus liberéntur : atque Ecclésiæ tuæ repræsentári mereántur, gratiárum tibi actiónes in ea júgiter referéndo. Qui vivis, et regnas.

Deinde ponat ter reliquias faciendo tres cruces in aqua, dicendo absolute semel.

Benedic ✠ Dómine, méritis sancti Albérti creatúram ✠ hanc aquæ, qui glorióso tuo córpore benedixísti ✠ aquas Jordánis : et præsta; ut omnes gustántes ex ea, tam córporis quam ánimæ recípiant sanitátem. Qui vivis et regnas cum Deo Patre, etc.

Deinde dicitur Aña. O Albérte norma mundítiæ, puritátis, et continéntiæ, ora matrem misericórdiæ, ut in hac valle misériæ nos defendat ab hoste vétere ; ut exúto mortáli córpore, perfruámur ætérna réquie.

℣. Ora pro nobis beáte Albérte. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus. Oratio.

Concéde, quæsumus omnípotens et misé-ricors Deus, ut per virtútem benedictiónis hujus aquæ, et per méritum Passiónis Dómini nostri Jesu Christi, et per intercessiónem beátæ Maríæ Vírginis, et beáti Albérti, et ómnium Sanctórum, et Sanctárum Dei, omnes fidéles, qui pie et devóte aquam istam gustáverint, et ánimæ et córporis sanitátem recípere váleant, et in tuo sancto servítio semper permanére. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum vivit et regnat etc.

Alia Antiphona. Vacant ægri vigilántes ad Albérti límina : surdi, claudi consequénter invocántes númina : Febres fugat; morbos curat omnes; sanat nóxium; ventos placat; maris sedat tædium.

℣. Jesu dulcis Albérti méritis. ℟. Tuam nobis infúnde grátiam.

Orémus. Oratio.

Deus, qui beátum Albértum Confessórem tuum, spreto sæculo, ad almæ tuæ Genitrícis Maríæ Religiónem vocáre dignátus es : tríbue nobis, quæsumus; ut ejus méritis, et exémplis, digne tibi serviéntes, cum ipso in ætérna glória perpétuo te pérfrui mereámur. Qui vivis, et regnas.

DE MODO RECIPIENDI AD NOSTRI ORDINIS BENEFICIA : ET DE BENEDICTIONE HABITUS.



Persona recipienda genuflectat ante altare majus, vel ante altare B. Virginis : et tunc Superior, vel alius Frater de licentia Superioris habens ad collum Stolam, incipiat.

Aña. Suscépimus Deus.

Psalmus. Magnus Dóminus. 54. et Ps. Ecce quam bonum. 171.

Aña. Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam, in médio templi tui. Secúndum nomen tuum Deus, sic et laus tua in fines terræ : justítia plena est déxtera tua.

Kyrie eléïson. Christe eléïson. Kyrie eléïson.

Pater noster.

℣. Et ne nos.

Si mulier recipienda sit, vel plures simul, immutetur genus vel numerus.

℣. *Salvum* fac *servum tuum.* ℟. Deus meus *sperántem* in te.

℣. Mitte *ei* Dómine auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére *eum.*

℣. Nihil profíciat inimícus in *eo.* ℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére *ei.*

℣. Dómine exáudi.

℣. Dóminus vobíscum.

Orémus. Oratio.

SUscípiat *te* Christus in número fidélium suórum, et nos licet indígni *te* suscípimus in oratiónibus nostris. Concédat *tibi* Deus per Unigénitum suum, mediatórem Dei et hóminum, tempus bene vivéndi, locum bene agéndi, constántiam bene perseverándi, et ad ætérnæ vitæ hereditátem felíciter perveniéndi. Et sicut nos hódie fratérna cáritas spirituáliter jungit in terris, ita divína píetas, quæ dilectiónis est auctrix et amátrix, nos cum fidélibus suis conjúngere dignétur in cœlis. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus. Oratio

ADésto Dómine supplicatiónibus nostris, et *hunc fámulum tuum, quem* in tuo sancto nómine ad participatiónem ómnium bonórum spirituálium, et fraternitátem recípimus hujus sacræ Religiónis, beátæ Genitríci tuæ Vírgini et Matri Maríæ speciáliter dedicátæ, bene ✠ dícere dignéris, et præsta : ut te largiénte, *devótus* in Ecclésia persístere *váleat* cum augménto virtútum : atque suffrágiis hujúsmodi sacri Ordinis *adjútus*, vitam percípere *mereátur* ætérnam. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Deinde conversus ad habitum dicat ℣. Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam. ℟. Et salutáre tuum da nobis.

℣. Dómine Deus virtútum convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

℣. Dómine exáudi.

℣. Dóminus vobiscum.

Orémus. Oratio.

SUpplíciter te Dómine rogámus, ut super hunc hábitum *servo tuo* imponéndum, bene ✠ díctio tua benígna descéndat, ut sit bene ✠ díctus : atque divína virtúte procul pellántur hóstium nostrórum visibílium, et invisibílium tela nequíssima. ℟. Amen.

Orémus. Oratio.

CAput ómnium fidélium Deus, et humáni géneris Salvátor, hunc hábitum, quem propter tuum, tuæque Genitrícis Vírginis Maríæ de Monte Carmélo amórem, atque devotiónem *servus tuus est delatúrus*, déxtera tua sanctí ✠ fica; et hoc, quod per illum mystice datur intélligi, tua semper custódia, córpore, et ánimo servétur : et ad remunerationem perpétuam cum sanctis ómnibus felicíssime *perducátur*. Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Orémus. Oratio.

CReátor, Conservátor, et Salvátor ómnium, largítor humánæ salútis Deus, et dator grátiæ spirituális, bene ✠ dictiónem tuam super hunc hábitum immítte, ut *qui* eum *gestáverit*, cœlésti virtúte *munítus*, fidem íntegram, spem firmam, et caritátem desiderátam *téneat*, et a te nunquam separári permíttas. Qui vivis, et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde aspergat habitum aqua benedicta, et postea ipsum imponat personæ recipienti dicens :

ACcipe *vir devóte* hunc hábitum benedíctum : precántes sanctíssimam Vírginem, ut ejus méritis illum pérferas sine mácula, et te ab omni adversitáte defféndat, atque ad vitam perdúcat ætérnam. ℟. Amen.

Deinde dicat :

EGo ex potestáte mihi trádita et concéssa, suscípio ac recípio *te* ad participatiónem ómnium oratiónum, disciplinárum, precum, suffragiórum, eleemosynárum, jejuniórum, vigiliárum, Missárum, Horárum Canonicárum ac ceterórum bonórum spirituálium, quæ passim die, noctúque (cooperánte misericórdia Jesu Christi) a Religiósis totíus nostræ sacræ Religiónis peragúntur. In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus sancti. ℟. Amen.

Postea signo Crucis benedicens personam S. Scapulare recipientem, dicat:

BEne ✠ dícat *te* cónditor cœli, et terræ, Deus omnípotens, qui *te* elígere dignátus est ad beatíssimæ Vírginis Maríæ de Monte Carmélo societátem et Confraternitátem : quam precámur, ut

in hora óbitus *tui* cónterat caput serpéntis, qui *tibi* est adversárius, et tandem tamquam *victor*, palmam et corónam sempitérnæ hereditátis *consequáris*. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Deinde aspergatur persona aqua benedicta, et nomen illius inscribatur libro confraternitatis.

Sacerdos debet in primis curare ut habitus debito modo sint confecti, id est, ex duabus panni oris figuræ quadrangularis, coloris tannei, aut nigri, aut ad nigredinem tendentis, duplici funiculo suspensis, ita ut supra pectus et supra dorsum Scapulare vere descendat.

Habitus sic confectos præscripta forma benedicat; ubi plures sint induendi, quot sunt fideles petentes, tot simul unica vice benedicere potest.

Habitus benedictos (et quidem a se ipso, non ab alio benedictos) fidelibus petentibus imponat, singulis separatim, præscriptam formam adhibendo.

Fideles, quibus sacrum Scapulare imposuit, doceat onera, seu obligationes Sodalitatis.

Hæc onera alia sunt generalia, alia specialia.

Onera generalia pro omnibus Confratribus sunt ut Scapulare deferant semper, et ut deferant illud debito modo, ad collum videlicet, ita ut supra pectus et supra dorsum descendat, sed nullo modo requiritur ut immediate corpus tangat.

Notandum est eos, qui semel rite recepti sunt in Sodalitatem, detrito priori Scapulari, novum assumere posse, quin hoc sit benedictum. Item qui sacrum Scapulare dimiserunt non tenentur postea ad novam sacri habitus receptionem a potestatem habente, sed sufficit ut sacrum habitum ipsi denuo resumant. S. I. Congr. 27 Maii 1857.

Onera specialia pro iis qui gaudere volunt privilegio vulgo nuncupato Bullæ Sabbatinæ (quod sodales qui pie ab hac vita decedunt, sabbato post eorum obitum a pœnis Purgatorii liberantur) duo sunt: 1. Ut quilibet castitatem servet statui suo correspondentem. 2. Ut qui legere possunt Officium B. M. V. quotidie illud recitent (cui oneri

illi, qui ad Officium canonicum tenentur, satisfaciunt ipsum recitando); qui vero legere nesciunt vel Officium B. M. V. recitare non possunt, jejunia ab Ecclesia præscripta servent, et insuper a carnibus abstineant qualibet Feria quarta et Sabbato, nisi forte Festum Nativitatis Domini iis diebus incidat, vel nisi justa de causa commutationem obtineant.

BENEDICTIO ROSARIORUM.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Dómine exáudi.
℣. Dóminus vobíscum.
Orémus. Oratio.

Omnípotens et misericors Deus, qui propter exímiam caritátem tuam, qua dilexísti nos, Fílium tuum unigénitum Dóminum nostrum Jesum Christum de cœlis in terram descéndere, et de beatíssimæ Vírginis Maríæ Dóminæ nostræ útero sacratíssimo, Angelo nuntiánte carnem suscípere voluísti, ut nos eríperes de potestáte diáboli : obsecrámus imménsam cleméntiam tuam, ut hæc signa Rosárii, in honórem et laudem Genitrícis Fílii tui ab Ecclésia tua fidéli dicáta, bene ✠ dícas et sancti ✠ fices, eísque tantam infúndas virtútem Spíritus sancti, ut quicúmque horum quódlibet secum portáverit atque in domo sua reverénter tenúerit, et in eis ad te secúndum ejúsdem sanctæ Societátis institúta, divína contemplándo mystéria, devóte oráverit, salúbri et perseveránti devotióne abúndet, sitque consors et párticeps ómnium gratiárum, privilegiórum et Indulgentiárum, quæ eídem Societáti per sanctam Sedem Apostólicam concéssa fuérunt; ab omni hoste visíbili et invisíbili, semper et ubíque in hoc sæculo liberétur, et in éxitu suo ab ipsa beatíssima Vírgine María Dei Genitríce tibi plenus bonis opéribus præsentári mereátur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO NOVÆ CRUCIS.

℣. Adjutórium nostrum.
℣. Sit nomen Dómini.
℣. Dóminus vobíscum.
Orémus. Oratio.

Rogámus te Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, ut

dignéris bene ✠ dícere hoc signum Crucis, ut sit remédium salutáre géneri humáno, sit solíditas fídei, proféctus bonórum óperum, redémptio animárum, sit solámen et protéctio ac tutéla contra sæva jácula inimicórum. Per Christum.

Orémus. Oratio.

BEne ✠ dic Dómine hanc Crucem tuam, per quam eripuísti mundum a dæmonum potestáte, et superásti passióne tua suggestórem peccáti, qui gaudébat in prævaricatióne primi hóminis ligni vétiti sumptiónem.

Hic aspergatur aqua benedícta.

SAnctificétur hoc signum Crucis in nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii et Spíritus ✠ sancti, ut orántes, inclinantésque se propter Dóminum ante istam Crucem invéniant córporis et ánimæ sanitátem. Per Dóminum.

BENEDICTIO IMAGINUM.

℣. Adjutórium, ut supra.

Orémus. Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus qui Sanctórum tuórum imágines sive effígies sculpi aut pingi non réprobas, ut quóties illas óculis córporis intuémur, tóties eórum actus et sanctitátem ad imitándum memóriæ óculis meditémur: hanc quæsumus imáginem, seu sculptúram, in honórem et memóriam Unigéniti Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi, vel beatíssimæ Vírginis Maríæ Matris Dómini nostri Jesu Christi, vel beáti N. Apóstoli tui, vel Mártyris Confessóris, Pontíficis aut Vírginis adaptátam, bene ✠ dícere et sancti ✠ ficáre dignéris; et præsta, ut quicúmque coram illa Unigénitum Fílium tuum vel beatíssimam Vírginem, vel gloriósum Apóstolum etc. supplíciter cólere et honoráre studúerit; illíus méritis et obténtu a te grátiam in præsénti, et ætérnam glóriam obtíneat in futúrum. Per eúmdem Christum.

Aspergatur aqua benedícta.

BENEDICTIO DOMUS.

℣. Adjutórium, ut supra.

Orémus. Oratio.

TE Deum Patrem omnipoténtem supplíciter exorámus pro hac domo et pro ejus habitatóribus, ac rebus in ea exsisténtibus; ut eam be-

ne ✠ dícere et sancti ✠ ficáre, ac bonis ómnibus ampliáre dignéris. Tríbue eis Dómine de rore cœli, et de pinguédine terræ abundántiam : et desidéria voti eórum ad efféctum tuæ miseratiónis perdú cas. Ad intróitum ergo nostrum bene ✠ dícere et sancti ✠ ficáre dignáre hanc domum sicut benedícere dignátus es domum Abraham, Isaac et Jacob : et intra paríetes domus istíus Angeli tuæ lucis inhábitent : eámque et ejus habitatóres custódiant. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.


BENEDICTIO AD OMNIA.

℣. Adjutórium nostrum.
℣. Dóminus vobíscum.

Orémus. Oratio.

DEus cujus verbo sanctificántur ómnia, benedictiónem ✠ tuam effúnde super creatúram istam (creatúras istas) et præsta ut quisquis ea (eis) secúndum legem et voluntátem tuam cum gratiárum actióne usus fúerit, per invocatiónem sanctíssimi nóminis tui, córporis sanitátem et ánimæ tutélam, te auctóre, percípiat. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Aspergat aqua benedicta.



Exercitium ante et post Missam,

QUO SACERDOTES NOSTRI PERQUAM UTILITER PRO OPPORTUNITATE SUA UTENTUR.

ANTE MISSAM.

DEvote lectis Hymno Veni Creátor Spíritus, et consuetis orationibus, conaberis elicere, præsertim circa hujus Sacrificii Mysterium, actus fidei, spei, et caritatis; deinde actum contritionis de peccatis unquam commissis cum proposito non peccandi de cetero : tum perge :

VErum Dómine sæpius propóno me emendáre; sed infírmus sum, frequénter relábor : et quidem tu scis infirmitátem meam et necessitátem; quam sæpe sum gravátus, tentátus, et inquinátus. Proínde pro auxílio, Dómine Jesu, ad te vénio, quia me adjuváre potes et consolári. Sed, quia cor et corpus hábeo multis peccátis, et imperfectiónibus maculátum ad te accédere véreor, et contremísco : quia tamen étiam peccatóres ad te cleménter vocas dicens, *Venite ad me omnes qui laborátis et oneráti estis, et ego refíciam vos;* de tua confídens bonitáte ad te veníre præsúmo. Prius équidem, o pia Déitas, áblue ánimam meam ab ómnibus peccátis et inordinátis affectiónibus, et orna illam ómnibus virtútibus, máxime illis in quibus tibi magis cómplaces.

SS. Virgo María, quæ S. Spíritu cooperánte, grátia plena Deum et hóminem párere digna fuísti, ímpetra mihi grátiam, ut eúmdem digne et pie váleam suscípere. S. Joseph, S. Angele Custos, SS. Patróni et Protectóres mei, et omnes Sancti et Angeli Dei impetráte mihi grátiam, ut atténte et devóte célebrem, ornáte ánimam meam vestris virtútibus et méritis, ut sic pláceam Dómino meo, et ófferam Sacrifícium hoc ætérno Patri in odórem suavitátis.

Igitur SS. Trínitas, óffero tibi hoc Missæ Sacrifícium in agnitiónem su-

prémi tui in nos Domínii, et nostræ subjectiónis; ad laudem SS. Nóminis tui, in Commemoratiónem Passiónis, Resurrectiónis, Ascensionísque in cœlum Dómini N. J. C. et ad honórem humilitátis ejúsdem. Offero illud per manus et ad honórem B. V. Maríæ, ómnium Angelórum, Sanctórum et Sanctárum, præsértim N N. in gratiárum actiónem pro magna glória tua, pro benefíciis mihi et áliis unquam collátis et conferéndis; ac in remissiónem ómnium peccatórum meórum et totíus mundi, atque in satisfactiónem pœnárum pro illis debitárum.

Volo autem hanc Missam celebráre in persóna Jesu Christi, ea caritáte qua ipse illud instítuit, et in ara Crucis se óbtulit. Volo consecráre Corpus et Sánguinem ejúsdem D. N. J. C. ea intentióne qua ipse consecrávit in última Cœna, et qua, ut cónsecrem, vult S. M. Ecclésia : atque hoc Sacrifícium, SS. Trínitas, sic óffero, primário ad intentiónem N. ea scílicet, qua vis et scis me debére celebráre, ut illi intentióni satisfáciam : deínde illud tibi óffero salva caritáte et justítia pro ómnibus, pro quibus quomodocúmque óbligor; pro illis qui meis précibus sunt commendáti; pro illis qui pro me orant : et nominátim pro me peccatóre, pro N N. et pro quibus scis et vis me debére oráre. Demum pro animábus in purgatório, speciáliter pro N N. In Nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti. Amen.

POST MISSAM.

Ecce Dómine Jesu jam possídeo te qui póssides ómnia. Utinam me totáliter accéndas, et in te transmútes, ut unus tecum effíciar spíritus per grátiam intérnæ uniónis. Fac Dómine ut totus ex te ignéscam, et in meípso defíciam, quia tu es ignis semper ardens et nunquam defíciens, amor corda purífícans et intelléctum illúminans. Réfice mentem meam tua grátia, cæcitátem meam illúmina claritáte præséntiæ tuæ, amóris tui igne frigiditátem meam accénde. Verte mihi ómnia terréna in amaritúdinem, ómnia grávia, et contrária in patiéntiam, ómnia infírma et

cadúca in contémptum et obliviónem. Erige cor meum ad te in Cœlum, et ne dimíttas me vagári super terram. Tu solus mihi ex hoc jam dulcéscas, quia tu solus es cibus et potus ánimæ meæ, solus amor meus et gáudium meum, et totum bonum meum.

Da mihi dulcíssime Jesu, ut hæc Córporis et Sánguinis tui prælibátio sit peccatórum meórum plena remíssio, vitiórum perfécta purgátio, concupiscéntiæ et libídinis exterminátio, túrpium cogitatiónum effugátio, bonorúmque sénsuum regenerátio. Sit mihi armatúra fídei, et scutum bonæ voluntátis; caritátis, humilitátis et ómnium virtútum augmentátio, sit córporis et ánimæ contra omnes insídias firma tuítio, et in te solo ac vero Deo firma adhæsio. Demum, precor te, ut hæc tui suscéptio sit mihi in auxílium éfficax, ut in ómnibus tibi pláceat sérvitus mea, ad majórem tuam glóriam et própriam proximíque salútem. Da Dómine Jesu véniam vivis, agonizántibus auxílium speciále, defúnctis réquiem, Ecclésiæ tuæ pacem, peccatóribus conversiónem, justis perseverántiam, cunctísque vitam et glóriam sempitérnam.

Sed quid Dómine Jesu retríbuam tibi pro ómnibus quæ tribuísti mihi, signánter, quia hódie dedísti mihi peccatóri corpus et sánguinem tuum consecráre et súmere in memóriam tuórum mirabílium, ad glóriam tuam et nostram salútem? Inops et pauper sum ego : et ídeo in gratiárum actiónem óffero divínæ Majestáti tuæ omnes laudes et benedictiónes quas infiníte in te póssides, et quas unquam tibi ullæ tuæ creatúræ dedérunt et dabunt in ætérnum; rogo te, ut tibi ipsi grátias ágere et laudáre et glorificáre compláceas. Vos quoque B. V. María, SS. NN. et omnes creatúræ, pro me hódie Dómino Deo grátias ágite. Benedícite ómnia ópera Dómini Dómino, laudáte et superexaltáte eum in sæcula, quia Agnus dignus est accípere omnem laudem glóriam et benedictiónem. Tandem benigníssime Jesu in gratiárum actiónem súscipe omnes cogitatiónes

meas, verba et ópera: útere poténtiis córporis et ánimæ meæ nunc et semper juxta divínum tuum beneplácitum, quia nihil ita desídero, quam quotiescúmque respirábo, in ætérnum voluntátis meæ afféctus in tuis láudibus multiplicáre.

O Amor, qui ómnia potes, quando fácies, ut díligam te toto corde, tota ánima, totis víribus?

Pénetret, quæso, hujus Sacraménti virtus ómnia íntima mea et quidquid in me pravum, quidquid vitiósum est, mortíficet et eradícet.

Emítte ex te benigníssime Jesu, amóris tui rádios, qui me succéndant, et quidquid terrénum in me est, combúrant et consúmant, ut igne inexstinguíbili caritátis tuæ árdeam et vetus in me homo totus defíciat.

RHYTHMUS S. THOMAE
ad sacram Eucharistiam.

Adoro te devóte, latens Déitas,
Quæ sub his figúris vere látitas:
Tibi se cor meum totum súbjicit,
Quia te contémplans, totum déficit.

Visus, tactus, gustus in te fállitur,
Sed audítu solo tuto créditur:
Credo quidquid dixit Dei Fílius,
Nil hoc Veritátis verbo vérius.

In Cruce latébat sola Déitas,
At hic latet simul et humánitas:
Ambo tamen credens, atque cónfitens,
Peto quod petívit latro pœnitens.

Plagas, sicut Thomas, non intúeor,
Deum tamen meum te confíteor:
Fac me tibi semper magis crédere,
In te spem habére, te dilígere.

O memoriále mortis Dómini,
Panis vivus vitam præstans hómini:
Præsta meæ menti de te vívere,
Et te illi semper dulce sápere.

Pie pellicáne, Jesu Dómine,
Me immúndum munda tuo sánguine:
Cujus una stilla salvum fácere
Totum mundum quit ab omni scélere.

Jesu quem velátum nunc adspício,
Ora fiat illud, quod tam sítio,
Ut te reveláta cernens fácie,
Visu sim beátus tuæ glóriæ. Amen.

SS. Virgo María apud diléctum Fílium tuum pro me interpélla, ut quidquid in hoc sacrifício quomodocúmque delíqui mihi ipse indulgére dignétur. Eia pia Mater, S. Joseph, S. Angele custos, SS. Patróni et Protectóres mei intercédite pro me, ut panis ille cœléstis, quem modo sumpsi, præstet mihi contra omnes infirmitátes, perícula et insídias, robur et tutámen, ut in fortitúdine cibi illíus pervéniam tandem ad glóriam pátriæ cœléstis, ut ibi júgiter vobíscum laudem et glorífícem Deum ac Dóminum nostrum per ómnia sæcula sæculórum.

Gáudium cum pace, emendatiónem vitæ, spátium veræ pœniténtiæ, grátiam et consolatiónem S. Spíritus, perseverántiam in bonis opéribus tríbuat nobis omnípotens et miséricors Dóminus.

Et fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace.

Pater noster. Ave María.

Litaniae B. Mariae Virginis.


Kyrie eléison.
Christe eléison.
Kyrie eléison.
Christe audi nos.
Christe exáudi nos.
Pater de cœlis Deus, miserére nobis.
Fili Redémptor mundi Deus, miserére nobis.
Spíritus sancte Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas unus Deus, miserére nobis.
Sancta María, Ora pro nobis.
Sancta Dei Génitrix, ora.
Sancta Virgo Vírginum, ora pro nobis.
Mater Christi, ora.
Mater Divínæ grátiæ, ora.
Mater Puríssima, ora.
Mater Castíssima, ora.
Mater Invioláta, ora.
Mater Intemeráta, ora.

Mater Amábilis, ora.
Mater Admirábilis, ora.
Mater Creatóris, ora.
Mater Salvatóris, ora.
MATER DECOR CARMELI, ora.
Virgo Prudentíssima, ora.
Virgo Veneránda, ora.
Virgo Prædicánda, ora.
Virgo Potens, ora.
Virgo Clemens, ora.
Virgo Fidélis, ora.
VIRGO FLOS CARMELI, ora pro nobis.
Spéculum Justítiæ, ora.
Sedes Sapiéntiæ, ora.
Causa nostræ lætítiæ, ora.
Vas Spirituále, ora.
Vas Honorábile, ora.
Vas Insígne devotiónis, ora pro nobis.
Rosa Mystica, ora.
Turris Davídica, ora.
Turris Ebúrnea, ora.
Domus Aurea, ora.
Fœderis Arca, ora.
Jánua Cœli, ora.
Stella Matutína, ora.
Salus Infirmórum, ora.
Refúgium peccatórum, ora pro nobis.
Consolátrix Afflictórum, ora pro nobis.
Auxílium Christianórum, ora pro nobis.
PATRONA CARMELITARUM, ora.
Regína Angelórum, ora.
Regína Patriarchárum, ora pro nobis.
Regína Prophetárum, ora.
Regína Apostolórum, ora.
Regína Mártyrum, ora.
Regína Confessórum, ora.
Regína Vírginum, ora.
Regína Sanctórum ómnium, ora.
Regína sine labe originali concépta, ora.
Regína sacratíssimi Rosárii, ora.
SPES OMNIUM CARMELITARUM, ora.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exáudi nos Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis.

℣. Angelus Dómini nuntiávit Maríæ. ℟. Et concépit de Spíritu sancto.

Orémus.

Grátiam tuam, quæsumus Dómine, méntibus nostris infúnde; ut qui, Angelo nuntiánte, Christi Fílii tui incarnatiónem cognóvimus, per Passiónem ejus et Crucem, ad Resurrectiónis glóriam perducámur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

ORATIO NOSTRI S. SIMONIS STOCK AD B. M. V.

Flos Carméli,
Vitis florígera,
Splendor cœli,
Virgo puérpera
Singuláris :
Mater mitis,
Sed viri néscia,
Carmelítis
Da privilégia,
Stella Maris.

℣. Sancta María Mater Christi audi rogántes sérvulos. ℟. Et impetrátam nobis cœlitus tu defer indulgéntiam.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam.

℣. Dóminus vobíscum.

Orémus Oratio.

DEus, qui beatíssimæ semper Vírginis, et Genitrícis tuæ Maríæ singulári título Carméli Ordinem decorásti : concéde propítius; ut cujus hódie commemoratiónem celebrámus, ejus muníti præsídiis ad gáudia sempitérna perveníre mereámur.

Oratio.


DEfénde, quæsumus Dómine, beáta María semper Vírgine intercedénte, istam ab omni adversitáte famíliam tuam, et toto corde tibi prostrátam, ab hóstium propítius tuére cleménter insídiis. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

In omni tribulatióne et angústia succúrrat nobis pia Virgo María. Amen.

SALUTATIO DEVOTA AD B. V. MARIAM.

Ave Fília Dei Patris.
Ave Mater Dei Fílii.
Ave Sponsa Spíritus Sancti.
Ave Templum totíus SS. Trinitátis.



De modo recipiendi Novitios.



Um aliquis Novitius recipiendus fuerit, sub legibus, et præceptis in Constitutionibus declaratis, primo suo receptionis die radatur more Fratrum, et induatur tunica alba, usque ad mediam tibiam, cum aliqua sæculari veste desuper; et aliquis Frater eum instruat de petendis, dicendis, et agendis: et Fratres ad signum campanæ in Capitulo, aut in Sacristia congregentur: adducaturque Novitius coram Præsidente, qui sit indutus Stola super Cappam albam, ad dexteram habens aquam benedictam, ac ad sinistram Tunicam, Zonam, Scapulare, cum Caputio, et Cappam albam, ipso, et Conventu sedente. Tunc Præsidens interroget Novitium genuflexum: Quid petis? Novitius respondeat: Peto per misericórdiam Dei, probári sub obediéntia, paupertáte, et castitáte, in vestri Ordinis societáte. Cui Præsidens exponat labores, austeritates, et difficultates Ordinis, Regulæ, et Constitutionum; similiter exponat tres articulos, quos observare oportet, scilicet se obedienter, caste, et sine proprio victurum. Quibus declaratis, requirat si ista devote, et propter Dei amorem velit observare. Cui Novitius respondeat: Dei grátia fretus, et oratiónibus Fratrum fulcítus, ea observáre conábor.

Tunc Præsidens dicat: Deus, qui te incépit in nobis, ipse te perfíciat. Per Christum Dóminum nostrum.

Respondeant Fratres: Amen.

Præsidens exuens eum vestibus sæcularibus, di-

cat : Exuat te Dóminus véterem hóminem cum áctibus suis. ℟. Amen.

Mox surgant omnes, et Praesidens dicat : ℣. Dómine Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

℣ Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Dóminus vobíscum.

Orémus. Oratio.

DOmine Deus virtútum, súpplices deprecámur cleméntiam tuam; ut hunc fámulum tuum (hos fámulos tuos) N. miseratiónis tuæ abundántia ab omni vetustátis ereptióne expúrges, et capácem (capáces) sanctæ novitátis effícias. Per Christum Dóminum nostrum.

Orémus. Oratio.

DEus indulgéntiæ, et misericordiárum Pater, qui severitátem tuæ discretiónis témperans, indulsísti, ne fílius portet iniquitátem patris; qui mira étiam dispensatióne malis bene utens, tuæ dignatiónis grátiam per peccatórum ministérium frequénter largíris : quæsumus cleméntiam tuam; ut huic fámulo tuo (his fámulis tuis) non obsístat, quod hábitum nostræ sacræ Religiónis ad honórem beátæ Vírginis Maríæ de Monte Carmélo dedicátæ, per nos tam ac táliter indígnos áccipit (accípiunt) : sed ministérium, quod extérius per nos exhibétur, tu intérius per donum sancti Spíritus exsequáris. Per Christum Dóminum nostrum.

Orémus. Oratio.

DEus, qui per coætérnum Fílium tuum cuncta creásti, quique mundum peccátis inveterátum per mystérium sanctæ Incarnatiónis ejus renováre dignátus es : te supplíciter exorámus; ut ejúsdem Dómini nostri grátia super hunc fámulum (hos fámulos) abrenuntiatiónem sæculi profiténtem (profiténtes), cleménter respícere dignéris; per quam in spíritu suæ mentis renovátus (renováti), véterem hóminem cum áctibus suis éxuat (éxuant); et novum hóminem, qui secúndum Deum creátus est, indúere mereátur (mereántur). Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.

Orémus. Oratio.

DOmine Jesu Christe, qui es via, sine qua nemo venit ad Patrem :

quæsumus cleméntiam tuam; ut hunc fámulum tuum (hos fámulos tuos), a carnálibus desidériis abstráctum (abstráctos), per iter disciplínæ Reguláris dedúcas; et qui peccatóres vocáre dignátus es, dicens : Veníte ad me omnes, qui laborátis, et oneráti estis, et ego refíciam vos; præsta, ut hæc vox invitatiónis tuæ, ita in eum (eos) convaléscat, quátenus peccatórum ónera depónens (deponéntes), quam dulcis es gustans (gustántes), tua refectióne sustentári mereátur (mereántur). Et quem (quos) vestíri de tuis óvibus dignátus es, agnósce eum (eos) inter oves istas : ut ipse (ipsi) te agnóscat (agnóscant), et aliénum non sequátur (sequántur), sed te : nec áudiat (áudiant) vocem alienórum, sed tuam quæ dicit : Qui mihi minístrat, me sequátur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum.

Orémus. Oratio.

Sancte Spíritus, qui te Deum ac Dóminum reveláre dignátus es mortálibus; postulámus imménsam tuæ pietátis grátiam; ut, sicut ubi vis spiras, sic huic fámulo tuo (his fámulis tuis) afféctum devotiónis indúlgeas : ut, qui tua sapiéntia est cónditus (sunt cónditi), tua quoque providéntia gubernétur (gubernéntur) : quem (quos), juxta tuam consuétam grátiam, unctióne tua illumináre dignéris; et per intercessiónem beatíssimæ Vírginis Maríæ, quam præcípuam hujus sanctæ Religiónis Patrónam dedísti, eum (eos) a vanitáte sæculi veráciter convérte : et sicut es ómnium peccatórum remíssio, ita depriméntes impietátis obligatiónes in eo (eis) dissólve, et ad observántiam hujus sancti propósiti fac eum (eos) ita certátim fervére, ut in tribulatiónibus et angústiis, tua indeficiénte consolatióne, váleat (váleant) respiráre : ut et juste et pie per veram humilitátem, atque obediéntiam, castitátem et paupertátem, in fratérna caritáte fundátus (fundáti) atque radicátus (radicáti), quod, te donánte, promíttit (promíttunt), felíci perseverántia cómpleat (cómpleant). Quod ipse præstáre dignéris, qui cum Deo Patre, sanctóque

Unigénito ejus Dómino nostro Jesu Christo, unus gloriáris Deus per infiníta sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Deinde induat eum Præsidens habitu Ordinis : et primo imponendo Tunicam faciens signum Crucis, dicat : **Induat te Dóminus novum hóminem, qui secúndum Deum creátus est in justítia et sanctitáte veritátis. In nómine Patris, ✠ et Fílii, et Spíritus sancti.**

℟. **Amen.**

Deinde det ei Cingulum, sive Zonam, dicendo. **Cum esses júnior, cingébas te, et ambulábas ubi volébas : cum autem senúeris, álius te cinget. In nómine Patris, ✠ et Fílii et Spíritus sancti.**

℟. **Amen.**

Imponendo ei Scapulare cum Caputio, dicat : **Tolle jugum Christi suáve, et onus ejus leve. In nómine Patris, ✠ et Fílii, et Spíritus sancti.**

℟. **Amen.**

Imponendo ei Cappam albam, dicat : **Qui sequúntur Agnum sine mácula, ambulábunt cum eo in albis : ídeo sint semper tua vestiménta cándida, in signum tuæ intérnæ puritátis. In nómine Patris, ✠ et Fílii, et Spíritus sancti. ℟. Amen.**

Deinde Prælatus aspergat eum aqua benedicta : et extendens manum super eum, dicat :

℣. **Dóminus vobíscum.**

Orémus. Oratio.

Adésto supplicatiónibus nostris : et hunc fámulum tuum, cui (hos fámulos tuos, quibus) in tuo sancto nómine hábitum nostræ sacræ Religiónis imposúimus, be✠nedícere dignéris : et præsta; ut, te largiénte, devótus (devóti) in Ecclésia persístere, et vitam percípere mereátur (mereántur) ætérnam. Per Christum etc.

Postea omnibus genuflexis, Præsidens incipiat solemniter Hymnum.

Hymnus. D. Ambr.

Veni, Creátor Spíritus,
Mentes tuórum vísita,
Imple supérna grátia,
Quæ tu creásti péctora.

Qui Paráclitus díceris,
Donum Dei altíssimi,
Fons vivus, ignis, cáritas,
Et spiritális únctio.

Tu septifórmis múnere,
Dextræ Dei tu dígitus,
Tu rite promíssum Patris
Sermóne ditans gúttura.

Accénde lumen sénsibus,
Infúnde amórem córdibus,
Infírma nostri córporis
Virtúte firmans pérpeti.
Hostem repéllas lóngius,
Pacémque dones prótinus,
Ductóre sic te prævio,
Vitémus omne nóxium.
Per te sciámus, da, Patrem,
Noscámus atque Fílium,
Te utriúsque Spíritum,
Credámus omni témpore.
Sit laus Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito :
Nobísque mittat Fílius
Charísma sancti Spíritus. Amen.

Tempore Paschali ante ultimum Versum Hymni dicitur Versus : **Quæsumus Auctor ómnium,** et **Sit laus Patri cum Fílio.**

Tempore Ascensionis dicitur ℣. **Tu esto nostrum gáudium,** et **Sit laus Patri cum Fílio.**

In die et per Oct. Pentec. dicitur ℣. **Dudum sacráta péctora,** et **Sit laus Patri cum Fílio.**

Dicto primo Versu Hymni surgant omnes, et cantando Hymnum eant processionaliter ad Ecclesiam : et Novitius prosternat se ante medium altaris supra tapetum antea præparatum, et Prælatus stet juxta cornu altaris, ceteri Fratres in sedilibus suis.

Hymno dicto, dicitur **Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.**

Pater noster.

Præsidens stans juxta Novitium dicat

℣. **Et ne nos indúcas.**

℣. **Manda Deus virtúti tuæ.** ℟. **Confírma hoc Deus, quod operátus es in eo (eis).**

℣. **Salvum (salvos) fac servum tuum (servos tuos).** ℟. **Deus meus sperántem (sperántes) in te.**

℣. **Esto ei (eis) Dómine turris fortitúdinis.** ℟. **A fácie inimíci.**

℣. **Nihil profíciat inimícus in eo (eis).** ℟. **Et fílius iniquitátis non appónat nocére ei (eis).**

℣. **Ora pro eo (eis) sancta Dei Génitrix.** ℟. **Ut dignus efficiátur (digni efficiántur) promissiónibus Christi.**

℣. **Dómine exáudi oratiónem meam.** ℟. **Et clamor meus ad te véniat.**

℣. **Dóminus vobíscum.**

Orémus. Oratio.

DEus, qui corda fidélium sancti Spíritus illustratióne docuísti; da ei (eis) in eódem Spíritu recta sápere, et de ejus semper consolatióne gaudére.

In die, et infra Octavam Pentecostes supradicta Oratio incipitur sic : Deus, qui hodiérna die corda fidélium.

Oratio.

PRótege, Dómine, fámulum tuum (fámulos tuos) subsídiis pacis : et beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis confidéntem (confidéntes), a cunctis hóstibus redde secúrum (secúros).

Oratio.

DEus, qui justíficas ímpium, et non vis mortem peccatórum, majestátem tuam supplíciter exorámus, ut fámulum tuum (fámulos tuos), de tua misericórdia confidéntem (confidéntes), cœlésti prótegas benígnus auxílio, et assídua protectióne consérves : ut tibi júgiter famulétur (famuléntur), et nullis tentatiónibus a te separétur (separéntur).

Oratio.

DEus miséricors, Deus clemens, cui cuncta bona placent, sine quo nihil bonum inchoátur, nihil bonum perfícitur; adsint nostris humílibus précibus tuæ pietátis aures : et hunc fámulum tuum, cui (hos fámulos tuos, quibus) in tuo sancto nómine sacræ nostræ Religiónis hábitum imposúimus, a mundi impediménto, et sæculári desidério defénde : et concéde ei (eis), ut in hoc sancto propósito devótus persístat (devóti persístant) : et remissióne peccatórum percépta, ad electórum tuórum váleat (váleant) consórtium pervenire.

Oratio.

DEus, qui non vis mortem peccatóris, sed pœniténtiam, et vitæ emendatiónem semper inquíris : te supplíciter deprecámur; ut huic fámulo tuo (his fámulis tuis), sæculáribus áctibus renuntiánti (renuntiántibus), largam tuæ pietátis grátiam infúndere dignéris : quátenus castris tuis insértus (insérti), ita tibi militándo, stádium vitæ præséntis percúrrere váleat (váleant), ut bravíum ætérnæ remuneratiónis, te donánte, percípiat (percípiant) : et sicut iste (isti), te Deo inspiránte, nostris optat (optant) jungi consórtiis, propter quod damus ei (eis) commúnem societátem vivéndi nobíscum, quátenus a te Dómine póssumus promeréri, et nostrum est largíri, sic

cum eléctis a te remuneratóre ómnium bonórum váleat (váleant) præmia repromíssa percípere. Per Christum etc.

His dictis, aspergatur aqua benedicta, et post a terra elevetur : et manibus junctis ducatur ad osculandum altare reverenter, et devote : deinde manum Præsidentis, et postea manus omnium Sacerdotum, dicendo unicuique eorum : **Ora Deum pro me Pater**; ultimo faciat reverentiam amplectendo singulos alios Fratres seu osculando eorum Scapulare, dicendo unicuique : **Ora Deum pro me Frater.** Interim cantatur a choro Ps. **Ecce quam bonum. 171.** Postea in ultimo loco collocetur, ubi stet versus altare usque in finem Missæ, et tunc communicet devote. Vestes quoque ejus sæculares reserventur, usque ad Professionem.

DE MODO PROFESSANDI.

Cum dies Professionis advenerit, congregatis Fratribus (ut in receptione Novitiorum cautum est) adducatur Novitius in tunica Ordinis absque cingulo, et sine Scapulari : et genuflexus ante Præsidentem, Stolam super Cappam albam habentem, et ad dexteram aquam benedictam, ad sinistramque Scapulare cum Caputio, Zonam, et Cappam albam; Præsidens petat, et exponat, (ut supra in receptione Novitiorum dictum est :) quo respondente, esse paratum observare (ut supra dictum est,) appropinquet ad Præsidentem : et manus suas, in quibus sit Schedula continens suam Professionem, sua manu (si scribere sciat) scriptam, et obsignatam, ponat inter manus Præsidentis. Si autem scribere nescit, faciat in ea propria manu signum Crucis, in dorso Schedulæ ponatur dies, mensis et annus Professionis hujusmodi : et voce tenus dicat suam Professionem.

Si in manibus Reverendissimi Prioris Generalis sit facienda Professio, dicat in hac forma Professionem.

Ego Frater N. **fácio Professiónem meam: et promítto Obediéntiam, Paupertátem, et Castitátem Deo, et beátæ Maríæ Vírgini de Monte Carmélo,**

et tibi Reverendíssimo Patri N. **Prióri Generáli Fratrum Ordinis ejúsdem beátæ Maríæ Vírginis de Monte Carmélo, tuísque successóribus, secúndum Régulam prædícti Ordinis, usque ad mortem : juxta decrétum Piánum, quod incipit : " Néminem latet ", datum die 19 Mártii 1857, et análogas instructiónes Prióri Generáli exhíbitas, ac éditas die 16. Augústi 1858, quæ incípiunt : " Sanctíssimus Dóminus noster Pius Papa ix. atténtis précibus etc. "**

Si autem aliquis alius præsideat, dicat sic :

EGo Frater N. **fácio Professiónem meam : et promítto Obediéntiam, Paupertátem, et Castitátem Deo, et beátæ Maríæ Vírgini de Monte Carmélo, et Reverendíssimo Patri** N. **Prióri Generáli Fratrum Ordinis ejúsdem beátæ Maríæ Vírginis de Monte Carmélo, suísque successóribus secúndum Régulam prædícti Ordinis, usque ad mortem : juxta Decrétum Piánum quod íncipit : " Néminem latet ", datum die 19. Mártii 1857, et análogas instructiónes Prióri Generáli exhíbitas, ac éditas die 16. Augústi 1858, quæ incípiunt : " Sanctíssimus Dóminus noster Pius Papa ix. atténtis précibus etc. "**

Si sit laicus, qui facit Professionem, aut non intelligens Latinum, vel Clericus, coram sæcularibus dicat Professionem in vulgari.

Repetita ter Professione, Præsidens dicat : **Immola Deo sacrifícium laudis.** Fratres respondeant : **Et redde Altíssimo vota tua.**

Tunc Professus ponat Schedulam in manibus Præsidentis, dicendo : **Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus : in átriis domus Dómini.**

Schedula illa ab omnibus Fratribus, qui adfuerunt Professioni, subscribatur : et in arca communi diligenter custodiatur : ut ad omnem eventum possit sciri, qui, et quando fuerint professi.

Deinde dicat Præsidens : **Deus, qui te incépit in nobis, ipse te perfíciat. Per Christum Dóminum nostrum.** ℟. **Amen.**

Tunc surgant omnes, excepto Professo, et Præsidens benedicat eum, dicens : ℣. **Dóminus vobíscum.**

Orémus. Oratio.

SEmpitérne Deus, et omnípotens Pater, qui humánæ fragilitátis infirmitátem agnóscis; réspice, quæsumus, super hunc fámulum tuum (hos fámulos tuos) N. et larga tuæ bene ✠ dictiónis abundántia imbecillitátem ejus (eórum) corroboráre dignéris : ut promíssa vota, quæ præveniéndo adspirásti, per auxílium grátiæ tuæ, sancte, pie, ac religióse vivéndo, váleat (váleant) vigilánter observáre, et observándo vitam promeréri sempitérnam. Per Christum Dóminum nostrum.

Orémus. Oratio. Deus indulgéntiæ. Deus, qui per coætérnum. Dómine Jesu Christe. Sancte Spíritus, ut supra in receptione Novitiorum.

Deinde convertat se Præsidens ad vestes, et benedicat eas, dicens :

℣. Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam. ℟. Et salutáre tuum da nobis.

℣. Dómine Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

℣. Dómine exáudi.

℣. Dóminus vobíscum.

Orémus. Oratio.

DOmine Jesu Christe, qui nostræ mortalitátis trábeam indúere voluísti : imménsam tuam largitátem obsecrámus; ut abundántem benedictió- ✠ nem in hoc vestiménti genus afflúere dignéris, quod sancti Patres ad innocéntis, et húmilis vitæ indícium abdicáto sæculo portári sanxérunt : atque hoc ita bene ✠ dícas, ut fámulus tuus (fámuli tui), qui eo usus fúerit (usi fúerint), te vestíri mereátur (mereántur). Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Orémus. Oratio.

DOmine Jesu Christe auctor virtútum, et amátor pœniténtium : qui virtútibus ómnibus præditus in hoc sæculo appáruísti, atque paupertátem et castitátem peculiáriter manifestándas elegísti, et peccatóres ad pœniténtiam misericórditer vocásti, et omnes fidéliter se converténtes pie suscepísti : tuam ineffábilem misericórdiam supplíciter exorámus : quátenus hunc hábitum sancti ✠ ficáre, et bene ✠ dícere dignéris : et concéde propítius; ut quicúmque illum de-

vóte in signum sanctæ conversatiónis gestáverit, cum veste cándida, atque immaculáta ante tribúnal tuum in Sanctórum ágmine glorificátus, in die judícii váleat apparére. Qui cum Patre et Spíritu sancto vivis et regnas Deus in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Deinde aspergat vestes aqua benedicta, dicendo : **In nómine Pa-✠tris, et Fílii, et Spíritus sancti, Amen.**

Postea Præsidens cingat eum Cingulo, dicens : **Cum esses júnior, cingébas te, et ambulábas, ubi volébas : cum autem senúeris, álius te cinget. In nómine Patris, ✠ et Fílii, et Spíritus sancti.**

℟. Amen.

Imponendo ei Scapulare cum Caputio, dicat : **Induat te Dóminus novum hóminem, qui secúndum Deum creátus est in justítia et sanctitáte veritátis. In nómine Patris, ✠ et Fílii, et Spíritus sancti.**

℟. Amen.

Imponendo ei Cappam albam, dicat : **Qui sequúntur Agnum sine mácula, ambulábunt cum eo in albis : ídeo sint semper tua vestiménta cándida, in signum tuæ intérnæ puritátis. In nómine Patris, ✠ et Fílii, et Spíritus sancti.** ℟. **Amen.**

Deinde aspergat eum aqua benedicta : et extendens manum super eum dicat hanc Orationem, sine **Dóminus vobíscum,** sed solum.

Orémus. Oratio.

Dominus Jesus Christus, Pater misericordiárum, et consolátor peccatórum, qui dixit : Nolo mortem peccatóris, sed magis, ut convertátur; et qui non venit vocáre justos, sed peccatóres ad pœniténtiam ; ipse sua ineffábili misericórdia, et sólita pietáte ad veram cordis contritiónem te (vos) vocet, et grátiam devótæ pœniténtiæ inspíret : ut digne hábitum sanctæ Professiónis gérere, et votum tuæ (vestræ) Professiónis, et promíssa sancti Ordinis váleas (valeátis) adimplére, ac in suo sancto servítio perseveráre, et cum eléctis ejus ad ætérna gáudia felíciter perveníre. Qui cum Patre et Spíritu sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculórum. ℟. **Amen.**

Et iterum aspergat eum aqua benedicta, dicens : **In**

nómine Patris, et Fílii, et Spíritus sancti. ℟. Amen. Tunc Præsidens incipiat solemniter. **Te Deum laudámus. 20.** et ducatur processionaliter ad Ecclesiam : et reliqua omnia fiant, ut in receptione Novitiorum dictum est.

DE COMMUNIONE INFIRMORUM.



Um Communicandus fuerit infirmus, pulsetur campana tribus vicibus, et Fratres omnes cum Cappis albis conveniant in Ecclesiam : et facturus Officium indutus Alba, et Stola, et Cappa serica, seu Pluviali, ubi fuerit, et super humeros habens pannum, seu velum sericum longum, accipiat sacratissimum Corpus Christi in Calice, et cum patena cooperiat, et desuper mappula munda : et processionaliter procedant primo duo Acolythi induti superpelliceis, quorum alter laternam cum lumine, et nolam pulsando portet, alter vero aquam benedictam et phialas cum vino et aqua : deinde omnes Fratres cum candelis accensis, dicendo alternatim Psalmum **Miserére,** et si necesse fuerit, reiteretur, ultimo Minister cum sacratissimo Sacramento : qui cum pervenerit ad locum ubi jacet infirmus, dicat : **Pax huic dómui.** Respondeant alii : **Et ómnibus habitántibus in ea.** Tunc ponat Calicem cum Sacramento in loco decenter et debite antea præparato : et accipiens aspersorium, aspergat infirmum incipiens Antiphonam **Aspérges me,** omnibus aliis prosequentibus, cum ℣. **Miserére mei. Et secúndum multitúdinem.** **Glória Patri,** et **Sicut erat,** etc. et repetita Antiphona. **Aspérges me,** dicat ℣. **Salvum fac servum tuum.** ℟. **Deus meus sperántem in te.**

℣. **Mitte ei Dómine auxílium de sancto.** ℟. **Et de Sion tuére eum.**

℣. **Nihil profíciat inimícus in eo.** ℟. **Et fílius iniquitátis non appónat nocére ei.**

℣. **Esto ei Dómine turris fortitúdinis.** ℟. **A fácie inimíci.**

℣. **Dómine exáudi oratiónem meam.**

℣. **Dóminus vobíscum.**

Orémus. Oratio.

DEus, infirmitátis humánæ singuláre præsídium, auxílii tui super

infírmum nostrum osténde virtútem : ut ope misericórdiæ tuæ adjútus, Ecclésiæ tuæ sanctæ incólumis repræsentári mereátur. Per Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde benigne infirmum interroget, si quid aliud ad confitendum sibi restat, aut non bene confessus, vel declaratum, etc. Quod si habeat, aliis locum dantibus, audiat. Deinde infirmus humiliter roget Priorem, et ceteros Fratres, ut si quid erga eos dereliquerit, ei gratis dimittant : et Minister vice omnium, respondeat, omnia ei dimitti. Postea infirmus faciat generalem Confessionem dicendo ; **Confíteor Deo,** et si nequiverit, saltem tundens pectus dicat : **Mea culpa de ómnibus peccátis meis : precor vos oráre pro me.** Tunc omnes Fratres dicant : **Misereátur tui,** etc. Postea Prior solus (si adsit, etiam si ipse non fecerit Officium) stans prope infirmum, dicat : **Indulgéntiam,** et postea dicat hanc Orationem :

Dominus noster Jesus Christus, qui dixit discípulis suis : Quæcúmque ligavéritis super terram, erunt ligáta et in cœlis : et quæcúmque solvéritis super terram, erunt solúta et in cœlis : de quorum número (quamvis indígnos) nos esse vóluit : ipse te absólvat per ministérium nostrum ab ómnibus peccátis tuis, quæcúmque cogitatióne, locutióne, operatióne, et omissióne negligénter egísti : atque a néxibus peccatórum tuórum absolútum perdúcere dignétur ad regna cœlórum. Qui cum Patre et Spíritu sancto vivit et regnat.

℟. Amen.

Deficiente Priore, prædicta dicat qui facit Officium. Postea Minister reverenter accipiat Corpus Christi, et anteponat infirmo, dicens : **Ecce, Frater, Corpus Dómini nostri Jesu Christi, quod tibi deférimus. Credis hoc esse verum corpus ejus, in quo est salus, et vita et resurréctio nostra?**

Infirmus respondet. **Credo,** et percutiens pectus dicat ter : **Dómine non sum dignus, ut intres sub tectum meum : sed tantum dic verbo, et sanábitur ánima mea.**

Tunc porrigat ei Sacramentum, dicens : **Accipe**

viáticum Córporis Dómini nostri Jesu Christi, qui te custódiat ab hoste malígno, et perdúcat in vitam ætérnam. ℞. Amen.

Postea abluat digitos cum vino et aqua, et det ei ablutionem, et dicat :

℣. Dómine exáudi.

℣. Dóminus vobíscum.

Orémus.

Domine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, te fidéliter deprecámur; ut accipiénti Fratri nostro sacrosánctum Corpus Dómini nostri Jesu Christi Fílii tui, tam córpori, quam ánimæ prosit ad remédium sempitérnum. ℞. Amen.

Et iterum aspergat eum aqua benedicta, dicens :

Orémus.

Exáudi nos, Dómine sancte Pater omnípotens, ætérne Deus, et míttere dignéris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui custódiat, fóveat, prótegat, vísitet, et defféndat omnes habitántes in hoc habitáculo. Per Christum Dóminum nostrum.

Benedíctio Dei omnipoténtis Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ sancti descéndat super te, et máneat semper. ℞. Amen.

Deinde revertantur ad Sacristiam ordine, quo venerunt, dicendo Psalmum Miserére mei.

℣. Dómine exáudi.

℣. Dóminus vobíscum.

Orémus. Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, salus ætérna credéntium, exáudi nos pro fámulo tuo infírmo Fratre nostro, pro quo misericórdiæ tuæ implorámus auxílium : ut rédditа sibi sanitáte, gratiárum tibi in Ecclésia tua réferat actiónes. Per Christum Dóminum nostrum.

Non pulsetur nola ad regressum, nisi in casu quo Corpus Domini contigerit reportari; et tunc post Psalmum Miserére, dicatur Orat. Deus, qui nobis sub Sacraménto, ut in die Corporis Christi; et Oratio Omnípotens sempitérne, ut supra.

Si Prior fuerit infirmus, et communicandus, serventur omnia prædicta : hoc addito, quod post Confíteor Deo. Misereátur. Indulgéntiam, et Dóminus noster Jesus Christus, Fratres humiliter rogent illum, ut ipse etiam dimittat eis, quidquid erga eum deliquerint; et si convenienter lo-

qui potuerit, Fratres petant ab eo absolutionem, dicendo : **Confíteor Deo.** Et ipse subjungat : **Misereátur, et Indulgéntiam.**

Prædictus modus communicandi servetur pro Sororibus, mutato nomine sexus, et idem servetur in earum Extrema Unctione, Commendatione animæ, et Sepultura, ut infra.

DE UNCTIONE INFIRMORUM.

AD ungendum infirmum pulsetur campana, ut in communione infirmorum dictum est : et Fratres omnes conveniant in Ecclesia : interimque Prior (vel alius, cui ipse injunxerit) induatur Alba, vel Superpelliceo, cum Stola. Congregatis Fratribus, dicant alternatim Psalmum **Beátus, qui intélligit. 49.** et Psal. **Voce mea. 178.** et unicuique adjungitur **Glória,** et dicendo Psalmos procedant ad infirmariam hoc ordine. Primo Frater portans aquam benedictam : deinde duo Acolythi cum cereis accensis; postea Frater portans laternam cum lumine, et crucem sine baculo, deinde Sacerdos deferens ante se Oleum sanctum, et Sacrista juxta eum ferens stuppam, vel pannum lineum ad tergendam Uncturam : postea sequatur Conventus, junioribus præcedentibus. Cum autem pervenerint ad infirmariam, Sacerdos dicat : **Pax huic dómui. ℟. Et ómnibus habitántibus in ea.**

Deinde stans ante ægrotum, dicat : ℣. **Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cœlum et terram.**

℣. **Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.**

Oratio.

INtróeat Dómine Jesu Christe domum hanc sub nostræ humilitátis ingréssu, ætérna felícitas, divína prospéritas, seréna lætítia, cáritas fructuósa, sánitas sempitérna, effúgiat ex hoc loco accéssus dæmonum : adsint Angeli pacis : domum hanc déserat effugáta discórdia : magnífica Dómine super nos nomen sanctum tuum, et béne ✠ dic nostræ conversatióni, sancti ✠ fica nostræ humilitátis ingréssum, qui sanctus et pius es, et pérmanes cum Deo Patre, et Spíritu sancto in sæcula sæculórum.

℟. **Amen.**

Oratio.

ORémus, et deprecémur Dóminum nostrum Jesum Christum : ut benedicéndo bene- ✠ dícat hoc tabernáculum, et omnes habitántes in eo : et det eis Angelum bonum custódem : fáciat eos sibi servíre ad considerándum mirabília de lege sua : avértat ab eis omnes contrárias potestátes : erípiat eos ab omni formídine, et ab omni perturbatióne : ac sanos in hoc tabernáculo custodíre dignétur. Qui cum Patre et Spíritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Oratio.

EXáudi nos, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus : et míttere dignéris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui custódiat, fóveat, prótegat, vísitet, et defendat omnes habitántes in hoc habitáculo. Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Deinde accedens ad infirmum, aspergat eum aqua benedicta in modum Crucis, postea domum, dicens : **Aspérges me Dómine.** ℣. **Miserére. Et secúndum multitúdinem. Glória Patri,** et **Sicut erat;** et repetitur Aña **Aspérges.**

Deinde dicat ℣. **Dóminus vobíscum.**

Orémus. Oratio.

OMnípotens, sempitérne Deus, qui per beátum Jacóbum Apóstolum tuum, indúcere Presbyteros Ecclésiæ, et úngere infírmos, præcepísti : præsta, quæsumus; ut dignéris per manus nostras hunc fámulum tuum infírmum de óleo isto sanctificáto úngere, et be ✠ nedícere : et quod extérius fidéliter postulántes amplécimur, hoc intérius spirituáliter divína tua virtus invisibíliter operétur. Per Christum Dóminum nostrum.

Deinde infirmus roget Priorem, et alios Fratres, ut ei dimittant, et dicat **Confíteor :** et absolvatur, ut in communione infirmorum dictum est. Facta absolutione Sacerdos offerat infirmo Crucem ad osculandum dicens cum ipso : **Adorámus te Dómine Jesu Christe, et benedícimus tibi, quia per sanctam Crucem tuam redemísti mundum. Tuam Crucem adorámus Dómi-**

ne : tuam gloriósam recólimus passiónem : miserére nobis Dómine, qui passus es cleménter pro nobis. Amen.

Postea intincto pollice in Oleo sancto, dicat absolute : **In nómine Pa- ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ sancti, exstinguátur in te omnis virtus diáboli per impositiónem mánuum nostrárum : imo per invocatiónem ómnium Angelórum, Archangelórum, Prophetárum, Apostolórum, Mártyrum, Confessórum, Vírginum, atque ómnium simul Sanctórum. ℟. Amen.**

Quo dicto faciat signum Crucis de Oleo sancto in septem locis, ad unamquamque crucem, propriam Orationem dicendo.

Ad utrumque oculum clausum.

PEr istam sanctam un- ✠ ctiónem, et suam piíssimam misericórdiam, parcat tibi Dóminus, quidquid deliquísti per visum. ℟. Amen.

Sacrista detergat uncturam, et in qualibet detersione mutentur stuppæ, vel panni : et ponat eos in vase mundo, quos postea comburet, et cineres in piscinam projiciet.

Ad utramque aurem.

PEr istam sanctam un- ✠ ctiónem et suam piíssimam misericórdiam, parcat tibi Dóminus, quidquid deliquísti per audítum. ℟. Amen.

Ad nares faciendo unam crucem tantum.

PEr istam sanctam un- ✠ tiónem, et suam piíssimam misericórdiam, parcat tibi Dóminus, quidquid deliquísti per odórem. ℟. Amen.

Ad os clausum exterius.

PEr istam sanctam un- ✠ ctiónem, et suam piíssimam misericórdiam, parcat tibi Dóminus, quidquid deliquísti per gustum, et locutiónem. ℟. Amen.

Ad utramque manum, exterius si fuerit Sacerdos, sin autem interius.

PEr istam sanctam un- ✠ ctiónem, et suam piíssimam misericórdiam, parcat tibi Dóminus, quidquid deliquísti per tactum. ℟. Amen.

Ad utrumque pedem desuper.

PEr istam sanctam un- ✠ ctiónem, et suam piíssimam misericórdiam, parcat tibi Dóminus, quidquid deliquísti per gressum. ℟. Amen.

Ad Lumbos.

PEr istam sanctam un-✠ ctiónem, et suam piíssimam misericórdiam, parcat tibi Dóminus, quidquid lumbórum, seu carnis delectatióne deliquísti.

℟. Amen.

Peracta unctione, Sacerdos abluat pollicem cum sale, et aqua in vase mundo, et tergat cum manutergio : et ablutio projiciatur in piscinam, et Fratres alternatim dicant Psalmum. Bénedic ánima mea Dómino, et ómnia quæ intra. III.

In fine Glória Patri.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas.

℣. Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam. ℟. Et salutáre tuum da nobis.

℣. Salvum fac servum tuum. ℟. Deus meus sperántem in te.

℣. Mitte ei Dómine auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére eum.

℣. Nihil profíciat inimícus in eo. ℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére ei.

℣. Esto ei Dómine turris fortitúdinis. ℟. A fácie inimíci.

℣. Dómine exáudi.

℣. Dóminus vobíscum.

Oratio.

ORémus, et deprecémur Dóminum nostrum Jesum Christum, fratres caríssimi, et cum omni supplicatióne rogémus : ut hunc fámulum suum per Angelum sanctum visitáre, et confortáre dignétur. Qui vivit et regnat cum Deo Patre in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Orémus.

PRopitiétur Dóminus cunctis iniquitátibus hujus infírmi : redimátque de intéritu perpétuæ mortis vitam ejus : et corróboret, et sátiet in bonis ómnibus desidérium ejus. Qui vivit et regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Orémus.

DA véniam, Dómine, fámulo tuo, et cleménter líbera eum ab ægritúdine córporis laborántem : et qui tua justítia córrigis dévium scéleri, defénde miseratióne corréctum. Per Christum Dóminum nostrum.

Oratio.

BEne ✠ dícat te Deus Pater. ℟. Amen. Bene ✠ dícat, et sanet te Deus Fílius. ℟. Amen.

Bene ✠ dícat, et illúminet te Deus Spíritus sanctus. ℟. Amen. Animam tuam salvet. ℟. Amen. Cor tuum irrádiet. ℟. Amen. Sensum tuum dírigat, et ad vitam ætérnam te perdúcat : Qui in Trinitáte perfécta vivit et regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Bene ✠ dícat te Deus cœli. ℟. Amen. Adjuvet te Christus Fílius Dei vivi. ℟. Amen. Corpus tuum in suo sancto servítio custodíri, et conservári fáciat. ℟. Amen.

Mentem tuam illúminet. ℟. Amen. Sensum tuum dírigat. ℟. Amen. Grátiam suam ad proféctum ánimæ tuæ in te áugeat. ℟. Amen. Ab omni malo te líberet. ℟. Amen. Déxtera sua te defédat. ℟. Amen. Qui Sanctos suos semper juvat, ipse te adjuváre, et conserváre dignétur : Qui est benedíctus in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Bene ✠ dícat te Deus Pater, qui in princípio ex níhilo cuncta creávit. ℟. Amen. Bene ✠ dícat te Deus Fílius, qui de supérnis sédibus Salvátor descéndit. ℟. Amen. Bene ✠ dícat te Deus Spíritus sanctus, qui in similitúdinem colúmbæ in flúmine Jordánis in Christo requiévit. ℟. Amen.

Et ipse te in Trinitáte sanctíficet, quem omnes Gentes ventúrum ad judícium exspéctant. Qui vivit et regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Oratio.

Dominus noster Jesus Christus apud te sit, ut te defédat. ℟. Amen. Intra te sit, ut te refíciat. ℟. Amen. Circa te sit, ut te consérvet. ℟. Amen.

Ante te sit, ut te dedúcat. ℟. Amen. Post te sit, ut te custódiat. ℟. Amen. Super te sit, ut te benedícat. Qui in Trinitáte perfécta vivit et regnat in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Postea aspergat infirmum in modum Crucis, dicendo : **Benedíctio Dei omnipoténtis Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii et Spíritus ✠ sancti descéndat super te, et máneat semper.**

℟. Amen.

Quo dicto relinquatur ibi crux : quæ ita collocetur, ut infirmus possit apte crucifixum adspicere, et revertantur ad Ecclesiam ordine, quo venerunt, di-

cendo septem Psalmos Pœnitentiales, vel saltem Psalmum **Miserére mei Deus.**

Quo dicto, genuflexis ante Altare omnibus, Sacerdos dicit Litanias breves, ut infra habentur in commendatione animæ, ceteris respondentibus : et in fine dicitur **Pater noster.**

℣. Et ne nos indúcas.

℣. Ora pro eo sancta Dei Génitrix. ℟. Ut dignus efficiátur promissiónibus Christi.

℣. Dómine exáudi oratiónem.

℣. Dóminus vobíscum.

Orémus. Oratio.

Concéde fámulum tuum, quæsumus Dómine, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére : et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia.

Oratio.

Réspice, quæsumus Dómine, fámulum tuum N. fratrem nostrum in infirmitáte sui córporis fatiscéntem : et ánimam réfove, quam creásti : ut castigatiónibus emendátus, se séntiat tua medicína salvátum.

Oratio.

Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, qui benedictiónis tuæ grátiam ægris infundéndo corpóribus, factúram tuam multíplici pietáte custódis, ad invocatiónem tui nóminis benígnus assíste : ut fámulum tuum N. ab omni ægritúdine liberátum, et sanitáti donátum, déxtera tua érigas, virtúte confírmes, potestáte tueáris, atque Ecclésiæ tuæ, sanctísque altáribus tuis cum omni desideráta prosperitáte restítuas. Per Dóminum nostrum.

Si infirmus laboret in extremis, relictis aliis Orationibus, statim ad unctionem perveniatur, dicendo : **Per istam sanctam unctiónem,** etc. et post ultimam unctionem poterunt suppleri omissa in principio, relictis tamen Orationibus. **Omnípotens sempitérne Deus, qui per beátum,** et **In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus sancti exstinguátur.**

Si inter unctiones mori contigerit infirmum; statim intermissis omnibus incipiatur, **Subveníte,** ut infra in Commendatione animæ.

DE OBITU FRATRIS.

CUm Frater morti proximus erit, percutiatur tabula crebris ictibus in claustro, et in aliis locis, ubi Fratres conveniunt : et omnes occurrant morienti dicentes **Credo in Deum Patrem.** voce audibili, toties repetendo donec ad infirmariam pervenerint. Si Fratres fuerint in principio, vel medio comestionis, audito signo cito exeant omnes, singuli dicentes, **Credo,** ut supra : si autem fuerint circa finem comestionis, ineunte Priore dicatur, **Tu autem,** et dicto breviter, et sine nota **Confiteántur tibi,** vel **Memóriam fecit :**

Hebdomadarius subjungat, **Agimus tibi grátias,** vel **Benedíctus Deus.**

Quo dicto sine mora exeant, dicendo **Credo;** remaneat tamen aliquis Frater ad custodiam Refectorii. Si vero fuerint ad Missam, vel Officium, Prior, et aliqui, quibus ipse innuerit, exeant dicentes : **Credo;** reliqui absolvant Missam, vel Officium : quo terminato, et ipsi adeant infirmum, dicentes **Credo.** Dum igitur Fratres occurrentes advenerint ad morientem, Prior vel alius cum stola dicat Litanias sequentes, ceteris respondentibus, et omnes sint genuflexi.



Kyrie eléison.
℟. **Kyrie eléison.**
Christe eléison.
℟. **Christe.**
Kyrie eléison.
℟. **Kyrie.**
Christe audi nos.
℟. **Christe audi nos.**
Christe exáudi nos.
℟. **Christe.**
Pater de cœlis Deus.
℟. **Miserére ei.**
Fili Redémptor mundi Deus.
℟. **Miserére ei.**
Spíritus sancte Deus, Miserére ei.
Sancta Trínitas unus Deus, Miserére ei.
Sancta María, Ora pro eo.
Sancta Dei Génitrix, ora.
Sancta Virgo vírginum, ora pro eo.
Sancte Míchael, ora.
Omnes sancti Angeli et Archángeli, oráte.
Omnes sancti beatórum Spiríituum órdines, oráte pro eo.
Sancte Abel, ora.
Omnis chorus justórum, ora pro eo.
Sancte Abraham, ora.
Sancte Joánnes Baptísta, ora pro eo.

Sancte Joseph, ora.
Sancte Pater Elía, ora.
Sancte Elisée, ora.
Omnes sancti Patriárchæ et Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Omnes sancti Apóstoli et Evangelístæ, oráte.
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte.
Omnes sancti Innocéntes, oráte pro eo.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Angele, ora.
Omnes sancti Mártyres, oráte pro eo.
Sancte Silvéster, ora.
Sancte Cyrílle, ora.
Omnes sancti Pontífices et Confessóres, oráte.
Omnes sancti Doctóres, oráte pro eo.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Albérte, ora.
Omnes sancti Sacerdótes et Levítæ, oráte pro eo.
Omnes sancti Mónachi et Eremítæ, oráte pro eo.
Sancta Anna, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Omnes sanctæ Vírgines et Víduæ, oráte pro eo.
Omnes Sancti et Sanctæ Dei, Intercédite pro eo.
Propítius esto, Parce ei Dómine.
Propítius esto, Líbera eum Dómine.

Ab ira tua, líbera eum Dómine.
A mala morte, líbera.
A morte perpétua, líbera.
A morte dira, líbera.
A perículo mortis, líbera.
A pœnis inférni, líbera.
A potestáte diáboli, líbera eum Dómine.
Ab insídiis diáboli, líbera eum Dómine.
De gládio malígno, líbera eum Dómine.
A spíritu malígno, líbera.
A læsióne péssima, líbera eum Dómine.
Ab ira tua, líbera.
Ab omni malo, líbera.
Per Nativitátem tuam, líbera eum Dómine.
Per sanctam Crucem tuam, libera eum Dómine.
Per Mortem et Sepultúram tuam, líbera eum Dómine.
Per gloriósam Resurrectiónem tuam, líbera eum Dómine.
Per admirábilem Ascensiónem tuam, líbera eum Dómine.
Per grátiam Spíritus sancti Parácliti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, Te rogámus audi nos.
Ut ei parcas, Te rogámus.
Ut ei indúlgeas, Te rogámus.

Ut ad veram pœniténtiam eum perdúcere dignéris, Te rogámus.

Ut spíritum ejus a loco angústiæ liberáre dignéris, Te rogámus.

Ut ánimam ejus ab ætérna damnatióne erípias. Te rogámus audi nos.

Ut ánimam ejus ad portum salútis perdúcere dignéris, Te rogámus.

Ut nos exaudíre dignéris, Te rogámus audi nos.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster.

℣. Et ne nos.

℣. Salvum fac servum tuum. ℟. Deus meus sperántem in te.

℣. Mitte ei Dómine auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére eum.

℣. Dómine exáudi.

℣. Dóminus vobíscum.

Orémus. Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, conservátor animárum : qui, quos díligis, córripis, et quos récipis, ad emendatiónem piam coérces : te Dómine deprecámur, ut medélam tuam conférre dignéris in ánimam fámuli tui, qui in córpore pátitur membrórum debilitátem, vim labóris, stímulos infirmitátum, da ei grátiam, et misericórdiam tuam : ut in hora éxitus illíus de córpore, absque peccáti mácula, Creatóri próprio per manus sanctórum Angelórum ejus ánima repræsentári mereátur. Per Christum Dóminum.

Deinde absolute dicitur

Oratio.

Proficíscere ánima Christiána de hoc mundo, in nómine Dei Patris omnipoténtis, qui te creávit. In nómine Jesu Christi Fílii Dei vivi, qui pro te passus est. In nómine Spíritus sancti, qui in te effúsus est. In nómine Angelórum, et Archangelórum. In nómine Thronórum, et Dominatiónum. In nómine Principátuum, et Potestátum In nómine Chérubim, et Séraphim. In nómine Patriarchárum, et Prophetárum. In nómine sanctórum Apostolórum, et Evangelistárum. In nómine sanctórum Mártyrum, et Confessórum. In nómine sanctórum Monachórum, et Eremitárum. In nómine sanctárum Vírginum, et ómnium Sanctórum, et Sanctárum Dei. Hódie sit in pace locus tuus, et habitátio tua sit in sancta Sion.

Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.
Orémus. Oratio.
DEus miséricors, Deus clemens, Deus, qui secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum peccáta pœniténtium deles, et præteritórum críminum culpas vénia remissiónis evácuas; réspice propítius super hunc fámulum tuum N. et remissiónem sibi ómnium peccatórum suórum tota cordis confessióne poscéntem deprecátus exáudi. Rénova in eo, piíssime Pater, quidquid terréna fragilitáte corrúptum, vel quidquid diabólica fraude violátum est: et unitáti córporis Ecclésiæ membrum redemptiónis annécte. Miserére, Dómine, gemítuum ejus: miserére lacrymárum ejus: et non habéntem fidúciam nisi in tua misericórdia, ad tuæ sacraméntum reconciliatiónis admítte. Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.
Orémus. Oratio.
COmméndo te omnipoténti Deo, frater caríssime, et ei, cujus es creatúra, commítto: ut cum humanitátis débitum morte interveniénte persólveris, ad Auctórem tuum, qui te de limo terræ formáverat, revertáris. Egrediénti ítaque ánimæ tuæ de córpore, spléndidus Angelórum cœtus occúrrat: judex Apostolórum tibi senátus advéniat: candidatórum tibi Mártyrum triumphátor exércitus óbviet: liliáta rutilántium te Confessórum turma circúmdet: jubilántium te Vírginum chorus excípiat: et beátæ quiétis in sinum Patriarchárum te compléxus adstríngat: mitis, atque festívus Christi Jesu tibi adspéctus appáreat, qui te inter assisténtes sibi júgiter interésse decérnat. Ignóres omne, quod horret in ténebris: quod stridet in flammis: quod crúciat in torméntis. Cedat tibi tetérrimus Sátanas cum satellítibus suis; in advéntu tuo te comitántibus Angelis contremíscat, atque in ætérnæ noctis chaos immáne diffúgiat. Exsúrgat Deus, et dissipéntur inimíci ejus: et fúgiant, qui odérunt eum, a fácie ejus. Sicut déficit fumus, defíciant: sicut fluit cera a fácie ignis, sic péreant peccatóres a fácie

Dei. Et justi epuléntur, et exsúltent in conspéctu Dei. Confundántur ígitur, et erubéscant omnes tartáreæ legiónes : et minístri Sátanæ iter tuum impedíre non áudeant. Líberet te a cruciátu Christus, qui pro te crucifíxus est. Líberet te a morte Christus, qui pro te mori dignátus est. Constítuat te Christus Fílius Dei vivi intra paradísi semper amœna viréntia : et inter oves suas te verus ille pastor agnóscat. Ille ab ómnibus peccátis tuis te absólvat, atque ad déxteram suam in electórum suórum te sorte constítuat. Redemptórem tuum fácie ad fáciem vídeas : et præsens semper assístens, manifestíssimam beátis óculis adspícias veritátem. Constitútus ígitur inter ágmina Beatórum, contemplatiónis divínæ dulcédine potiáris in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Orémus. Oratio.

Suscipe Dómine servum tuum in locum sperándæ sibi salvatiónis a misericórdia tua.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, ex ómnibus perículis inférni, et de láqueis pœnárum, et ex ómnibus tribulatiónibus.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Henoch, et Elíam de commúni morte mundi.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Noe de dilúvio.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Abraham de Ur Chaldæórum.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Job de passiónibus suis.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Isaac de hóstia, et de manu patris sui Abrahæ.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Lot de Sódomis, et de flamma ignis.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Móysen de manu Pharaónis regis Ægyptiórum.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Daniélem de lacu leónum.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti tres púeros de camíno ignis ardéntis, et de manu regis iníqui.
℟. Amen.
Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Susánnam de falso crímine.
℟. Amen.
Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti David de manu regis Saul, et de manu Golíæ.
℟. Amen.
Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Petrum et Paulum de carcéribus.
℟. Amen.
Et sicut beatíssimam Theclam Vírginem et Mártyrem tuam de tribus torméntis atrocíssimis liberásti, sic liberáre dignéris ánimam hujus servi tui, et tecum fácias in bonis congaudére cœléstibus.
℟. Amen.

Orémus. Oratio.

Commendámus tibi, Dómine, ánimam fámuli tui N. precamúrque te Jesu Christe Salvátor mundi; ut propter quam ad terram misericórditer descendísti, Patriarchárum tuórum sínibus insinuáre non rénuas. Agnósce, Dómine, creatúram tuam, non ex diis aliénis creátam, sed a te solo Deo vivo et vero : quia non est álius Deus præter te, et non est secúndum ópera tua. Lætífica, Dómine, ánimam ejus in conspéctu tuo : et ne memíneris iniquitátum ejus antiquárum, et ebrietátum, quas suscitávit furor, sive fervor mali desidérii. Licet enim peccáverit, tamen Patrem, et Fílium, et Spíritum sanctum non negávit, sed crédidit : et zelum Dei in se hábuit, et Deum, qui fecit ómnia, adorávit.
℟. Amen.

Orémus. Oratio.

Delícta juventútis, et ignorántias ejus, quæsumus, ne memíneris Dómine : sed secúndum magnam misericórdiam tuam memor esto illíus in glória claritátis tuæ. Aperiántur ei cœli : collæténtur illi Angeli. In regnum tuum servum tuum súscipe. Suscípiat eum sanctus Míchael Archángelus Dei, qui milítiæ cœléstis méruit principátum. Véniant illi óbviam sancti Angeli Dei, et perdúcant eum in civitátem cœléstem Jerúsalem. Suscípiat eum

beátus Petrus Apóstolus, cui a Deo claves regni cœléstis tráditæ sunt. Adjuvet eum sanctus Paulus Apóstolus, qui dignus fuit esse vas electiónis. Intercédat pro eo sanctus Joánnes eléctus Dei Apóstolus, cui reveláta sunt secréta cœléstia. Orent pro eo omnes sancti Apóstoli, quibus a Dómino data est potéstas ligándi, atque solvéndi. Intercédant pro eo omnes Sancti Dei, qui pro Christi nómine in hoc sæculo torménta sustinuérunt : ut vínculis carnis exútus pervenire mereátur ad glóriam regni cœléstis : præstánte Dómino nostro Jesu Christo; qui cum Patre et Spíritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

His dictis, si adhuc supervixerit, dicantur septem Psalmi Pœnitentiales, et quindecim Graduales sine Glória Patri.

His expletis, si nondum obierit, discedant Fratres : Prior tamen provideat de aliquibus Fratribus, qui Psalt. legant sine Glória Patri.

Qui cum certo signo viderint Fratrem in proximo moriturum, iterum percussa tabula advocent Fratres: et cum Frater obierit, terminentur Psalmi per Réquiem ætérnam.

Egressa vero anima, Sacerdos cum stola incipiat ℟. Subveníte, et Conventus prosequatur.

℟. Subveníte Sancti Dei, occúrrite Angeli Dómini : * Suscipiéntes ánimam ejus, offeréntes eam in conspéctu Altíssimi.

℣. Suscípiat eam Christus, qui vocávit eam : et in sinum Abrahæ Angeli dedúcant eam. Suscipiéntes ánimam.

Réquiem ætérnam. Suscipiéntes.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster.

℣. Et ne nos. ℟. Sed líbera nos.

℣. Réquiem ætérnam dona ei Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat ei.

℣. A porta ínferi. ℟. Erue Dómine ánimam ejus.

℣. Requiéscat in pace. ℟. Amen.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

Tibi Dómine commendámus ánimam fámuli tui N. ut defúnctus sæculo tibi vivat : et quæ per fragilitátem mundánæ conversatiónis peccáta commísit, tu vénia misericordíssimæ pietátis abstérge. Per Christum Dóminum. ℟. Amen.

His dictis abluatur corpus, et Prior provideat, quomodo et a quibus abluendum sit. Abluto corpore, induatur seu involvatur, et in feretro collocetur.

Est autem sepeliendus Frater cum Tunica grisei vel nigri coloris, Scapulari, Caputio, et Cappa alba, manibus in modum crucis dispositis, Cinguloque præcinctus, ut decenter aptatus appareat. Interim dum abluitur corpus, et involvitur, Fratres stent juxta Sacerdotem : Sacerdos vero voce mediocri dicat sequentes Orationes, Fratribus easdem submisse dicentibus.

Orémus. Oratio.

Deus pietátis et bonitátis invíctæ, et sempitérnæ cleméntiæ, te supplíciter postulámus : ut ánimam fámuli tui, quam de hujus sæculi ærumnósa peregrinatióne præcepísti vocári, univérsa delictórum remissióne concéssa, in sinu Abrahæ júbeas collocári. Obsecrámus te ergo piíssime Pater, ut quem Unigéniti tui cruor redémit effúsus, non sinas vérmibus perpétuis vorári : sed Angélici ágminis deductióne protéctus, paradísi tui potiátur suavitáte secúrus : et inter victrícium Mártyrum triumpháles catérvas coronátus incédat : a dextris Fílii tui retributiónem receptúrus assístat : et Sanctórum tuórum felíci consórtio deputátus, regnum cœléste possídeat. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.

Orémus. Oratio.

Diri vúlneris novitáte percúlsi, et quodámmodo córdibus sauciáti, misericórdiam tuam, mundi Redémptor, flebílibus vócibus implorámus, ut ánimam fámuli tui ad tuam cleméntiam, qui fons es pietátis, reverténtem, blande lenitérque suscípias, et si quas illa ex carnáli contagióne contráxit máculas, tu Deus inólita bonitáte cleménter déleas, pie indúlgeas, oblivióni in perpétuum tradas, atque hanc laudes

tibi cum céteris redditúram, et àd corpus quandóque reversúram, Sanctórum tuórum cœtibus aggregári præcípias. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Orémus. Oratio.

Misericórdiam tuam Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, pietátis afféctu rogáre pro áliis cógimur, qui pro nostris supplicáre peccátis nequáquam sufficimus : tamen de tua confísi gratúita, et inólita benignitáte, cleméntiam tuam depóscimus; ut ánimam fámuli tui ad te reverténtem, cum pietáte suscípias: adsit ei Angelus testaménti tui Míchael, et per manus sanctórum Angelórum tuórum inter eléctos tuos in sínibus Abrahæ, Isaac, et Jacob Patriarchárum tuórum eam collocáre dignéris : quátenus liberáta de princípibus tenebrárum : et de locis pœnárum, nullis jam primævæ nativitátis, aut própriæ iniquitátis, seu fragilitátis confundátur erróribus : sed pótius agnoscátur a tuis, et sanctæ beatitúdinis réquie perfruátur : atque cum magni judícii dies advénerit, inter Sanctos et eléctos tuos resuscitáta, glória maniféstæ contemplatiónis tuæ perpétuo satiétur. Per Christum Dóminum nostrum.

Orémus. Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui humáno córpori ánimam ad imáginem tuam inspiráre dignátus es, dum te jubénte pulvis in púlverem revértitur : quæsumus, ut ánimam fámuli tui cum Sanctis et eléctis tuis ætérnis sédibus júbeas sociári, eámque ad te reverténtem ex Ægypti pártibus, blande lenitérque suscípias : et Angelos sanctos tuos ei óbviam mittas, viámque illi justítiæ demónstres. Repélle, quæsumus, ab ea omnes príncipes tenebrárum : et agnósce depósitum, quod tuum est. Súscipe Dómine creatúram tuam, non ex diis aliénis creátam, sed a te solo Deo vivo, et vero : quia non est álius Deus præter te Dómine : et non est secúndum ópera tua. Lætífica, clementíssime Deus, ánimam fámuli tui : et clarífica eam multitúdine misericórdiæ tuæ : nec memíneris iniquitátum ejus antiquá-

rum, et ebrietátum, quas suscitávit furor mali desidérii. Licet enim peccáverit, te tamen non negávit : sed signo fídei insignítus, te, qui ómnia, et eum inter ómnia fecísti, fidéliter adorávit. Qui vivis et regnas Deus in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Orémus. Oratio.

SUscipe Dómine ánimam fámuli tui defúncti, quam de ergástulo hujus sæculi vocáre dignátus es : et líbera eam de princípibus tenebrárum, et de locis pœnárum; ut absolúta ab omni vínculo peccatórum, quiétis ac lucis ætérnæ beatitúdine perfruátur, et inter Sanctos et eléctos tuos in resurrectiónis glória resuscitári mereátur. Per Christum Dóminum.

Orémus. Oratio.

PArtem beátæ resurrectiónis obtíneat, vitámque ætérnam habére mereátur in cœlis. Per te Jesu Christe Salvátor mundi : Qui cum Patre et Spíritu sancto vivis, et regnas Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Finitis Orationibus Sacerdos incipiat Añam. Suscípiat te Christus, et Conventus alternatim dicat Ps. In éxitu Israel. 161. In fine Réquiem ætérnam. Post Psalmum dicatur ab omnibus Aña. Suscípiat te Christus, qui vocávit te : et in sinum Abrahæ Angeli dedúcant te.

Postea, si corpus non fuerit adhuc ablutum, et pannis involutum, Sacerdos incipiat Añam. Chorus Angelórum, et Conventus alternatim dicat infrascriptos Ps. Diléxi. 163. Crédidi. 164. Laudáte Dóminum omnes Gentes. 164. Confitémini. 131. Beáti immaculáti. 133. et reliq. Psalmos de Tertia, Sexta, et Nona, qui terminentur per Réquiem ætérnam.

In fine dicatur ab omnibus Aña. Chorus Angelórum te suscípiat, et in sinu Abrahæ te cóllocet : ut cum Lázaro quondam páupere ætérnam hábeas réquiem.

Abluto corpore, involuto, et decenter in feretro posito, a Sacerdote aqua benedicta aspergatur, et thurificetur, dicente cum nota Pater noster.

℣. Et ne nos.

℣. A porta ínferi. ℟. Erue Dómine ánimam ejus.

℣. Nihil profíciat inimícus in eo. ℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére ei.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam.

℣. Dóminus vobíscum.

Orémus. Oratio.

DEus, cui soli cómpetit medicínam præstáre post mortem : præsta, quæsumus ; ut ánima fámuli tui terrénis exúta contágiis, in tuæ redemptiónis parte numerétur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Finita Oratione, Cantor incipiat ℟. Líbera me Dómine, quod Conventus prosequatur : et cantando efferatur corpus ad Ecclesiam, seu Capitulum : et ipsum deponant ante altare, pedibus defuncti versus Altare majus ; si vero defunctus fuerit Sacerdos, ponatur capite versus Altare, ad cujus pedes crux collocetur : et dum ℟. finitur, Sacerdos aspergat, et thurificet corpus.

℟. Líbera me Dómine de morte ætérna in die illa treménda, * Quando cœli movéndi sunt et terra, * Dum véneris judicáre sæculum per ignem.

℣. Tremens factus sum ego, et tímeo, dum discússio vénerit, atque ventúra ira. Quando.

℣. Dies illa, dies iræ, calamitátis, et misériæ : dies magna, et amára valde. Dum véneris.

℣. Réquiem ætérnam dona ei Dómine ; et lux perpétua lúceat ei. ℟. Líbera me.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas.

℣. A porta ínferi. ℟. Erue Dómine ánimam ejus.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

COmmendámus, Dómine, ánimam fámuli tui N. Fratris nostri in mánibus beatíssimæ Vírginis et matris Maríæ, nostri sacri Ordinis singuláris Patrónæ. Commendámus, Dómine, ánimam fámuli tui in mánibus sanctórum Patris nostri Elíæ, Eliséi, et ómnium Patriarchárum, et Prophetárum. Commendámus, Dómine, ánimam fámuli tui in mánibus sanctórum Petri et Pauli, et ómnium Apostolórum, et Evangelistá-

rum. Commendámus, Dómine, ánimam fámuli tui in mánibus sanctórum Stéphani, Angeli, et ómnium Mártyrum. Commendámus, Dómine, ánimam fámuli tui in mánibus sanctórum Silvéstri, Cyrílli, et ómnium Pontíficum, Confessórum, et Doctórum. Commendámus, Dómine, ánimam fámuli tui in mánibus sanctórum Benedícti, Albérti, et ómnium Sacerdótum, Levitárum, Monachórum, et Eremitárum. Commendámus, Dómine, ánimam fámuli tui in mánibus sanctárum Annæ, Magdalénæ, Cæcíliæ, et ómnium Vírginum, et Viduárum. Commendámus, Dómine, ánimam fámuli tui in mánibus Sanctórum et Sanctárum ómnium. Commendámus, Dómine, in manus tuas ánimam fámuli tui, ne princeps ei nóceat tenebrárum : sed tu, Dómine, misericórditer eam prótegas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

His dictis, aliqui Fratres dispositi a Reverendo Priore, sedentes prope defunctum, donec sepulturæ tradatur, legant submissa voce Psalterium et sepeliatur hoc modo, ut infra.

DE SEPULTURA FRATRUM.

Antequam defunctus sepeliatur, pro eo Missa solemniter celebretur, nisi adsit aliquod legitimum impedimentum. Qua expleta, Sacerdos casula exutus, et pluviali indutus, assistentibus ministris Altaris a dextris, et a sinistris coram defuncto, omisso **Dóminus vobíscum,** et **Orémus,** absolute dicat Orationem sequentem.

Oratio.

Non intres in judícium cum servo tuo, Dómine : quia nullus apud te justificábitur homo, nisi per te ómnium peccatórum ei tribuátur remíssio. Non ergo eum, quæsumus, tua judiciális senténtia premat, quem tibi vera supplicátio fídei comméndat : sed grátia tua illi succurrénte, mereátur evádere judícium ultiónis, qui dum víveret, insignítus est signáculo sanctæ Trinitátis. Qui vivis, et regnas. ℟. Amen.

Finita Oratione, duo Cantores incipiant ℟. **Subveníte,** et cantent ℣. quod et in aliis duobus Responsoriis sequentibus

faciant : et dum cantatur ℟. Sacerdos aspergat corpus aqua benedicta, circumeundo feretrum, atque eodem modo thurificet : quod et in aliis duobus Responsoriis faciat.

℟. Subveníte Sancti Dei, occúrrite Angeli Dómini : * Suscipiéntes ánimam cjus, offeréntes eam in conspéctu Altíssimi.

℣. Suscípiat eam Christus, qui vocávit eam : et in sinum Abrahæ Angeli dedúcant eam. Suscipiéntes.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℣. A porta ínferi. ℟. Erue Dómine ánimam ejus.

℣. Credo vidére bona Dómini. ℟. In terra vivéntium.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam.

℣. Dóminus vobíscum.

Orémus. Oratio.

DEus cui ómnia vivunt, et cui non péreunt moriéndo córpora nostra, sed mutántur in mélius : te súpplices deprecámur; ut súscipi júbeas ánimam fámuli tui, per manus sanctórum Angelórum deducéndam in sinum amíci tui Abrahæ Patriárchæ, resuscitandámque in novíssimo judícii magni die : et quidquid vitiórum diábolo falléntе contráxit, tu pius et misericors ábluas indulgéndo. Per Christum Dóminum nostrum.

Et statim incipiatur ℟. Meménto mei Deus, quia ventus est vita mea : * Nec adspíciat me visus hóminis.

℣. De profúndis clamávi ad te Dómine : Dómine exáudi vocem meam. Nec.

℣. Réquiem ætérnam dona ei Dómine : et lux perpétua lúceat ei. Nec.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas.

℣. Cóllocet eum Dóminus cum princípibus. ℟. Cum princípibus pópuli sui.

℣. In memória ætérna erit justus. ℟. Ab auditióne mala non timébit.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam.

℣. Dóminus vobíscum.

Orémus. Oratio.

FAC, quæsumus Dómine, hanc cum servo tuo defúncto misericórdiam : ut factórum suórum in pœnis non recípiat

vicem, qui tuam in votis ténuit voluntátem : ut sicut hic eum vera fides junxit fidélium turmis, ita illic eum tua miserátio assóciet Angélicis choris. Per Christum Dóminum.

Et statim dicatur ℟. Líbera me Dómine de morte ætérna in die illa treménda, * Quando cœli movéndi sunt, et terra, * Dum véneris judicáre sæculum per ignem.

℣. Tremens factus sum ego, et tímeo, dum discússio vénerit, atque ventúra ira. Quando.

℣. Dies illa dies iræ, calamitátis et misériæ, dies magna et amára valde. Dum.

℣. Réquiem ætérnam. ℟. Líbera.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster.

℣ Et ne nos.

℣. A porta ínferi.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam.

℣. Dóminus vobíscum.

Orémus. Oratio.

ANnue nobis, Dómine, ut ánima fámuli tui Fratris nostri, remissiónem, quam semper optávit, mereátur percípere delictórum. Per Christum Dóminum nostrum.

Statimque Sacerdos incipiat Aña. In paradísum dedúcant te Angeli : in tuo advéntu suscípiant te Mártyres, et perdúcant te in civitátem sanctam Jerúsalem.

Aña. Chorus Angelórum te suscípiat : et cum Lázaro quondam páupere ætérnam hábeas réquiem.

Dum hæc Antiphona cantatur præeuntibus cruce, et luminaribus, campanaque pulsante, feratur corpus Defuncti ad tumulum : et cum pervenerit ad tumulum, Sacerdos incipiat Aña. Ego sum resurréctio, et Cantores intonent Canticum. Benedíctus Dóminus Deus Israel. 26.

Quo finito dicatur Aña. Ego sum resurréctio et vita : qui credit in me, étiam si mórtuus fúerit, vivet; et omnis qui vivit, et credit in me, non moriétur in ætérnum.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster

℣. Et ne nos.

℣. A porta ínferi. ℟. Erue Dómine ánimam ejus.

℣. Dómine exáudi oratiónem.

℣. Dóminus vobíscum.

Orémus. Oratio.

ABsólve, quæsumus Dómine, ánimam fámuli tui Fratris nostri, ut defúnctus sæculo, tibi vivat : et peccáta, quæ per fragilitátem carnis humána conversatióne commísit, tu vénia misericordíssimæ pietátis abstérge. Per Christum Dóminum.

Dicta Oratione, Sacerdos aspergat corpus Defuncti aqua benedicta, et tumulum, et similiter incenset, et dicat :

℣. Réquiem ætérnam dona ei, Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat ei.

℣. Requiéscat in pace. ℟. Amen.

Duo Fratres collocent corpus in tumulo, ut decentius potuerint : et Sacerdos super eum terram semel projiciat : et qui ad hoc constituti fuerint, ipsum humo cooperiant : interim Sacerdos verso vultu ad tumulum, dicat :

Orémus. Oratio.

DEbitum humáni córporis sepeliéndi offícium, fidélium more compléntes, Deum, cui ómnia vivunt, fidéliter deprecámur; ut corpus cari Fratris nostri a nobis in infirmitáte sepúltum, in órdine Sanctórum suórum resúscitet; et ejus spíritum Sanctis ac fidélibus aggregári júbeat : cum quibus inenarrábili glória, et perénni felicitáte pérfrui mereátur. Per Christum Dóminum nostrum.

Humato corpore, et dicta Oratione, Cantores incipiant alta voce Añam **Clementíssime,** et Conventus ipsam prosequatur : et in fine ter genibus flexis repetitur : **Dómine miserére super isto peccatóre.**

Aña. Clementíssime Dómine, qui pro nostra miséria ab impiórum mánibus mortis supplícium pertulísti; líbera ánimam ejus de inférni vorágine, et de minístris tartáreis miserátor absólve : et cuncta ejus peccáta oblivióne perpétua dele : eámque ad lucem tuam Angeli tradant, paradisíque jánuam introdúcant, ut dum corpus púlveri tráditur, ad æternitátem perdúcant : Dómine miserére super isto peccatóre.

Dicta Aña statim Sacerdos alte dicat : **Pater noster.**

℣. Et ne nos indúcas.

℣. Non intres in judícium cum servo tuo Dómine. ℟. Quia non justifi-

cábitur in conspéctu tuo omnis vivens.

℣. A porta ínferi. ℟. Erue Dómine ánimam ejus.

℣. Dómine exáudi oratiónem.

℣. Dóminus vobíscum.

Orémus. Oratio.

SAtisfáciat tibi, quæsumus Dómine, Deus noster, pro ánima fámuli tui Fratris nostri, beatíssimæ Dei Genitrícis sempérque Vírginis Maríæ, nostri sacri Ordinis singuláris Patrónæ, et beatórum Patris nostri Elíæ et Eliséi Prophetárum, Angeli et Anastásii Mártyrum, Cyrílli, et Albérti Confessórum, Euphrásiæ, Terésiæ et Maríæ Magdalénæ Vírginum, omniúmque Sanctórum tuórum orátio, et præséntis famíliæ tuæ húmilis et devóta supplicátio : ut peccatórum ómnium véniam, quam precámur, obtíneat; nec eum patiáris cruciári gehennálibus flammis, quem Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi pretióso sánguine redemísti. Oratio.

DEus, cujus miseratióne ánimæ fidélium requiéscunt, fámulis et famulábus tuis ómnibus hic et ubíque in Christo quiescéntibus, da propítius véniam peccatórum : ut a cunctis reátibus absolúti, tecum sine fine læténtur. Per eúmdem Christum Dóminum.

His dictis, Cantores voce mediocri incipiant Psalm. Miserére mei. 42. et Conventus prosequatur, revertendo in Chorum, terminando Psalmum per Réquiem ætérnam. Quo finito Fratres genibus flexis secreto dicant Pater noster, quo finito, Sacerdos solus erectus dicat :

℣. Et ne nos.

℣. In memória ætérna erunt justi. ℟. Ab audítióne mala non timébunt.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

ABsólve, quæsumus Dómine, ánimam fámuli tui Fratris nostri, et ánimas famulórum, famularúmque tuárum, ab omni vínculo delictórum; ut in resurrectiónis glória inter Sanctos et eléctos tuos resuscitáti respírent.

℟. Amen.

℣. Requiéscant in pace.

℟. Amen.

Deinde iterum Sacerdos genuflectat, ut prius : et omnes Fratres secreto di-

cant **Pater noster, et Ave María,** et postea facto signo a Prælato surgant, et revertantur ad cellas suas.

Si corpus Defuncti feratur processionaliter ad Ecclesiam, Fratres eundo voce mediocri pronuntient Laudes Defunctorum, quas repetere poterunt, prout opus fuerit, donec Defunctus in Ecclesia reponatur.

Si Defunctus quacumque ex causa tradendus sit sepulturæ, ita ut pro eo Missa solemniter celebrari non possit, hoc modo sepeliatur.

Congregatis Fratribus in Choro cum Cappis albis, ad signum Prioris Cantores incipiant Invitator. **Regem, cui ómnia vivunt, * Veníte, adorémus.** Ps. **Veníte,** et dicantur Vigiliæ mortuorum, usque ad Laudes exclusive : et loco ultimi ℟. Cantores incipiant ℟. **Subveníte Sancti Dei.** Quo finito, Sacerdos sine **Dóminus vobíscum,** et sine **Orémus** absolute dicat Orationem **Non intres in judícium,** qua finita Cantores incipiant ℟. **Líbera me, Dómine,** et prosequatur a Choro ℣. **Tremens factus sum ego.**

℣. **Dies illa.**

℣. **Réquiem ætérnam,** etc. omnia ut supra.

DE SEPULTURA
CADAVERUM EXTRANEORUM.

Cum corpus Defuncti ad portam Ecclesiæ pervenerit, præeuntibus Cruce et luminaribus, nolaque pulsante, juxta ritum patriæ, mox a Sacerdote aspergatur, et thurificetur : Cantoresque incipiant ℟. **Subveníte sancti Dei.** Quo finito Sacerdos stans a capite defuncti, omisso **Dóminus vobíscum, et Orémus,** absolute incipiat Orationem **Non intres in judícium cum servo tuo.**

Qua finita, Cantores incipiant ℟. **Líbera me Dómine.**

℣. **Tremens factus.**

℣. **Dies illa, etc.**

℣. **Réquiem ætérnam.**

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster.

℣. **Et ne nos.**

℣. **A porta ínferi.**

℣. **Credo vidére.**

℣. **Dómine exáudi oratiónem.**

℣. **Dóminus vobíscum.**

Orémus. Oratio. **Deus, cui ómnia.** [352]qua finita efferatur corpus Defuncti

ad tumulum, et Sacerdos incipiat Antiphonam **In paradísum,** quam Chorus prosequitur : et cum pervenerit ad tumulum Sacerdos incipiat Añam **Ego sum resurréctio,** et dicatur Canticum **Benedíctus,** quo finito dicatur Aña ex integro. **Ego sum resurréctio, et vita.**

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster.

℣. Et ne nos.

℣. A porta ínferi.

℣. Dómine exáudi.

℣. Dómiuus vobíscum.

Orémus. Oratio.

Absólve, quæsumus Dómine, ánimam fámuli tui; ut defúnctus sæculo tibi vivat : et peccáta, quæ per fragilitátem, etc.

Dicta Oratione, Sacerdos aspergat corpus Defuncti aqua benedicta, et tumulum : et similiter incenset; et dicat :

℣. Réquiem ætérnam dona ei Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat ei.

℣. Requiéscat in pace. ℟. Amen.

Et interim Defunctus sepeliatur : et Fratres processionaliter euntes ad Chorum, dicant Ps. **Miserére mei.** Sacerdos dicat alta voce **Pater noster,** quo secreto a singulis Fratribus terminato, Sacerdos solus erectus dicat :

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℣. In memória ætérna.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio. **Inclína Dómine aurem;** si fuerit femina, **Quæsumus Dómine;** si fuerit Episcopus, vel Sacerdos, **Deus, qui inter Apostólicos.** Qua finita, Fratres eant ad cellulas suas.

Si pro tali Defuncto celebranda sit solemniter Missa, vel dicendum Officium Defunctorum : ponatur Crux ad pedes Defuncti cum cereis accensis : et Fratres eant ad Chorum, et cantatur Missa, vel Officium Defunctorum. His dictis fiat Officium sepulturæ, ut supra.

DE SEPULTURA PARVULORUM CHRISTIANORUM.

Quando puer extrahitur de domo, fiat secundum usum Patriæ, vel incipiatur Ps. **Beáti immaculáti 133.** vel Ps. **Laudáte púeri. 161. Glória Patri.**

Quando puer est in Ecclesia incipitur Aña.

HIc accípiet benedictiónem a Dómino, et misericórdiam a Deo salutári suo : quia hæc est generátio quæréntium Dóminum.

Ps. Dómini est terra. 128.

Quo finito et Aña ex integro repetita, dicatur.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster.

℣. Et ne nos.

℣. Me autem propter innocéntiam suscepísti. ℟. Et confirmásti me in conspéctu tuo in ætérnum.

℣. Dóminus vobíscum.

Orémus. Oratio.

OMnípotens et mitíssime Deus, qui ómnibus párvulis renátis baptísmate, dum migrant a sæculo, sine ullis eórum méritis vitam íllico largíris ætérnam, sicut ánimæ hujus párvuli crédimus te fecísse; fac nos, quæsumus Dómine, per intercessiónem beátæ Maríæ Vírginis, et ómnium Sanctórum tuórum, hic purificátis tibi méntibus famulári : et in paradíso beátis párvulis perénniter sociári. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Dum portatur ad tumulum, dicatur Cantic. Benedícite ómnia ópera. 23.

Aña. Júvenes et vírgines, senes cum junióribus laudáte Dóminum.

Ps. Laudáte Dóminum de cœlis. 24.

Deinde Aña. Júvenes.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster.

℣. Et ne nos.

℣. Sínite párvulos veníre ad me. ℟. Tálium est enim regnum cœlórum.

℣. Dóminus vobíscum.

Orémus. Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, sanctæ puritátis amátor, qui ánimam hujus párvuli ad regnum cœlórum hódie misericórditer vocáre dignátus es : concéde nobis ita misericórditer ágere, ut méritis tuæ sanctíssimæ Passiónis, et intercessióne beátæ Maríæ Vírginis, et ómnium Sanctórum tuórum, in eódem regno nos cum ómnibus Sanctis tuis, et eléctis semper fácias congaudére in cœléstibus. Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. Amen.

℣. Dóminus vobíscum.

℣. Benedicámus Dño.

℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Index

COMMUNIUM SANCTORUM.

Index Psalmorum.

Index

PSALMORUM.

Index Psalmorum.

Index Psalmorum.

Index Psalmorum.



Index
CANTICORUM.





